Digitized by Google

BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
12
80
4
BIBLIOTECA VITT. EMANUELE ROMA
55
4A
14

43

12-8-g·27-30

12 [illegible]

R. D. CAROLI
MUSITANI
PHILOSOPHI, AC MEDICI
Experientiſſimi, & Celeberrimi

OPERA MEDICA
CHYMICO-PRACTICA,
SEU
TRUTINA
MEDICO-CHYMICA,
In III. *Partes diviſa*;

OMNIA JUXTA RECENTIORUM PHILOSOPHORUM
Principia, & Medicorum Experimenta, excogitata, & adornata.

Cum INDICIBUS *Capitum*, *Rerum*, *&* *Materiarum locupletiſſimis*.

BIBLIOT A NAZ. ROMA

COLONIÆ ALLOBROGUM,
Sumptibus CHOUET, G. DE TOURNES, CRAMER, PERACHON,
RITTER, & S. DE TOURNES.

M. DCC L

N 36 —
1745 —

EMINENTISSIMO, ET REVERENDISSIMO

PRINCIPI,

DOMINO, DOMINO

PETRO OTTHOBONO

SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ

CARDINALI

AMPLISSIMO.

QUUM ad ſummum illud, in quo nunc es poſitus, honoris faſtigium EMINENTIAM TUAM evectam, & Sacrâ Purpurâ ſplendentem vidit Eccleſia, lætis vocibus, & ingeminatis plauſibus ſuum teſtata eſt gaudium, ac exultans triumphavit, TE proximè accedere ad ſupremum omnium Dignitatum Eccleſiaſticarum apicem, quem pau-

cis ab hinc annis nomen ſuum in ALEXANDRO VIII. Beatæ & Immortalis Memoriæ PONTIFICE MAXIMO tantâ cum gloriâ occupavit : Virtutem quippe, Eruditionem, rerumque divinarum, ac humanarum Scientiam in excelſo hoc gradu tecum eſſe collocatam probè agnovit. Verùm non modò Eccleſia lætata eſt: Muſæ quoq; noſtræ *certatim ingenti celebrârunt gaudia plauſu*, quòd in Illuſtriſſimum hocce Theatrum producereris: Cùm enim audiverint Te ipſis jam Sacrarium aperire, dum Bibliothecam luculentam adornas; nec ignorent, nihil eſſe in interioribus, & reconditis literis, nihil in ſeverioribus diſciplinis, quod non imbiberis penitus, & in tuo animo, omnium artium, eruditarúmque deliciarum theſauro, venuſtè condideris; Tantum decus, & præſidium in Te eſſe ſibi conſtitutum, ac Te Mœcenatem ſuum Sacro verendum murice conſpicere gloriantur; multum ipſis ornamenti à Tua Eminentia accedere confitentur, nec ſibi unquam candidiores Soles illuxiſſe agnoſcunt, quàm quum in Sacrum Tuum admiſſæ ſunt Contubernium. Omnes operas, adminiſtros, & Sacerdotes ſuos tuis laudibus ſervire, ac quicquid ingenii, doctrinæque commendatione conſpicuum eſt Tibi conſecrare jubent.

Hanc ob cauſam non ſemel ſtimulavit latè didita Tui Nominis fama, ut aditum ad Te omni ratione quærerem: ſed tum meus pudor, tum meæ tenuitatis conſcientia claudebat fores; Tui generis, tuorúmque majorum ſplendore oculi perſtringebantur, dum tot maximos Heroas recogitabam, ex quibus originem ducit Eminentia Tua, vel ad quos, ſanguinis, & affinitatis vinculis, accedit, qui in Cœlo noſtro, velut totidem ſplendidiſſima emicuerunt

ſydera.

ſydera. Cui enim ignota ſunt Nomina *Antonij, & Stephani Outhoboni*, præter alios innumeros, qui militari virtute inclaruerunt, *Ioannis Franciſci Outhoboni* Latinæ, Hetruſcæ, atque Hebraicæ Linguæ ſcientiſſimi, magnique Venetorum Reipublicæ Cancellarii ſub annum 1529. & complurium aliorum, qui ſummas in eâdem Republicâ dignitates occupârunt, & laudibus noſtris, virtutibus ſuis, ſe majores præſtiterunt. Quem rurſus latet *Leonardi Outhoboni* Theologi eximii nomen, Viri graviſſimi, ac prudentiſſimi, qui pro Sereniſſimâ Republicâ Venetâ ad Sacrum Concilium Tridentinum legatione functus, apud Inviċtiſſimum CAROLUM V. PHILIPPUM II. aliósque Celſiſſimos Principes ſummâ cum laude ſapientiſſimè ſe geſſit; majorumq; ſuorum merita ſuis meritis cumulando, totius Familiæ gloriam ampliſſimè decoravit, & tandem ad ſublime Magni Cancellarii munus fuit evectus. Quis non veneratur ALEXANDRUM VIII. qui primum in Eccleſiâ gradum meruit, & qui Tergeminam Coronam reliquiſſe nobis non videtur, niſi ut æternam reportaret; Taceo *Marcum Outhobonum* ipſius ALEXANDRI VIII. Progenitorem, tertium de Tuâ Familiâ Venetorum Magnum Cancellarium, qui pro Patriâ ab Occidente ad Urbem uſque Conſtantini triginta expeditionibus hauſtis, totius Europæ conſpicuas Principum Aulas honorificentiſſimè perluſtrans, Legationis ſuæ munus glorioſiſſimè obivit. Hæc omnia ad TE accedere meditantem remorabantur; ſed longè magis terrebat Tua humanis laudibus major Eruditio, Tuæ eximiæ, & ſupra mortalem ſortem evectæ ingenii dotes, ac Inclyta Virtus, quæ

nec faſcibus ullis
Erigitur, plauſúque petit clareſcere vulgi,

Nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis,
Divitiis animoſa ſuis, immotaque cunctis
Caſibus, ex alta mortalia deſpicit arce.

Verùm dum ſingula iſta me à Tuo Venerando, & ſplendido conſpectu arcebant, decantata Tua erga literas, & literatos humanitas accedere jubet, & hunc, quem EMINENTIÆ TUÆ offert meo nomine Dilectiſſimus Nepos, ingenii fœtum ad pulvinar tuum deponere, ac TUÆ EMINENTIÆ ſacrare ſuadet; perſuaſum quippe mihi eſt ea, quæ ei dicantur, æternitati eſſe conſecrata, & quæ Tibi probantur, ſemper placitura, quamdiu ſuus literis conſtabit honos.

De me equidem tam elatè non ſentio, ut in iis auſim Nomen meum profiteri, qui dotibus ingenii, doctrinâ, libris eximiis Tuam mereri gratiam præſumant; ſed inter eos me numerari ſatis erit, qui egregiè in rem literariam ſunt propenſi, quos TE, pro mirifico tuo, erga præſtantiſſimarum artium amatores, ſtudio, non contemnere novi, non igitur T. E. malè interpetraturam eſſe meam audaciam ſperare audeo; cùm audiveris me non tam EMINENTISSIMA Dignitate TUA, Natalium Tuorum Splendore, Longâ imaginum Tuarum ſerie, Majorum præclarè geſtis, quàm Doctrinâ Tuâ, Literis, Virtutibúſque Tuis inductum, in TE ſuſcipiendo, & colendo, nulli cedere eorum, quorum obſervantia in TE à plurimis annis eſt teſtatiſſima.

Nec Tuâ purpurâ indignum eſſe credat EMINENTIA TUA Opus Medicinæ à Sacerdote compoſitum; nec enim ignorat *Gerontium* Diaconum Mediolanenſem Medicinæ peritiâ Epiſcopatum Nicomedienſem meruiſſe, & *Baſilium* Ancyranum Præſulem, & *Theodotum* Epiſcopum Laodice-

num



Authorem quæris? Mortalem? præbet Alumnum
Parthenope. Æternum? Dogmata, nomen, honos;
Ast ego (Si quæras Viuum post funera, et ante,
Semper præsentem,) semper vtrumque dabo.
Lector, vtrumque tenes, quin plura ex ungue Leonem
Nosce modò, Autoris cætera prodet amor.

num fuiſſe quoque arte Medicos. Cui meliùs potuiſſem OPERA MEDICA-CHIMICO-PRACTICA, ſeu TRUTINAM MEDICO-CHYMICAM in tres Partes diviſam dicare, quàm EMINENTIÆ TUÆ, cujus judicium ſubactiſſimum noſtrarum in omni literarum genere meditationum *Trutina* eſt.

Accipias igitur rogo EMINENTISSIME, & REVERENDISSIME PRINCEPS, propitio, & ſereno vultu meæ obſervantiæ ſummæ exiguum monumentum, quod ſi hoc conſequar, & vel infimum in Tuâ Bibliothecâ locum occupet liber hic, quem TIBI ſubmiſsè offero, magnum ſudorum, & lucubrationum mearum exiſtimabo me cœpiſſe fructum, & ſublimi feriam ſydera vertice.

Cœterùm DEUM O. M. veneror, ut per totum vitæ curſum Medicorum Scripta TE quidem delectent, ſed eorum ope minimè egeat, ac ad Neſtoream uſque ſenectam floreat EMINENTIA TUA, nec prius in Cœlos redeat, quin

Tempora fulgens
Infula Tergeminâ circumdet Sacra Coronâ.

Hæc Sacræ Purpuræ Tuæ limbum reverenter exoſculans vovet

EMINENTIÆ TUÆ

Obſequentiſſimus, & Devotiſſimus Servus
CAROLUS MUSITANUS.

PRÆFATIO BENEVOLO LECTORI SALUTEM.

SI veteribus illis, qui ad philoſophiæ ſtudia animum adjecerunt, perſuaſum fuiſſet ex aliorum ſcriptis rerum naturam, non ex ipſamet naturâ perſequi debere; certè totâ aberrâſſent viâ, quâ adveram ſapientiam quiſque inſtitui, atque dirigi debet; undè in maximâ nunc rerum ignoratione verſaremur, atque meliora noſtræ vitæ bona in obſcuro, denſâque caligine obruta jacerent. Quid in hac vitâ laudabilius agi, aut utilius, quàm univerſa, quæ magnâ mente facta ſunt, & inceſſanti motu aguntur, aſſiduâ meditatione contemplati? Eſt hoc præ cunctis animantibus Deorum immortalium munere homini datum, ut tanto operi ſpectator præeſſet, illarumque rerum, quas ob oculos ſpectanda, ſunt propoſita cognitionem præ reliquis rerum humanarum ſtudiis longè præſtantem aggrederetur. Nàmque in hunc Mundum venimus, veluti ad ſpectaculum, ubi nè dùm maximo rerum apparatu invitamur, verùm his, quæ aguntur quotidiè; ſed nemini licet rationem earum, quæ celebrantur, intelligere, atque in ipſis maximè delectari, ni mirabundi, undè tot mala prodeant, noſtriſque oculis tàm variæ rerum formæ obſerventur, ſtuſtiosè inquirentes in ſingula animadvertamus. Quapropter præclarè, copiosèque *Pythagoram* Leontini Principi Phliaſiorum locutum accepimus in hanc ſententiam: *Similem ſibi videri vitam hominum, & mercatum eum, qui haberetur, maximo ludorum apparatu totius Græciæ celebritatē*

britate: nàm ut illic alii corporibus exercitatis gloriam, & nobilitatem coronæ peterent, alii emendi, aut vendendi quæſtu, & lucro ducerentur, eſſe autem quoddam genus eorum, idque vel maximè ingenuum, qui nec plauſum, nec lucrum quærerent, ſed viſendi causâ venirent, ſtudioſéque perſpiceret, quid ageretur, & quomodo; Ità nos quaſi in mercatum quadam celebritate ex Vrbe aliquâ ſic in hanc vitam ex aliâ vitâ, & naturâ profectos, alios gloriæ ſervire, alios pecuniæ, raros eſſe quoſdam, qui cæteris omnibus pro nihilo habitis rerum naturam ſtudioſè intuerentur, hos ſe appellare ſapientiæ ſtudioſos, id eſt Philoſophos. Et ut illic liberariſſimum eſſet ſpectare nihil ſibi acquirentem, ſic in vitâ longè omnibus ſtudiis contemplationem rerum, cognitionemque præſtare. Profectò rerum optimarum cognitionem nobis oculi attulerunt, quorum beneficio philoſophiam adepti ſumus. Nàmque tot multa, quæ de univerſitate copioſè, atque magnificè diſputantur, tot, tantæque abditarum rerum notiones, quas ſummi viri noſtræ ætati advexerunt, tot deniquè novarum artium inventa, tot nova, & admiranda Cœlo, Terrâ, Marique deprehenſa nos adhuc laterent, ſi neque Sydera, neque Cœlum, neque Terra ſub oculorum aſpectum cadere potuiſſent. Quinimmò dies, noctéſque oculis eſſent incognitæ, & quod præ omni malo eſſet minimè ferendum, philoſophiæ cognitio eſſet nobis ignota. Itàque nullum bonum vitæ poſſet accidere, quod foret optandum, nec ipſa quidèm vita. Quid enim boni poſſet vitæ evenire, ſi hæc ſapientiæ ſtudia eſſent nobis incognita, quibus rerum divinarum, & humanarum ſcientia comparatur, atque ad benè, beatèque vivendum inſtituimur, ubi vera virtus, & ſummum bonum conſiſtit? Hac ergò viâ nitendum, quibus eſt animo in rerum naturalium cauſas inquirere. Siquidèm certè ſcimus virum illum jure magni nominis *Democritum* univerſum ſibi ſpectandum propoſuiſſe: Hic patrum noſtrorum memoriâ primus omnium in hoc magno naturæ librò multa admiranda perſpexit, quarum cognitio, ut à reliquis neglecta, ità deindè poſteritati multum lucis in philoſophicâ attulit. Cæteri deinceps tanti viri inſtitutum ſequuti in ſingularum rerum contemplatione ſtudia collocantes, & vetera majori diligentiâ illuſtrârunt, & nova novis quotidiè inventis cumulata tradiderunt. *Socrates* enim ut ſcribit *Cicero* veterem illam philoſophiam, quæ numeros, motuſque tractabat, Syderum intervalla, curſus, magnitudinem, ortum, & occaſum, punctaque cæleſtia

ſtudioſè inquirebat, primus devocavit è Cœlo, & in urbibus collocavit, & in domos etiam introduxit, & coëgit de vitâ, & morbis, rebuſque bonis, & malis quærere. Multa quoque apud *Platonem* doctè, & copioſè de qualibet re ſunt diſputata, cujus multiplex, & varia philoſophandi ratio hucuſque digna eſt, ut commendetur, & à pleriſque etiam tractetur, quippè quæ innumera propemodùm in vitâ laudabilia inſtituit, & ampliſſimam ad ſapientiam pandit viam. Prætereà accepimus complures divinarum, humanarum rerum contemplatione ductos eorum nomen ad errorem fabulæ traduxit ſe: alios Caucaſo affixos, alios cœlum humeris ſuſtinere, complures inter ſydera relatos fabulati ſunt. Sed quid ab antiquorum monumentis exempla petere? Cùm hoc noſtro felici ſæculo nobiliora fuerint ingenia, & uberiora nunc etiam vivant, ut jure tot artium, & diſciplinarum inventis in tot rerum in abſtruſo latentium repertis non ampliùs antiquis invidendum ſit: quinimmò ſine ſcrupulo hoc poſſimus affirmare, & meritò gloriari, hucuſque hæc omnia in naturę majeſtate latuiſſe, ut noſtræ ætati in munus cederent. Et nè hæc de nobis magnificentiùs fortaſſe jactare videar; hoc noſtro ævo ecquæ egregiè cordatus homo, & philoſophiæ corculum *Galilæus* cœlo non deprehendi primâ ab origine mundi ad hanc ætatem uſque aliorum mentibus incognita, quæ neque per Aſſyrios, quibus cœlum ex omni parte patens, & apertum erat, eorumque ſtudia in aſtrorum motibus, & trajectionibus erant collata, fuêre obſervata; Neque per Chaldæos, Ægyptios, Indos, Gymnoſophiſtas, qui ferventibus Indiæ arenis alternis pedibus inſiſtentes nudi ætatem agebant ab exortu ad occaſum, ſolem immobilibus oculis contuentes, Neque tandèm per illos, quos vel Laconio æternum ſomnum obdormientes eorum nomen fabula ad ſui magnitudinem traxit. Prętereà quid de incomparabili *Carteſio*, & illuſtri naturę exploratore *Roberto Boyle* loquar? Ille ad univerſi exemplar innumera adamuſſim meditatus novum Orbem Orbi peperit. Hic inter experimenta omnem ætatem tranſegit, manibuſque tractanda, quę in naturâ quotidiè fiunt, ſecundante genio, aggreſſus eſt. Tot, tantoſque viros præterire ſatiùs eſſe duxerim, quos fama in illuſtri monumento poſitos celebrat, nè in immenſum creſceret noſter hic ſermo. Itàque ad rem noſtram propiùs accedentes, talis contemplationis genus, & philoſophandi inſtitutum illam philoſophiæ par-

tem,

tem, quæ ad hominis vitam tuendam maximè conducit, mirum in modum illuſtrâſſe nemini ſanæ mentis in dubium cadere certiſſimè adducor. Videmus majori induſtriâ, & diligentiâ humana corpora, & varia animalium genera incidi, undè præter illas partes ab antiquis cognitas, & à noſtris clariori methodo obſervatas, multa principalia vaſcula, & nobiliores partes ab antiquis cognitas magno uſui deſtinatę, fuiſſe detectę à *Bartholino*, *Aſellio*, *Pecqueto*, *Stenone*, cæteriſque, quos ſcimus ſedulam operam dediſſe, & enixè addictos in vitali corporum anatome. Non parum quoque luminis medicinæ attulit nobile *Harvei* inventum à *Paulo Sarpâ* priùs indicatum, ſanguinis nimirùm motus, quem diuturna corporis inſpectio peperit. Mirari licet, quę ſint huc uſque animadverſa, ex quo primùm chymia coli, & ad uberiorem fructum promoveri cœperit per induſtrios viros *Paracelſum*, *Helmontium*, & quot unquàm hoc noſtro ſæculo fuerunt, & nunc etiam vivunt, arte namque naturam imitari aggreſſi ſumus, & multa ipſius opera manu fabrefacere, & quæ nec ratione unquàm explicare, nec mente aſſequi poterant, chymiæ ductu experimento probantur; ſiquidèm ſive ea, quæ in atmoſphærâ fiunt, & cœlo apparent, quævè natura in fodinis, & in terræ ſinu operatur, non obſcurè noſcimus, & manu imitamur. Quod maximè facit, illud eſt, nimirùm quę in humano corpore eveniunt, ſive cùm rectè valemus, ſive cùm ægrotamus, & vario morborum genere affligimur, certiori ſanè conjecturâ mente aſſequimur, atque nobiliora, & efficaciora medicamenta è re qualibet ad vitæ uſum ſunt comparata. Undè ex his, quæ ratione ducti, & experientiâ novimus audacter affirmare licet, quod ſi ab *Ariſtotele*, *Hippocrate*, *&* *Galeno* inventa, & perfecta eſſet omnis naturę cognitio, ut plerique temerè magis, an ſatis imprudenter affirmare non verentur, veluti omnia naturæ myſteria tribus illis dumtaxat viris natura revelâſſet ſui inexhauſti ærarii cuſtodiam demandaſſet: lętari jure merito debemus, quoquot unquàm fuerunt, & in maximam felicitatis partem ducere alieno labore, & alienâ induſtriâ tantis opibus abundare, & per manus tàm pingue, & illuſtre patrimonium traditum pleno jure poſſidere. Quid noctеſque, dieſque inſomnes tranſigere, ſudando, nitendo, per improbos labores ignotos fines perigrinari: incognito mari vitam per pericula committere: vario cœlo caput exponere diſcendi ſtudio incitati? Quid gentium, populorum, omnium

que nationum mores, & patria legum inſtituta per omnes terras obſervare: omnes terrę receſſus perquirere, in quibus quid curioſi natura parit, vel quid novi non vanâ ſpe ducti forſan exhibet aliorum oculis non adhuc animadverſum: & tandèm vaſtiſſimos telluris ſinus, & in profundo remotas quaſque latebras vivus adhuc penetrare, ubi mercurii, vitrioli, antimonii, aliorumque corporum odor, & denſiſſimę, lethaleſque mephites undique ſpirant, ardenteſque paſſim ignes ſuboriuntur? Quid ſtulti tot incommodis vitam triſtari, & per pericula quotidiè agere, ſi à noſtris avis omnia ſunt in tuto parata, ut cuilibet proculdubio aliud non ſuperſit, quàm ſub umbrâ partis divitiis ſuopte genio uti, frui? Sit cuique ſua mens, & quiſque proprio voto vivat; attamen ità ſe res non habet, quippè ſi in ſolo *Ariſtotele*, *Hippocrate*, & *Galeno* conſenviſſemus, nobiſque etiam mundus conſenviſſet; non equidèm tot illuſtrium Virorum ingenia univerſum hoc ob oculos ſibi ſtatuiſſent, eorùmque ſtudia in contemplationem contuliſſent, undè innumera magnarum rerum inventa emersêre, & antiqua novâ rerum acceſſione illuſtrata cernuntur, ſi nimiâ prioris ævi uberrate fatigata, & jàm effœta natura univerſum tradidiſſet ſenectuti. Sed mihi in hæc cogitanti ſæpè numero illud mirari ſubit, quidnàm eſſe cauſæ, cur cùm ſe *Ariſtotelicos*, *Hippocraticos*, *Galeniſtas* profiteantur, & tumidè glorientur, illorum veſtigiis non inſiſtant, inque illorum libris multiplici doctrinâ refertis ſe inſtruant? An quod *Ariſtoteles* naturam rerum ſtudioſè non fuerit contemplatus, ex antiquorum præceptis, nec non ſuorum temporum philoſophorum complura non immutaverit? Sanè ex his, quæ ad hanc uſque ætatem ſcripta inveniuntur, nobis clarè licet intueri quot adverſus *Pythagoreos*, *Meliſſum*, *Alcipaonem*, *Gorgiam*, *Xenòcratem*, *Zenonem*, quin adverſus *Socratem*, cujus opera triennio abineunte adoleſcentiâ inſtructus fuerat: undè ſolitum dicere accepimus: *Socratis parva cura agenda eſt, veritatis autem magna*, tanta erat apud ipſum veritatis vis, quam ex ipsâ rerum inſpectione inquirebat, ut qui ſummo honore apud totam Græciam habebatur, ejuſque dicta veluti è tripode prolata religioſè tenebantur, veritati pòſt longo tractu uti par erat relinquenda arbitrarentur: turpe dijudicans homini philoſopho in alienâ inquirere, quæ contemplanda ante omnium ora naturâ ſtatuiſſet. Accedunt his, quæ de veteri medicinâ mutata, inſtaurata, vel de novo adjecta accepimus per *Hippocratem*, *Herophilum*, *Eraſiſtratum*,

Serapio-

Serapionem, *Aſclepiadem*, *Galenum*, alioſque quorum nomen in illuſtri erat apud veteres, & nunc etiam commendantur, námque ex diuturnâ rerum omnium obſervatione, quæ quotidiè corpori incidebant multo vitæ ſalutaria pars uſu edocti, pars ratione ducti adinvenerunt; unde factum eſt, ut in diverſas medendi vias præceſſerint, homineſque ad ſanitatem perduxerint, alii victu, alii medicamentis, complures ſolo uſu, & experientiâ, multi non niſi corporum omnium, & cauſarum morbos continentium ratione comperta. Quid & ſi magna ex parte, qui hanc artem exercuerunt, immutâſſent, quot unquàm Clariſſimi Viri ante *Galenum* extiterunt, atque ad ſuam uſque ætatem hæc ars increvit, ſpes tamen *Galeno* non defuit, quin magnâ rerum acceſſione ſuâ diligentia in humano corpore, & ipſâmet rerum naturâ multa notari, & addi potuiſſent. Itàque antiquorum ſapientum doctrinam à principio repetens multa cœpit evertere, multa emendare, complura inſtaurare, non pauca de novo inſtituere, tandemque rationalem methodum partim ſuâ, partim aliorum ſolertiâ conventus fuit: Rectè arbitratus non ex alieno commentario, ſed ex ipſo naturæ fonte ſapientiam hauriendam. Hæc, quæ hucuſque inſinuavimus, diſcant Galenici ex ipſomet *Galeno* (jàm quod unius viri præjudicata opinio tanti eſt apud ipſos:) *Ego* inquit *Gal. 6. de morbis vulgaribus non ſolùm in Hippocratis ſcriptis ſed in omnibus antiquorum libris obſervo, ut non temerè, quæ quiſque ipſorum dixerit, probem ſed experientiâ, & ratione, verumvè, an falſum ſit quod dixerint, examino.* Quapropter ſectarios illos medicos infenſo odio inſequebatur, præcipuè *Eraſiſtrataeos*, undè hæc etiam *lib. de compos* dicebat: *Quod ſemper dico etiam, nunc proloquar, nimirùm perſua ſumme habere, quàm difficillimum ſit ad veritatem revocare eos, qui ſectæ alicujus ſervituti ſe addixerunt, falſæ etenim opiniones animos hominũ praeoccupantes, non ſolum ſurdos, ſed etiam cæcos faciunt, ità ut videre nequeant, quæ aliis conſpicuè apparent.* Diſperandum ergò de noſtris Galenicis, niſi ab ipſomet ſapere didicerint. His artibus novam *Galenus* medicinam invexit, cujus non parva gloria factum eſt, ut ad hæc noſtra tẽpora vigeret; donec neſcio, quo numine afflante, ex quo primùm datum fuit in re philoſophicâ clariori lumine præeunte, multa in antiquorum ſcripta animadvertere à ratione, & experimentis aliena, res medica in ipſo naturæ volumine quæri cœperit, & ex humano corpore morborum cauſas peti; ſanè laudabili philoſophorum inſtituto ſe ſolo nul-

lius

lius ſectæ addictos infirmo corpori medicinam præſtare cordatiores hujus ævi homines aggreſſi ſunt, ità tamen ut nil prorſus fidendum ducant iis, quæ intelligere forſan videntur: ſiquidèm rerum naturam certò attingere in difficili poſitum cognoſcentes, nulli medicamento ſe committunt, niſi priùs natura demonſtraverit, quæ bonam, quæ adverſam facerent valetudinem. Hanc medendi methodum electricam cum noſtris vocamus, quaſi è reliquis ſelectam. Tantam in corporum ſanatione diligentiam propter bonas philoſophandi artes, quas Italiam peregrinatus in noſtram Urbem invexit primus egregii nominis vir *Thomas Cornelius Conſentinus*, nobis detexit, ſibique morum, & ſtudiorum neceſſitudine conjunctiſſimus *Leonardus à Capuâ*, ambo clariſſima philoſophię lumina, & meliorum diſciplinarum noſtrâ in hac Urbe Patres. Planè his robur, & æs triplex circa pectus fuit, qui in ſe ipſos univerſam philoſophantium, & medicorum turbam converterunt, atque contra inveteratam unius populi hæreſim hactenùs ſuſpecta, & inviſa ſtudia protulerunt, itàut non defuerint inſectantium medicorum morſus, & invidia exitianda venena, quę ad interitum uſque vindicare curaverint, eòque proceſſerint, ut nec in mortuos inſævire invidia pepercerit, ſed cujus vitæ ſæpiùs jactata gloria nitidior effulſit, ità mortuo cumulatior rediit. Quapropter cùm in hæc tempora inciderimus, quibus majori libertate, nec tantâ cum invidiâ philoſophari contigerit, animos mihi feci ſcribere, & ſummâ ingenuitate omnium medentûm, qui ad manus fuerunt dogmata ad *Trutinam* revocare, uti multorum mos eſt, qui ſua cogitata hominum memoriæ prodiderunt: Itàque ſi laudabili inſtituto multa à noſtri ſæculi philoſophis non ex aliorum libris, ſed in ipſo naturæ volumine ſunt inventa, & emendata, nemo erit, qui non præclarè ab illis poſitam, & à nobis ſuſceptam operam philoſophandi non arbitrentur.

TYPO,

TYPOGRAPHUS LECTORI.

NOVUM *Celeberrimi* R.D.D. CAROLI MUSITANI *Opus Typis noſtris in lucem edimus*, Amice Lector, *neque parùm gloriamur, quod Tanti Viri ingenii monumenta noſtro ſub prælo ſudent: Nec enim apud Neapolitanos, aut Italos tantum Inclyti Doctoris fama percrebreſcit, totum etiam Orbem ſui Nominis Splendore implet, & omnes Docti, quantum illum venerentur, ubique teſtantur; Clariſſimi Actorum Lipſienſium Authores, quorum adeo ſubactum eſt judicium, tanta eruditio, perſpicaciſſimum ingenium, & fama immortalis: De Noſtri* MAGNI MUSITANI *Operibus verba facere non detrectarunt, nec tibi ingratum erit, opinor audire, quomodo de* Trutinâ Chirurgicâ Theoretico-Practica *diſſeruerunt*

D. CAROLI MUSITANI, IATRIAS PROFESSORIS Academici Peregrini, Pigri, Spenſierati &c. Chirurgia Theoretico-Practica, ſeu Trutina Chirurgico-Phyſica.

Coloniæ Allobrogum Apud Cramer, & Perachon 1698. in 4. conſtat 6. Alphab. 14. plag.

OPeris præſentis *Author* Clariſſimus, & nobili familia prognatus, religioſo primum ſe addixit ordini, officioque Sacerdotali tam laudabiliter præfuit, ut inter Confeſſarios Papæ *Innocentii* XII. meruit

recipi. Nihilominus tamen, cum Medicinam etiam ſub manuductione celeberrimorum Virorum, *Cornelii* præcipuè *Conſentini*, atque *Leonardi Capuani*, ſedulo addidiciſſet, ac ſpeciale diploma à Pontifice Romano *Clemente* IX. impetraſſet, artem medicam, cujus exercitium Eccleſiaſticis alias hominibus à Canonibus ſine diſcrimine interdicitur, feliciter exercuit. De ſingulari namque ejus eruditione, ob quam non ſolum Romæ inter Academicos Peregrinos, ſed & Baril inter Pigros, & Roſſani inter Spenſieratos (Incurioſos) fuit receptus, *Præfationes* huic operi præfixæ abundè teſtantur; nuncque idem ſexagenarius fermè in urbe Parthenopæa dicitur degere, ac præter varia opuſcula Medica & Phyſica, *Trutinam* etiam *Medicam*, *Pyrotechniam Sophicam*, & *Grammaticam Speculativam* divulgaſſe, quæ tamen cuncta ad noſtras nondum pervenere manus. Sed Chirurgiam præſentem quod ſpectat; in genere hac in affectuum magis morbidorum explicatione pathologica & curatione pharmaceutica, nitidioris compoſitionis medicamentis, partim ab Authore inventis, partim uſu & experientia multoties comprobatis, perficienda occupatur; quàm in operationibus Chirurgicis, communiter dictis, edocendis, utpote quarum nonnullis, verbi gratia venæſectio, applicatio veſicatoriorum, fonticulorum inuſtio, trepanatio, ſutura acu & filo quæ peragitur, ceu remedia potius à Diabolo inventa, hinc inde repudiantur. In ſpecie verò, quemadmodum integra *Trutina Chirurgico-Phyſica* in quatuor diſpeſcitur Tomos, Tumoribus, Ulceribus, Vulneribus ac *Lui Venereæ* hujuſque ſymptomatis in diverſis capitibus explicandis & curandis dicatos: ita quilibet affectus ſeorſim conſideratus methodicè pertractatur. Datâ quippe accuratâ cujuslibet morbi deſcriptione, annectuntur ſigna illius diagnoſtica, mox in cauſas inquiritur, ut ex his prognoſis non minùs quàm curativæ demùm indicationes, ſæpe è Galenicorum, aliorumque methodo medendi multum recedentes, eliciantur, remediaque elegantiſſima, iſtis ſatisfacientia, ſubjiciantur. Et ne Phyſiologia, atque Anatomia penitus negligantur, occaſione vulnerum ſpecialium, capitis puta, thoracis, abdominis, & artuum, harum etiam partium Anatome unà traditur, uſuſque earundem, quem præſtent ſecundum naturam, explicatur.

In

In ſequentibus Viri Clariſſimi, paucis, ſed accuratè pro more, quæ in Opere Chirurgico notatu præ aliis digna fuerunt viſa, attingunt ac cum laudè annotant. At illis hic exſcribendis minimè neceſſarium eſt immoremur, quibus abundè ſuffecerit in noſtris Authoris defenſionem contra malè feriatorum hominum morſus, tantorum Virorum judicium appoſuiſſe. Hiſce vale, & nos quotidie eximia in omni genere literaturæ opera edentes, Tuo applauſu juva, omnia fauſta precamur.

Ad Clariſſimum Virum Dominum

CAROLUM MUSITANUM

Præcellentiſſimum Medicum, Sacerdotalique Charactere Digniſſimè inſignitum, Elucubrationes ſuas Medico-Chymico-Practicas edere meditantem.

DOMINI

JO. BAPTISTÆ NOTARANGELI.

EPIGRAMMA.

Prodeat in lucem longo, MUSITANE, labore
Elucubratum, prodeat iſtud opus.
Prodeat iſtud opus, quo jam perfectius ullum
Pœonia nullis extat in arte locis.
Suffulcit ratio ſimul, experimentaque certa,
Quod decurſu operis totius ipſe doces.
Hauriet id ſanè flagranti pectore, quiſquis
Ægrotis cupiet ferre ſalutis opem.
Sic de nonnullis ejuſdem partibus actum
Vidimus ipſimet, quæ ſubiere typos.
Ergo erit in Mundo veſtrum indelebile nomen,
Doctorumque frequens ore, libriſque virum.
Intereaque nites noſtræ, ſemperque nitebis
Heſperiæ celebris gloria, fama, decus.
Maximus es Myſtes pietate, ac Maximus idem
Es Sophus, & Medica Maximus arte viges.
Te Triſmegiſtum, quo latè fulgeat omni
Ævo noſtra Italis Terra, quis ergo neget?

Neapoli 14. Iulii
1700.

DE

DE EODEM

ODE

Dicōlos Tetrastrophos.

Ejuſdem.

QUem virum dulcis celebrare Clio,
Barbito ſumpta, properas canendo?
Artibus forſan placidæ vigentem
Pacis, an armis?

Aſt virum quemvis, rogo, nunc omittas:
Ecce præcellit MUSITANUS altis
Laudibus latè celebrandus omni
Jugiter ævo.

Æger in molli jaceat cubili
Quolibet morbo, lue ſive dira
Preſſus; eſt illi MUSITANUS alter
Magnus Apollo.

Immò languentes miſeratus omni
Sedulò quærens ope ſublevare;
Sæpè Chironis quoque gaudet idem
Munus obire.

Condidit multo pariter labore
Digna revera momenta cedro;
Queis docet, quidquid Medicæ ſciatur
Artis, oportet.

Hiſce ſcriptores ſuperavit omnes,
Vicit antiquos, ſimul & recentes;
Temporis quare violenta nunquàm
Damna ſubibunt.

Hujus obſervet methodum medendi,
Quiſquis & tuto, facilique curſu
Optet ægrotis citò concupitam
Ferre ſalutem.

AD CLARISSIMUM VIRUM

DOMINUM

CAROLUM MUSITANUM

SUA OPERA MEDICA

TYPIS MANDANTEM

BERNARDINI CORVISERII

EPIGRAMMA.

MUSITANE viges coryphæus in arte medendi:
  Seu re, ſeu ſcriptis jam tibi nemo præit.
Ex Aganippeis cognomen nobile Muſis
  Appoſitè interea, ceu reor, ipſe trahis.
Pimplæis charus Nymphis longum exigis ævum;
  Gratuſque ipſarum tu Sacra ritè colis:
Ac tua, quæ mandas, operoſa volumina, prælis,
  Pieridum ſemper ſunt celebranda choro.
An in Apollinea dum Maximus arte renides,
  Jure appellandus clarus Apollo fores.

UT MUSITANE tuis præconia laudibus addam
  Nil mea metra valent: TE mea Muſa canit.
Perge tuis Medicas decorare laboribus artes,
  Sis immortalis, cum morieris, eris.

Genevæ die 4. Auguſt.
1700.

Hiſce brevibus admodum R. Domino
CAROLO MUSITANO
Iatrias Profeſſori celeberrimo
applaudere voluit
JO. ISAACUS CRAMER
Med. Doctor Genevenſis.

IN

IN LAUDEM AUTHORIS IATRIAS,

aquè ac

Moralis Theologiæ Profeſſoris, Præſtantiſſimi Confeſſarii, &c.

DOMINI

CAROLUS MUSITANUS

ANAGRAMMA PVRVM

SOL MVNITVS AD CVRAS.

EPIGRAMMA.

Verte characteres Caroli, qui nomina formant,
Authoris mentem, littera verſa dabit.
Jactet Apollo ſuas artes, & maxima fingat,
Verius ingenium Tu MUSITANE tenes.
Ceu calamus doceat, corpus tuta arte mederis,
Ceu culpas animæ dextera ſacra premat.
Tu SOL à Domino CURAS MUNITUS AD omnes,
Vel ſervas vitæ, vel paris ore Deo.

Jo. BAPTISTA VULPINUS
Medicus Aſtenſis.

In Occa-

In Occaſione, che riſtampa la TRUTINA MEDICA

SONETTO

O' la, che ſcorgo MUSITANO? Ardita
Quanto è la man, che il Pergameno sferza,
Ni' cruenti ſuoi dogmi ah troppo immerſa
Giace d'arte ſi rea turba infinita.

Per ſuellar opinione tanto ſciapita,
Poco giova iſcoprir quanto perverſa
Fu ſempre al Mondo, e ſol d'errori eſperſa
Al ſenſo, ed alla raggion giamai unita.

Scrivi pur quanto ſai, ſtampa, e riſtampa,
Stringi con la raggion, prova con l'uſo,
E di giuſto furore acceſo avampa.

Poco farai, tanto puo il cieco abuſo,
Che ove una volta nell' errori v' inciampa,
Trova ogni varco per uſcirne chiuſo.

GIO. BAPTISTA VULPINO.

R: D. C A.

R. D. CAROLI

MUSITANI

PHILOSOPHI, AC MEDICI
Experientiſſimi, & Celeberrimi

TRUTINA MEDICA

IN III. LIBROS DIVISA;

In Quâ

RATIONIBUS, ET EXPERIMENTIS, UNDEQUAQUE conquiſitis, quæ ex Hippocrate, Galeno, Paracelſo, Helmontio, aliiſque Recentioribus Dogmata accipiuntur, ad TRUTINÆ examen revocantur exactiſſimè, comprobando, quæ juxta naturæ leges ſunt excogitata, quæ verò præter, confutando, nedùm circa Morborum Cauſas, & Notionem, verùm quoque circa Signa, Prognoſim, & Curationem.

Cum INDICIBUS *Capitum*, *Rerum*, *& Materiarum locupletiſſimis.*

COLONIÆ ALLOBROGUM,
Sumptibus CHOUET, G. DE TOURNES, CRAMER, PERACHON, RITTER, & S. DE TOURNES.

M. DCCI.

INDEX CAPITUM,
QUÆ IN
TRUTINA MEDICA
R. DOMINI
CAROLI MUSITANI
Continentur.

LIBER PRIMUS.
De Capitis Affectibus.

Cap. I.	De Dolore Capitis.	Pag. 2
II.	De Apoplexiâ.	25
III.	De Paralyſi.	39
IV.	De Catalepſi.	52
V.	De Incubo.	62
VI.	De Affectibus Soporoſis.	76
VII.	De Somnambulis.	86
VIII.	De Vigiliis.	92
IX.	De Vertigine.	102
X.	De Epilepſiâ.	111
XI.	De Convulſione.	129
XII.	De Phrenitide.	141
XIII.	De Maniâ.	164
XIV.	De Philtro.	192
XV.	De Melancholiâ.	199
XVI.	De Catarrho.	222
XVII.	De Anginâ.	234

† 2 De

De Affectibus Oculorum.

XVIII.	De Ophthalmiâ.	256
XIX.	De Sugillatione.	269
XX.	De Suffuſione, ſeu Cataractâ.	270
XXI.	De Cœcitate, Viſûs debilitate, & Guttâ Serenâ.	280

De Affectibus Aurium.

XXII.	De Aurium Inflammatione.	291
XXIII.	De Aurium Dolore.	295
XXIV.	De Exeuntibus p. n. ab Aurium cavitatibus.	299
XXV.	De Aurium Sonitu.	301
XXVI.	De Gravi auditu, & Surditate.	307

De Affectibus Narium.

XXVII.	De Coryzâ.	313
XXXVIII.	De Narium Hæmorrhagiâ.	316

De Affectibus Linguæ, & Tonſillarum.

XXIX.	De Linguæ tumore.	326
XXX.	De Tonſillarum tumore, & inflammatione.	329
XXXI.	De Columellæ laxitate, & inflammatione.	332
XXXII.	De Balbutie, & his qui difficulter loquuntur.	336

De Affectibus Dentium.

XXXIII.	De Dentium Dolore.	340
XXXIV.	De Dentium Stupore.	347
XXXV.	De Fœdo Dentium Colore, & Sorditie.	349
XXXVI.	De Dentium Mobilitate, & Caſu.	353
ULT.	De Difficili Infantûm Dentitione.	356

LIBER SECVNDVS.

De Affectibus Thoracis.

Cap. I.	De Pleuritide.	361
II.	De Aſthmate.	375
III.	De Pulmonis Hydrope.	390

IV.	De Empyemate.	394
V.	De Tuſſi.	402
VI.	De Sanguinis Sputo.	416
VII.	De Phthiſi.	435
VIII.	De Cordis Palpitatione.	459
Ult.	De Lipothymiâ, & Syncope.	467

LIBER TERTIUS.

De Imi Ventris Affectibus.

Cap. I.	De Ventriculi Actione.	478
II.	De Læsâ Ventriculi coctione.	497
III.	De Bulimo.	502
IV.	De Fame Caninâ.	508
V.	De Picâ, & Malaciâ.	515
VI.	De Siti Intensâ.	523
VII.	De Cardialgiâ.	536
VIII.	De Nauſeâ, & Vomitu.	641
IX.	De Singultu.	552
X.	De Cholerâ.	563
XI.	De Lienteriâ, & Cœliacâ.	571
XII.	De Colicâ Paſſione.	577
XIII.	De Iliacâ Paſſione.	586
XIV.	De Diarrhœâ, & Dyſenteriâ.	597
XV.	De Teneſmo.	622
XVI.	De Fluxu Hepatico.	626
XVII.	De Ictero.	629
XVIII.	De Ictero ex Veneno.	637
XIX.	De Melancholiâ Hypochondriacâ.	642
XX.	De Hydrope.	676
XXI.	De Diabete.	704
XXII.	De Nephritide.	712
Ult.	De Arthritide.	736

CATALOGUS LIBRORUM
MEDICORUM, PHILOSOPHORUM, HISTOR. &c.
Apud CHOUET, G. DE TOURNES, CRAMER, PERACHON, RITTER, & S. DE TOURNES, Bibliopolas GENEVENSES impreſſorum &c.

ALbinæi Bibliotheca Chymica. 8
Anatomia Corporis Humani Dionis 8. *Fig.*
——— ——— Autore Mannicks 8. *Fig.*
Atrium Medicinæ & Pharmacopœa Helvetiorum 12
Aigoli Ptolomæus Parvus 4
Aldrovandi Dendrologia ſive Hiſtoria Arborum f. *Fig.*
Auguſtini Gemmæ & Sculpturæ Antiquæ à Gronovio 4. *Fig.*
Ariſtotelis Opera 16. *VI. Tomi.*
Boneti Sepulchretum ſive Anatomia Practica f. *III. Tomi* Nova Editio cum multis Addit. 1700.
——— Polyalthes, ſive Theſaurus Medico-Practicus f. *III. Tom.*
——— Medicina Septentrionalis f. II. *Tom. cum Fig.*
——— Labyrinth' Medicus extricatus &c. 4
——— Pharos Medicorum. 12
Bibliotheca Anatomica aucta & illuſtrata f. *II. Tom* cum multis Fig. 1699.
——— Medico-Practica, Mangeti fol. *IV. Tomi.*
——— Pharmaceutico-Medico-Chymica ejuſdem Authoris fol. *II. Tomi* cum Fig. *ſub Prælo.*
——— Chemica Curioſa ejuſdem f. II. Tomi *cum Fig. ſub Prælo.*
de le-Boë Sylvii Opera omnia Medica *cum nov. Addit.* f. 1698.
Boyle Opera omnia Philoſophica-Chymica &c. 4. variis Tomis diſtributa *cum Fig.*
——— Tractatus varii *ſeparatim.* 4
Burneti Theſaurus Medicinæ 4. Edit. nova, aucta & illuſtr. 1698.
Barbettæ Opera Medico-Chirurgica 4
Burneti Hiſtoria Reformationis Eccl. Anglicanæ f. *II. Tom. Fig.*
Beguini Tyrocinium Chymicum 8
Boiſſardi Hiſt. Deorum Fatidicorum 4. *Fig.*
Bicaiſii Manuale Medicorum 12
Baudrand, & Ferrarii Lexicon Geographicum fol.
Bohnii Circulus Anatomico-Phyſiologicus. 4. 1697.
de-le-Boë Sylvii Caſus Medicinales, *ſive* Hiſtoriæ Ægrotorum in Noſocomio Leydenſi &c. fol. *ſeparatim.*
Balduini Juſtinianus 8
Cenſura Celebriorum Authorum, *ſive* Tractatus in quo varia Virorum Doctorum de Clariſſimis cujuſque Sæculi Scriptoribus Judicia traduntur, Ord dig. per Th. Pope-Blount. 4
Charas Hiſtoria Naturalis Animalium, Plantarum, & Mineralium, nec non Theriacæ Andromachi Compoſitionis Ingredientium, *cum* Experimentis circa Viperam. 4. *Fig.*
Catalogus Authorum, qui Librorum Catalogos, Indices, Bibliothecas, Virorum Literat. Elogia, Vitas, Orationes Funebres ſcriptis conſignarunt, ab *Ant.* Teiſſerio adornatus cum Phil. Labbei Bibliotheca Nummaria &c. 4.
——— Pars Secunda *ſub Prælo* 4
Cave Scriptorum Eccleſiaſtic. Hiſtoria Litteraria. f. *II. Vol.*
——— Pars II. f. *ſeparatim.*
Cardani Opera Omnia. fol. *X. Vol.*
Ciceronis Opera cum Notis Variorum 4. *IV. Tomi.*
Chaſſanæi Catalogus Gloriæ Mundi fol.
Charas Opera Pharmaceutica, & Medica 4. *II. Vol. Fig.*
Chabræi Icones Stirpium, *ſ.* de Plantis. f. *Fig.*
Crollii Baſilica Chymica 8
Chalmetei Enchiridium Chirurg. 8
Celſus de Re Medica. 16
Colladonis Sphalmata Medica 8
Caſſiodori Opera 4

Col-

Cozzandus de Magiſterio Antiquorum Philoſophorum. 12
Cordeuoy Tractatus Phyſicus de Corporis & Mentis Diſtrict 12
Diemerbroeck, Opera Omnia Anat. & Medica 4. *II. Vol. Fig.*
——Opera Medico-Pract. *ſeparatim.* 4
——Appendix ad Anatomiam *ſeparatim* 4. *Fig.*
Dionis Anatomia Corporis Humani 8. *Fig*
Duretus in Coacas, *ſive* Præuotiones Hippocratis fol.
De la Fond de Hydrope 12
Derodonis Philoſophia Contracta 4
——Opera Omnia Philoſophica. 4
Dictionarium Poëticum, Geographicum & Hiſtoricum Henrici Stephani 4
——IV. & VI. Linguis 16
Dictionarium Hiſtoricum, Geographicum, Poëticum *&c.* à *Car.* Stephano inchoatum, Ad incudem verò revocatum, innumeriſque locis auctum & emaculatum per *Nic.* LLoydium 4
——Græco-Latino-Gallicum Morelli. 4
Fabritii Hildani Opera Medico-Chirurgica cum Severino de Efficaci Medicina. f. *Fig.*
Ferrarii Lexicon Geographic. *cum Notis* Baudrand *&c.* f. *II. Vol.*
Fernelii Opera Medica *cum Augment.* f.
Fienus de Signis Medicis 4.
Feinci Praxis Medica. 4
Fracaſtorii Opera Medica 8
Ferrerii vera Medendi Methodus. 8
Fabritii ab Aqua pendente Opera Anatomica, & Phyſiologica fol. *Fig.*
Hofmanni Lexicon Univerſale f. *IV. Tom.*
——Continuatio f. II. Tom. *ſeparatim.*
Hippocratis Opera cum Œconom. Foeſii f. III. Tom. *Gr. & Lat.*
——Œconomia Foeſii fol. *ſeparatim.*
Heurnii Opera Medica. f.
Hollerius in Aphoriſmos 8
——Practica Medica 4
Hartmanni Praxis Chymiatrica 8
Lemeri Curſus Chymicus 12
Langii Opera Omnia Medica 4
Leuvvenhoeck Arcana Naturæ cum continuatione 4. *III. Tom. cum multis Fig.*
Muſitani Chirurgia Theoretico-Practica 4. *IV. Tomi.*
——Opera Medico-Chymico-Practica 4. *III Tomi* 1700.
Mynſicht Armamentarium Medico-Chymicum. 8. 1697.
Morton Opera Medica cum novis Tract 4
Munnick de Re Anatomica 8 *cum Fig.* Editio nova.
Malebranche de Inquirenda Veritate *&c.* 4
Meſſis Medico-Spagyrica Schrodero-Hofmanniana f. *cum Fig.*
Mayernus de Arthritide 12.
Morelli Methodus Remediorum 8
Medicina Salernitana 16
Magni Philoſophorum Arcani Revelator. 12
de Mayerne Praxis Medicinæ. 12
Novum Lumen Chymicum. 8
Plempii Opera Medica f.
Pharmacopœa Schrodero-Hoffmaniana illuſtrata & aucta. f. *Fig.*
Piens Tractat. de Febribus, *cum Notis ampliſſ. &c.* 4
Paracelſi Opera Omnia. f. *III. Vol.*
Pharmacopœa Helvetiorum 12
Riverius Reformatus, *ſive* Praxis Medica Methodo-Riverianæ non abſimilis, & alii Tract. *Editio nova valde aucta.* 8. 1696.
Renodæi Pharmacopœa 8
Roſini Antiquitates Romanorum 4. *Fig.*
Riolani Schola Anatomica. 8
Rondeletii Opera Medica 8
Rohaulti Phyſica 8
Riverius Contractus 8
Sylvatici Conſilia Medica. f.
Sinapii Paradoxa Medica 8
Sacchi Opuſcula Medica 8
——Med. Theoretico-Practica f.
Sydenham Opuſcula Medica 8. *Editio aucta* 1696.
Schmitzii Compendium Med. 12
Schola Salernitana 16
Seminarium totius Philoſophiæ. f.
Sylvii Methodus Medendi 12
——Opera Medica f.
Sennerti Operum Epitome f.
Tractatus de Potu Caffé, Thé, & Chocolat *nova Edit.* 12. *Fig.*
Theatrum Machinarum Beſſoni f.
Theatrum Chimicum 8. *VI. Tomi.*
Virideti Tractatus Medico-Phyſicus de Prima Coctione. 8
Vieuſſens Neurographia Univerſalis f. *Fig.*
——Tract. de Remotis & Proximis mixtis *&c.* 4. *Fig.*
Willis Opera Omnia Medica *cum* novo Tractatu de Peſte. 4. *II. Vol. cum Fig.*
Wyſſii Curſus Philoſophicus. 8
Zodiacus Medico-Gallicus. 4. *V. Tom.* Fig.
Zuinger in Hippocratem. f.

SERIES

SERIES OPERUM
R. DOMINI
CAROLI MUSITANI

Iam Typis edita.

Grammatica Speculativa.
Opera Chirurgica, *nempe*
De Tumoribus.
De Ulceribus.
De Vulneribus cum Anatome cujuſcumque partis vulneratæ.
De Lue Venereâ.
Mantiſſa ad Hadrianum à Mynſicht, *cui acceſſit* Proceſſus Philoſophicus inauditus, *ac* Actuarium Andreæ Battimelli.
Opera Medica, *nempe*
Trutina Medica.
De Febribus, *ac*
Pyrotechnia Sophica.

Typis edenda.

De Luxationibus, & Fracturis.
De Morbis Mulierum, & Puerorum.

D.CAROLI

D. CAROLI MUSITANI

IATRIAS PROFESSORIS,

TRUTINÆ MEDICÆ

LIBER PRIMUS,

DE CAPITIS AFFECTIBUS.

CUM multa in hominis opificio ſatis ſuperque ſint admiranda, tùm illud ſæpiſſimè contemplans jure mirari ſolemus naturam, quæ in ſolâ capitis ſtructurâ omnes nervos contendiſſe videtur; quod meritò fecit, nàmque ſenſuum, vitæque noſtræ auguſtum tectum, immortaliſque animæ templum à naturâ rerum omnium in capite, velut in ſublimiori noſtræ hujus machinæ arce excitari debuit, ut anima in editiori corporis loco, velut qui cunctis præeſt ratione, & conſilio toti corpori moderetur. Hæc eſt una, cui omnes ſenſus famulantur, cui omnia obediunt membra, à quâ ſicut planetæ à ſole, & totius terrarum Orbis Lumen, vitamque hauriunt, ſic anima in hoc capitis regali ſolio relucens ſuo vitali Lumine totum irradiat corpus: Sat eſt, ut ſua exerceat munia, in capite præſidens toti corpori, ut ſui pariat imperio, legem dicere,

abſque eo quod tota in qualibet corporis parte reſideat, ut hactenùs apud philoſophorum vulgus rumor increbuit. Sed quod uſu venit in munitiſſimas arces potiùs tormenta jaciuntur, & ſummos feriunt fulmina montes; Sic capiti velut in Regiam hoſtium impetus diriguntur, cum morborum invaſionibus corpus miſerrimè afflictitatur, & undique invaditur, quod admirationi non erit, ſi Sacrum animæ augustale continuò mala jaculentur, cùm fulmina in ſacras jaciuntur arces. A capite itàque initium capimus, & capitis morborum cauſas noſtrâ Trutinâ pro virili perpendemus, ut humano generi prodeſſe poſſimus, & de capitis dolore primum caput in hujus primi libri veſtibulo inſtituimus, cùm vix ulla alia corporis pars ità doloribus opportuna ſit, quàm hoc Sacrum animæ domicilium, & felix ille eſt, cui nunquàm caput doluerit. Meritò obnoxium doloribus eſt caput, quia pluribus partibus nervoſis conſtructum eſt, quæ facillimè lædi ſolent; adſunt nervi, fibræ nervoſæ, membranæ, itèm duæ meninges cerebrum amicientes, nervorum tunicæ: pericranium, perioſtia, muſculorum panniculus carnoſus, & quamplurimæ aliæ partes ſenſibiles: in eodem itèm cerebro unà quamplurima generantur excrementa, quæ ſi increſcant, nec debito tempore excernantur, hæ nervoſè fibrillæ ab his improportionatis excrementorum particulis non poſſunt non irritari, & criſpari, & caput doloribus non affici.

CAPUT I.

FRequens, & communis eſt affectio capitis dolor, à parte laborante nomen ſortita eſt, cùm nobiliorem, & præ cæteris digniorem lædat partem, & eſtò unius tantùm partis ſit læſio, particularis morbus dici non meretur, ſed univerſalis, quia *Cùm caput dolet, cætera membra languent.* Ideòque in ejus ſpeculatione omnes nervos intendere debemus.

Digladiantur medentes de parte in Capitis Dolore affectâ, aliqui pro ſede cerebri ſubſtantiam ſtatuunt, ſed hæc doloris ſubjectum eſſe nequit, id autopſiâ comprobavimus in quodam vulnerato, cujus cerebri pars argenteo cochleari abſque ullo patientis dolore à chirurgo auferebatur. Alii cerebri ventriculos, quidam pericranium, pauci perioſtium, aliqui Spiritus animales, quidam ſtomachum hujus doloris domicilium ſtatuunt, & hoc probant, quia cerebri meningibus laborantibus, Stomachus dolet, verùm hoc evenit, cùm caput per conſenſum à ſtomacho doleat. Nos hujus doloris ſedem dicimus eſſe partes capitis nervoſas exquiſito ſenſu præditas, in quibus Spiritus animales hoſpitantur.

Omnis capitis dolor generaliter apud

apud Græcos κεφαλαλγία dicitur, cui triplicem differentiam conſignârunt medentes, primam cephalalgiam, ſecundam cephalæam, tertiam verò Hemicraniam dixerunt; uſurpatunt enim cephalalgiam pro recenti Capitis Dolore, (ſed perperàm, nàm Cephalalgia propriè omnem Capitis dolorem ſignificant) Cephalæam pro inveterato, & hemicraniam pro dolore dimidiam tantùm capitis partem occupante. Primas duas ſpecies malè diſcriminant, licèt Cephalalgiæ recentem Capitis dolorem, & Cephaleæ antiquatum adſcribant: Sed quid ſolatii in diverſis vocabulis eandem rem ſignificantibus? Sive enim Caput nunc dolere incipiat, ſive diù cruciàtit, tàm unus, quàm alter eſt Capitis dolor. Hemicrania differt à dictis prioribus, quia tantùm dolorem occupantem dimidiatum Capitis latus alterutrum ſignificat, qui ubique aſſiduè terebrantem quaſi excitat dolorem; ac ſi clavus aliquis malleo incutitur, ac proptereà Capitis clavus dicitur, cùm dolor in ſupercilio à ſale acido exaltato inter cranium, & pericranium clauſo excitatur.

Sunt & aliæ, præter enarratas, differentiæ ob doloris ſitum, quâ ratione alius dolor eſt externus, & alius internus; externus pericranium obſidet, in ſuperficie percipitur, capillorum radices inverti non ſinit, & manûs compreſſione exacerbatur; internus verò meninges obſidione tenet, profundus eſt, manûs compreſſione miteſcit, & ad oculorum radices pertingit. Quandòque dolor ſolùm occiput infeſtat, & frequentiùs in mulieribus accidit, qui cum frigoris ſenſu iſtius loci conjunctus eſt, quaſi glacies intra calvariam eſſet recondita, & talis dolor fit per uteri conſenſum. In ſenibus tàm maſculis, quàm fæminis interdùm dolor ſyncipur occupat, qui tamen ex alio oritur capite.

Capitis dolor duplex eſt, vel per idiopathiam i. per eſſentiam, vel per ſympathiam i. per conſenſum. Dolor per eſſentiam eſt frequentiſſimus in Hemicraniâ, non tamen ſemper, ubi ſæpius adeſt ſtagnatio, impeditus ſanguinis motus in uno, vel altero vaſorum ramulo alterius medietatis; nam dura meninx, & ipſum cerebrum in duas dividitur partes hinc altera tantùm in hemicraniâ afficitur. Per eſſentiam ergò caput dolet, cùm in ipſo hæret cauſa doloris, & non aliundè ad ipſum ſcandit; ac proindè contumaciter dolet vermibus in cerebro natis, quibus per nares rejectis, dolor evaneſcit, ut multæ exſtant obſervationes in febre Hungaricâ & morbo Caſtrenſi. Itèm calculi geniti pertinaciſſimos inferunt dolores, qui poſtmodùm per nares excreti, dolor ſedatus fuit, ut multa extant exempla. Fit quandòque per eſſentiam dolor à quodam humore lento, & viſcido ex ultimæ digeſtionis vitio degenerato, & exaltato intra meninges, vel cranii ſuturas ſe inſinuante, à quo intenſiſſimi excitantur dolores. Itèm in lue Venereâ horrendi & implacabiles fiunt Capitis Dolores, nocturno tempore affligentes, ut de *Lue Venereâ* diximus, quia proximam inter cranium, & pericranium, & quandoque intra cranium materiam viſcidam fermentum Venereum ſenſim aciditat, & exaltat, undè Inferni dolores accenduntur, imò cunctando caries in cranio producitur & dolores creſcunt eundo. Similiter abſceſſus ſubcranio, capitis externæ

A 2 contu-

contuſiones, vulnera, caſus, ponderis geſtationes cephalalgiam per eſſentiam conſtituunt. Fit per conſenſum Capitis Dolor, quando doloris cauſa ex alio viſcere inferiori ad caput ſcandit, ità per conſenſum ſtomachi vitii immanes capitis excitantur dolores à bile in ſtomachi cavitate ſtagnante, vel à mucilagine acidâ, qui dolor frequentiſſimus eſt in ſtomachi bradypepſiâ, & hypochondriacis. Vterus frequentes infert cephalalgias, & eaſdem inferunt renes.

Ex his dolor alius eſt pungitivus, alius pulſatorius, alius gravativus alius tenſivus. Pungitivus fit à particulis acutis in cerebri membranis infixis. Pulſatorius à nimio ſanguine efferveſcente per arterias carotides violentiùs ad caput ruente. Gravativus fit à Lymphæ copiâ ut patet in capitis dolore à catarrho, in ſpecie à corizâ incipiente. Tenſivus vitio Lymphæ circa glandulas collectæ excernendæ oritur. Item alius Periodicus, qui ſtatis periodis recurrit.

Signa.

Hujus affectûs Signa facillima ſunt, nàm quiſque infans expeditè indicare novit ſibi caput dolere; difficillimum tamen eſt cognoſcere, an dolor ſit idiopathicus, an ſympathicus, ſed rarò idiopathicè patitur caput, ſæpè verò ſympathicè ab aliis membris, undè ſic diſcerni poteſt: idiopathicus dolor ſtabilis, & permanens, & ſine intermiſſione diſcruciat, quandòque per intervalla recurrit, quandò materia caput afficiens in ipſo per intervalla generatur. Sympathicus eſt, cùm caput ſanum, & benevalens, ac nulla læſio functionum animalium ſimul eſt conjuncta, ſed ab alterius partis cauſâ dolorificâ afficitur, ingraveſcit, & miteſcit, prout intenditur, vel miteſcit affectus in parte, à qua capiti dolor communicatur; quandòque aſſiduus eſſe poteſt, ſi materia extra caput genita aſſiduè ad caput feratur. Sed adhuc diſcernere ſupereſt, quia uterque aſſiduus eſſe, & per intervalla recurrere poteſt, pro quo ad alia ſigna recurrendum eſt, quibus diſcernere poſſimus, an per ſe, an per conſenſum afficiatur.

Veterum Cauſa.

Doloris Capitis cauſam in intemperie, & continui ſolutione mucidæ medicinæ profeſſores conſiſtere crediderunt, quia ita eorum anteſignanus *Galenus* ſancivit *in art. med. c. 8. 2. de loc. aff. c. 5. 2. de Victûs rat. t. 1. 12. meth. med. c. 5.*

Plauſibilis equidèm doctrina (ſicut & cæteræ) quam incondita plebecula, & imperitum medicorum vulgus tanquàm ex Sybillino folio depromtam, vel profectam ex Tripode, (imò ex Quadrupede potiùs dixerim, etenim nè dum vidimus ſæpiſſimè noſtros Barbaros ex mulâ lacernatâ *Galeni* præcepta in vulgus jactantes, verùm hoc noſtro tempore certè dicemus, quòd *Trahit equus Aſellum*, cùm velut plauſtro vecti paſſim per urbem ſchedulas ſalutis magno pretio venditent) religiosè cuſtodit, ſed emunctæ naris hominibus inter gregarios potius numeranda, atque inter cauponas agitari digna meritò videtur, ſicut tota *Galeni* medicina. Quippè ſi cuilibet (abſit dixerimus hiſtrioni, tonſori, qui in medentium albo nè dùm ſcriptos ſe eſſe dicant, verùm magno in honore cum apud omnes.

omnes ſint, ſuum quoque inter noſtros Barbatos interponunt judicium, quorum conſilium non (rarò exquirunt) de plebe homini in triviis nutrito in mentem venerit de re medicâ aliqua diſſerere, certè poterit ſine ſtudio, atque labore, ſolo caloris, & frigoris commento inter reliquos Galeniſtarum proceres aſſidere, atq; ab illis garrulitate minimè ſuperari, ſicut in dies ſingulos experimur. Hoc ideò quia rudi more, & vulgarium ſenſis malè compacta, calidi, & frigidi principio ruſticis ſat cognito, facilè indoctiorum ingenia tenuit, ut non difficile cuique reddantur, vel unâ horâ celebrem medicum evadere, & tot, tantiſque Galeniſtarum voluminibus ſua quoque addere, vel antiqua gloſſematibus exornare. Horum *Galenus* velut *Anteſignanus Hircus*, & *Pecoris Dux* ſuſpenſus de collo campanulam progreditur, quem innumera poſſetorum grex ſectatur. Cùm ipſe in viventis naturâ multa meditaretur, pro fundamento tractatum de Elementis primò ſtravit; deindè Logiſmum de temperamentis ſuppoſuit; tertiò hæc in cauſas, & principia facultatum naturalium adegit; quartò has humorum quatuor elementis numero, & qualitate reſpondentium fabricatrices effecit; quintò tandèm ex his reliqua entia, quæ in corporibus ſunt, vel fiunt, ſic ille obſcurum per obſcurius, ignotum per ignotius incerto ſemper pede venari viſus eſt, & claudicanti veritatem rhetoricæ, & logicæ peritiam ſuppetias exhibere.

Platonem, & Ariſtotelem irridet qui pro animæ hominis immortalitate ſentire videbantur; libro enim, in quo probat animi mores corporis temperaturam ſequi c. 3. hæc ait: *Quamobrem animæ eſſentia erit quodammodò temperatura quatuor, ſeu qualitatum dicas; humiditatis ſiccitatis, caliditatis, & frigiditatis, ſive Corporis humidi calidi, frigidi, ſicci, facultates autem ex animæ ſubſtantiâ ſequi, ſi deindè actiones proveniunt, probare convenit; Si igitur pars quæ raciocinatur, animæ ſpecies ſit, mortalis erit; ſiquidèm ipſa quoque eſt quædam cerebro temperatura atq; ità omnes animæ ſpecies, & partes habebunt ſuas facultates temperaturæ conſequentes, taliſque erit animæ ſubſtantia.* Hæc *Galenus*; qui poſtquàm *Platonis*, *Hippocratis*, & *Ariſtotelis* de animâ refutavit ſententias, ex his aliqua tranſcripſit, quæ licèt animam temperamentum eſſe pronuncient, eam tamen temperaturam corporis ſequi quodammodò inſinuant. Conatur deindè ſuadere animam ab eo idcircò temperamentum dici, quia diſcurſus, ſive ratio à vino, cicutâ, ab aliiſque medicamentis intra corpus aſſumptis ſubvertitur, & alienatur. Item quòd à nimiùm calefacientibus anima extinguiguitur, quod totum ratione moti, & alterati temperamenti fieri contendit: Sed de his fuſiùs in *libro Pyrotologiæ*, & alibi egimus, ubi hanc impiam *Galeni* doctrinam à ſectariis per tot ſæcula receptam è ſuis fundamentis evertere conati ſumus. Parcite *Galeni* manes, & vos ejus procuratores, qui per epiſtolam illius cauſam tuemini, ſi pro veritate veſtigandâ evidentem ſuæ doctrinæ falſitatem detegimus, veritatem enim, & non auctores ſectamur.

Fuit *Galenus* glorioſus homo, nugarum jactator, turture loquacior, & prædeceſſorum gloriam ſibi vendicans, qui ſuppreſſis auctorum nomi-

nibus, illorum theoremata ſuffuratus fuit, undè aliorum laborum latrociniis præclara trophæa ſibi erexit. Sæpiùs verò ut callidiùs plagii crimen mentiri poſſet, proprii ingenii ſenſa expreſſit, ſed tùm maximè ſui judicii hebetudinem impudentiæ, atque temeritati aſſociatam indicavit. Magiſtrum habuit empyricum, & ſuam medicinam variâ medicamentorum ſuppellectile ab agyrtis, & tonſoribus corrosâ locupletavit. Suam anatomiæ doctrinam verbotenùs aliundè deſcripſit; undè *Veſalius* in anatomicis doctiſſimus *Galenum* convincit nunquàm cadaver humanum, vidiſſe diſſectum, ſed tantùm ſimiam diſſecuiſſe, ac proindè utrorumque anatomen confudiſſe, ideòque centum, & ſexdecim in locis eum erraſſe convincit. Rem herbariam *Diſcordi* ſuffuratus fuit, cui ut pro ſuâ haberetur, qualitatum elementarium gradus confinxit.

Fuit quoque *Galenus* in omnibus ambitioſus inuidus, maledicus, multa mentitus fuit in multis ſuorum voluminum locis, ubique ſibi ipſi inconſtans, Platoni & Hippocrati magiſtro fuit infenſus. Temerè, ac impiè *lib.2. de diff puls. c.4.* Moſis, ac CHRISTI ſcholas obtrectavit, ceu nullâ ſtabilitas demonſtratione: *Multò certè præſtaret aliquam opponere, ſi non firmam demonſtrationem, at rationem ſufficientem Sermoni de octo qualitatibus, ut nè quis initio ſtatim quaſi in Moyſi & Chriſti ſcholam impingat, leges audiat nullâ conſtitutas demonſtratione, idque ubique minimè deceat.* Quaſi verò miracula quamplurima, & verè divina utroque teſtamento factitata legimus, atque credimus non omnem demonſtrationem ſuperent? Quaſi matematicas demonſtrationes in noſtrâ religione deſideraſſet. *lib.3. de diff puls. c. 3.* Sectariorum comparatione Chriſtianorum in omnibus adverſis ad mortem uſque irridet conſtantiam: *Citius enim Moyſi aſſeclæ, & Chriſti decedant de ſuâ diſciplinâ, quàm qui ſectis ſunt addicti, & conſecrati medici & philoſophi.* En Salernitanum Collegium incautos cogens medicinæ tyrones antequàm impunè necandi diploma accipiant, ut jurent in verba *Galeni*? Nonnè in verba Athei? Nonnè *Galeno* Latriam exhibeant? Siccinè medicinam omnem in idolatrarum pectore, aut unius *Galeni* fonte clauſam fuiſſe veriſimile eſt? Vt Chriſtianis hauriendi neceſſitatem imponamus, vel ab ethnicorum ore, vel à nullo latice.

Ad capitis doloris cauſam noſter redeat ſermo, & quò ad intemperiem, nullo prorsùs modo eam doloris capitis cauſam eſſe poſſe dicemus, &

Primò, Si intemperies capitis dolorem excitaret, ſtatim ac introduceretur contrariorum applicatione tolleretur, quia contraria contrariis curantur.

Secundò, Dolor fit in ſubjecto ſentiente hoc eſt in vitâ (quam *Hippocrates* impetum facientem appellavit,) quæ totum caput, omneſque corporis partes immediatè reddit ſenſiles; eâ enim ſublatâ, nullo modo caput, omneſque corporis partes ſentiunt, & in vitam nulla intemperies cadere poteſt, quin à corpore recedat: igitur nulla intemperies capitis dolorem efficere poteſt.

Tertiò, Nulla intemperies citò introducitur, ſed ſenſim, cùm ſenſim introducitur, tunc vita aſſueſcit, & caliditatis, frigiditatis, humiditatis, & ſiccitatis

ſiccitatis gradus non ſentit, ut videre eſt in introductione febris hecticæ, atrophiæ, in hydrocephalo, apoplexiâ &c. & in celebri intemperie ſimplici, quam calidam, frigidam, humidam, ſiccam dicunt, & in compoſitâ, ubi nullus eſt dolor, & tamen in his capitis morbis caput magnam induit intemperiem.

Quartò, In quartanæ acceſſionibus ingens percipitur frigus ſine dolore, qui ſi aliquandò adeſt, eſt aliâ ratione. In tertianæ ſimplicis acceſſione ingens calor invadit corpus, & tamen non excitat dolorem. In hypocauſto etiam percipitur calor noſtro major ſine dolore.

Quintò, Intemperiei calidæ proprium eſt calefacere, humidæ humectare, Siccæ ſiccare, & frigidæ frigefacere, non autem dolorem excitare, ac proindè *Hippocrates* inquit: *Non calidum, frigidum, humidum, Siccumvè morbos eſſe.*

Neque capitis dolor à continui ſolutione pendere poteſt, ut vulgares ſtabiliunt medici, &

Primò, Multoties capitis dolor ex improviſo oboritur, & ſtatim ſopitur, quod fieri non poſſet, ſi minima diſcontinuitas in meningibus adeſt. Neque verum eſt, quod dicunt per hujuſmodi diſcontinuationem non intelligi ſolutam unitatem, ſed quandam tenſionem, & diviſionem partium nervoſarum, & membranoſarum: nàm hoc locum habere nequit abſque horrendo ſpaſmo, & convulſione epilepticâ.

Secundò, Vulnus recens vix dolet: mox autem dùm vulneris Labia tument, & æſtuant, vulnus acutè dolet, & dum ſua flaccеſcunt labia, & ſidunt, & vulnus adhuc apertum eſt, indolens eſt; ideòque continui ſolutio ſive recens, ſive inveterata dolorem non facit.

Tertiò, Vlcera leproſorum nullum habent dolorem, imò ſi totum caro acu perforetur, penitùs non ſenſit. Inſuper ſtygmata ſagis à diabolo impreſſa (Si verum eſt, quod fertur) inſenſibilia ſunt: igitur mitiores ſtatuendæ ſunt cauſæ in tantâ membranarum ſenſibilitate, ſed indagine altiores.

Hermetici reiicientes intemperiem, & continui ſolutionem pro doloris capitis causâ, ſpiritus aſſignant ſentientes. Cognoſcunt iſti in homine triplicem ſubſtantiam, terreſtrem, ſive elementarem, aſtralem, ſive Cœleſtem, & divinam, quam theologis relinquunt. Elementaris ſecundum ipſos materiam corpori ſuppeditat, aſtralis ſubſtantiam ſpiritualem, in quâ vita reſidet, quapropter vitæ balſamus nuncupatur, corpori toti rationem, & ſpirituum facultates omnes largitur, quæ facultates, cùm in vitâ ſint, & vita ſit in ſpirituali balſamo, in hoc facultates omnes conſequenter reconditæ ſunt, inter quas eſt ſentiendi vis. Spiritus hic aſtralis per totum corpus diffuſus, cùm patitur, dolet, non poteſt autem pati à re corporeâ, ſed à ſibi ſimile, hoc eſt à corpore ſpirituali: ſpiritus enim ſpiritui bellum infert, ſic venenoſi ſpiritus ſpiritibus noſtris ſalutibus vim inferunt, & illos jugulant, cum fortiores ſint.

Cauſæ igitur doloris ſpiritus ſunt, qui afficiunt ſpiritus ſentientes. Idem efficit ferrum, & alia inſtrumenta ſolvendo corporis continuitatem, armoniam, & compagem, quam ſpiritus ſuſtinent, & hac de cauſâ ſpiritus etiam

diſſociant. Hoc quoque facit calor, & frigus, & dolorem excitat. Spiritus hi ſunt, qui à ſalibus reſolutis proficiſcuntur.

Videntur Hermetici ſenſitivam animam ex ſpiritibus, hoc eſt ex tenuiſſimis principiorum particulis conſtare, quod examinare non attinet ad medicum. Cauſa doloris, quam aſſignant, an vera ſit ex infrà dicendis patebit.

Dolor in ſolo tactûs ſenſu non verò in omnibus conſiſtit, nam licet dolor in oculo ex rei nimis lucidæ aſpectu, aut ex aſpero ſono in auribus percipiatur, hi tamen excitantur dolores, quatenùs, tactûs Senſum afficiunt.

Aliqui fatentur cerebrum omnium ſenſuum, & motuum non peculiare, ſed univerſale, & primarium eſſe organum, quia mediantibus nervis, & muſculis per ſpiritus animales quaquà ex ſe demiſſos motus, & ſenſus peragitur. Motum habere cerebrum probant ex eo, quia ipſum per diaſtolen, & ſyſtolen moveri conſtat, ut videre eſt in capitis vulneribus, vehementiſſimis capitis doloribus, & in recèns natis, quorum in ſyncipite cerebrum palpitare obſervatur, quia oſſa molliſſima ſunt, nec ſatis indurata, attamen toto errant cœlo, cùm hic motus tribui debeat meningum arteriis, quia pulmonum motui correſpondet, & non ad cerebri ſubſtantiam referendus eſt, cùm ejus ſubſtantia ſit mollis, & ſatis flaccida, ideòque ad motum inepta.

Nonnulli cerebrum ſtatuunt immobile, & ſenſu orbatum, ac proindè in eo eſſe primi Motoris univerſalis adinſtar, quem cum *Ariſtotele* recentiores perperàm ex neceſſitate immobilem ſtatuunt, ut alia movere poſſit.

Alii conſiderantes cerebrum immotum, & inſenſile, & videntes, quòd dislocatâ vertebrâ, ſtatim quoque ſine ſenſu, & motu eſſet quicquid nervis illa vertebra inferioribus ſubjiceretur, illicò decreverunt ſpinalem medullam eſſe cerebri vicariam, & adæquatum ſensûs, & motûs organum.

Alii cognoſcentes cerebri ſubſtantiam ſensû tactûs orbam, nec moveri arbitraliter dixêre ipſum eſſe dotatum duplici membranâ meningis, quæ eſt acutiſſimi tactûs, licèt immotâ; ideòque ſtatuerunt omnem nervum quantumvis exilem duplici tegi membranula, eamque ab utraque meninge deſcendere, quem voluerunt ſuum ſenſum à tegente membranula deſumere, & non à medullari ſubſtantiâ. Maluerunt idcircò credere nervum eſſe primarium ſubjectum motûs, atque doloris, cerebrum verò ſensûs, & motus initium; attamen nervum immediatum ſubjectum doloris, & ſensûs. Motum verò dixerunt ex voluntatis arbitrio dependere. Sic voluntas eſt principium imperativum motûs, nervus organum delativum ipſius imperii, & muſculus inſtrumentum executivum voluntatis.

Nonnulli tandèm meditantes nervum per ſe eſſe ſine ſenſu ſicuti cerebrum, & alia membra ſolida, opinati fuêre ſenſationem fieri in nervo tanquàm in ſubjecto mediante ſpiritu animali, quamobrem voluerunt ſpiritus animales eſſe ipſius ſensûs, & motûs primitivos ſentientes, & moventes effectivos. Sed falſum eſt nervum eſſe organum, & primarium ſubjectum ſensûs, & motûs: Probatur, nàm quælibet pellis pars ſentit, & ſubter ſe nervum non tegit. Vreter ſummè dolet

abſque

abſque nervi alicujus inſertione. Vlcera cava ſenſitivâ replentur carne, nec in illâ nervi ſuccreſcunt denuò: cùm partes primæ conſtitutionis ſemel ablatæ non recreſcunt; Leproſorum caro ſtylum adactum non ſentit.

Cauſa Noſtra.

His ritè examinatis, & per noſtram Trutinam libratis, quòd ſcilicèt neque cerebrum, neque ſpinalis medulla, neque nervus ſit immediatum organum ſenſûs, & motûs, non per hoc concedimus in ſpiritu animali conſiſtere, quia reverà hic ſpiritus non datur, ut fuſiùs *de Apoplexiâ*, & conceſſo per hypotheſim, quòd detur, hujuſmodi ſpiritus mortuus eſt & merum cadaver, niſi à vita illuſtretur, & quia vita ipſa in hoc Spiritu non eſt illi propria, & inſeparabilis, ſed vita eſt à ſpiritu toto ſubjecto diſtincta: ſed ſit ipſamet vita, quæ propinquiùs, & immediatiùs ſentit, ac dolet in ſpiritu vitali, qui etiam eſt merum cadaver, niſi à vitâ illuſtretur, nec eſt illi proprius, & inſeparabilis. His poſitis

Dicimus omnem ſenſationem tàm effectivè, quàm ſuſceptivè conſiſtere in illo ſpiritu, quem *Hippocrates* impetum facientem appellavit, & pro impetum faciente intellexit id, quod in vivente corpore dicimus eſſe vitam, animam, vitæ ſpiritum, naturam, & quicquid aliud ſupponitur in vivente eſſe principium facultatum, actionum, & operationum, & quod in corpore organico exercet vitæ functiones, & ſine quo corpus eſt merum cadaver, ut fuſiùs ſequenti capite; ideòque anima immediatè ſentit ubique præſens per ſui irradiationem, nec opus habet mediante ſpirituum ſatellitio nuncium ad cerebrum mittere; fit doloris ſenſatio compreſſione corporis, in qua anima recipit impreſſionem rei ſenſibilis, unico momento hanc impreſſionem ſpiritui vitali inſinuat, ſub qua inſinuatione, & adaptatione tùm primùm oritur ſenſatio facta in ſpiritu vitali per animam. Quandòque contingit, ſi forſan ſpiritus impetum faciens exaltetur, vel in inſaniam occupetur, vel ob vim narcoticam, vel ob profundas ſpeculationes, quòd impreſſionem rei ſenſibilis non recipiat, corpus dolores non ſentiat, famem, frigora, ſitim &c. Imò tunc oculi aperti, & nullo obſito impedimento non vident, aures non audiunt, & cæteræ vitæ functiones in vivente intercipiuntur.

Pro doloris causâ dicimus, quod omnis dolor è triſti objectorum affectione producitur occaſionaliter cum læſæ partis contractione; ſed ab ipſo ſpiritu impetum faciente immediatè procedit tanquam à ſenſus teſtimonio; in dolore enim iſte ſpiritus triſtatur, furit, indignatur, anxiatur, ac timet primario, & ut ipſe eſt omnium actionum radix in vivente, non tantum muſculos, ſed quoque quaſvis partes naturaliter movet, & contrahit juxta ſuarum paſſionum tonum: ideòque contractura eſt ſenſationis, ſive doloris effectus ob læſionem ſpiritui impetum facienti, & vitali illatam. Omnis contractura adeò ſuum dolorem comitem habet, ut oblato lædente occaſionali, ſtatim pars læſa velut per Crampum contracta, & corrugata ſuum manifeſtet dolorem. Spiritus impetum faciens dolore horrens venas, arterias, tendines, & membranas furioſè contrahit, &

dum in furore ſperatum auxilium non recipit, ejus incrementum ſuſcitat. Sic ſpina digito infixa, quatenus dolet, criſpat, & indurat arteriam, ejuſque pulſum, qui anteà ibidem non erat obvius ob ſolam arteriæ tenſionem; Itaque doloris proprium eſt convellere & contrahere. Eſt natura ubique tam prona ad Crampum, ut nemo vitorum cacaturiat, cui confeſtim Scrotum ut ut laxum, ſtatim non criſpetur, & corrugetur, attamen iſta contractura eſt ſine dolore, quia non tam dolore, quàm à merâ moleſtiâ ortum trahit, ſed contracturæ fiunt à cauſis hoſtilibus. Dolores obtuſi contracti viſceris ſunt indices. Stomachi dolores fiunt, cum ejus membranæ contrahuntur. In dolore colico, inteſtinorum contractura per intervalla recurrit. A Laxativis quandòque torminum dolor à contracturâ recurrit. Parturiens per intervalla ſuas patitur immanes contracturas, quoties uterus à tergo ſe contrahit, ut fœtum excludat. Sic contrahuntur paraſtrata vaſa in gonorrhœâ ſpermatis ſtimulo excitatâ Sic & ſunt ſui muſculorum Crampi. Vterus,& duelech ſolâ ſui convulſione ingentes penitùs mover dolores, qui aſſuetis tandèm mitiores evadunt ob minorem animæ indignationem. Sic ignis,corroſiva igni proxima,aquæ fortes,& quælibet acuta dolores excitant,quatenùs per ſe organorum fibras criſpant, & convellunt, ideòque ſunt cauſa occaſionalis externa,& excitativa doloris, non verò immediata.

Sicut aliarum partium dolor fit; ità & capitis, cum ubique ſit eadem cauſa immediata, & occaſionalis, undè adductâ cauſa immediata, cauſas occaſionales externas, & excitativas doloris capitis adducamus oportet.

Continui ſolutio eſt cauſa occaſionalis, & non dolet, ut continui ſeparatio, niſi aliquod inconveniens acceſſerit, nec minùs dolet in vulnere calor, quia illi proprium eſt calefacere, non dolere. Si autem aliquod advenerit, quod vulneratæ parti fibras contrahat, tunc excitatur dolor, attamen cum vitæ noſtræ advertentiâ, quod ſi accidat quod vita alienetur, non fit doloris ſenſatio juxta *aph. 6. ſect. 2. Quicumque dolentes parte aliquâ corporis omninò dolorem non ſentiunt, iis mens ægrotat.*

Salini ſpiritus dolorem excitant, & præſertim qui moleſtiam guſtatui pariunt, quia ex anguloſis conſtant particulis, & noſtri corporis partes divellere, & convellere valent, undè dolor: frigus, & calor dolorem etiam excitare poſſunt, ſed ſolùm cùm adeò intenſi ſunt, ut partes magno conatu divellere poſſint, ut experimur, attamen vix à calido,& frigido ſimpliciter dolores in noſtro corpore excitantur: non poteſt enim eſſe tantus in humano corpore calor, ut poſſit conatu quodam magno ad calorem excitandum requiſito partes convellere, ut patet in acceſſionibus quartanę,ubi ingens adeſt frigus abſque dolore in tertianâ ſimplici ubi ingens invadit calor ſine dolore, & in hypocauſto, ubi etiam percipitur calor noſtro major ſine dolore. Poteſt quandòque calor excitare dolorem per accidens, movendo ſpiritus ſalinos, & impetuosè illos penetrare faciendo, qua de causâ aqua gelida dolores aliquandò ſiſtit intenſiſſimos, motum illis auferendo, & partes denſando,& penetrationem impediendo.

Ex ſalibus acidum dolores intenſiſſimos parit, ut videre eſt in colicâ, quæ ab acidis fit,& in cardialgiâ, pleuritide.

ritide, podagrâ &c. cujus ratio eſt, quia acidum componitur ex particulis acutiſſimis, confert tamen ad dolorem excitandum principiorum noſtri corporis conformatio, qua ratione una magis ab uno ſale, quàm ab alio dolet, & philoſophandum eſt hic non aliter, ac de guſtu.

Acidum quò magis exaltatum eſt, eò magis dolorem excitat, & quò ſubtilius, patet hoc, quia acidum exaltatum intenſiùs, & utiliùs agit, ſubtiliùs magis penetrát, ut obſervatur in doloribus podagricis acerbiſſimis, qui tamen parùm pro reliquis durant, quia ſubtiliores ſpiritus faciliùs diſſipantur.

Acidum à calore excitatum acerbiorem excitat dolorem ratione motûs, quem acquirit; hac de causâ multoties calidis medicamentis dolores augentur, qui vulgò tunc putantur à calore eſſe, quia calidis exacerbantur, calor tamen aliquandò præſertim cùm mitis eſt, poros aperiendo, leniter doloris cauſam vel non tàm acerbiorem facit, vel exhalare facit, & tunc dolorem vel mitigat, vel tollit, quod facit etiam aliquandò validus.

Acre piperinum, quale eſt non ſolùm in pipere, ſed arone, allio, ſinapi &c. cùm exaltatur, dolores vehementiſſimos etiam excitare valet, & videtur majoris efficaciæ eſſe, quàm acidum acre, hoc eſt valdè exaltatum, ut obſervatur in arſenico, ſed de hoc non compertum eſt, nàm Spuma duorum Draconum, quæ ex particulis antimonij, & ſublimati eſt, habet acorem à vitrioli ſpiritu, & tamen vehementiſſimos excitat dolores, quales forſan non excitat acre piperinum arſenici, ſi in arſenico acre piperinum eſt, ut aliqui volunt, & non acre acidum, quod magis probabile eſt, ratione ſulphuris, de quo participat.

Dulce dolorem non excitat, quia mulcet partes, cùm conſtet ex particulis rotundis, & ſi aliquandò id facit, non dulce eſt, ſed aliud, in quod dulce mutatum eſt, nàm in ſaccharo e. g. quamvis in ſuperficie contineri videatur dulcedo, habet tamen acerrimas particulas, ut obſervatur vitali anatome, quæ cùm exaltantur, excitare valent dolorem vehementiſſimum.

Loca, quæ intenſiſſimis afficiuntur doloribus confluentiam habent cum ſalibus, ut ventriculi orificium, inteſtina, veſica, articuli, & aliæ partes; continent enim mucilagines, in quibus ſpiritus ſalium acutiſſimi quandòque latent, & poſt longam digeſtionem ſeparantur, & effervescentias pariunt, & hac de ratione membranæ intenſiſſimè dolent, & viſcera, quia habent magnam ſalium tincturam, & magis de mercuriali, & naturam ſulphuream participant, & tantis afficiuntur doloribus.

Dolet, ut diximus, caput vel per eſſentiam, quandò ſcilicèt ſalini ſpiritus in ipſo exaltantur; vel per conſenſum, quandò aliundè confluunt. Dolet variè prout varia ſunt ſalia, à quibus variè ipſius partes afficiuntur. Dolor pungitivus eſt à ſale vel acido, vel acri, vel piperino, & ſic philoſophandum de cœteris.

Prognoſis.

Dolor capitis externus minùs periculoſus eſt, quàm qui internus. *Capitis dolor intenſus ſtatim deliteſcens, nullâ ſequenti morbi imminutione per*

criſim, lethalis; ſignificat enim vitæ alienationem, quæ ampliùs doloris cauſam non ſentit. *In vehementi capitis dolore, ſi extrema frigent, malum*; ob doloris enim vehementiam vita extremas deſerit partes, affectaſque petit, unde facilè inflammatio excitari poteſt. In acerbiore capitis dolore, ſi pus, vel aqua, vel ſanguis per nates, os, aut aures effluat, morbum ſolvit juxta *aph.*10.*ſect.*6. *Caput dolenti, & vehementer laboranti, pus, vel aqua, vel ſanguis effluens per nares, aut aures morbum ſoluit.*

Capitis dolores, & aurium ſonitus ſine febre, aut vertigo, aut ſurditas, aut manuum torpor imminentem ſignificat apoplexiam, aut epilepſiam, ità *Hip. aph.*61.*ſect.*6. *Quicunque ſani dolore capitis derepente capiuntur, & ſtatim muti fiunt, & ſtertunt, in ſeptem diebus pereunt, niſi febris apprehenderit.* In Coacis: *Capitis dolor cum ſopore, & gravitatis ſenſu quodammodò convulſionem accerſit. In uterum gerentibus capitis dolores cum ſopore, & gravitate malo ſunt, forteſque hujuſmodi naturæ, una etiam convulſionibus ſunt obnoxiæ.* Capitis dolor aſſiduus, & vehemens, qui nullis cedit præſidiis, futuræ Cœcitatis metum affert ob humoris ad oculos affluxum.

Dolor capitis, qui ab ægritudinis initio non fuit, ſi tempore criſis accidit, metuendus non eſt utut moleſtus, & perturbativus, criticum enim naturæ motum ad hæmorrhagiam, vel vomitum expulſivum cauſæ morbi ſignificat: ſed in declinatione & inferiorum partium morbo convaleſcentibus dolor capitis vehemens ſi oboriatur, & nulla evidens ſuperveniat excretio, futura eſt in cerebro apoſtematio, tranſeunte materiâ morbificâ ab inferioribus ad ſuperiora, ibique ſedem figente, ubi dolor percipitur, ità *aph.* 32. *ſect.* 4. *Quibus autem evaleſcentibus ex morbo, pars aliqua dolet: ibi fiunt abſceſſus.*

Lac dare caput dolentibus malum, inquit, *Hip.aph.*65.*ſect.*5. attamen intelligitur non convenire in capitis dolore vel per eſſentiam, quia lac ſumpturi, caput robuſtum habere debent, atqui capite laborant, caput habent imbecillum, & lactis vapores caput feriunt, imbecilliuſque reddunt; vel per conſenſum à ſtomacho, vel in corporibus impunis, quia lac facilè concoquitur, ita malè affecto ſtomacho, & in corporibus impunis facilè corrumpitur, & omnis corruptio eſt aciditatis mater, undè acidi vapores ad caput confluentes intenſiſſimos excitarent dolores.

Capitis dolor acutæ febri copulatus concurrente tenuis, & albæ urinæ excretione, phrenitidis periculum minatur ex aph. 72. *ſect.* 4. Galenus urinæ propheta ob raptam bilem, quæ urinam tingere imaginatur, ad cerebrum. Sed quiſnàm bilis raptor? Quiſnàm ductor, qui meram bilem, & à cruore venarum, per quas defertur, vel ab urinâ ſeparatam ducit? Quonàm ſine rapit illam, cùm nihil fiat ſaltim ſub boni apparentiâ? Quomodò ad cerebrum defertur abſque ſanguinis infectione? Quis ille fuit ſeparator, qui bilem ad urinam tendere ſolitam, è fellis folliculo nunc detorqueat ad caput? Quâ ſemitâ id facit? Numquid ipſamet morbi materia ſpontè ad cerebrum ſcandit, & erit ſui ipſius motrix? Si vaga in venis fluctuat à cruore ſeparata, & ſursùm ſuâ ſponte ſcandit,

ſcandit, cur potiùs viâ conſuetâ fores non proſcribitur? Quodnam eſt hujus bilis receptaculum? forſan cerebri ſinus? Decipiuntur medici urinarij, nàm flavus urinæ color non à bile, aut à felle advenit, ſed tantùm à ſalſedine in ſeroſitate diſſolutâ, & tranſcolatâ inſtar lixivij vulgaris ex aquâ, & cinerum ſalſedine conſtantis, per quos aqua tranſcolatur, eamque elixiviando diſſoluit, qua ſibi copiosè unita itidem in formâ ruſâ apparet, imò planè puniceâ, ſi valdè forte ſit lixivium, quod à ſalis copiâ provenit, non verò a bile. Eodem modo dicendum eſt de urinâ, quòd ſalis copia eam reddit opacam, coloremque mentiatur ruſum, cùm tamen iſtud ſal poſt evaporationem omninò album inveniatur. Homo enim in omnibus ferè cibis utitur ſale, qui poſteà non modò in urinam venit, verum etiam ejus digeſtio ex acido mutatur in ſalſum, cujus copiâ urina ruſſeſcit, ut videre eſt in acutis, ſive calidis morbis, in quibus fit rubicundior, quod arguit copioſiorem ſalſedinem tempore febrili eſſe in corpore, & pauciorem ſeroſitatem; non quòd febrilis calor plus ſalſedinis producat, quia calor eſt tantùm ſalis excitativa cauſa, nàm quantumlibet urgeat calor corpus, ubi ſal non eſt, nunquàm ſal efficere poteſt: ſed majorem aquoſitatis partem evaporare faciat, undè quod remanet fit lixivialius, ſpiſſius, & rubicundius, ut patet in lixivio vulgari, quod ad conficiendum ſaporem, ad eam redigitur ſpiſſitudinem, ut ovum impoſitum ei ſupernatet, & ob ſuam ſpiſſitudinem rubicundum apparet. Quod verò urina, ſtante phrenitide, aqueam oſtendat albedinem, cauſam ejus eſſe ordinariæ ſalſedinis defectum conjecturandum eſt, idque evenire poteſt ex digeſtionis defectu, quia, ut ſcholæ ajunt, urinam aqueam, & tenuem eſſe deficientis digeſtionis ſignum, prout flavedine manifeſtè tinctam bonæ digeſtionis indicem. Quoties igitur in capitis dolore febri acutæ copulati adeſt digeſtionis defectus, proſtratuſque appetitus per aliquod tempus, toties urina habetur aquea, & tenuis. Minatur phrenitidis periculum hujuſmodi urina, cùm magna ethcrogeneorum ſalium copia caput ſcandit, vel ibi exaltatur, ſi ex eorum miſcelâ fermentatio oriatur, imprompru eſt inflammatio in cerebri meningibus, (ſi verum eſt, quòd phrenitis in capite fiat) undè ſpiritus excandeſcunt, qua excandeſcentiâ tota Palladis domus ardet, & vita legitimas, & ſanas actiones, & functiones peragere nequit, ſed læſas, & depravatas faciat oportet.

Veterum Curatio.

Curationem doloris capitis medici auſpicantur vulgares ab intemperie, ſolutionis continui immemores. Si intemperies ſit nuda, alterantia contraria commendant, ſic meram intemperiem calidam, meramque frigidam curant per contraria debellativa, quam curationem meliùs obtinerent, ſi ægri caput ad Boreæ flatum in calidâ exponerent, vel in gelidam immergerent aquam, donec ſatis refrigeratum reſtaretur; in frigidâ verò candentis furni beneficio excalfacere deberent ad ſanationem perficiendam. Ità medicina, quam Omnipotens de terrâ creavit, Galenicas caloris, & frigoris ineptias facta eſt fabula vulgi. Capitis dolor non eſt nuda caloris, & frigoris tem-

peſtas, ſed adeſt alia cauſa occaſionalis, ad cujus præſentiam vita indignatur, furit &c.

Si intemperies calida, vel frigida ſit cum materiâ conjuncta, eam evacuant, revellunt à capite, ſi fixa hæreat, eam diſcutiunt, intemperiem temperant, & caput roborant.

Antequàm materiam evacuent, præparant, undè calidam *ſyr. de infuſ. roſ. Nymphæâ, viol. endiviâ, portulacâ cichor. &c.* frigidam *Syr. de ſtœcade, betonicâ &c.* cum aquis convenientibus præparant, & tribus ſyrupis caput dolore gravatum ſyrupant, ſed aliud eſt materiam præparare, aliud concoquere; nàm præparatio attribuenda eſt arti, coctio verò naturæ. Deindè ad purgans deſcendunt medicamentum, & potiùs pilulas, quàm electuaria, vel potiones in capite purgando exhibent, quod fortiùs à capite, & diſſitis partibus per magnetiſmum attrahunt, quia diutiùs in ventriculo morantur; non enim propter formam validius purgant, quàm aliæ medicamentorum formæ, ſed quia magis vitam laceſſitat, ſtimulatque virus laxativum validorum ingredientium, ex quibus utplurimùm conſtant pilulæ. Ità pilulare concinnant medicamen:

℞. *Agaric. trochis. cum rodomell.* ʒ.j.
pilul. arabic.
cochiar.
agregat. ana ʒ.j.
cum cathart. roſ. formetur pilul. IX.
& deaurentur.

Semper pilularum imparem præſcribunt numerum, ut tres, quinque ſeptem, & ſic de ſingulis, quia numero Deus impare gaudet. Quibus adhibitis, ſi perfecta non ſuccedit purgatio, exhibent apozema poſt nonnullas horas à pilulis prædictis, ut

℞. *Syr. roſ. ſolut.*
Sueſſ. ana ℥.ij.
aquæ betonicæ ℥.j. *m.*

Multum tribuunt *pilulis cephalicis Fernellij*, de quibus ipſe aſſeverat, ſibi non obveniſſe aliquam cephalalgiam, vel emicraniam, quam iſtarum pilularum uſu non curârit, quarum deſcriptio ità ſe habet.

℞. *Aloës opt.* ℥. ß.
pulu. elect. de gemmis,
trium ſantalor.
roſ. rubr. ana gr. iij.
cum ſyr. abſinthij, &
viol. ana q. ſ. f. maſſa pilularis,

& ex eâ formentur pilulæ, quarum ʒ.j. pro vice, horâ unâ, vel duabus ante cœnam detur, idque bis in hebdomadâ. Sed hæ pilulæ non correſpondent miraculis à *Fernelio* decantatis; Aloë namque purgativam vim non habet fortem, totumque corpus non purgat, ſed tantùm vitioſos humores in primis vijs cumulatos ſubducit, qui pravos ad caput mittunt vapores, undè medicamentum ſtercoraceum vocatur, hinc expurgantibus ſola aloë innocua cenſetur, quia ſtomachum, & inteſtina à ſubjectis vindicat excrementis. Poteſt itàque utiliter exhiberi, quibus per aſſiduas fientes è ſtomacho evaporationes caput dolet, & non in qualibet cephalalgiâ, ſive hemicraniâ, ut ſe jactat *Fernelius*.

Pro falſo venditant ſcholæ *pilulas cephalicas, lucis &c.* caput purgare, quia pilulæ nihil è capite eliciunt, nec caput aliquid dat, quod non habet, præter mucum, quem ad pelvim, neque aliò mittit. Hinc deridendi ſunt illi medici, qui in ſpumoſarum dejectionum inſpectione innocuum inſimulant

mulant caput cum *Hip. aph.* 30. *ſect.* 7. *Quibus in alui profluviis excrementa ſpumoſa ſunt, ijs ex capite pituita defluit.*

Non poſſumus non criminari vel craſſæ Mineruæ, vel palliatæ impoſturæ noſtros barbatos, qui in purgantium exhibitione cibos admiſcent, quia laxativis cibos admiſcere, alii non deſervit, niſi ut in excretione major excrementorum copia conſpiciatur; cibus enim laxativis admiſtus non concoquitur, imò inquinatur, & in putridum vertitur liquamen, & unà cum laxativo elicitur. Hinc metus eſt, ne aliqua excrementorum portio cibo admiſta, vel cibi corrupti, aut inconcocti in penitiores corporis partes diſtribuatur, & aliquid mali in ijs procreet. Ideòque medicamenta purgantia homini jejuno, & probè celebratâ coctione exhiberi debent, nec cibus, potuſvè ſumendus eſt ad perfectam uſque purgationem.

Parùm, vel nihil proficientibus laxativis, ad ſanguinis detractionem deveniunt, & cephalicam ſecant, ſi dolor ſit per eſſentiam, ſi verò per conſenſum, juxta partium conſenſum venas aperiendas ſtatuunt. Qua ratione in capitis dolore phlebotomiam celebrandam in dicunt, non aſſignant, cum ſtatuant capitis dolorem fieri à continui ſolutione, & ab intemperie nudâ, ſive cum humore conjunctâ. Certum eſt in ſolutione continui, & nudâ intemperie non convenire. Si intemperies, ut dicunt, ſit cum humore conjuncta, vel erit calida, & ſicca, & ſic per illos bilem habet conjunctam; ſi frigida, & humida, pituitam; ſi frigida, & ſicca, melancholiam; ſi tandem calida, & humida, ſanguinem. Sanguis vel peccat in qualitate, vel in quantitate; ſi in qualitate, erit cacochymia, & purgans indicat medicamentum, ſi in quantitate, erit plethora, quæ ſanguinis imminutionem indicat. An ſit plethora, quæ capitis dolorem excitat, non demonſtrationes habet, ſed tantùm conjecturas, & probabiles rationes, quas pro illâ afferunt; in ambiguis enim præſtat vires conſervare, quàm perdere, & licèt in ægroto ſit plethora, cùm à morbo invaditur, hæc tamen non multò pòſt deſinit, quia ſanguis ex continuâ inſenſili evacuatione exhalet, & eò magis per diætam, & vulgò dicitur: *Diæta eſt aſſidua phlebotomia.*

Nonnulli ad diuturnos capitis dolores poſt varia diù fruſtrà tentata remedia, tanquam præſentiſſimum remedium arterias in temporibus ſecare jubent; putant nàmque ſanguinem calidiorem, fervidioremque caput ſcandere, ſed hoc remedij genus periculo plenum, & incertum tentare audent. Non eſt inter chirurgos, qui arterias ſecare novit, & præcipuè hîc Neapoli, cùm omnes chirurgi ſint tonſores, & Noſocomiorum Trullarij, & periculum imminet, antequàm vulnus ad cicatricem deveniat, ne aneuryſma relinquat. Verùm *Galenus lib.* 3. *de curandi rat. per ſang. miſſ. cap.* 2. ut huic proſpiciat malo, crudele, & dictu horribile ſuadet remedium, ut tota nempè præcidatur arteria. Arteriotomia eſt præſidium inter ſpem, & metum, quod ſi non prodeſt, multum noxæ afferre poteſt. Præterea vel cauſa occaſionalis eſt fixa arteriæ parietibus, & fruſtratoria eſt arteriæ inciſio, nàm licèt totus exhauriatur ſanguis, doloris cauſa intacta manet, imò nocentior, quia ſanguis aufertur, quæ

eam diluere, vel diſſolvere poteſt; vel in arteriis fluctuat, & quis pro te ſpondeat arteriotomiâ calidiorem, & fervidiorem tantùm extrahi, & non laudabilem? Adde, quòd ſanguis arterialis cùm intra ſe magnam ſpirituum copiam contineat, non poteſt non celebrari abſque notabili Spirituum, & virium jacturâ.

Si ex hæmorrhoidum ſuppreſsâ evacuatione capitis dolor proveniat, hirudinibus podicis venas aperiendas jubent, quia hirudines paulatim, & ſenſim ſanguinem evacuant, & multò minori moleſtiâ attrahunt; hæmorrhoides enim in nonnullis viris frequentiùs, rariùs tamen fœminis videmus naturam aperire, & per eas ſtatis temporibus proindè ac in fœminis menſtruo circuitu per uteri venas, ſanguinem fœculentum, & melancholicum effundere. Itàque ad naturæ imitationem medico naturæ ſimiolo hæmorrhoides interdùm aperire licèt, earumque apertio venæ ſectionis vicaria eſſe poteſt, ſi ſanguis craſſior præcipuè abundet, & ſi ſanguinem anteà fundere conſuetæ, nunc verò eundem retineant, & ſit in causâ doloris capitis. Fœdum remedij genus, vermes podici applicant, ut fœculentum extrahant ſanguinem? Venæ hæmorrhoidales externæ (internæ enim oriuntur à venâ portæ, quæ profundæ in ano ſunt, & in conſpectum non veniunt) veniunt in conſpectum, quibus hirudines applicantur, à venâ cavâ oriuntur, & arteriæ hæmorrhoidales aſſociantur; inſeruntur in muſculoſam ani ſubſtantiam, quæ ſanguinem requirebat puriorem, in corde elaboratum, & per ramos arteriarum huic advectum. Ridiculum igitur eſt hæmorrhoidum venis apertis ſanguinem craſſum, fœculentum, & melancholicum extrahi, quia venæ hemorrhoidales non ex ſplene, ut volunt, ſanguinem recipiunt, ſed ad ipſum reportant, quem hauriunt ab arteriis, & quia proximè illum hauriunt, ſanguis eſt florentiſſimus. Quòd ſi videatur craſſus, & fœculentus, evenit hoc ex ſtricto orificio ab hirudinibus facto, ex quo ſanguis guttatim exit, quapropter ſtatim coagulatur, ut obſervatur in ſanguinis miſſione, cùm ſit orificium ſtrictum. Ex orificio autem ſtricto non pars aquoſa ſanguinis, ſed craſſior, in qua partes volatiliores conduntur, & conſequenter melior, & utilior ſanguinis pars excernitur, ſeroſâ excluſâ. Hinc fruſtrà fœdo charactere hæmorrhoidalis ſanguis depingitur à barbaris, cùm quandoque turgentiſſimæ hæmorrhoides citra ſanguinis effuſionem diſpatiant, earumque ſanguis in gratiam recipiatur, nec ſanitatis acquiſitionem, aut conſervationem impediunt. Quapropter non audiendi ſunt, qui putant ſanguinem ex venis hæmorrhoidalibus non admodùm debilitare, ſed de his fuſiùs in Melancholiâ hypochondriacâ.

Si à menſium ſuppreſſione capitis dolor ortum ducat, ſaphenam ſecandam jubent. Huic affectui per accidens prodeſſe poſſunt, nimiam tantùm copiam minuendo, ſed potiùs ad productum, quàm ad cauſam reſpiciunt, nec eſt vera morbi indicatio. Occurrendum igitur eſt ſanguinis vitio, & præcipuè cautæ, ob quam per conſuetas vias non effluit.

Cucurbitulas commendant ſcarificatas, quia ut vicariæ phlebotomiæ ſanguinem evacuant, & revellunt à capite; ſed falluntur, nam cucurbitulæ

propriè

propriè ſanguinem cutaneum evacuant in parte. Hinc evenit, ut tenuiorem exhauriant, qualis in minoribus venis continetur.

Frictiones revulſionis prætextu commendant, quibus per innocuæ cutis peripheriam inquilinum hoſtem à centro avocare imaginantur; ſed operam ludunt, nàm capitis dolor non eſt affectus ſub cute ſtabulans. Si aſperioribus frictionibus univerſam decorticarent cutem, nunquàm capitis dolorem curarent, neque per hoc remedii genus quis unquàm curatus fuit. Ridiculum præſidium ſine cauſarum cognitione, & locorum diſtinctione inſtitutum, & *Galenus* ille nugarum inventor totus frictionibus occupatus, frictionum diſtinctiones in longum, transverſum, obliquum, & in circulum, tanquam Necromantricorum ceremonias pœnæ capitalis indictione obſervandas ſtrictas ſub obedientiâ præſcribit!

Ad revellendum è capite clyſteres præſcribunt, quia non tantùm ab inferioribus partibus, verum etiam à capite evacuare credunt, fœdum, pudendum, & medio digito demonſtrandum, ſed frequens medicorum remedium. Caput dolet, & podicem ſollicitant! Nunquàm clyſterem præſcripſimus ſine magno rubore, & illi vulgares gloriantur ſe ſubſcribere in ſchedulà, in qua ſcriptus ſit clyſter ex *malvæ*, *mercurialis*, *ſalis communis*, *& furfuris decocto cum oleo violar. Caſſ. extract. & diaphœnic. vel diacatholic.*! Nunquàm clyſter aſcendit ad Ileon, quia ſi lib. j ß. iniicias, partim reſtat in tubo, & partim in injectionis actu foras propellitur, & coli inteſtini principium vix pertingere poteſt, & non obſeſſum caput, ad quod nulla rectitudo, nulla via inventa eſt; imò agitatum in his locis fœtidum, & ſtercoreum ſulphur non poteſt non inficere ſtomachi fermentum, appetentiam deijcere, & coctionem turbare, ut multoties experti ſumus. Medicorum nemo per clyſteres capitis dolorem curavit, quia caput non adeunt, ut occaſionalem cauſam auferre poſſint. Eſt clyſter ani remedium, & familiare confugium laſciviorum hominum, & præſertim mulierum, non autem ægrotantium.

Sed quia non ſolùm pertinax, verùm etiam vehemens utplurimùm adeſſe ſolet hic affectus, ut non ſolùm anodynis non cedat, ſed nec etiam cauſam auferentibus præſidiis, taliter quòd pertinax, & ferus vires acquirat eundo, corpus labefectando, & vires proſternendo, propterà deveniunt ad hypnotica, & narcotica præſidia, quæ vel propriâ naturâ humorum agitationem compeſcunt, vel ſomno excitato, vires roborantur, & coctiones adjuvantur; quæ ut extrema dijudicant remedia, extremis tantùm applicant doloribus, & præ timore ab anodynis incipiunt, ut ſunt *Lactuca*, *Nymphæa*, *Solanum*, *mandragora*, *papaverum capita &c.* & fronti applicant. Cæterùm capiti remedium adhibent, & id utplurimùm ſemper ad poſterius, & ad tela vibrata, non autem ad ſagittarium medelam applicant. Deindè ad fortiora progrediuntur, & intrinſecùs propinant. Inter quæ *Philonium Romanum* primum tenet locum ad ℥. j. exhibitum cum pauco vino, vel aliquo ſyrupo capitali, *Tryphera magna*, *Requies Nicolai*, *pilula de cynogloſſâ*, *& Theriaca novella.*

Si antiquatus, & contumax ſit dolor, & prædictis adhibitis præſidiis minimè cedat, tunc ad fortiora confugiunt remedia, & corpore optimè purgato ſudorifica decocta ex ligno guajaco, ſalsâ parillâ, chinâ, ſaſſafras deveniunt, quæ ſecundum eorum ſententiam vim habent exſiccantem, atque adeò ad exſiccandos multos ab eis fictos humores propinari aſſerunt. Verùm nos non adducimur, ut credamus unciam cujuſque exſiccantis vegetabilis, quinque, aut ſex aliis aquæ unciis immiſtam, quæ valent ut quinque humectare, ſiccare poſſe, cùm *Siccitas nil aliud ſit, ex Ariſtotele, quàm humidi defectus*, ac ipſo naturæ lumine conſtat exſiccationem perfici per humidi evaporationem à calore factam; non igitur videmus, quomodò in quinque, vel ſex aquæ unciarum exhibitione ſiccatio fieri poſſit, quin potiùs contrarium, ſcilicèt humectatio ſuccedat. Sed de his fuſiùs in noſtrâ *Pyrotechniâ Sophica lib. 3. cap. 4. a. art. 16. & De Lue Venereâ.*

Si omnibus præcalendatis remediis doloris atrocitas non ceſſerit, ad veſicatorium toti capiti admotum, deraſo capillitio, (tanquàm ad ſacram anchoram confugiunt; vel tandèm ne ægrotum deploratum, vel conclamatum veluti deſertores deſerant, ut aliquid moliri videantur, cauteria in brachiis, collo, & capite aperiunt, ac per fontanellas, quaſi per fontes morbos exhaurire imaginantur. Solvunt continuum, ſolutumque ſuſtentant, & quod Deus fecit integrum, melius ſolutum putant, & Creatorem in condendis emunctoriis inſufficientiæ incuſant, quaſi tot non condidiſſet, quot erant neceſſaria. Novum faciunt emunctorium, per quod ad medentum nutum naturam ſe noxio exonerare credunt, & illorum juſſibus obedituram ſeriò ſibi perſuadent. Sed de his fuſiùs infrà, & alibi.

Curatio Noſtra.

Antequàm ad doloris capitis curationem deveniamus, operæ pretium eſt victûs rationem præmittere, ſine qua medicus incaſsùm laborabit, & æger dolore conficietur: ac proptereà uterque pariter ad morbum abigendum conſentire tenetur, ille efficacium pharmacorum præſcriptione, hic optimâ victûs ratione, quæ præſcribenda eſt juxta cauſarum varietatem, nè fomitem dolori ſufficiat: & in ſex rebus non-naturalibus perquirenda eſt, ac proindè

Aër eligatur temperatus, tenuis, atque purus, qui vel arte, vel ſoli mutatione talis reddatur, non ſit valdè lucidus, ſed tenebricoſus nonnihil; lumen nàmque ſpiritus commovet, quia ſunt de lucis naturâ, & hi agitati humores agitant. Vitetur aër frigidiſſimus, quia intenſiſſimâ frigiditate ſuâ cerebrum lædit, & nocet aperto capite noctù ſub lunâ decumbere, vel ambulare. Vitentur quoque radii ſolares, hypocauſta, balnea, hominum turba, quæ exſpiratione, & tranſpiratione aërem calefaciunt, & omninò aër calidior fugiatur, & quæ aërem calfacere poſſunt, ac proptereà

> *Inter utrumque vola, medio tutiſſimus ibis.*

Aromatum odor, niſi ex aliquo medicamento exhalet, quod cerebri confortandi vim habeat, fugiatur.

Cibus

Cibus in omni capitis dolore ſit parcior, optimi ſucci, & facilioris coctionis, ut ſunt panatella, panis lotus, jura conſumpta gallinarum, caponum, vituli, ova ſorbilia, ac proindè præſtant cibi elixi, quàm aſſi, ſed omnibus præferimus cibos ſorbiles, quia maſticatio caput affectum magis lædit. Abſtineat æger à ſalſis, & acribus, quia ſunt nervis inimica. Itèm à fumo induratis, flatulentis, fructibus horariis, oleribus, ut raphano, ſinapi, allio, cæpis, quia caput replere, & acrimoniâ ſuâ cerebro moleſta, & noxia eſſe comperta ſunt. In omnibus, & ſuper omnia ex lacte conflata interdicitur, nàm lac caput dolentibus præbere, malum.

Potus ſit etiam parcior, & planè abſtinendum à vino præſertim generoſo, quia caput tentat, & calefacit, aſſuetis tamen ſit vinum tenue, & parùm bibendum, & unus hauſtus cephalicis miſtus concedatur. Aquam potantibus ſaſſafras, ligni viſci quercini, vel radicis pæoniæ decoctum pro potu ordinario, vel aqua ſimplex, cui aliquid julepi roſarum admiſcere licet, præbeatur.

Motus ſit moderatus; immoderatus nàmque tenuiores, & calidiores ſanguinis, & humorum particulæ in corporibus contentæ à motu agitatæ caput petunt, illud aggravant, & dolorem vel excitant, vel intendunt; vel ab interioribus ad exteriores avocantur partus, & viſcera ſuo viduant fermento, & ità magnus cruditatum proventus aggeritur, ut cerebro, & nervoſo generi liquor vitioſus ſuppeditetur, & partes illæ ſenſibiles vellicantur, & doloris ſenſus augetur.

Quies magis convenit, & præſertim à cibo; nàm ſpiritus in placidâ quiete morantur, & calidiores particulæ in naturali tono ſervantur.

Somnus ſit moderatus, qui ſi naturaliter non obrepat, arte conciliandus erit; nàm in doloris atrocitate non ſolùm dolorem, ſed etiam doloris cauſam abſcindit: immoderatus verò caput replet, & dolorem vel excitat, vel intendit.

Vigilia intra convenientiæ limites coërceatur, in protractâ nàmque vigiliâ cerebrum maximè laborat, & ſpiritibus animalibus exhauſtis, & humiditatibus abſumptis, particulæ ſalinæ in capite exaltantur, & dolor eò magis intenditur.

Alvus laxa ſervetur, nè ſalinæ particulæ caput ſcandant, & dolorem intendant, quòd ſi recto naturæ inſtituto non correſpondeat, & ignavior ſit, vel cibis alvum ſubducentibus in primâ menſâ exhibitis, vel clyſteribus ſolvatur. Menſium, lochiorum, hæmorrhoidum, & hæmorrhagiarum ſuppreſſiones vitentur, nè capitis dolorem non minùs producere, quàm intendere valeant; ac proindè in ſuum naturalem fluorem redigantur, nè calorem nativum, coctionum munia interturbando, & ſanguinis maſſam variis ſcoriis conſpurcando, innumeris morbis, & ſymptomatibus occaſionem præbeant, vel capitis dolorem accendant.

Animi pathemata, ut ira, terror, nimia Venus, & id genus alia vitentur, quia nimiam ſanguinis effervescentiam excitant, ſpiritus, & cerebrum turbant, agitant, & calfaciunt, ac capitis dolores facilè infligunt.

Indicatio deſumitur à cauſis, & à partibus; cauſæ vel ſunt auferendæ,

vel deprimendæ. Auferuntur diverſimodè, deſumpta à partibus indicatione, quibus inſunt occaſiones; deprimuntur liquore anodyno aliquo, quo diluuntur, & temperantur, vel alio ſale etiam acerrimo, à quo acrimonia illa abſumatur; mitigant ſalia dulcia, & ſalia acria, illa ſeparando, hæc verò mutando ſuâ unione acutiem; faciunt hoc etiam coagulantia, qualia ſunt narcotica, non ſolùm quia ſtupefaciunt vitam, & ſpiritus, quos coagulant, & quia claudunt nervorum valvulas, & excurſum prohibent ſpiritibus ſalinis dolorem occaſionaliter, inferentibus, ſed etiam quia ſpiritus ſalinos ipſos obtundunt, & coagulant.

Cùm capitis dolor ſit ventriculi vitio, vel partium vicinarum, tollitur facillimè vel remediis jam dictis, vel vomitoriis, à quibus cauſæ dolorificæ unà cum mucilaginibus, in quibus hoſpitantur, evacuantur. Vomitus cietur *Sale vitrioli albo*, *aquâ Æſculapii*, *ſyrupo ex aquâ benedictâ*, *croco metallorum*, *Mercurio vitæ*, *hippocras n. d. floribus antimonii*, quorum præparationes, & doſim in noſtrâ *Pyrotechniâ* poſuimus. Hic ſubintelligendum eſt, ut non omnia iſta vomitoria ſimul ad pellendum iſtum affectum adhibeantur, ſed eligendum eſſe unum ex his prout aptius videbitur. Cavendum tamen eſt, quantùm fieri poterit à vehementioribus, & meliùs à pluribus vomitioribus moderatis, quàm à paucis immoderatis, & vim maximam naturæ inferentibus res peragitur, cùm verò non proſunt moderata, ut *ſal vitrioli album*, *& aqua Æſculapii*, confugiendum eſt ad efficaciora, cautè tamen ſemper agendum cum ejuſmodi medicamentis,

Et reverà in obſtinatâ, & diuturnâ cephalalgiâ utiliter emetica exhibentur & contumaciſſimi humores diuturnos foventes morbos eradicantur; Cœterùm nè incautè in hujuſmodi emeticorum exhibitione procedatur, ut pluries tyronibus, & bardis Galenicis evenit, qui plurimos emeticis jugulant ægrotos, multæ notandæ ſunt regulæ. Prima, humores tenues, & calidi faciliùs per vomitum educuntur, craſſi verò, & melancholici difficulter. Secunda, æſtate commodiùs per ſuperiora purgamus, quam hyeme. Tertia, qui gracili ſunt habitu per vomitum faciliùs expurgantur, craſſi & carnoſi minimè; hi enim laborioſè, & cum violentiâ propter omenti, & muſculorum abdominis pondus, ac vaſis alicujus in thorace rupturæ periculo vomere poſſunt. Quarta, quorum natura ad vomitum prona, atque facilis eſt, illis tutò vomitus excitari poteſt, qui verò difficulter, à vomitu arcendi ſunt. Difficulter vomentes non niſi vehementiſſimis medicamentis ad vomitum excitari poſſunt, undè metus eſt, nè ex ſanguinis agitatione alicujus venæ in pectore ruptio, & animæ cum ſanguine vomitus contingat. Quinta, qui vomitionibus ſunt aſſueti, facilius per vomitum expurgantur, qui vero non aſſueti, difficiliùs. Tandèm pro Coronide addimus medicamentum emeticum longam paſſis inediam, nec ventriculum jejunis non exhibendum fore, ſed ſi manè vomitorium propinandum ſit, ad mediam noctem vario eduliorum genere ubertim infarciendi ſunt, vel poſt lautum prandium poſt tres vel quatuor horas exhibeamus oportet, ut faciliùs, & ſine periculo vomant.

Interdùm res eſt peragenda diapho-

retticis

reticis cum ſcilicèt cauſæ dolorificæ partem convexam ventriculi afficiunt, & tunc vomitoria antimonialia, non quia vomere faciunt, ſed quia per diaphoreſim etiam purgant, juvare ſolent. Dum æger vomit imponatur faſcia, ſi dolor per intervalla recurrit, horâ quietiori vomendum eſt; aliquandò tamen præſtat vomitorium exhibere in ipſo inſultū, in quo habemus naturam epitulantem, movet enim tunc ipſa, ſi non movetur ipſamet cauſa doloris, quapropter facillimè expellitur quodcumque ſit. Cautè tamen procedendum eſt, nam dolor in ipſomet vomitu augetur fortaſsè, & æger poſteà à vomitoriis abhorret. Præſtat igitur mediâ viâ incedere, exhibendo vomitorium quinque vel ſex horis ante inſultum.

Quòd ſi æger ineptus ſit ad vomendum inſtituatur purgatio dejectoria ex *Reſinâ ſcammonii, extracto agarici, colocynthidis, & aloës* in catapotiis redactis, & convenienti doſi exhibitis, à quibus aſſumptis bibat æger juris tartarizati parum, deindè immediatè moderatum ſumat alimentum, ſi placuerit, ſed melius eſſet rem peragere, ſi fieri poſſet, benignioribus catharticis, quibus neceſſariò utendum eſt in quamplutibus caſibus, ut dicemus in hypocondriaco affectu, deindè medicamentis ſtomachicis utimur.

Si ab utero capitis dolor provenerit medicamentis uterum reſpicientibus curatio inſtituenda eſt, proſunt etiam in hoc caſu vomitoria, vel dejectoria, quandò ſcilicèt uterus non immediatè capitis dolorem excitat, ſed mediatè lædendo, ſcilicèt coctionem, & cruditates in ventriculo coagmentando: at in aliis caſibus, ut dicemus, mitigandus eſt interim dolor anodynis, quod ſi fuerit vehementiſſimus ad narcotica deveniendum eſt, ut ad Laudanum opiatum &c.

Adhiberi poſſunt etiam opiata fronti, præſertim in doloribus in ardenti, & acutâ febre, ſalinis ſpiritibus accurrentibus, ut

℞. *Laudani opiati* ℈. j. *aquæ ſolani, roſarum ana* ℥. iv. *aceti roſacei, Lactis ana* ℥. ij. *m.*

& petiis lineis madefactis utere. Loco Laudani uti poſſumus *pilulis de cynogloſſâ*, vel aliis ex vulgaribus narcoticis, extrà verò ipſummet crudum opium in uſū trahi poterit cū prædictis aquis.

Notandum eſt, quod maximè errant medici, qui putant opium extrâ adhibitum obſtupefacere, nàm eſtò mitiget, & dolorem tollat, id efficit non obſtupefactivâ vi, ſed alia qua pollet anodynâ actione ſulphuris.

Paracelſus de Peſte ad Civitatem Sterzingenſem in capitis dolore cum vigiliis ſequens commendat remedium capiti imponendum, ut

℞. *Cort. exterioris juſquiami, Solani, Sedi ana m.* ß.

Bulliant in menſurâ vini dimidiâ, dimidiâ aceti roſacei ad conſumptionem quartæ partis. In hoc decocto intinge pannos lineos, & calidos capiti applica: reſiccatos denuò imbue, & impone. Hoc iterabis donec quies & ſomnus obruat. Cæterum narcotica nullo modo ſuturis applicanda ſunt, ſed tantum fronti, alias metus eſt, ne lethargicus ſubſequatur effectus, capitis dolore pejor.

Inter medicamenta in quacumq; cephalalgiâ ſpecifica primum tenet locum *Verbena*, quæ vulgò ſacra vocatur, uſurpaturque internè ejus aqua, vel eſſentia, vel tinctura; externè verò ipſius

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

aqua, vel ſuccus vel ipſamet contuſa cum linteis duplicatis fronti, et temporibus admota maximoperè commendatur. Secundum tenet locum *Betonica*, quæ inſigniter capitis doloribus auxiliatur, ſi in vino decoquatur, & capiti applicetur. *Succinum* egregium eſt in cephalalgiis ſpecificum, & præſertim ejus ſal volatile, ſive fiat dolor per eſſentiam, ſive per conſenſum ventriculi vel uteri, admiſcetur aliis ſpecificis cephalicis, ut *Laudano opiato, extracto betonicæ, camphoræ &c. Ex camphorâ fit ſpiritus vini camphoratus, vel oleum camphoræ, vel butyrum camphoræ* alibi à nobis deſcriptum, & externè applicitum admodùm commendatur. *Radix Rhodia contrita, & aquâ verbenæ, & florum ſambuci* irrorata experimentum eſt in contumaciſſimis capitis doloribus. Nonnulli pro *radice Rhodiâ pulverem Zedoariæ* ſuſtituunt, quem aquis appropriatis irroratum capiti applicant. *Aqua cancrorum fluviatilium, ranarum, vel ipſimet cancri cum aceto roſaceo irrigati, & contuſi*, ac emplaſtri loco impoſiti. *Ex nucleis perſicorum & ſeminibus papaverum cum aquâ betonicæ, vel verbenæ fiunt emulſiones*, quæ nunc intrinſecus propinantur, ſed ferè ſemper extrinſecùs ſub epithematis formâ tepidè cum duplicatis petijs fronti, & temporibus applicantur feliciſſimo eventu. *Spiritus vini* cum petijs fronti applicatus dolorem lenit, ſed *Aqua Reginæ Hungariæ* majori energiâ id præſtat non tantùm fronti applicita, verùm etiam odoretenus. Commendatur *unguentum de Alabaſtro, vel populeum malaxatum cum oleo de papavere, vel hyoſcyamo ex ſeminibus per expreſſionem* illitum. In frigidis exteriùs applicandis cautè procedendum eſt, nè vapores per cutem exhalantes impediantur, & dolor augeatur.

Si per eſſentiam, ut dicunt, capitis dolor ſit, inſtituendæ ſunt purgationes ad cauſam, & ægrotantis naturam appropriatæ, & maximè valet hellebori extractum non ſolùm in doloribus, ſed in omnibus affectibus validis. Inſtituenda ſunt apophlegmatiſma, ſeu naſipurgia, ut

℞ *Pyrethri,*
gummi ammoniaci ana p. aq.
cum ſucco iridis f. linimentum pro naribus. Confert ad hoc *ſal vitrioli* naribus inditum, ut

℞ *Salis vitrioli* ℨ.j.
pulu. betonicæ,
roris marini ana ℈. IV. *m.*

Si capitis dolor fuerit vehementiſſimus, ad narcoticum recurrendum eſt, ſi mitior ad anodynum; narcoticum enim ſenſationis organum reddit ineptum ad ſuum munus exequendum; anodynum lenſter dilatat, quæ dilatatio efficit, ut dolorem excitantes particulæ exeant à loco affecto, vel laxiùs ſtent in ipſo: Anodynum igitur, & etiam narcoticum non ſolùm reſpicit organum, ſed etiam cauſam. Sequens magno habetur in uſu, ut

℞. *Tinctura opij cum aquâ impregnatâ ſpiritu vini, vel oleo ſulphuris extracta, & tinctura croci cum ſpiritu acido reddito ab oleo ſulphuris elicita ana p.aq. lento igne, cavendo, coagulantur, addendo in fine coagulationis tinct. corall. ad libitum, vel ſalis, vel magiſt. eorundem, & agitentur bacillo, auferatur Nepenthes non admodùm fixum ab igne, & ponatur in vaſe argenteo, vel vitreato, & quotidiè paululùm agitetur bacillo, &*

irroretur,

irroretur oleo ſulphuris ſpatio ſex menſium. Doſis à gr. ij. vel iij. ad ſummum.

Advertendum tamen eſt, ut in noſtrâ *Pyretechniâ* diximus, in uſu Nepenthis, aliorumque narcoticorum quòd multa ſunt, quæ illa non admittunt, vires nempè infirmæ, corpus impurum, humorum craſſities, & naturæ motus. Vires imbicilles ſemper prohibent, motus naturæ non ſemper, nàm cùm immodicus hic eſt, ità ut non poſſit coërceri niſi opiatis, tunc opiata ſunt cautè, & in parvâ doſi offerenda. Nec ſolus naturæ motus præſens opiata prohibet, ſed etiam imminens, quapropter cùm capitis dolor ſignum ſit imminentis criſis, tunc non debet opiatis tolli. Quòd ſi urgentiſſimus ſit, ità ut ſyncopes inducat, nec alia remedia vel extrà, vel intrà adhibita ſuccurrant, tunc ad opiata neceſſariò recurrendum eſt ſed in paucâ doſi ſunt uſurpanda in hoc caſu, & admiſta aliis medicamentis, quæ quodammodò reſpicient ad naturæ motum, & hoc non ſolùm, quia ad quod magis urget, eſt reſpiciendum, ſed etiam quia non ſemper imminentis criſis certi ſumus.

Corporis impuritas, & humorum craſſities cùm dolor maximè urget, opiatorum uſum fortaſsè admittit; nam opium non tantùm coagulando operatur, ſubtiles partes incraſſando, ac denſando furentes, ſed efferatos figit ichores, refrigeratque, mordaces temperat ſuccos, ac mitigat, partes etiam munit præſertim præcipuas, illarum poros claudendo, & minùs obvios reddendo cauſis dolorificis, ſpiritus figit, nervos illis minùs obvios reddit, & ſenſum minuit, ità ut impetum, & inſultum vaporum malignorum, qui illis inſidiantur, ſpernant.

Adde, quòd opiata, cùm ſulphurea ſint, pollent vi quadam diaphoreticâ, & ſudorificâ, quâ humiditates morbificas expellere valent; undè ad doloris cauſam etiam reſpiciunt. Meritò igitur cardiacis, & præſertim theriacæ admiſcentur narcotica, ut diaphoreticorum ſimplicium vim acuant, & non ut vulgò putatur tantùm, nè evaneſcere faciant illorum vires, quæ volatiles ſunt, & facilè exhalabiles.

Ex his collige, quòd opiata prudenter adminiſtrata non ſolùm dolorem, & doloris cauſam abſcindunt, verùm etiam recreant, & tuentur omnes corporis partes præcipuas; præſertim cor, & uterum, & interdum ſulphureos fixando ſpiritus, & occaſionalem mitigando materiam, febrium ardores ſolantur, undè epilepſiæ, melancholiæ, maniæ, vulvæ ſtrangulationi, delirio, hæmorrhagiæ, fluoribus ventris dyſentericis, hepaticis, lientericis, & ſimilibus, colicæ, dolori nephritico, & innumeris aliis præter naturam affectibus occurrunt. Quaderè non mirum eſt, ſi apud Græcos, & Arabes innumeræ opiatorum deſcriptiones inveniantur ſpecioſis decoratæ titulis, & prædictas ferè adverſari ipſas omnibus præter naturam affectibus, & medicinæ Monarcha *Paracelſus*, qui meritò appellatur, opiatis pilulis, neſcimus, an ex mineralibus, an verò ex vegetabilibus confectis, quæ ſecùm ſemper ferre ſolebat, mira efficere valuit, ut ejus etiam teſtantur hoſtes. Sed quantùm opiata ritè adhibita proſunt, tantùm obſunt malè adminiſtrata, ut paſſim obſervare eſt in vulgaribus medicis, qui opiatis non paucos jugulant ægros. Non ſolùm medicus reſpicere

debet

debet in opiatis exhibendis aff. ctus, vires &c. Sed quàm maximè advertere ad illorum præparationem, neque ipſis uti, niſi à ſe ipſo, vel à perito artifice præparatis, neque fidem ſeplaſiarijs adhibere, maximè in Nepenthis confectione. Undè melius eſt, ſi Nepenthe legitimè præparato caret, ut confugiat ad *Philonium*, *Requiem Nicolai*, *pilulas de Cynogloſſâ*, & cæteras in officinis uſitatas compoſitiones. Sint narcotica ritè correcta, & vetuſtatem ſapiant; nihil enim tàm benè illa corrigit, quàm vetuſtas. *Nepentes* hyoſchyamo careat, & non veniat in uſum, niſi tranſacto longo tempore à compoſitione: longo enim tempore opium cum adſtringentibus probè miſcetur, fermentatur, pravitatem amittit, compeſcuntur, & obtunduntur nimiùm ſubtiles illius ſpiritus ligantur, cogun tur, & exhalant, à quibus omnis noxa dependet; hi enim intimiora viſcerum penetralia mirum in modum, & plus juſto invadunt. Spiritus, & ſenſus tenebricosâ caligine obnebulant, obtenebrantque, corrigentia poſuimus in Nepenthis deſcriptionibus. Hìc tantùm ſciatis nihil opium poſſe corrigere, quàm crocus; crocus enim facultate, qua ebrietati reſiſtit,& crapulæ, opium etiam corrigit, & ſimilitudine illius ſpiritibus unitur. Quæ addunt pretioſa, ut benzoar lapis, aurum, ambra &c. ab aliquibus, partim inutilia, partim ſuperflua ſunt, & partim fortaſsè noxia. Veteres & etiam recentiores aliqui timentes opij frigiditatem, ignea corrigentia adhibent, & ſic opium, quod calidiſſimum ipſorummet regulis eſt, calidiſſimis corrigunt. Nos ſi ſimpliciſſimum laudanum parare velimus, illud efficere poterimus ex ſolâ opij, & croci tincturâ, corallino pulvere, vel magiſterio addito, & guttulis aliquot olei ſulphuris ad fermentationem juvandam, & opij ſpiritus nimiùm ſubtiles figendos.

Non leve litigium circa opij craſim intercedit, alij ſenſuum externorum, guſtus, & palati arbitrio ducti, calidum ob amaritudinem dixêre. Nonnulli ob ſtuporem, & anhelandi difficultatem, ac nonnunquàm ob ſuffocationes, quas ſpiritus denſando invehit opium, frigidum in ſummo dejudicavêre, & quaſi cum cicuta ſymmetriam habere crediderunt ob ſtuporem, & animalis facultatis omnimodam interceptionem. Alij verò hinc indè aſpicientes rationes utrique ſuffragantes ſententiæ, inter utramque mediam ſtatuêre, neque calidum, neque frigidum pronunciavêrunt, ſed tanquàm ad ignorantiæ aſylum, ad qualitates occultas & ad formas à tota ſubſtantia confugêre, frigidum dixêre, quia calidis corrigitur, ut croco, ſed in hoc errant, non quia crocus calidus eſt, opiatorum ingreditur confectionem, ſed à facultate, qua ebrietati reſiſtit, & crapulæ, (ut diximus) corrigit opium. Calidum eſſe nemo ſanæ mentis eſt, qui ambigat, nàm opium quoddam ſulphur inflammabile, indigeſtum, ac obſtupefactivum, quod narcoticum vocant ſpagyrici, habet, undè verum opium facilè concipit ignem. Sed de his plura in affectibus ſoporoſis.

Si dolor capitis à Lue Venereâ ortum ducat, curatur remediis, quæ deſcripſimus *De Lue Venereâ cap. De Doloribus Venereis, De Gumatibus, & De Oſſium Eroſione*.

CAPUT

CAP. II.

De Apoplexiâ.

APoplexia (quæ etiam morbus appellatur attonitus, vel percuſſio, vel ſideratio, quia veluti peſtiferi ſideris afflatu vita percutitur, undè inareſcit totum corpus, vel aliqua ipſius pars, non ſecus ac plantæ propter caniculæ æſtum, humore abſumpto, moriuntur, & propriè ſiderati dicuntur, vel univerſalis paralyſis, quòd omnium partium ſenſum, & motum auferat) eſt ſubitanea cunctorum ſenſuum, & motûs privatio in toto corpore, & velut ſoporoſa facultatum animalium interceptio, repentè hominem ad eam diſpoſitum corripiens, omneſque actiones intercludens, atque ex inſtanti ſuſpendens, ità ut ſolâ aliquali reſpiratione difficili, vel potiùs ſtertore à mortuo differat.

Duplex eſt apoplexia, una fortis, quam deſcripſimus, & eſt vera apoplexia; altera verò debilis, & hemiplexia vocatur. Fortis eſt morbus acutiſſimus celerrimè de medio tollens; debilis aliqualem ſenſum, & motum relinquit, & ſtuporoſum, ut in paralyſim terminetur.

Signa.

Hujus funeſti affectus ſigna nonnulla futuram portendunt apoplexiam, nonnulla verò præſentem indicant; quæ præcedunt ſigna, ſunt ſenſuum hebetudo, ſcilicet memoriæ debilitas, ſomnus profundus, in ſomno ſtertor, aurium tinnitus, capitis gravitas, obtuſus dolor, vertigo, motûs, & ſenſûs pigritia. Quandoque quandò validiſſima eſt, ſubitò, nullis præmiſſis ſignis invadit, & repentè deficiunt corruendo, vel pedetentim inclinando, motu, & ſenſu orbantur cum ſtertoroſâ, & difficili reſpiratione, ac ſudoris eruptione, oculos ſuſpenſi, vel clauſi; qui fuerint hemiplexiâ, ad ſe redeunt, & videndi, audiendi, intelligendi, & loquendi munus adipiſcuntur: verùm quandoque perfectè convaleſcunt, quandoque affectus hic recidivare ſolet, & vitam exſtinguere, ac quandòque alterutrum latus, vel aliquod corporis membrum, linguam nempè, labium, brachium &c. reſolvit.

Vulgares ex colli brevitate apoplexiam præaugurari ſolent, ſed colli brevitas quid commune habet cum pituitâ, vel cum quarti ſinûs cerebri obſtructione? Numquid unum ex altero neceſſariò inferri poteſt? Unum tantùm colli brevitas præſagiri poteſt, quòd ſi vertigo, capitis gravitas, ſenſuum hebetudo &c. obveniant, quæ apoplexiam minari ſolent, non organi idonei occaſione, ſed quia præludium habent ab apoplexiâ, ſolo gradu, atque intenſione diſtat.

Dicunt phyſiognomici, & chiromantici hominem in fronte, & manu ſignum gerere, quo cognoſcitur ipſum apoplexiâ moriturum, quod ſi verum eſt, negare non poſſumus apoplexiæ primordia ideata latere in ſemine, quo mediante parentes liberis hæreditariam communicant, ut facilè videre eſt in quibuſdam familiis.

Signa verò, quæ præſentem, & fortem demonſtrant, ſunt: Homo anteà ſanus apoplexiâ correptus, interdùm illicò, quandòque ſenſim, nullis tamen ple-

plerùmque ante paroxyſmum præcedentibus ſignis præmonitus, tanquàm mortuus in terram corruit cum omnimodâ ſenſûs, & motûs, & vocis ablatione, ſuſpenſis, vel clauſis oculis jacens, cum pulſu forti, & pleno, difficili remanente reſpiratione, quæ reverà reſpiratio non eſt, ſed ſtertor. Non abſimiles ſunt profundè dormientibus, & reverà non dormiunt, ſed torpidi, & ſtupidi jacent, ut trunci. Membra laxa elevata ſuo concidunt pondere, ſtrangulatorum inſtar. Non audit, non videt, ſi tangitur, vel pungitur, non ſentit. Interdùm ani, vel veſicæ ſphinter reſolvitur.

Differt his ſignis ab aliis affectibus cognatis apoplexia.

A caro, quia hic non illicò, ſed ſenſim invadit, æger integrè reſpirat, profundè dormit, ſenſus, & motus non eſt ablatus; nàm vellicatus ſentit, punctus movetur, & membrum contrahit, concuſſus excitari poteſt, & licèt vix oculos aperiat, interrogatus non reſpondet: in apoplexiâ ſecùs.

A comate, quòd in eo æger adhuc faciliùs, quàm in caro excitari poteſt, & concuſſus oculos aperit, reſpondet, iterùmque mox in profundum relabitur ſomnum

A lethargo, quia lethargici excitari poſſunt, & in ſomnum recidunt, adeſt febris cum delirio conjuncta: apoplectici non excitantur, excitati in paralyſim ſine febre incurrunt.

A ſyncope, quòd in eâ faciei color à naturali in pallidum, & cadavericum mutatur. Dentes, os, & manus ità arctè clauduntur, ut vix aperiri poſſint: In apoplexiâ laxa manent. Senſus non aufertur, pulſus nullus, & nulla manifeſta reſpiratio adeſt: ſecùs in apoplexiâ. Sudor frigidus, & viſcoſus, qui in apoplexiâ non obſervatur.

Ab uteri ſuffocatione, quia in hac faciei color mutatur, & lividus fit: in apoplexiâ non. In hac ſentiendi vis ſæpè manet, nec reſpiratio læditur, & ſi reſpiratio lædatur, pulſus etiam læditur: in apoplexiâ ſecùs.

Ab epilepſiâ, quòd in hac convellitur corpus, & inordinato concutitur motu, qui in apoplexiâ nullus adeſt.

A catarrho ſuffocativo, qui ſenſu, & motu integro, hominem ſtrangulat.

Veterum Cauſa.

Quomodò apoplexia generetur, & quæ ſit ejus cauſa, ſatis intricatum negotium eſt, quot in medicinâ ſectæ (nè dicamus quot medentes) tot ſunt opinamenta; verùm *Galenus*, quem ſectantur vulgares, cæteros venerans humores, pituitam accuſat, creditque apoplexiam generari, tunc cùm frigidus, & craſſus humor confertim principes cerebri ventriculis opplet, & obſtruit, undè ſpirituum animalium influxus neceſſarius denegatur, quibus cùm deſtituuntur membra, omnes actiones, totaque ſenſuum œconomia momentaneè ceſſat. Iſta tamen opinio in judicium vocatur, & tanquàm ridiculum commentum à recentioribus impoſturæ crimine accuſatur his rationibus, &

Prima, Craſſa hæc materia difficulter movetur ex medicorum omnium ſententiâ, quia inepta ad motum, & vias requirit patentes, ut in ventriculis irruat: eâdem igitur ratione, quâ *Galenus* aſſerit morbum, qui citò fit, & citò tollitur, non fieri ab intemperie, ſed meliori modo concluditur apoplexiam

plexiam non fieri ab humore viſcido; Neque hæc ratio poteſt concludere, ut illa, ad quam dici poſſet gradum intemperiei certum requiri ad aliquem morbum efficiendum, qui gradus ferè momento habetur.

Secunda, qui hydrocephalo laborant, apoplexiâ non corripiuntur, quòd omninò fieri deberet, ſi ex obſtructione ventriculorum cerebri fieret: Narrat nàmque *Veſalius de fabr. hum. corp. lib. 1. cap. 5.* hiſtoriam de quadam puellâ bienni, cui in menſibus plus minus ſeptem caput ità increvit, & intumuit, ut viri caput magnitudine excederet, in cujus cerebri cavitate, & dextro, ſiniſtroque ventriculo novem ferè libræ aquæ continebantur, quæ nihilominùs ad mortem uſque ſenſibus integrè uſa eſt. Præterea multi, qui caput pituitoſis excrementis repletum habent, nunquàm, vel rarò hoc tentantur affectu, quibus adijciendi ſunt infantes pituitoſi, & quamvis hi, ut dicunt, expultricem habent robuſtam, vias tamen habent laxas nimis, ob quas pituitoſus, qui dicitur humor, facilè decurrere poſſet in ventriculos. Neque verum eſt pueros validam habere expultricem, nàm ad expultricem validam efficiendam debet eſſe partium robur, & compactio aliquantulùm denſa, & ſicca, quæ in pueris non eſt.

Neque qui hydrocephalo laborant, ac pueri tentantur illis affectibus, qui apoplexiam præcedere ſolent, quemadmodùm corripiuntur vinoſi, & crapuloſi ex fumis, & vaporibus vini, qui vapores non craſſi, ſed tenues, calidi, non frigidi, ejuſmodi affectus in cerebro excitant, & aliquandò tàm profundum excitant veternum, ut diebus integris profundiſſimè aliqui dormiant, neque excitantur, niſi ſolutis prorsùs vaporibus.

Sed ad quid tot rationes, ſi in apoplecticorum diſſectione perpetuò cerebri ventriculos ſalvos, & inanes obſervamus? Nec majorem excrementorum copiam in apoplexiâ mortuis, quàm communiter in aliis ſedula anatomicorum induſtria obſervavit.

Aliqui in apoplecticorum diſſectione cerebri ventriculos frigido humore oppletos non inſpicientes, rejectâ eorum obſtructione à *Galeno* ſomniatâ, non à ventriculorum obſtructione apoplexiam pendere, ſed à nervorum principii in baſi calvariæ compreſſione ſtatuerunt, attamen quia à rancidâ, & carioſâ *Galeni* doctrina recedere vel nequeunt, vel neſciunt, confugientes ad frigidos, & humidos humores à cerebro defluentes in calvariæ baſim, nervorum principium, ad veritatis ſcopum non collimant, eorumque ſententia rationibus ſuprà contra *Galenum* jacet exploſa.

Quamplures, qui in *Galeni* verba juràrunt, pituitæ pro apoplexiæ cauſâ inſufficientiam meditantes, abjuratâ ejus fide, chymiam per cancellos rimantes, ad narcoticum ſpiritum, ſeu vaporem confugiunt, quia hac vi narcoticâ ſpiritus animales mobiles, & tenuiſſimi ad actiones inepti, & torpidi redduntur, & quaſi conſopiuntur, undè apoplexiam à ſpiritu, ſeu vapore credunt. Probant id ex opio, & opiatis medicamentis, & à Venenis, ac humoribus narcoticam vim habentibus: Inquiunt enim carus, & cognatæ ſoporoſæ affectiones ex humoribus in noſtro corpore genitis quandòque producuntur, & ità conjecturaliter apoplexiam etiam hoc modo generari

poſſe imaginantur: Sed quid commune habet apoplexia cum affectibus ſoporoſis?

Perperàm inter ſoporoſos affectus apoplexiam connumerant, nàm in caro ſenſus, & motus non aufertur, vellicatus ſentit, punctus movetur, concuſſus excitatur. In comate faciliùs excitatur, reſpondet, & iterùm obdormit. In lethargo excitatur, recidit in ſomnum, & adeſt febris: at ſecùs in apoplexiâ, ut in differentiis diximus. Differt itàque apoplexia ab affectibus ſoporoſis, non ſecùs ac mortuus à dormiente.

Toto errant cælo, in æquivoco volutantur iſti Chymicaſtri, & pro Cete cancros piſcantur. Non negamus tamen ob ſpiritus, ſeu vapores narcoticos, quòd multi mortem ſubeunt, ſed non apoplectici: narcoticum enim, & obſtupefactivum unum, & idem ſonat; obſtupefactivum eſt illud, quod ſpiritus incraſſando, & immobiles reddendo procedit, ità ſunt mandragora, ſolanum, hyoſcyamus, opium, ſtramonia &c. hoc tenebricosâ caligine obtenebrat ſpiritus animales, & vitales figit, ac ineptos ad motum reddit. Hinc anhelandi difficultates, & ſuffocationes invehunt, & ob omnimodam facultatum interceptionem ſpiritus in totius corporis partibus exiſtentes figit, undè mors neceſſariò ſuccedit. Hoc fit ob quoddam Gas ſulphureum, narcoticum, vaporoſum, & fœtidum, quod in omnes facultates inſpirat, & in hoc omnis vis narcotica, ſeu obſtupefactiva conſiſtit.

Iſte ſpiritus, ſeu vapor narcoticus in noſtro corpore generari poteſt, ut cap. de affectibus ſoporoſis dicemus, ſed quandò ad ultimum exaltationis gradum pervenit, veneni naturam induit, ut cap. de Ictericiâ, ubi fuſiùs de venenis agemus, & ſic multi non ex apoplexiâ, & affectibus ſoporoſis occumbunt, ſed ex veneno obſtupefactivo: ſed id in apoplexiâ non accidit, nàm remanet reſpiratio, & vitales functiones, ut ex pulſu conijcere licet, at quandò nulla adeſt reſpiratio, de ægri vitâ actum eſt. Ad id, quod de *Ioanne Scoto* dicere poſſunt, reſpondemus, non apoplexiâ, ſed Ecſtaſi eum correptum fuiſſe. Quòd ſi dicant è carbonibus accenſis fumum, vapores muſto, cerveſiâ, & calce vivâ exhalantes multos reddidiſſe attonitos. Minùs rectè dicent; nàm fumus è carbonibus exhalans, vapores muſto, cerviſiâ, & calce vivâ erumpentes nullum narcoticum continent ſpiritum, quòd per mechanicam demonſtrare poſſumus, ſed ſuffocans virus nimiâ fracedine, & Gas virulento abundans, quod per inſpirationem attractum vitæ noſtræ ſpiritum exſufflat, in quo morientes laterum dolores, pectoris gravitates, anhelitus difficultates, pulſus languidos, animi deliquium, copioſos in inteſtinis flatus experiuntur, deindè advenit vertigo, delirium, corporis intumeſcentia, qualis hydropicorum eſſe ſolet, convulſio, tremor, & in toto corpore ſudor. Eodem modo Crypta Agnani, fodinæ, ſepulchra, & ciſternæ viventia ſternunt. Ad id; quod de Cleopatrâ interitu refert *Plutarchus* ex aſpidis morſu lethalem inductum fuiſſe ſoporem, reſpondemus hujuſmodi animalis virus non conſiſtere in narcotico ſpiritu, ſed in acido coagulante, ut fuſiùs infrà, nec mirum, ſi lethalis Inductus

fuiſ

fuit ſomnus; quia ex ſanguinis coagulatione vitæ ſpiritus ad motum redditur ineptus, & tandem cum ipſo ſanguine ſigitur.

Felix Platerus ab omnimodâ ſpirituum animalium conſumptione apoplexiam fieri æſtimavit, talem ſpirituum conſumptionem à cerebri debilitate provenire malè credidit, & hinc eſt, quòd utplurimùm ſenes apoplexiâ corripiuntur; decipitur infelix, nàm ſi res ità ſe in ſenibus haberet, non illico accideret, ſed ſenſim, & ſpiritus attenuaretur, dies breviarentur & ſolùm ſupereſſet ſepulchrum, ac propterea ſatis conſpicuæ motûs, & ſenſûs in ſenibus immutationes in omnibus corporis partibus evenirent, ſpirituum conſumptione ſigna corripiendos præmonerent, & lethalis eveniret apoplexia ob omnimodam ſpirituum conſumptionem: ſed oppoſitum experimur, cùm ſenes integros habentes ſenſus extemplò apoplexia corripiat, multoſque ſenes apoplecticos vidimus reſtitutos, non per ſpirituum regenerationem, ſed cauſæ occaſionalis ablationem.

Alii ſpiritus animales in cerebri ventriculis generari, & contineri, atque indè in ſenſuum organa influere negant, & proindè ad apoplexiæ geneſim alio modo, & viâ procedunt: dicunt enim animalem ſpiritum non eſſe, ipſumque fictitium arbitrantur, nec alium in vivente præter vitalem agnoſcunt. Hic vitalis ſpiritus (cujus ſedes eſt cor) in caput ſcandit per aortas arterias, quæ deſinunt in cavitatem inter cerebellum, & medullam ablongatam, vel ut alii volunt, in rete mirabile, vel in plexum choroidem. Hac viâ vitalis defluit ſpiritus, & in cerebri ſinum expirat pro principum facultatum miniſterio, ſcilicet judicii, & memoriæ. Hîc non formalem accipit tranſmutationem, ſed variam determinationem, nec diverſus à vitali videtur, cum eadem ſit materia, & idem efficiens. Innatus ſpiritus ex vitali influo ſibi ſimile generare intendit, & in ſingulis officinis illi dat ſui organi ſigillum. Vndè opticus ſpiritus non guſtat, ſed tamen ambo ſpecie non differunt, licèt in muniis differre videantur, nàm aliter tot eſſent ſpirituum diviſiones, quot munia, quod nemo fatetur. Hinc unus, & idem numero vitalis ſpiritus fit motivus in ſpinali medullâ, in oculo videt, in linguâ guſtat &c. Vndè appoſitè vulgares inquiunt philoſophi: Si oculus eſſet in pede, in pede utique eſſet viſio; nàm ſemel in cordis vitalitate à mente animatus, fit ejus univerſale organum.

His ritè perpenſis, & examinatis ſecundum rei veritatem, id ad apoplexiæ geneſim quod ſpectat, dicunt fieri: ſpiritus vitalis dùm à ſiniſtro cordis ſpecu per arterias aortas, & deindè per carodites in caput, tanquam in arcem ſcandit, ut illius organi exerceat functiones, nimirum ſenſum, & motum toti impertiat corpori; ſi tranſitus ei intercludatur in inferioribus partibus, nè in ſuperiores aſcendat, extemplò habetur apoplexia. Præcluditur aditus ab exhalationibus acidis, vel auſterâ energiâ ſcatentibus, undè præcluſâ viâ, ſtatim omnes humani corporis functiones intercipiuntur, & apoplexia exoritur, æger procumbit humi, & moritur niſi ſtatim via expediatur, & libera fiat ab illis, quæ tranſitum præcludunt. Patet id in ſtrangulatis, in quibus chorda, qua ſtrangulantur, viæ illæ,

quibus ſpiritus vitalis cerebrum aſcendit, præcluduntur, niſi illicò ruptis ligaminibus, quibus vix illæ intercludebantur, & apertis viis, vitalis tranſit ſpiritus, & revocantur ad vitam. Non hoc tamen à ſpinali medullâ provenit, ea cincta in medio vertebrarum ſtringi per funem nequit, ut tranſitum ſpiritui motori anhelitus deneget. Pereunt tamen eodem inſtanti memoria intellectus, ſenſus, & motus propter arteriarum gutturalium occluſionem, etiam ante omnimodam aëris præcluſionem. Vnde ſat liquet lumen aliquod intellectuale manare continuò ab inferis ad caput, cujus interceptione ſtatim in ſuſpendio, & ſubmerſione, quamquàm illæſis cerebro, medullâ ſpinali, & nervis, perit tamen omnis animæ virtus, ac lumen. Experimur hoc etiam in ſuffocatis in aquâ, qui aquâ ſiquidèm rejectâ, quæ pulmones, & ventriculum inundat, ſæpeſæpiùs in vitam redeunt, modò non diù in ipſâ aquâ permaneant, & ratio eſt, quia ſi vitali intercepto ſpiritui illicò ſuccurratur per arteriarum & carnalium gutturalium reſerationem redit ad ſua obeunda munia. Eodem modo, eademque viâ fit in apoplexia cùm noſtri alimenti exhalationes acidæ & auſteræ magnâ in copiâ congeruntur & pulmones infarciunt, arterias aortas comprimunt, & vitalis ſpiritûs intercluditur via, nè cerebrum ſcandat, patet id, quia in forti apoplexiâ non adeſt reſpiratio, ſed ſtertor, qui à pulmonum infarcinatione dependet, præter autopſiam in diſſectis, in quibus iſta excrementa pulmones infarcientia anatomicus detexit culter. Aliquandò venas jugulares, & arterias carotides eademmet excrementa præcludunt, undè ſanguinis circulatio, & ſpiritûs vitalis tranſitus impeditur. Hanc ſententiam, quam de apoplexiâ attulimus probabilem arbitramur, & longâ meditatione excogitavimus ex proprio Marte.

Chymicorum non una, eademque ſententia eſt de apoplexiæ causâ; aliqui enim cauſæ à Galenicis allatæ ſe ſubſcribunt, ſed non ex animo, verum ut minùs ipſis Galenicis reddantur exoſi; alii verò illam his rationibus explorare nituntur, quarum prima eſt, quia materia hæc craſſa, qualis ſtatuitur, non ſubitò in cerebri ventriculos irruere poteſt, ſed paulatim. Neque ſubitò in illis generari poteſt, & ſic non ſtatim hic fieret affectus, ſed ſemper apoplexiam epilepſia præcedere deberet, & in epilepſiam eâdem ratione ſemper apoplexia deſineret: non poteſt enim confertim, ſed ſtatim vel expelli, vel dilvi, ſi epilepſia fit ab eodem humore craſſo non totos cerebri ventriculos opplente. Præcederent etiam ſemper eâdem ratione alii affectus; verum eſt, quod præcedit interdum capitis dolor, vertigo &c. Sed hæc ſunt à vaporibus, non ab humoribus craſſis excitata. Quod ſint vapores cernitur præcipuæ in iis, qui à carbonum vaporibus afficiuntur, à mineralium fumis, vini &c. Non ſemper præcedunt alii affectus apoplexiam, ex eo quia quando vapores ſunt adeò exaltati, & & coagulationi obedientes, ſtatim apoplexiam efficiunt.

Cauſa Noſtra.

Apoplexia fit à nebuloſis exhalationibus in cerebrum elevatis, & in eo concluſis inſtar nubium in aëre expanſarum;

tarum; hæ autem exhalationes non ſimplici humiditate, & frigiditate ſcatent, ſed efficaci, & activâ energiâ ſive mercuriali, ſive ſulphureâ, ſive ſalinâ, utplurimum tamen ſalinâ, à qua ſubitò conglaceantur, & congelantur, ſic affectus ex glacie, & congelatione prædictâ ſubitò naſcitur, præſertim ſi emineat ſalina aciditas vitriolata, quæ maximam habet, & admirandam virtutem congelandi, quæ virtus etiam mediis in flammis perſiſtit invicta. Quod ſit ſpirituoſa exhalatio, probatur, ex eo quia apoplexia ſubitò fit & conſequenter generatur ab agente maximè valido, & efficaci, qui ſubitò agere poteſt, qualis eſt vitriolata coagulans energiâ, quæ & ſtatim operatur. Probatur etiam ex his, quæ apoplexiam præcedunt, utplurimùm memoriæ abolitio, capitis gravitas, mentis turbatio, vertigo, ſcotomia, totius corporis tremor, dentium ſtridor, in ſummo extremorum refrigeratio, quæ à vaporibus fieri perſuadent hi, qui ex carbonum fumo in hæc primo, deindè in apoplexiam incidunt, cum vapores ſtatim non congelantur, quia congelatrix vitriolata non admodum exaltata eſt, cum prædicta præcedunt cùm verò exaltata eſt corruit in cerebrum, & tunc apoplexiam nullo præcedente ſigno efficit.

Qualitas etiam vitriolata conſtringit cerebrum, & ſticticum facit, ut cognovit etiam *Avicennas* ex quâ cerebri meatus omnes occluduntur, & ſpirituum tranſitus impeditur, & conſequenter ſenſus, & motus aufertur.

Interdùm coagulatur ſanguis ab eodem met ſpiritu acido vel in carotidibus, ex quo, ut in ſuſpenſis videre eſt, in quibus à laqueo occluduntur, ſtatim ſenſus ceſſat; vel in vaſis cerebri, quapropter ſanguinis circulatio impeditur, coagmentatur, & vel preſſionem in ſinubus efficit, & in plexu retiformi, vel vas aliquod rumpit, & extravaſatus ſanguis coagulatur, mox à ſpiritu acido idem efficitur.

Non negat *Paracelſus* ex alicujus tumoris compreſſione generari apoplexiam, ut ex contuſione &c. ſed tumores, contuſiones &c. ad eandem reducuntur cauſam. Appellat *Paracelſus* apoplexiam Eclypſim Lunarem cerebri lege microcoſmicâ. Vult etiam generari à mercurio nimis exquiſitè circulato, & reverà mercurius ille volatile reddere poteſt vitriolatum virus. Vult etiam generari apoplexiam à ſpiritu ſenſitivo inſtar aquæ vitæ flammam concipiente, more ſulphurearum fodinarum, quâ phlogoſi nervi, & tendines veluti concremantur in muſculis, quod etiam vitriolatâ ſuâ acri aciditate, & maximè ſi ſulphur admiſſum habent, efficere poſſunt.

Iohannes Baptiſta Van-Helmontius pro apoplexiæ occaſionali causâ venenum anodynum ſtatuit, & veram hujus affectûs cauſam cognoſcimus, quam nos explicavimus.

Apoplexia vel in cerebro ipſomet, nullâ aliâ corporis parte concurrente, generatur, vel ab aliâ in cerebrum aliquid mandante fit. Quæ in cerebro generatur primariò vel ex rupto aliquo vaſe procreatur, vel ex vaporibus ex ultimâ digeſtione provenientibus, facilè coagulationi obedientibus. Hi neceſſariò ſalini ſunt ex rationibus allatis; multoties tamen ſolâ ſticticitate, quæ in acidis, & auſteris obſervatur, affectum hunc efficiunt, ob quas cauſas ſubſidunt cerebri ventri-

guli,

culi, & ſubjecti nervi comprimuntur, obſtruuntur carotides arteriæ, & plexus coroides, quod efficere poteſt etiam res gravis cerebrum ſubitò deprimens, & hac de causâ multos vidimus ex ictu aliquo repentè in apoplexiam incidiſſe. Poteſt etiam excitari ab inflammatione aliquâ hic affectus.

Partes, ob quarum vitium apoplexia per conſenſum dicta procreatur, ſunt ſtomachus, & ſubjectæ partes, uterus &c. Stomachus dupliciter poteſt apoplexiam excitare, vel vapores ad cerebrum mittendo, vel aliquid aliud (vaporum viam docuimus in catarrho) cùm partem æthereàm ciborum probam ad cor non mittit, ex qua ad caput pravus ſanguis, & frequenter acidus prævenit, qui vel in ipſiſmet vaſis ;, vel extrà apoplexiam generat. Interdum non ſtomachi, ſed aciditatis fermentationis vitio, ex quâ vitriolata aciditas non corrigitur, & mutatur in ſalſum.

In apoplexiâ non tollitur reſpiratio, quia aliqui dicunt reſpirationis motum partim eſſe animalem, partim verò non. Alii reſpirationis nervos præ cœteris magis patere dicunt, tùm ob ſuam magnitudinem, tùm ob perpetuum uſum.

Utplurimùm apoplexia obeſos, & ſenes adoritur, quia, ut aliqui volunt ſenes fermentum fellis debilitatum habent, vel quia æthereus ciborum ſpiritus fermentationis vitio non mutatur in ſalſum; ideòque *Apoplexia fit maximè ab anno 40. ad 60. aph. 57. ſect. 6.* & aph. 31. *ſect. 3. Apoplexia eſt morbus Senilis.*

Quæres, cur melancholici fiant apoplectici?

Reſpondemus melancholicos nimio acido vitriolato abundare, ceu tùm luctus, tùm vomitiones adeò acidæ, & auſteræ, ut contactu dentibus ſtuporem inferant, quæ evacuationes, ſi ceſſant, facilè in hunc affectum incidunt.

Prognoſis.

Quod ad hujus funeſti affectûs prognoſim attinet, apoplexia etiam debilis magnum curationi faceſſit negotium; fortis verò extra omnem ſalutis ſpem cenſetur in *aph. 42 ſect. 2. Apoplexiam fortem ſolvere impoſſibile, debilem verò non facile.* Ideòque inter initia ſeſe prognoſtico muniat medicus, & abſque cunctatione neceſſaria adhibeat remedia, in vehementibus autem remediis adminiſtrandis cautus eſſe debet, ne æger pereat, & medicus, & medicamentum infametur, eſtò blateret *Celſus*: *Quandò hujuſmodi tempeſtates ingruunt, remedia etiam cum aliquâ temeritate rapienda ſunt; & omninò periculum in hoc morbo aliquid tentare permittit.*

Apoplexiæ vehementiam ex reſpirationis noxâ, quam affert, cognoſcere poſſumus, cum vitæ noſtræ reſpiratio neceſſaria ſit, qua præclusâ, ægri ſuffocatio neceſſario ſequitur. Si reſpiratio aliquem ſervet ordinem, debilem arbitramur apoplexiam, quæ ferè in alterius lateris paralyſim terminatur. Si nullum ſervat ordinem, ſed fuerit contenta; & violenta inæqualis tamen inordinata, & intermittens apoplexiam, ſignificat fortem. Si reſpiratio magna cum violentiâ fuerit, ſtertor percipiatur, & ſpuma circa os appareat fortior, & vehementior cenſetur in *aph. 43. ſect. 2. Qui ſuffocantur, & à vitâ*

virâ deficiunt; non dùm tamen mortui ſunt: non referuntur in vitam, quibus ſpuma circa os appareat. Pulſus plenus & fortis multos decipit medicos; & mortis periculum nihil minuit: Secus verò in uterinâ apoplexia, qui licet penitiſſimè ſæpè aboleatur, tamen celerrimè ad ſe redit ægra. Si à difficili reſpiratione apoplecticis ſudor interveniat, & is frigidus, omninò lethalis eſt. Si febris exoriatur benè ſperare poſſumus, ſi tamen acuta, ut materiam morbificam diſcutere poſſit, moxque initio incaleſcat. *Quicumque ſani dolore capitis repentè capiuntur, & ſtatim muti fiunt, & ſtertunt, in ſeptem diebus pereunt, niſi febris apprehenderit, aph.51. ſect.6.* Si verò lenta, & mediocris, non tàm benè, nulloque modo diù poſt ſe ingerens quod *Hip. in Coac.* innuit: *Apoplecticæ affectiones exolutoriæ, febre temporis progreſſu accedente, perniciosæ.*

Interdùm in fortiſſimâ apoplexiâ cum ſenſu, & motu, itâ reſpiratio quoque aboletur, ut an apoplecticus vivat, an mortuus ſit, in dubium revocatur; Itàque cum prognoſtico exploranda eſt vita vel per candelam accenſam, lanam, goſſipium, vel plumam, ſpeculis clauſis (ſi ex pulſu dignoſci nequeat) naribus admota, an moveatur, vel per ſpeculum terſum ori oppoſitum, an ad halitum maculos contrahat, aut per cyathum aquâ plenum pectori impoſitum, an agitatio aliqua percipiatur. His probatis, eſtò nullam vitæ indicium appareat, ante 72. horas apoplectici ſunt ſepeliendi, cùm reſpiratio noſtrum ſenſum latere poſſit, & intra hoc temporis ſpatium revixiſſe obſervati ſunt. Itâ de celebri illo Scholaſtico *Johanne Scoto* fertur, quòd bis ſit mortuus, & ſemel ſepultus.

Veterum Curatio.

Apoplexiæ curationem aggrediuntur Galenici, ægri corpus validis affligendo frictionibus, & his à capite pituitam revellere credunt, ſed vanidæ ſunt magis in illorum, quàm in noſtrâ, & chymicorum ſententiâ; nàm frictiones ſint quantumcumque atroces; nunquàm pituitam in cerebelli ſinum illapſam ad unicam guttam tollent. Ipſas in pellis uſque truculentam decorticationem celebrent, à cerebri ſinubus viſcidum mucum extrahere non poſſunt. Si apoplecticum exotient totum, nullatenus apoplexiam curabunt. Vellemus nobis rationem aſſignarent, quomodò membrorum extremitates fricando ad cutis uſque lanienam, pituitam à cerebelli ſinu extrahant? Oppilationem in medullæ ſpinalis meditullio cauſam affectûs ſtabiliunt, & innocuam deliniant cutem! Crudele, ſed ridiculum remedium, quia ipſi crudeles, & ridiculi. Sunt itàque frictiones ſine cauſarum diſcretione, atque locorum diſtinctione inſtitutæ; ideòque fuerunt, & perpetuò erunt irritæ, & ſteriles. His vanidis tentaminibus vel potiùs apoplexiam augerent, vel in paralyſim verterent, quàm juvaminis aliquid porrigerent, quia pituitam magis deorſum traherent, & ſpinalis medullæ canalem impingerent, quâ parte ſemper ſit anguſtior, & eò magis in inferiores, & minores ſui ramos ſit diſpenſatio, undè apoplexia in paralyſim neceſſariò degeneraret.

Ad ejuſdem pituitæ revulſionem eodem

eodem die glandes, ſuppoſitoria, pluresque clyſteres ano injiciant. Pudendum medentum ſudſidium, ani medicamen, & belluinum remedium, non ab alite, ut ajunt, edoctum, ſed in unâ ex illis civitatibus, quas ultor combuſſit Ignis inventum! Hoc remedij genere è quarto cerebri ſinu pituitam elicere, & in podicem detrudere imaginantur, ſed falluntur, quia obſeſſa non adeunt loca clyſteres, nec unquàm per clyſteres apoplecticus reſtitutus fuit.

Deindè ægrum proprio nomine, magnâ voce crebrius vocant, & ſurdas plectunt aures, & concutiunt, eas ferè evellendo. Interim ſtrepitu, & vociferationibus auras implent, ſed non aures. Pulſent pelues, & tintinnabula, quatiant crepitacula, fatigent æra, & tubas, quouſque laboranti ſuccurrant lunæ: mortuo verba facient, & pituita ſemper obſtinatior, & ſurdior reddetur.

Naribus acria objiciunt, ſed incaſſùm, nàm apoplecticus odoratus ſenſu caret. In os, & palatum hæc eadem injiciunt, credunt forſàn, quòd ſi odoratûs ſenſu careat, ſaltim guſtatu non carere. Mucus prætereà à naribus exiens in paroxyſmo apoplexiam non tollit, nec minuit.

Vellicationibus, pilorum evulſionibus, digitorum complicationibus, & diſtorſionibus manuum, & pedum validiſſimis, arctiſque ligaturis, & aliis hujuſmodi inhumanis cruciatibus attonitos contorquent ægrotos. His fucatis torturis innocuos diſcruciant, nevè ſenſus in talibus deficiat partibus, & interim ſuæ obliviſcuntur regulæ, quòd ſenſus è cerebro totus pendeat; vel ut pituitam è cerebelli ſinu ad extremas corporis partes citent.

Miror ſanè non contorquere teſtes, cùm exquiſitum habeant ſenſum, & tamen cognovimus medicum, qui cujuſdam apoplectici teſticulorum domicilium, ſcrotum nempè, theriacâ emplaſtravit.

Frictiones in pedum plantis cum ſale, & aceto commendant. Ridiculum præſidium, oppilationem in cerebri ſinu pro causa aſſignant, & pedum plantas fricant! Sicuti ridiculum eſſet remedium, ſi cui ſpinam gulæ infixam habenti medicus clyſterem injiceret: Longa eſt via ad revulſionis commentum, ſalebroſum iter, & noxium medicamentum.

Cucurbitulas cum, & ſine ſcarificatione cruribus, brachijs, lumbis, & ſcapulis, ſicut capiti unam magnam cum multâ flammâ applicant. Interiora laborant, & exterioribus medicam fruſtrà adhibent opem! libenter hoc remedij genus concederemus parùm prodeſſe, ſi malum ſolo corporis habitu potiretur: ſed alibi, quàm in cute habet natale ſolum.

Veſicatorium magnum vertici, vel poſteriori verticis parti applicant alii, ſed fruſtrà vexant, quia fruſtrà veſicant, nec natura extrinſeci imperantis mandata exequitur, nec morbus dat inducias, quia magnus eſt, & celerrimè ad ſtatum properat.

Nonnulli cùm morbi vis magna eſt, temerè audent ad cauterium, & ferri igniti uſtionem venire inter primam, & ſecundam vertebram, in quibus ſetaceum, ſeu potiùs laqueum apponere pro miraculo prædicant: ſed vulgarium miracula non ſunt credenda, & hoc remedij genere craſſos, lentoſque ſuccos à capite evacuare credunt. Inunctiones, & emplaſtra ex calidis medica-

dicamentis abraſo capiti adminiſtrant alij.

Plerique ex antiquorum præſcripto ignitam ſartaginem capiti admovent, tali tamen diſtantiâ, ut ſolos capillos, non verò capitis cutem comburere poſſit. Sic his vanis terriculamentis capitis calorem conciliare, craſſos humores diſſoluere, & in ventriculis difflare putant, ſed non abſque capite mortuo, ſive reſiduo longè duriore.

Tandèm flammis apoplecticum comburendum tradunt, capiti abraſo *ſtuppam aquâ vitæ intinctam* applicando, & comburendo, omni ſalutis ſpe deſtitutum, & conclamatum deſerentes.

O miſeram rerum humanarum ſortem, quàm in dies triſtes ærumnæ, miſeriarum numerus exercent! Scilicèt ſat non fuit gravioribus curis premi, morborum fluctibus ſollicitari, omniumque malorum lernâ undique ſtipari, ni miſeriarum quoque Iliadi hæc dira medicorum peſtis acceſſiſſet, qui vel neque minimam corporis partem cruciatibus liberam relinquentes ſupremam manum imponere auſiſſent. Itáque ſæpiſſimè humanitatis vices indolere ſolemus, lacrymaſque vix cohibere, & quandòque iram temperare. Crudeles medici, & omne tormentorum genus exhauritis! Horrendi lictores, ſpurci carnifices, & omnem lanienæ modum in miſeros indicitis, & exercetis! Crudele, exitiandum genus hominum in ſemivivos, in mortuos ſævitis! Non hæc eſt medicina, ſed carnificina. Vos publici graſſatores, & urbani ſicarij impunè, proprioque genio fortunas, vitemque hominum negotiamini. O quàm fortunata illa apud Romanos ſæcula, quibus pulſis medicinæ profeſſoribus, languores, & morbi mitiores, paucioraque funera cernebantur; At nunc ipſi Romani humanitatis teſtes auctos ab arte morbos, humanam cladem acerbiorem, teſtantur, & funera.

Nec tot, tantiſque ſatiati carnificinis ſanguificinas exercent: aliqui enim narium venas, alij frontis mediam, multi cephalicam, pleríque communem, nonnulli ſaphenam ſecant. Indicationis ſigna, quæ afferunt, ut ſi genæ rubent, & turgent venæ, hujus tamen affectûs cauſam non demonſtrare videntur; nàm multories genæ rubent, & venæ turgidæ videntur ex nixu aliquo occaſionato ab ipſomet morbo, quo quandòque poſt mortem ſanguinem vomunt. Prætereà phlebotomia multùm nocere poteſt, quia obſtructionem non tollit, vires minuit, & imbecillæ vires non benè concoquere poſſunt; quapropter excrementa cumulantur, viæ occluduntur, per quas forſan natura expulſionem tentat, & ipſa defatigatur, & morbo ſuccumbit. Inſuper omnis calor à ſanguine excitatur, & ſanguinis detractio refrigerat, & in apoplexiâ non ſolùm naturali egemus calore, ut per illum humor morbum efficiens extenuetur, & reſoluatur, undè calida omnia in hoc affectu proſunt, ſed etiam febrili calore, & *Hip. febrem apoplexiæ ſupervenientem optimam* cenſet, quam calidis excitare quandòque conamur.

Tandèm his irritis, ad purgans deveniunt medicamentum, & miramur, ſtante humoris cruditate, tres ſyrupos humorem craſſum, uiſcidumque præparantes de more non præbere, licèt humorum præparatio propriè non ſit coctio. Equidèm ad *Hip.* præſcriptum non agunt 1. *aph.* 22. imperantis: *Concocta medicari, atque movere non cruda,*

neque in principiis : modò non turgeat, & *aph* 19. *Sect.* 2. *Cùm morbi incohant, ſiquid movendum videtur, move: cùm verò conſiſtunt, ac vigent, melius quietem habere.* At apoplexia celerrimè ad ſtatum properat: itàque coctionis ſigna expectare deberent.

Ea purgantia, quæ pituitam evacuant, exhibent, nempè *Pilul de agarico, de tribus, fœtidis, cocch. aur. Ind. trochis. alhandal,* & *diagryd.* &c. Si deglutiri nequeant in formâ ſolidâ cum *ſyr. roſ. ſolut.* diſſoluunt, & ſi apozema neceſſarium videtur, ex *ſyr. Sueſſ.* & *roſ. ſolut. cum appropriatis aquis parant.* Sed profectò mirari ſubit, quomodò medicamentum, licèt intra fauces ponatur, deglutiri poſſit, & in ventrem deſcendere; cùm apoplectici ſint toto corpore reſoluti, ac proindè incaſsùm laborant exhibere purgantia, niſi in morbi declinatione id fiat. Crederemus tale opus à noſtratibus medicis, ut perfici valeat infundibulo tentari, ſæpiùs nàmque domi pipiones conſueſſe alere ſcimus; non enim alia ſunt eorum graviora ſtudia, & negotia, itàque crebrò hos *Luculli* carmina ſalvere jubemus.

Edite lurcones, comedones vivite ventres. Quod medendi conſilium ſi proſperè ipſis cedat ſedulam eorum curam, & diligentiam laudare expedit, ſed maximoperè eorum helluationes, quæ talem medendi normam poſteris tradiderunt.

Hæc ſunt præcipua pro apoplexiæ curatione vulgarium medicamenta, quæ ruſticis, ac mulierculis æquè ſunt nota. Alia quæ materiam in capite ſtagnantem reſoluunt, caputque roborant, ejuſdem farinæ, ideòque nullius ſunt momenti pro tanto curando morbo,

Curatio noſtra.

In apoplexiâ de parte diæteticâ agere non decreveramus, quia morbus eſt pernicioſiſſimus, & perniciſſimus, cui cura magis pharmaceutica, quàm diætetica congruit, apoplecticus nàmq; difficulter reſpirat, vi degluttiendi deſtituitur, motu caret, mortuo non abſimilis jacet, & omnes ſupprimuntur excretiones, ac proindè extremos habet labores, & vel æger morbo ſuccumbit, vel paralyſi corripitur, vel ſanus evadit, ut *Quibus cerebrum ſideratum eſt, intra tres dies intereunt, ſi verò hæc ſuperaverint, ſani fiunt:* attamen ut noſtro more procedamus, diæteticam partem ex ſex rebus non naturalibus venamur, & duplici præſidiorum genere apoplexiâ laboranti ſuccurrimus, cujus virtus unita fortior evadit, ideòque

Aër ſit calidus, & purus: declinetur frigidus, nebuloſus, auſtrinus, & pluvioſus.

Cibus ſit paucus, facilis coctionis, calidus, & ſorbilis, qui facilè diſpenſatur, ità ſunt juſcula pulli, gallinæ, capi, carnium, & id genus alia, quæ optimè aromatizentur.

Potus ſit decoctum ligni ſaſſafras, vel viſci quercini, & abſtineat æger à vino, & præſertim à vini ſpiritu, & alijs opiatis narcotico ſulphure præditis.

Motus ſit validus frictionum, & cucurbitularum uſus, ac urticationum inſtitutio.

Quies poſt afflictionum lanienas neceſſaria eſt.

Somnus, & *Vigilia* nimis protracti magnum incommodum afferre ſolent.

Alvus clyſteribus ſollicitetur acrioribus.

Animi

Animi paſſiones malignæ , ut ira, mœror, metus , terror &c. maximoperè declinentur.

Curatio dirigitur ad ipſius apoplexiæ paroxyſmum , vel ad ipſummet extra. Paroxyſmus , quia utplurimùm apoplexia excitatur ventriculo conſentiente, tollitur , ſi fortis non eſt , vomitu *ex aquâ benedictâ* , vel *ſyrupo ex aquâ benedictâ* procurato , à quo ſalina evacuantur excrementa in ventriculi tunicis degentia , & diſſipantur illo vehementi vomendi motu interdùm ſpiritus in cerebro coagulati. Si verò fortis eſt exhiberi poterit *mercurius vitæ* , ſive *vinum emeticum* ex ipſomet mercurio vitæ , ſi paratum inveniatur , ejus præparatio ſic ſe habet :

℞ Merc. vitæ gr. viij.
infund. in vin. alb. ℥ij.

per horas XII. *vinum per inclinationem coletur , relinquendo pulverem* , & vinum exhibeatur. Vis hujus medicamenti ex Sulphure antimoniali pendet, quod per artificium à ſuo tempore fuit extractum , & univerſum corpus mundificandi , & naturam ſublevandi vires obtinet, nàm unico actu profuſiſſimos movet ſudores , & per ſuperiora, & inferiora ventriculi, & inteſtinorum ſaburram deturbat , & penitiſſimarum partium degeneres purgat humores trium horarum ſpatio , & paulopòſt ad ſe redeunt apoplectici. Omnibus emeticis palmam præripit *noſtrum Hippocras emeticum*, quod ad multos annos, & ultra integrè conſervari poteſt, cujus confectio talis eſt:

℞ Vini Græci lib. ij.
mercurij vitæ ℨijß.
caryophyll.
cinnam. acuti ℨ.j.ß.

fiat pulvis , & inde in vas vitreum amplum , cujus orificium optimè claude, trade igni cinerum, vel arena, & immediatè poſt primam ebullitionem vas aufer , & ſerva. Doſis cochlear. j. ij vel iij. In hoc affectu obſervandum eſt emetica in duplici doſi exhibenda eſſe, & ſtatim ac medicus accerſitus fuerit, nàm *In valdè acutis medicandum eſt eodem die , differre enim in talibus periculoſum.* Prodeſſe poterit *ſpuma venenata duorum draconum* linguæ aſperſa.

Aliqui *ſale vitrioli* utuntur, ſed valdè debile eſt , & intra corpus minimè aſſumendum; habet nàmque indolem ſuffocantem , licèt alijs in affectibus pueris valdè utile expetiatur.

Sunt nonnulli , qui emetica in hoc affectu damnant, ſed compertum eſt maximi juramenti eſſe , imò divinam opem afferre , ut fide digni teſtantur auctores , & nos emeticorum uſu multos apoplecticos reſtituimus.

Proſunt etiam clyſteres acres cum *croco metallorum , vel aquâ benedictâ confecti : crocus metallorum bulliat vel in vino , vel aquâ vitæ , deindè miſce cum decocto aliquo convenienti.* Doſis croci metallorum augeri poteſt uſque ad ℨij. aquæ verò benedictæ uſque ad uncias quatuor, & ſi fortiores deſideres antequàm è phialâ educatur , aliquantulùm agita , ut nonnihil reſidentis pulveris ſecùm rapiat.

Notandum hìc , quòd crocus metallorum continet ſulphur fixum per detonationem extractum ex metallico antimonij corpore cum privatione ſulphuris arſenicalis ; ideòque tàm ore, quàm clyſtere ſumptus totius corporis partes etiam diſſitas mirabiliter purgat , & ſicut antimonium in auro purgando ab aliorum metallorum admiſtione adhibetur,

betur, itá in purgando noſtri corporis degeneres ſuccos adhibemus.

Aliqui jubent, ut primò fiat clyſter leniens, & deindè deveniendum eſſe ad acres. Volunt plerique eſſe abſtinendum ab emollientibus, & ab oleis, nè in paralyſim affectus tranſeat ob nervorum relaxationem, quam excitare poſſunt, non aliter ac ſi emollientia, & olea per clyſteres injecta nervorum principium pertingerent, paralyſim excitarent:

℞. *Decoct. comm. q. ſ.*
olei rutæ ℥. ij.

(quâ efficaciâ *oleum rutæ* in apoplecticos per clyſterem injectum agat, nunquàm inveſtigare potuimus, vulgares forſan cerebri ſinum penetrare, indèque pituitam revellere credunt)

hieræ picræ,
diaphœnic. ana ℥j.
aquæ benedictæ ℥. IV.
f. clyſter.

Si debito tempore non reddatur, ſuppoſitorio aliquo acri alvus irritanda eſt, & umbilico in formâ cataplaſmatis arthanitæ majoris unguentum adhibetur.

Omnes ferè dejectoria exhibent, ſed magis emetica conveniunt. Antequàm æger hæc ſumat, hinc indè frictionibus agitetur, & ligaturis dolorem excitantibus affligatur, ſed ſint moderatæ, nàm immoderatæ nocere poſſunt, quia ſpiritus exhauriunt neceſſarios ad morbum tollendum.

Sanguinis miſſio conferre poſſet, ſi fiat è copiâ ſanguinis comprimente, ſi apoplexiæ cauſa hæc eſſe poteſt, quod cordato medico relinquimus; cautè tamen in hoc remedii genere procedendum, quia ſi non juvat, ægrum ſubitò tollit, ut etiam aliqui vulgares obſervant medici. Quidam practici recentiores jugulares venas in apoplecticis ſecare audent, ſed id cum præmeditatione faciendum, quia cùm illic apoplexiæ cauſa non ſit, pro ſecandis venis jugulantibus ægrum jugulant. Vertex inungatur *Balſamo Peruviano, & oleo ſuccini.* Os illius aperiatur, *ſuccinique oleum* immittatur. Exhibetur cochleare *aquæ apoplecticæ* ſecundum deſcriptionem *Hartman. eſſentia roris marini, lavendulæ, erucæ*, vel hujus aquæ:

℞. *Aquæ vitæ q. ſuff.*
gran. juniperi m. ij.

Contundantur, & macerentur in prædictâ aquâ tribus diebus, colentur, quòd ſi non habes hoc medicamentum in promptu,

℞. *Eſſentiæ ſalviæ,*
pulegij,
naſturtij q. v.

& eum ſuff. quantitate ſpiritûs vini, & tinctura croci m. Exhiberi poteſt *aqua vitæ apoplectica, & balſamus apoplecticus Crollij cum ſale volatili ſuccini.* Multùm conferre poteſt *ſpiritus ceraſorum nigrorum* cochleatim exhibitus, itèm *Balſamus Vitæ*, cujus compoſitionem vide in noſtrâ Pyrotechniâ. Similiter *ſpiritus ſanguinis humani, vel fuliginis.* Superiùs dicta admiſceri poterunt cum *juniperi tincturâ, vel tincturâ caſtorei.*

Fiant epithemata ad ſuturam coronalem *ex ſuccino pulveriſato, cui ſacculus oblongus herbis capitalibus plenus, aquâ vitæ irroratus, & oleo ſuccini* decenti ligaturâ applicetur.

Naribus admoveantur ſternutatoria ex *pyrethro helleboro albo, & ſemine nigellæ oleo ſuccini vigoratis* confecta. Uti poterimus *ſale vitrioli*, vel fumo

ad

ad ſternutationem incitandam:

℞. *fol. ſampſuci* ʒß.
ſem. nigellæ ʒ. ij.
rad. elleb. nigri ʒ. j.
ol. ſuccini ℈. iv.

cum balſamo Peruviano, & aquâ ſampſuci immiſtâ, formetur paſta, quæ carbonibus imponatur, & aptetur, ità ut fumus ad nares perveniat. Vel

℞. *fol. ſampſ.* ʒ. j.
ſem. nigellæ ʒ. ß.
ellebori nigri ʒ. ij.
moſchi ℈ß.
ambra griſea gr. vij.
fiat pulvis,

& inſuffletur ad gr. iv. pro vice in narem utramque, quod ſi inſufflatio fieri non poterit ex pulveribus prædictis, vel aliis eandem habentibus energiam, *cum oleo ſuccini, ſucco iridis, vel betæ conficiatur paſta* in narium cavitates imponenda. Medicamenta hæc ſtatim aggredienda ſunt, & ſæpiùs iteranda.

Extra paroxyſmum curatur apoplexia indicatione à cauſis deſumptâ, ſcilicèt ventriculi, vel fellis roboratione, & ſanguinis depuratione. Summoperè commendamus tàm in paroxyſmo, quàm extra omnia aromatica, ſpirituoſa, & odorifera, ut ſunt *aqua apoplectica, ſpiritus liliorum convallium, ceraſorum nigrorum, ſpiritus fomicarum volatilis, ſpiritus fuliginis, eſſentia ſalviæ, meliſſæ, oleum cinnamomi, ſuccini. Salia volatilia herbarum cephalicarum, earumque ſpiritus volatiles, ſal volatile ſuccini, cornu cervi, liquor cornu cervi ſuccinatus.* Nos magnificamus hauſtum *decocti herbæ Theæ* tempore matutino aſſumendum. Extollimus *Vitriolum lunæ, diaphoretica, & arcana Paracelſi depurativa.*

Apoplexia ex utero curatur in paroxyſmo remediis uterum reſpicientibus, *oleo* ſcilicèt, & *tincturâ ſuccini, caſtorei, elixire uterino, oleo fœtido in Mantiſſâ apud Amynſicht à nobis deſcripto &c.* de quibus in uteri ſuffocatione. Extra tollitur per *coralliorum tincturam volatilem, ſal chalybis*, & aliis prædicto loco adducendis. Si verò fuerit per conſenſum ab aliis partibus, ad has quoque reſpicienda.

Extra paroxyſmum apoplexiæ obnoxiis etiam offeruntur *aqua anti-apoplectica Hartman. ſpiritus Vini anti-apoplecticus Crollij, magiſterium Succini, vel oleum.* Statis quibuſdam temporibus emetica &c. quæ maximâ cum cautelâ ſunt exhibenda, nè à nimiâ agitatione in apoplecticum incidant inſultum.

CAP. III.

De Paralyſi.

Apoplexia remiſſior utplurimùm in paralyſim terminare ſolet, paralyſis igitur ab iiſdem cauſis à quibus fit apoplexia, neceſſe eſt, ut fiat; ſiquidèm apoplexia eſt univerſalis paralyſis: ergò paralyſis erit apoplexia particularis.

Paralyſis itàque eſt nervorum reſolutio ſenſu, & motu privans vel totum corpus, excepto capite, quia aliter eſſet apoplexia, vel alterutrum latus, vel aliquam corporis partem, crus ſcilicèt, pedem, brachium, manum, aut linguam.

Duplex eſt paralyſis, una perfecta, in quâ ſenſus, & motus omninò perit, altera imperfecta, in qua motus au-

ſertur, integro manente ſenſu. Alia imperfecta, quam *Galenus* non propriè paralyſim vocat, ſed partem ſenſu deſtitutam, in quâ remanet motus ſine ſenſu.

Signa

Signa hujus affectûs ſunt: æger vel ex apoplexiâ ſe recolligens, vèl abſque illius prægreſſu in ſensûs, & motûs impotentiam incidit, & dexterum, vel ſiniſtrum, vel utrumque ſui corporis latus, vel aliquam partem, femur ſcilicèt, pedem, brachium, manum, vel linguam movere nequit, & dicitur pars paralytica, quæ quaſi graveſcens non ampliùs voluntario obtemperat motui, licèt coactum retineat motum, & ab aliis moveri poteſt, ſponte tamen ſuæ gravitatis pondere decidit, & ſæpenumerò atrophiâ tandèm contabeſcit.

Addunt aliqui alia ſigna, ſcilicèt quòd pulſus in parte affectâ ſit debilis, & frequens; quandòque etiam latus reſolutum calido influo quadantenùs privatur, atque ſic more eorum qui atroci hyemis frigore valdè perfrigerati præ frigore in ſenſu, & motu deficiunt; latus verò ſanum ità calidum, ac ſi eſſet in igne, obſervatur, quia vitriolatus vapor in nervis, vel in eorum poris ità congelatur, & recluditur, ut ſpiritus in partem affectam ſe diffundere non poſſit; undè latus reſolutum frigidum, ſanum verò, quia calor influens totus convertitur, & liberè diffunditur, calidius apparet.

Affectæ partis cognitio ex anatome petenda eſt, quæ nervorum origines, & inſertiones docet; attamen hic breviter dicemus, ſi dextera faciei pars reſolvatur, reliquis illæſis, cerebrum tantùm affici ſecundum eam partem, à qua nervi ad eam partem deferuntur. Si ſubjectæ capiti lædantur partes unà cum facie lædantur, dorſi ſpinam, & cerebrum affici. Si ſubjectæ lædantur partes, illæsâ facie, vitium in ſolâ ſpinâ, & quidèm in illius principio, ſi omnes lædantur conſiſtere. Si dimidia corporis pars reſoluta ſit, dimidia tantùm ſpinæ portionem obſideri. Si crura ſint paralytica, vitium conſiſtere circa ſpinalis medullæ finem juxta oſſis ſacri vertebras, & ſic in cœteris ſit judicium.

Verum pars reſoluta paralyſi, an convulſione laboret, vertitur in dubium, pro quo dicimus, ſi v.g. oris diſtorſio à paralyſi erit; pars reſoluta longior facta in adverſam ſanam contorquetur; at contrarium, ſi à convulſione fiat, accidit, quia ægra decurtata ſanam contrahit. Poſtmodùm in paralyſi, ſi pars reſoluta facilè partis ſanæ, vel ad ſtantium auxilio extendi poteſt ſine dolore, quia ſenſu caret, quod fieri nequit in convulsâ non ſine difficultate, & dolore, quia rigida manet.

Veterum Cauſa.

Paralyſim fieri vult *Galenus*, ejuſque ſectatores ab humore pituitoſo, à cerebro in ſpinalem medullam, & nervos defluente, & ſpirituum animalium commeatum obſtruente: ſed hæc ſententia falſa deprehenditur, &

Primò, ſpinalis medullæ & omnium nervorum origo, ſecundum *Galenum* eſt à cerebro, ſi pituita in cerebro colligeretur, neceſſariò vel apoplexia, vel epilepſia (quia utriuſque in eorum ſententiâ, eadem pituita eſt

cauſa

cauſa ſecundum magis, & minus) ſemper progredi deberet, & poſtmodum in ſpinalem medullam, & nervos defluentes paralyſim efficeret.

Secundò innumeræ humorum defluxiones ex cerebro in dorſi ſpinam decumbunt, quibus nervorum genus imbuitur citra ſensûs, & motûs privationem.

Tertiò, excitatur paralyſis ex colicâ, in quâ ſalvo cerebro, & nervorum principio defluxiones non adſunt, ut ſuo loco dicemus.

Quartò in paralyticorum diſſectione nequicquam pituitæ deorſum à cerebro in ſpinalem medullam, & nervos decidiſſe hactenus non dùm anatome vidit.

Quintò, ſpiritus animales ſunt tenuiſſimi, & pituitam viſcidam vulgarem pertranſire poſſunt, ut exemplis allatis ab Hermeticis patet, poteſt tamen fieri ab hac motus diminutus, cùm membra gravantur, & opprimuntur, ità ut non poſſint diſtendi à ſpiritibus.

Sextò nervi ſunt ſolidi, aut ex filamentis conſuti, nec civitatem habent ullam, ut venæ & arteriæ, quia hæ unà cum ſpiritu ſanguinem, nervi ſolum abſque ſanguine ſpiritum vehunt: igitur ad eorum originem obſtruendam, non tantum humor ille craſſus, quam etiam ſeroſus proportionatus videtur, quia faciliùs in nervos effunditur, & ſpirituum animalium influxum prohibet.

Hinc ſtante nervorum ſoliditate, Platerus hos humores non per medullæ dorſi, aut nervorum ſubſtantiam deſcendere docet, ſed per vertebrarum dorſi cavitatem continentem medullam dorſalem, & illic, vel circa principium, vel illius progreſſum ſubſiſtere, vel ulterius per eorum ductus ſequi, & alicubi circa nervos hærere, atque eos, vel ſuo pondere comprimere, & ſpiritui animali viam intercipere, vel humiditate ſuâ nervorum ſubſtantiam irritare, replere &c. Verumenimverò à veritatis ſcopo *Platerum* non multùm deflectere credimus, nam ſpiritus animalis eſt de luminis naturâ, & irradiativè à cerebro ad omnes partes pro ſenſu, & motu ſe diffundit, quia nulla alia influens cauſa tàm citò affluit, & tàm citò ſubtrahitur: Lux ferè in univerſo omnis motûs cauſa eſt, & nihilo ocyus eâ; intercipi tamen poteſt, ſicut ſol à nebulâ, & candelæ lumen ab appoſitâ manu nobis adimitur.

Pro tanti morbi causâ *Galenus* intemperiem quoque aſſignat, & præcipuè frigus, quia *frigidum inimicum cerebro, nervis, & ſpinali medullæ* & frigidam, humidamque intemperiem paralyſeos maximam cauſam eſſe ſtatuit ſive illa ab internâ ſive ab externâ cauſa proficiſcatur. Ità *2. de loc. aff. cap. 6.* refert aliquem in paralyſim incidere poſſe ob diuturnam rei frigidæ contractationem, nimirum aërem ambientem frigidum, ventum borealem, nivis, vel glaciei contractationem, moram in frigidâ aquâ, vel ſeſſionem ſuper lapidem frigidum juxta vulgare apophthegma: *Menſibus erratis ſuper lapidem nè ſedeatis.* Et *4. de loc. aff. cap. 4.* recitat quendam hieme, tempore frigido, & pluvioſo, cùm madidum pallium diutiùs obvoluiſſet, in manûs paralyſim incidiſſe nervis, qui à ſpinali medullâ ad manus deducuntur refrigeratis, & humectatis. Verùm *Galenus* ſibi ipſi inconſtans ſeniles recitat

citat ineptias, nunc paralyſim ab humore pituitoſo à cerebro in ſpinalem medullam, & nervos defluente fieri vult, nunc illæſo cerebro, à ſpinali medullâ, nunc pituitæ oblitus ad frigus recurrit, nunc ad humidam intemperiem, nunc ad ſiccam, ſed non obſervatur in hecticâ, nunc tandèm ad calidam, quam non obſervamus in tertianâ exquiſitâ, & ardente, ſed aliam longè potentiorem, & efficaciorem pro tàm pertinaci morbo, quàm intemperiem aſſignare deberet: Si frigus enim paralyſim excitaret, omnes illius terræ plagæ incolæ, ubi ſol ſupra horizontem emergit cum tantâ inclinatione, ut trium horarum ſpatium commoratus, illudque meritus in occaſum vergit, ob intolerabile frigus fierent paralytici. Et hiſce noſtris regionibus, brumali tempore, flante gelido boreâ, quamplurimi in paralyſin inciderent. Si paralyſin frigus excitaret, non tam pertinax eſſet morbus, & ad multos duraret annos, nec tamdiù efficacia remedia calefacientia, & exſiccantia ſine fructu reſpueret.

Hinc notandum eſt id, quod fuſius in noſtrâ *Pyrotechniâ ſophicâ* de primarum qualitatum anilibus nugis diximus, quod frigus non conſtituitur per entitatem aliquam accidentalem poſitivam frigidam, ſed nihil aliud eſt in ſe, niſi lucis, & caloris, ſive ſubſtantiæ calidæ privatio; nàm corpora, quæ lucem à ſuâ entitate excludunt, excludunt calorem. Sic lucis vitalis defectu cadavera ab actuali frigore occupantur. Itaque humani corporis membra per lucis, & caloris, ſive ſubſtantiæ calidæ privationem, ſtatim torpent, undè tremor, rigiditas, nervorum condenſatio, & inepta redduntur ad motum. Neque affectus, qui ad caloris privationem ſuccedit, paralyſis dici meretur, quia motus eſt diminutus, & in paralyſi eſt abolitus, nec ſenſûs adeſt privatio: Si enim acu pungantur, ſentiunt, & ſe contrahunt, niſi mortificatio accelſerit. Nec torpor paralyſis dici poteſt, neque marinæ torpedinis contactus paralyſin, ſed torporem inducit; nàm torpor eſt ſenſûs, & motûs difficultas, non verò abolitio. Ab argenti vivi contrectatione, cinnabaris confectoribus, aurifabris, ſpecula conficientibus, & vinum immoderatiùs potantibus, non paralyſis, ſed tremor accidit, qui eſt voluntarii motûs depravatio, qua membrum alternatim celeriter elevatur, & deprimitur, atque hinc indè quatitur more eorum, qui rigore febrili, vel hybernâ perfrigeratione concutiuntur.

Paralyſin quoque fieri autumant vulgares à tumore, contuſione, articulorum luxatione, oſſium dislocatione, eorumque fracturâ, exſiccatione, partium motui inſervientium duritie, ut in nodoſâ podagrâ, muſculorum vulnere, & à ſimili causâ, quæ movendi impotentiam inducit, ſed latiùs ſe extendit motûs impotentia, quàm paralyſis.

Noſtra Cauſa.

Pro noſtrâ ſtabiliendâ ſententiâ explicare debemus, quomodò fiat motus, & ſenſus, pro quo

Dicimus, quòd anima humana, quamvis ſpiritualis, non poteſt tamen, quicquid vult, in corpore efficere, & præſertim nequit partibus motum impertiri, ſed determinare tantùm partes ad motum: nequit enim, quod ſpiri-

ſpirituale eſt, corporeum tangere, quod requiritur ad motum: *Tangere enim, & tangi* (ut *Lucretius* ait) *niſi corpus nulla poteſt res*, ut patet. Quod autem fertur de Angelis, qui Habacuc, & alios tranſtulerunt de loco in locum, id fecêre peculiari juſſu Dei, modo nobis incognito, & incomprehenſibili, & à Deo, qui omnia poteſt illis tributo; Deus autem; quia infinitæ eſt potentiæ ſolo nutu motum tribuit, & adimit, quibus vult corporibus. Quod anima non dirigat tantùm, ſed etiam movet corporis partes, multi aſſerunt, ſed improbabiliter: nunquàm enim ſi hoc eſſet corpus defatigaretur, neque ſpiritus, qui in continuo ſunt motu, deſervirent ad motum efficiendum, imo ſiquid anima poſſet, corpus ſibi reſtauraret. His poſitis

Ad efficiendum motum animalem, quem dicunt, requiritur animæ impetium, & ut pars motum habeat, & ſolâ directione indigeat, & quia partes ſolidæ hoc motu carent, ſpiritibus animalibus indigent, à quibus ſeſe perpetuò moventibus motum habeant. Anima igitur dirigit ſpiritus, ſpiritus ab animâ directi nervos, & muſculos movent, & ſic motus animalis efficitur, & ex hoc evenit, quòd deficientibus ſpiritibus, vel ſpiritibus exiſtentibus cum parvo motu, vel occluſis meatibus organorum vel omninò tollatur, vel fit diminutus. Cùm igitur vel pori clauduntur, vel ſpiritibus nervi deſtituuntur, vel ſpiritibus motum amittunt, fit paralyſis, à qua amittitur motus.

Cauſæ, quæ hoc efficere poſſunt, multæ ſunt, ſed videtur hanc non poſſe eſſe pituitam viſcidam vulgarem, quia, ut diximus, ſpiritus animales ſunt tenuiſſimi, & hanc pertranſire poſſunt, poteſt tamen fieri ab hac motus diminutus, cùm membra gravantur, & opprimuntur, ità ut diſtendi non poſſint. Interdùm hæc coagulatur, lapideſcit, & motus tollitur totus, ſed tunc non eſt pituita ſimplex, quæ hoc facit, ſed ſpiritus fixantes.

Cauſa igitur genuina videtur eſſe omne id, quod coagulare vel ſpiritus, vel partes poteſt, ità ut vel ſpiritus motum amittant, vel partes debitum tonum requiſitum ad motum, vel ſpiritibus via tollatur. Id efficere valet vitriolatus vapor, qui vel in nervis congelatur, vel in poris nervorum recluditur, ità ut illos coarctare valeat, vel in cerebro congelatus, actis, vel naturæ auxilio ſolutus, & in nervos delapſus aciditate, ſtiticitate, mordacitate, & acrimoniâ illos vellicat, ſtupefacit, & conſopit, non aliter ac dentes ob hujuſmodi acidis vitriolatis irritantur, contrahuntur, & ſtupefiunt; ſtupores, & membrorum indormitiones paralyſis prænuncias, ac deindè paralyſim generant, ſolâ autem magnitudine paralyſis à ſtupore differt.

Senſus fit, ſenſibili movente nervo, & motu à nervo participato ad cerebrum, & à cerebro ad cor; (ſi cor eſt primum ſenſum) quotieſcumque igitur fibrillæ nervorum ſic afficiuntur, ut non poſſint motum ad cerebrum referre, ſenſus amittitur. Cauſæ omnes conſequenter, quæ hoc efficere valent, hujus paralyſis, in qua ſcilicèt ſenſus amittitur, ſunt. Nervus, ſive ejus fibrillæ deferunt motum ſenſibili habito ad cerebrum, cùm tenduntur modo debito, & conſequenter cùm hanc tenſionem amittunt, amittitur ſenſus,

ut videre eſt in filo; vel fune, qui cùm tenſus ſit totus, movetur, motâ extremitate, cùm verò laxus, non movetur, ſed movetur tantùm extremitas. Omne igitur, quod relaxare poteſt fibrillas nervi, ſenſum tollit, & cùm ambæ cauſæ conjunguntur, ſenſus, & motus tollitur. Amittitur etiam, ſive non communicatur motus à fibrillis, cùm rigidæ nimis ſunt, & corrugatæ, & cùm veluti ligantur, ſive impinguntur partibus, quod efficere valet vis vitriolata coagulans. Sic funis cùm ligatur, vel circa medietatem, vel circa aliam partem, motus non continuatur uſque ad extremitatem, ſi in eo fiat. Primo modo nunquàm ſuccedit paralyſis, quia nervus non poteſt ſic relaxari, ut patet, obtunditur tamen ſenſus, ut videre eſt in obeſis: ſed non ſolum vitriolata, ut Chymici aſſerunt, coagulandi vim habent, nàm alia eſſe poſſunt nobis incognita, & hac de causâ plerùmque medicina rationalis conjecturis tantùm ſtabilitur.

Paralyſis perfecta, in quâ ſenſus, & motus perit, oritur à nervis, & muſculis ſecundum meatus, & fibrillas, ità affectis, & ſpiritus in muſculos nec commodè poſſunt determinari, nec motus fibrillarum, quæ tubis nervorum includuntur, ad cerebrum queat ferri, hoc accidit, quoticſcumque vapor, vel liquor vitriolatus nervos, & muſculos totos afficit, vel comprimendo, vel replendo, vel illorum ſitum mutando. Non excitatur dolor, quia præpollet vis ſtiptica, & primò ſenſus aufertur, quàm doloris cauſa percipiatur.

Imperfecta paralyſis, in qua motus aufertur, integro remanente ſenſu, fit, ubi fibrillæ nervorum ad motus objectorum meſti in cerebro offerendos ſatis ſunt liberæ, meatus verò muſculorum ita ſunt læſi, ut ſpiritus ad muſculos dilatandos commodè influere, & ex iis in oppoſitis muſculos refluere non poſſint, eodem acido liquore, vel vapore nervorum fibrillas non attingente, ità ut officiat.

Imperfecta paralyſis alia, quam *Galenus* non propriè paralyſin vocat, ſed ſenſu partem deſtitutam, in quâ manet motus ſine ſenſu, fit ubi tubus nervi, ſpiritibus animalibus, qui in muſculos deberent influere, ſatis patet, & meatus muſculorum benè ſe habent, eorum tamen fibrillæ vel nimis laxantur, vel conglutinantur, vel ſolvuntur, ut in elephantiacis experitur, & in ſtigmate diabolico notatis ſagis, ſi verum eſt, quod fertur.

Prognoſis.

Hujus affectûs prognoſis, ità inſtituitur: Morbus hic nunquàm acutus eſſe ſolet, ſed ſemper chronicus, & deploratus, quia medica virus ad debitam præſtandam opem penetrare non poteſt, cui debilis expultricis languor accedit, nec cum remediis cooperari poteſt, & profundus eſt ſpinæ, & nervorum ſitus, undè major emergit difficultas, quò licet medicaminum poteſtas penetraret, vix ſalva pertingit, & hoc non niſi longo continuationis uſu, quem pauci ad finem uſque ferunt, quia iterùm ita deſpondent animum, & ſumptuum tædio afficiuntur, ut rarò ad ſanitatem perveniant, undè deperdito ſenſu, & motu, longævam, ſed miſerrimam trahunt vitam.

Itaque paralyſis, quæ apoplexiæ eſt pediſſequa non facilè curationem admittit,

admittit, ſed ut plurimùm in priorem affectum recidivare ſolet, & jam cerebrum antè debilitatum peſſumdat. Senum paralyſis longè inſanabilior eſt quam juniorum, vel ætatis conſiſtentis ob caloris naturalis inopiam.

Si vel ſponte, vel medicamentis actualis partis calor revertitur, recuperandæ ſanitatis adeſt ſpes: Si verò frigus perſeveret pertinax, contrarium. Si pars reſoluta atrophiam, aut inſignem oſtendit extenuationem cum ingenti pallore conjunctam, curationis ſpem adimit, & eò magis, ſi reſoluti lateris oculus imminuatur, affectus confirmationem, ſummam ſpirituum in ea corporis parte penuriam, ac caloris nativi unà cum ſanationis ſpe extinctionem ſignificat. Si diarrhœa, febriſque valida paralyſi ſuperveniat, benè: materiam enim morbificam reſolvere, poteſt, & medicus in eâ naturam ſequi, & curationem ſubducentibus: calidiſvè aggredi debet. Tremor paralyſi ſuperveniens, ſalutaris; meatus enim nervorum aliquo modo aperiri ſignificat, per quos aliquid ſpiritus animalis ad muſculorum motum efficiendum tranſire incipit. Inferiorum tamen partium, crurum ſcilicet, & pedum reſolutio faciliùs curationem admittit, quàm ſuperiorum, quia robuſtiores, & duriores habent nervos.

Veterum Curatio.

Pro paralyſis curatione vulgares eandem carnificinam exercent, quam in apoplexiæ curatione, quia ſi majus poteſt, poteſt & minus, undè pituitam ſpinalem medullam, nervoſque infarcientem, & animali, ſpiritûs influxum prohibentem trahere, evacuare, vel diſcutere, & abſumere conjectam iiſdem remediis. Præſcribunt pituitoſum humorem *ſyrupos de ſtœcade, hyſſopo &c.* attenuantes, & præparantes, mox *Pilul. de Iuâ, agarico, cocch. fœtid. de hermodactyl. ſagapen. opoponac. bened. laxat. turbit, colocynth.* propinant ad aliquot dies, deindè per aliquot ægrum quieſcere ſinunt; poſtmodùm eadem medicamenta pluribus vicibus repetunt, ſed incaſsùm his catharticis parùm proficientibus laborant, niſi ad emetica mineralia chymica tranſcendant: iſta enim humores penitiſſimos, contumaces, & diſſitos ſolummodò trahunt, & morborum, qui vulgaribus remediis extirpari nequeunt, curationem abſoluunt. Quietis tempore pudendos clyſteres ad ægri, & aſſidentium nauſeam, tædiumque uſque iterato injiciendos curant: exiſtimant enim his pituitam nervoſum genus opplentem per podicis meatum ſubducere.

Mirabamur vulgares venæ ſectionem improbare, cum ſanguis non peccet, ſed pituita, & ſenes pituitoſos, & naturâ frigidos morbus his adoriri ſoleat, attamen ex his non deſunt ſanguinarij, qui hominum in occiduâ ætate in ſanæ partis brachio in venis phlebotomum immergunt, ſi crudi ſanguinis copia humorem pituitoſum producat, & affectum foveat. Peccat pituita, & ſanguinem exhauriunt, unus peccat, & alter plectitur! Quid commune habet ſanguis cum pituitâ in ſpinali medullâ, & nervis? Numquid ſanguinem detrahendo, pituitâ ſpinalem medullam, & nervos deplent? Imò ſanguinis miſſione languidus extinguitur calor, corpus refrigeratur, majoris pituitæ fit proventus, majorque pituitæ in ſpina-

lem medullam, & nervos defluxio concitatur. Inſuper paralyſis eſt morbus frigidus, & ſenilis, ad cujus ſanationem non parùm prodeſt naturalis calor, verùm etiam ſi præter naturam calor, ſcilicet febris valida ſuperveniat, multum adjumenti affert, & nonnulli ad hanc accendendam (attamen perperàm agunt, nàm facilius eſt febrem accendere, quàm accenſam extinguere) crebriùs confectionem Anacardinam exhibent, aut temporum, brachiorum pulſus, & ſub axillis formicarum, & euphorbij oleo inungunt.

Revulſionis gratiâ partem reſolutam pannis aſperioribus, & calentibus quotidiè fricant. Cucurbitulas muſculorum capitibus cum multâ flammâ, ut calorem, & ſpiritum ad partem revocent, applicant, & nè calor, attractuſque ſpiritus diſſipetur, ſtatim emplaſtro ex pice, & reſinâ pini vincitur.

Si his magnis remedijs morbus obſtinatè repugnet, *decocto ligni guajaci, ſalſæ parillæ, chinæ, &c.* Sudores ad 40. dies provocant, & infra hunc temporis curſum quinto quoque die purgans exhibent medicamen. Autumni tempore vinaceis efferveſcentibus membra reſoluta per unam, vel alteram horam ſepeliunt, & id toto vindemiarum tempore peragunt. Poſt ſudores partem affectam, & ſpinalem medullam *oleo vulpino, lumbricorum, liliorum, rutaceo, de ſpicâ, laurino, de caſtoreo, euphorbii* inungunt. Cerata, & emplaſtra ſupra dorſi ſpinam applicant. Ex unguentis *Agrippæ, martiatum*, ſed pro efficaciori *anſerinum* celebrant. Poſt inunctiones lintea applicanda calefaciunt, & pulvere *thuris, nucis moſchatæ, ſuccini, caryophyllorum, cinnamomi &c.* ſuffumigant, & tandèm in toto morbi decurſu membra reſoluta pellibus vulpinis, leporinis, vel agninis opilionum more appoſitè amiciunt.

Leporis cerebrum aſſum, vel frixum in hoc curando morbo tanquàm ſpecificum decantant, & non extra rem: Nàm lepus animal eſt curſu velociſſimum, & apertis dormit oculis, nec (quæ ſua maxima timiditas eſt) alio, quàm fugâ ſe tutari ſcit, & poteſt. Credunt forſan, quòd moriens lepus codicillis ſpiritum animalem pro ſenſu, & motu efficiendo relinquit mortuo cerebro, quia à cerebri organo ſcholæ ſenſum, & motum pendere putant, ſed decipiuntur, nàm cerebrum, licèt ſenſationis fons ſit, ſenſu tamen caret. Non valentes per primas phantaſticas qualitates rationem aſſignare, quare leporis cerebrum aſſum, vel frixum paralyſin curet, (quod omninò falſum compertum habemus) cum *Fernelio* ad ſacram ignorantiæ anchoram confugiunt, ad cauſas nempè occultas, & ità pro morborum ſanatione in medicaminum actione procedunt, & quia medicina rationalis tantummodò ſtabilitur conjecturis, & conjecturalia quoque ſunt omnia medicamina, quæ in omnibus morborum medelis adhibentur.

Curatio noſtra.

Quò ad paralyſis curationem primò ſe victûs ratio offert, quæ in ſex illis rebus nonnaturalibus conſiſtit, & reverà ſunt noſtri corporis dominatrices, inter quas

Aër primum ſibi vendicat locum; aër igitur ſit calidus, ſiccus, & purus, qui ſi talis naturâ non ſit, arte paretur. Vitetur pluvioſus, uliginoſus, nebuloſus, & præ-

& præſertim frigidus, quia hic aër nervoſo generi infenſus eſt.

Cibus calefaciendi, & exſiccandi vi portatur, & in primis 14. diebus ſit tenuior, & parcior, cùm magis morbi materia, quàm vires urgeant; ac proindè famem ægro tolerare, & cœnam intermittere proderit. Inſuper toto morbi curriculo nimio cibo non ſe infarciat, cùm nimia cibi, & potûs repletio huic affectui multùm obſit. Cibus ſit boni ſucci, & in hunc finem illi laudantur, qui peculiari vi huic morbo reſiſtunt, ità ſunt, qui calefaciendi, & exſiccandi vim habent, ut turtures, columbæ ſylveſtres, lepores, & præſertim cerebrum. Multùm commendantur capones, & gallinæ viperarum carnibus ſaginati, & magis conveniunt aſſi, quàm elixi. Contrà vitentur cibi mali ſucci, ut ſaliti, fumo indurati, acidi, ſaccharati, & pingues. A lacte, & omnibus lacticiniis abſtineat. Piſces non admittantur in menſâ, & ægro eos appetente, ſaxatiles aromatibus condiantur. A cibis frigidis, & humidis, flatulentis, avibus aquatilibus, carnibus agninis, ſuillis &c. abſtinere oportet. Panis conficiatur ſemine fœniculi, vel aniſi. Utiles ſunt pineæ nuces, piſtaciæ, amygdalæ, avellanæ. Caveat à fructibus horariis. In menſâ uſurpentur aromata, cinnamomum, nux myriſtica, zingiber, caryophylli, piper &c.

Potus in exiguâ quantitate uſurpetur, & ſit aqua, in qua ſalvia, vel ros marinus ebullierit, ſed præſtat potus *decocti herbæ Theæ*, vel utatur *potu Hippocratico*, vulgò *Hippocraſſo*, ut

℞ Cinnam. ℥.ij.
zingiberis ℥.ß.
piperis longi,
granor. Paradiſi,
galangæ ana ʒ.j.ß.
nucis myriſticæ.
caryophyll.
macis ana ʒ.j.
Coquantur clauſo vaſe in aqua font. lib. vj.
Colatura dulcoretur ſacch. alb. lib. ß.

& per manicam Hippocratis trahiciatur. Vitentur vina fœculenta, & generoſa, nàm illa ſecum vehunt tartarum acrem nervis inimicum, hæc ſpiritibus animalibus narcoſin inducunt, cæterùm maximoperè fugienda eſt aqua vitæ (imò potiùs aqua mortis) quippè narcoſin, & ſoporem inducit, & non tàm ſpiritus animales mortificat, quàm fugat. In morbi tandem declinatione vinum defœcatum, ſed antiquum, quod non facilè aceſcit, & id paucum, decocto ſaſſafras, vel aquâ ſalviæ benè dilutum concedi poteſt.

Partes reſolutæ moderatè exerceantur, & præcipuè ſi nonnihil reſtitui videntur, aut potiùs moderatè fricentur, ut calor, ſanguis, & ſpiritus ad illam revocentur partem; frictiones nàmque in partibus reſolutis utiles ſunt ad calorem, & ſpiritus revocandis. Abſit

Motûs vehementia, vel fortes frictiones, quia ſpiritus delaxant, & ſpiritus abſumunt. *Quies* vitetur nimia, quia corpus reddit flaccidum, & caput ſeroſâ colluvie replet:

Et vitium capiunt, ni moveantur aquæ.

& eodem modo ſanguis, ſpiritus, & ſerum torpeſcit, ac Galeniſtarum pituita in coagulum aggeritur, & majores concervantur obſtructiones.

Somnus non excedat ſeptem horas, & ſit nocturnus, & non diurnus, neque diuturnus, quia paralyſis, vel apoplexiæ

apoplexiæ periculum minatur.

Nimiæ *vigiliæ* nocent, quia ſpiritûs exhauriendo, cerebrum, & totum nervoſum debilitant genus.

Excreta, & retenta ſerventur ſecundum naturam, & alvi excretiones ſingulis diebus, quò ad fieri poterit, procurentur, quòd ſi non eveniat, clyſteribus proritetur aluus, & eò magis ſi ani janitor paralyſi laboret, accelaranda eſt ejus curatio, ne aluinæ fæces involuntariè delabantur. Si veſicæ ſphincter ſit reſolutus, ejus curatio accelleranda, ne urina involuntariè excernatur. Reliquæ conſuetæ excretiones, ut ſunt menſtrua, hæmorrhoides, ſudores &c. debito modo ſecundum naturam reſpondeant, alias procurentur.

Inter *animi paſſiones* hilaritas procuranda eſt, quia vividiores, & volatiliores particulæ ſalinæ ſpirituoſiores, & oleoſæ in noſtro ſanguine ab hilaritate procreantur, ex quibus ſpiritus fiunt animales, qui ſunt ſubtiliſſima ſanguinis pars. Exulent mœrores, triſtitia, & curæ; ex his nàmque paſſionibus multos in paralyſin, & alios languores incidiſſe obſervavimus. Omni itàque conatu hæc pathemata vitanda ſunt, nàm nervis inimica ſunt, ut artuum, linguæ &c. tremores teſtantur. Præ omnibus terror Panicus, timor, horror noſtros figunt ſpiritus, undè membra ſine ſenſu, & motu remanent, & quandòqueità veſicæ, & inteſtini recti ſphincter reſoluitur, ut fœtus, & urina involuntariè excernantur.

Ad paralyſis curationem ea conveniunt, quæ ventriculum multis ſcatentem excrementis vitriolatis, ità pro univerſali corporis purgatione ſunt emetica, quæ in apoplexiâ deſcripſimus; hæc namque motu ſpaſmodico ventriculum concutiendo, & deplendo, totum corpus ad ſudorem impellunt, & nervorum poros à vitriolato vapore coartatos reſerant, ipſumque reſoluunt, & ſpiritibus animalibus commeatum præbent, & partes ad naturalem diſponuntur tonum. Verùm ſi paralyſis ab apoplexiâ geneſim cognovit, & ægri corpus emeticis tortum fuit, cautè cum dictis medicamentis procedendum eſt, nè ex nimiâ cerebri concuſſione inſultus apoplecticus ſequatur, quia facilè repetere ſolet, & præſertim ſi ab ante abhibitis remediis virium imbecillitas adſit; tunc præſtat carthartica adhibere, ut ſunt *extractum catholicum, trochiſci alhandal, reſina jalappæ, vel vulgares pilulæ de tribus*, his nervina quoque commiſcere oportet, ut

℞ *Extract. catholici* ʒ.ß.
extract. pæoniæ gr. v.
olei ſampſuci deſtill. gutt. ij.
m. f. pilul. v. *deaurentur*

& pro unâ vice ſumantur.

Vel

℞ *Trochis. alhandal. gr.* vj.
reſinæ jalappæ ℈.ß.
ſalis volat. ſuccini gr. ij.
fiant pilulæ inaurandæ

pro unâ vice. Et etiam cautè cum purgantibus agendum eſt, & ſemper vires reſpiciantur, nè ægrum in majus ruat periculum, undè lenia purgantia fortioribus præferimus, & omnibus palmam præripiunt aloëtica.

Sublatâ humorum ſaburrâ, ad ſudorifica confugiamus oportet, quæ ſuo ſale volatili aciditatem nervorum poros præcludentem obtundunt, dulcificant, immutant, diſcutiendo tranſportant, nervos obſeratos reſerant, & liberum ſpiritibus animalibus tranſcurſum

ſum largiuntur. Sequens noſtræ compoſitionis *decoctum* pluries à nobis felici eventu expertum commendamus *ſudoriferum*, ut

℞ *Salſ. parill. minutim incis.* ℥.j.
ligni viſci quercini ℥ jß.
limatura cornu cervi,
raſuræ eboris ana ʒ.ij.ß.
ligni ſaſſafras ʒ.ß.
fol. ſalviæ,
ſampſuci ana p.ß.
infund. in aq. card. ſ. lib. ijß.

Stent in loco calido per 24. horas, poſtmodùm bulliant clauſo vaſe, ne quid exhalet, quo refrigerato, decantata abſque perturbatione. Doſis libra dimidia, propinetur mane jejuno ſtomacho, & ſtragulis optimè tectus ſudores expectet paralyticus quinto quoque vel ſexto decocto propinari poteſt apozema ad ſcorias, & fœces tartareas per alvum exturbandas, & ſi interim deſideretur lubricitas, clyſtere ſollicitetur, quia paralyticorum alvus ſtrictior eſſe ſolet. A ſudore membra reſoluta medicamentis infrà dicendis inungantur.

Poſt ſudorifera diaphoretica ſuccedunt; his enim acidum, quod in culpâ eſt, abſorbetur, demulcetur, & dulcificatur, quod niſi conſequamur, æthiopem lavabimus, ità ſunt *gummi guajacum, & cinnabaris antimonii* in deſtillatione butyri illius in collo retortæ collecta, pulveriſata, & deindè in cucurbitâ vitreâ ſublimata, ut fuſiùs in noſtrâ *Pyrotechniâ* diximus, cui addendum *magiſterium corallorum, perlarum, & oſſa humana uſta*, vel aliorum, ut

℞ *Cinnab. antim. ter ſublimati part. j.*
magiſt. corall.
perlar. ana p.ß.
oſſium uſtor. p. ij. m.

D. Car. Muſitani Trutina Medica.

Doſis ʒß. *in aquâ ſenicionis, vel cardui benedicti*, repetitis vicibus exhibeatur, quibus etiam miſcetur *ligni guajaci gummi, & antimonium diaphoreticum*, ſudor deindè excitatur aquâ ardenti.

Hûc ſpectant ſalia volatilia, quæ omnia alia excellunt medicamenta; hæc nàmque peregrinum acidum abſorbent, & obtundunt, ſuccos fermentando acidos, ſpiritus animales ad effervefcentiam excitant, hinc acida illa recrementa in turgeſcentiâ conteruntur, & rarefactâ cute eliminantur. Sunt hæc ſalia volatilia pro paralyſi cœleſtes ſuppetiæ, quia particulis volatilibus, & penetrantibus conſtant, ac nervorum tubulis ſe inſerunt, eoſque tranſcurrunt, pervadunt, & liberum ſpiritibus animalibus commeatum præbent, illiſque robur adaugent: calidiſſima ſunt, & nervis amica, ac omnibus morbis vulgò frigidis dictis conducunt, in quorum ſerie paralyſim vulgares ſtatuunt. Ità ſunt ſalia volatilia, ut *fuliginis, ſuccini, cornu cervi, viperarum, & omnium vegetabilium cephalicorum* diverſo modo combinata, alijſque antiparalyticis conſociata medicamentis.

Felicem præbent uſum in paralyſi ſpiritus ſalini volatiles, quia totum corpus pervadunt, penetrant, & in nervorum valvulas ſe inſinuant, ac in achores obſeratites ſe incuniant, illoſque temperant, obtundunt, & hebetant, ac omnem acetoſitatem deponere faciunt, ut ſunt *ſpiritus tartari dulcificatus, fuliginis, lumbricorum, cornu, cervi, viperarum, ſalis armoniaci, formicarum, liquor cornu cervi ſuccinatus.*

Præſtant omnia Martialia dulcificando, abſorbendo omnem acetoſitatem

 & nec-

& nervorum obſtructiones aperiendo, ut *tinctura Martis aperitiva n. d. vitriolum Martis, ejuſque ſpiritus*, aliaque medicamenta ex Marte parata.

Hoc idem anti-acida efficere poſſunt, ſed non tàm brevi temporis intervallo, ſed ſenſim, & producto uſu, ità ſunt *cornu cervi præparatum, ebur præparatum, oculi cancrorum, pulvis lumbricorum*, & omnia ſalia fixa per incinerationem ex vegetabilibus cephalicis parata.

Balnea naturalia, ſeu *Thermas ſulphureas* ſummoperè extollimus, in cujus defectu *Balnea artificialia ex herbis aromaticis cum radicibus, addito ſulphure, & ſale lixivioſo*, ſuſtituimus. Nec excludimus *hypocauſta, ſtufas ſiccas*, machinam ſcilicèt inſtar ciſtæ factam. Vel ſudet æger in *laconico* ad facilitandum ſudorem, & meliùs eliciendum. Verùm ad copioſiorem ſudorem excitandum excipiat æger vapores candentes ex herbis capitalibus, & aromaticis, additis *foliis ſambuci, tabaci, & ebuli*, ità ut vapores rectè feriant partem reſolutam, herbæ bulliant cum vino generoſo, æger commoretur in ſtufâ ad horam unam, aut quantùm vires ſinunt, continuetur per quatuordecim dies ſingulo mane, aut de biduo in biduum: ſed antequàm ingrediatur ſpina *oleo chamomelino*, cui parum *olei petreoli* ſit admiſtum, inungatur, & aſſumat *Mithridatii* ʒ. j. *cum guttis IV. vel V. ſpiritûs tartari*. Poſt egreſſum linteis calidis omnis exſiccetur ſudor, & in lecto quieſcat ad dimidiæ horæ ſpatium. Pro quotidiano uſu ſumat æger *conſervam anthos, florum ſalviæ, ſtœcados cum extracto Mithridatii, aut tincturâ caſtorei, cum confectione Anacardinâ cum paucâ ſolutione perlarum*, & interim dictâ utatur tenui, & pro potu *guajaci decoctum* bibat.

Proſunt etiam inunctiones in partibus externis ex oleis ſpirituoſis, & penetrantibus, ut calor, & ſpiritus ad membra reſoluta revocentur, hæc enim nervis ſunt amica, laxas roborant partes, naturalem reſtituunt tonum, illapſos obſtruentes humores digerunt, diffundunt, & hinc evenit ſpiritus liberiùs vagari poſſe, & ſuas perficere functiones, ità ſunt *oleum ex baccis juniperi, rutaceum, lumbricorum, de caſtoreo, euphorbio, oleum can haridum cum oleis aromaticis junctum, terebinthinæ, philoſophorum &c.*

Applicatur etiam utiliter *eſſentia foliorum Nicotianæ viridium cum vino generoſo, vel vini ſpiritu extracta*, Si præſertim præmiſſis ſudoribus membra paralytica diutiùs hac fricentur eſſentiâ, reſoluta enim membra facilè reſtituit, & ad ſenſum reducit. Proſunt etiam fomenta ex *urticis viridibus, nicotianæ foliis, ſalviâ, origano &c.* Rubificationes in membris *urticis* factæ frictiones cum *aquâ formicarum, & foliorum nicotianæ in vino malvatico infuſorum priùs*. Inunctiones cum *Galbaneto Paracelſi*, ut

℞. *Galbani lib.* ß.
pone in cucurbitâ ſatis amplâ, & illi affunde
Spiritûs terebinth. lib. j.

digerantur in loco calido per octo dies, & poſteà per alembicum ex cucurbitâ non ſatis altâ deſtillentur ad ſiccitatem uſq;. Hoc balſamo membra paralytica inungi debent: factâ inunctione, imponatur cataplaſma ex radicibus ſymphyti majoris in aquâ communi ad pul-

ticulam coctis, & applicatio cataplaſmatis in die ſaltim repeti debet, præcedente priùs in partibus aſperiori frictione, & aſperſo ſpiritu tartari, aut fricentur membra intincto linteo in ſpiritu tartari, poſteà inungantur, & cataplaſma applicetur. Hoc tamen aſteriſco notamus, nè olea cocta ſola, vel pinguedines applicentur; quia viſciditate ſuâ poros obſtruunt, & eâdem ratione emplaſtra improbamus. *Vini ſpiritus* omni unctuoſitate; & viſciditate caret, attamen in paralyſi maximam noxam inferre poteſt, quia totus ſulphureus, & cremabilis penitiùs ſe inſinuat, nervos nimiùm exſiccat, & rigidos reddit, ac proindè ejus uſum in partibus nervoſis reiicimus, niſi eſſentiis oleoſis conſocietur.

Vera, & genuina paralyſis curatio fit *lacte perlarum*, ſed præcipuè exhibitione *diaphoretici Paracelſi*; Mercurius enim iſte ſudorifer ut abſque ullâ evacuatione ſanat, ità citra vulgaris pituitæ revulſionem deſideratam affert opem. Imò ipſum Mercurium paralyticos nonnullos, excitatâ ſalivatione, curâſſe obſervavimus.

Si lingua paralyſi laboret (tunc impeditur loquela), poſt univerſalia, attamen vomitus non convenit, facilè reſtituitur *oleo aniſorum* linguæ aſperſo, *aquâ liliorum convallium cum vino factâ*, *caſtorei eſſentiâ cum ſpiritu vini extractâ*. *Prodeſt ſal perlarum*, & *coralliorum*, *magiſterium*, *oleum*, & *ſal volatile ſuccini*. *Oleum nucis myriſticæ*, *roris marini*, *pulegii*, *ſalviæ*. *Quinta eſſentia primulæ veris*, *eſſentia perlarum*. Ex his rotulæ cum ſaccharo, & aquis appropriatis confici poterunt, ut

℞. *Aquæ lilior. convall.*
primulæ veris ana ℥. iv.
ſacchari albi ℥. v.
Coque ad perfectionem; indè remotis ab igne, adde
olei ſuccini rectificati ℈. j.
extracti ſalviæ ℥. ij.
olei ipſius ſalviæ ʒß.
agitentur piſtillo, & fiant rotulæ ſ. a.

Aphoniam tollunt, & vocem amiſſam reſtituunt ſpirituoſa linguæ illita, ut *ſpiritus liliorum convallium*, *ſpiritus ceraſorum nigrorum*, & alia, quæ recenſuimus. Vel collui poteſt os pro hominibus tenuioris fortunæ *decocto ſalviæ in vino*. Vel confici poteſt *gargariſmus ex decocto roris marini, ſalviæ, radicis angelicæ, pyrethri, ſinapi, caryophyllorum*, *qui cum ſyrupo florum paralyſ. edulcorari poteſt.*

Si veſicæ muſculus, ſphincter appellatus, paralyſi corripiatur, (cognoſcitur, quia urinam non continet, ſed profluit) curatur medicamentis antiparalyticis, quibus additur *terebinthina*, *balſamus Peruvianus liquidus*, *trochiſci de alkakengi ſine opio*, & in ejus regione fotus adſtringens applicatur. Potus fit è *radicis cyperi*, *galangæ ana* ʒ. ij. *calami aromatici*, *nucum cupreſſi*, *balauſtiorum*. *myrti*, *cupularum glandium*, *radicis ſigilli Mariæ*, *conſolidæ majoris ana* ℥. j. *gallarum*, *thuris*, *ſeminum agni caſti*, *rutæ ana* ℈. j. *fiat decoctum in vino rubro* pro potu ordinario. Omnibus fruſtrà tentatis, & nihil, vel parùm proficientibus, hoc expertum exhibe:

℞. *Glandium* ℥. j.
galangæ ʒß.
thuris ʒ. ij.
coque in vini rubri,
aquæ ferrarior. lib. ij.

& pro potu exhibe.

Si penis in paralyſim incidat, tollitur per anti-paralytica, & foveatur *lixivio cineris priapi cervi, & tauri*, & ea præſcribenda ſunt medicamenta, quæ virilitatem extinctam curant, ut ſuo loco dicemus.

Si ani ſphincter reſolutus ſit, clyſteres ſiccantes, & adſtringentes in uſum veniant, & fiat ſequens ſuffitus, ut

℞. *Cortic. pini* ℥. j.
cortic. thuris ℥ß.
picis,
colophoniæ
thuris,
maſtich. ana ʒ. iij.
caſtorei ʒ. j.
raſuræ cornu cervi ʒß.
m. pro ſuffitu.

Multoties paralyſis ex colicâ oritur, & tunc purgantia vehementia, quæ ægrum convellunt, prorsùs vitanda ſunt. Ex purgantibus adhibetur *Diatartarus* doſi convenienti, deindè tertio quoque die ſudores provocentur. *Decoctum ſaſſafras, aqua liliorum convallium, primulæ veris* multùm hîc poteſt; juvat nimirùm ventriculum, & inteſtina, undè mali initia, ut ſuo loco dicemus.

Quòd ſi ortum habeat paralyſis à narcoticis temerè uſurpatis, vel à mercurio, vel ab aliquâ aliâ causâ, ad has reſpiciendum eſt remediis ſuo loco adducendis.

CAP. IV.

De Catalepſi.

Iure optimo poſt apoplexiam de catalepſi agere debebamus, quæ eſt apoplexiæ ſpecies, cùm qua quandam ſortita eſt affinitatem, ſed immediatè de paralyſi tractavimus, quia hæc illam quandòque veluti pediſſequa ſequitur.

Catalepſis nonnullis κάτοχος dicitur, aliis congelatio, quaſi congelati rigent, quibusdam *ſtupor vigilans cum rigiditate*, quia hoc correpti morbo ſensûs experies redduntur, & motum in toto corpore amittunt, & licet multi has voces inter ſe differre aſſerant, tamen noſtrâ ſententiâ unum & eundem ſignificant morbum; deſcribitur verò, quòd ſit repentina animæ & corporis detenſio cum ſenſuum labefactatione, & totius immobilitate, qua correpti eam membrorum poſitionem retinent, quam ante invaſionem hanc habebant, itâ ut ſi reperiantur ſedentes, ſtantes, vel ſcribentes, eandem figuram poſt correptionem retinent, ac tantùm profundæ ſpeculationi inhærere videantur, impulſi tamen nec ſenſum, nec motum voluntarium habere deprehenduntur.

Appellatur hic morbus ſtupor in genere, qui cum ſit vehementior, & validiùs incumbat, & producatur à Græcis ἔκστασις dicitur, à latinis verò exceſſus, & eſt privatio officiorum animæ ſentientis moventis, & intelligentis; fit enim ecſtaſis, quando intellectus, & imaginatio uſque adeò abducuntur à corpore ut corpus veluti deſertum animâ remaneat, atque tunc fit, ut ecſtaticorum corpora in eo jaceant ſitu, in quo reperiuntur, ſine ullo ſenſu, itâ ut etiam puncti non ſentiant, ut relatum eſt de quampluri- mis, qui in contemplationes rapti non moveantur, neque ſentiant. Qui hoc fiat diſquirendum eſt, meâ ſententiâ fit, quia

quia homines tametſi oculis ſpectent res ipſas niſi ſenſus communis advertat, ſenſus operari non videtur, & ratio eſt, quia animalia moventur propter imaginationem, ubi imaginatio ceſſat, & motus, ut videre eſt, quod ſæpè homines inter ambulandum quieſcant, quia imaginatio avertitur, & ab intellectu avocatur. Hoc ità perpenſo, non aliundè hoc evenit, quia ſenſus communis, imaginatio, & aliæ operationes ſtatim fiunt, & ubi ceſſat ſenſus communis ſtatim ceſſat ſenſuum operatio, & ubi tollitur imaginatio ſtatim tollitur & motus. In hoc affectu ſtatim illæ operationes feriant, & propterеà in eâ figurâ, in quâ invenitur homo eo tempore, in eodem etiam durante morbo, remanet. Hinc vulgò uſus obtinuit, ut ii, qui omnibus animæ ſentientis, moventis, & intelligentis functionibus privati, & quaſi mortui jacent, poſtquam evigilant, mira, quæ audierint, & viderint narrant, ecſtatici nominentur.

Hìc monendum cenſemus, quòd *Hippocrates* nomine ecſtaſis quidèm ſemper intellexit vehementem mentis emotionem, ac delirium, quod eſt de mentis poteſtate exire, aut vehementer mente moveri, & delirare, ac vehementer inſanientibus phrenitícis, ac maniacis paſſim tribuitur.

Ecſtaſis vel eſt vera, cùm mens ad cœleſtia contemplanda abſtrahitur, ſolet hic affectus quandòque â cauſâ divinâ proficiſci, ut ſunt Sanctorum ecſtaſes, quos ad plures cubitos ſupra aërem elevatos fuiſſe ad divina myſteria contemplenda, & cœleſtia arcana videnda legimus, vel dicitur raptus, ut de *Divo Paulo* fertur *epiſt.*11. *ad Corinthios.cap.XII.Scio hominem in Chriſto ante annos quatuordecim, ſive in corpore neſcio, ſive extra corpus neſcio, Deus ſcit, raptum hujuſmodi uſque ad tertium cœlum. Et ſcio hujuſmodi hominem ſive in corpore, ſive extra corpus neſcio, Deus ſcit; quoniam raptus eſt in Paradiſum: & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* An corpus non modò animæ facultatibus, ſed ipſâ animâ privari poſſit, Theologis diſcutiendum relinquimus. Vel eſt Dœmoniaca ἐκςασις ut ſagarum ſaltus. Vel eſt naturalis, qua ſomnia ſua ob imaginationis contentionem verè accidiſſe putant, apud inferos multos damnatorum animas vidiſſe, in purgatorio cum multis animalibus illis in cruciatibus detentis allocutos fuiſſe & tali, ac tali indigere ſuffragio; itèm in paradiſo angelorum choros, beatorum ſanctorum animas vidiſſe, & ſic bardis, & credulis imponunt.

Signa.

Hujus ſtupendi, & rarí affectûs ſigna ſole clariora ſunt: æger namque actutùm impetitur, obmuteſcit, rigeſcit, veluti Marpeſia cautes, & quaſi Gorgoneo capite perculſus lapideſcit, fit immobilis, ſenſus, & imaginatio intercipitur, ac in eodem ſitu permanet, in quo offenditur; ſic vigilantem, ſtantem, bibentem, edentem, ſcribentem, legentem in eo immotum ſervat, ac ſi ſaxea eſſet effigies. Æger non audit, non videt, & apertos ſervat oculos; eoſque fixos, & immobiles, palpebris rigentibus, quas nec ad minas clauduntur, nec admotis manibus, nictitant, quod certiſſimum indicium eſt penitùs, nihil eos intueri. Hoc militat in legitimâ Catalepſi, in quâ nihil

audiunt, nihil vident, eſtò oculos apertos habeant, quia mens alio attendit. Spuriâ alii audiunt, & vident, ſed loqui non poſſunt, recordantur, & poſt narrant, ſi quid ori ingeratur, degluriunt. Sic *Gal. Comm. in 1. prorreth. ſect. 2. partic. 36.* cujusdam condiſcipuli ſui hiſtoriam proponit, qui cum aſſiduo ſtudio ſe fatigaret, catalepſi correptus eſt: *Iacebat*, inquit, *ut luti lignum prorſus inflexus, rigiduſque, atque extenſus, videbatur oculis apertis nos ita intueri, ut nè conniveret quidèm, nihil tamen loquebatur. Is quoque tempore eodemque loqueremur, audire ſe dixit quamquàm non evidenter, clareque, nonnulla itèm & memoriâ tenens referebat: præſenteſque omnes ſeſe conſpicere dixit, itâ ut quorundam actiones recordatus exponeret: ſed neque loqui poſſe, neque membrum ullum movere.* Quidam etiam movere manus viſi ſunt. Alii ſi impellantur, ambulant: Milites in obſidione Metenſi haſtam in manibus tenuerunt, equites turnam ſequebantur non minus quàm non congelati. Quidam etiam ſomnia ſe vidiſſe referunt. *Fernelius lib. 5. de morborum partibus* duas refert hiſtorias, & omiſſâ unâ in altera memorat: *Alterum mortui ritu jacentem inviſi, qui neque cernebat, neque audiebat, neque compunctus ſentiebat quicquam. Facilis tamen inerat reſpiratio, & quicquid ingerebatur, promptè, vorabat: è lectulo ſublatus, ſolus inſiſtebat, impulſuſque incedebat, & quocumque vel manus, vel brachium, vel crus inflecteretur, illic quaſi fixum, vel ſtabile permanebat; expreſſam quandam dixiſſes levem, aut arte progredientem ſtatuam.*

Reſpiratio adhuc integra, & illæſa ſervatur, ſed itâ ut per intervalla ſæpè magnus ſpiritus ducatur, quod ex coſtarum, & ipſius abdominis elevatione obſervatur, quia ſpiritus in ſufficienti quantitate in organa reſpirationi dicata influunt, ſanguinis circulatio viget, quod ex pulſu naturali ſimili ſanguinem in corde legitimè effloreſcere, fermentari, & per pulmones liberè circulari apparet. Ex legitimâ ſanguinis effervelcentiâ in cerebro ſpiritus generantur, fluunt ad pectus, & reſpiratio liberè peragitur. Alvus, & urina ſupprimitur, expultrice ſopitâ, nec excrementorum ſtimulum ſentiente.

Diſtinguitur catalepſis ab apoplexiâ, quia apoplectici pulſus habent parvos, & celeres, ſed ſine febre: Cataleptici habent majores pulſus, & non ſine aliquâ febriculâ. Diſtinguitur à lethargo, quia lethargicorum pulſus ſunt debiles, molles, & inæquales: catalepticorum verò ſunt majores, & minùs molles. Poſtmodùm lethargici ſemper habent oculos clauſos: cataleptici plerùmque apertos. Diſtinguitur ab omni animi defectu, quia in animi deliquiis ægrotantium corpora ſunt frigida, & color cadaveroſus eſt: In catalepſi corpora ſunt calida, & color floridus eſt.

Veterum Cauſa.

Hujus intricatiſſimi, & admirandi affectûs cauſa adeò intricata eſt, ut veram adveniente rationem difficillimum cenſeatur. Rancidæ medicinæ profeſſores cum Antiſignano *Galeno* aſſignant nudam intemperiem frigidam, & ſiccam, vel cum humore frigido, & ſicco conjunctam, hoc eſt melancholico. *Fernelius* deceptus, à

pitui-

pituitâ, & bile fieri putavit, ſed revesà in Galeniſtarum opinamento vera catalepſis ab his humoribus non fit, ſed, ut perperàm putant, coma vigil. Hæc intemperies frigida, & ſicca poſteriorem cerebri partem occupat, eam conſtipat, & condenſat; undè nervi, qui ab eâ oriuntur, etiam condenſantur, & tenſi, ac rigidi evadunt. Talis intemperies ab externâ, vel interternâ causâ producta totum nervoſum genus occupare poteſt. Externæ cauſæ ſunt frigidum, & ſiccum anni tempus, veluti autumnus, inter quas regio cenſetur. Itèm ætas ſenilis, & qui melancholico abundant humore, huic affectui obnoxii ſunt; eapropter puerilis, & juvenilis ætas huic morbo non ſubjecta eſt, cùm humore melancholico hæ ætates non graventur. Et eſtò *Galenus*, & *Aetius* hanc affectionem in in juvenibus ſeſe vidiſſe narrent, non fuerunt veræ Catalepſes. Victûs ratio, & potus magnam huic morbo anſam præbent, & *Galenus* aliquos ſolo aquæ refrigeratæ potu in hunc morbum incidiſſe refert. Vehementes animi motus, ut curæ, mærores magnam hunc morbum producendi vim habent. Cauſæ internæ ſunt morbi diuturni, & præſertim morbi melancholici, ut quartanæ.

Catalepſis cauſæ à Galeniſtis aſſignatæ ſunt meræ nugæ, & aniles fabellæ, ac proindè tantam frigiditatem, & ſiccitatem in vivente corpore reperiri impoſſibile judicamus; Si enim in externis partibus quippiam congelari, & indurari debet, hoc neceſſe eſt, ut à ſummo gelu fiat: ergò tantò magis in partibus internis, quæ calidæ ſunt, ſi quippiam congelari debet, fieri non poteſt, niſi à re ſummè frigidâ. Sed quis in corpore vivente gelu, & frigus uſque adeò ſummum imaginari audet?

Ad cauſas procatarricas referunt Galenici aërem frigidum, pluviam, glaciem, nivem, & itinerari per loca nivoſa, & nimis frigida, ut per Alpes. Verùm eſtò verum ſit, multos, qui per Alpes, & ſimilia loca hyberno tempore itinerantur, ità congelari, ut partes extremæ moriantur, tandèm ſphacelo corripiuntur: tamen planè alterius generis eſt hæc congelatio, quæ fit à frigore hyberno, quàm de quâ hîc ſermo eſt. Nonnulli huc referunt etiam contactum torpedinis piſcis, fumum, vel inunctionem argenti vivi. Verùm, & iſta omnia potiùs ſtuporem in ſenſu tactûs, quàm Catalepſin inducunt.

Iulius Cæſar Scaliger animæ hunc exceſſum, vel à functionibus abſceſſum, aut abſiſtentiam provenire ſcribit perculſis ſpiritibus, aut receptis in intimos cordis ſinus. Verùm ſi catalepſis hoc modo fieret, animi affectus, & Syncope potiùs, quàm catalepſis excitaretur.

Sennertus novam excogitavit cauſam, quam dicit eſſe ſpiritum quendam congelantem, à quo ſpiritus animales figuntur, & immobiles redduntur: illam autem vim congelativam ab intemperie frigidâ, & ſiccâ dependere negat, ſed à qualitate quadam occultâ exoriri autumat, hujuſmodi ſpiritus congelantes in macrocoſmo reperiuntur, ut in fulmine, à quo interdùm homines rigidi, & veluti congelati redduntur; quemadmodùm refert *Cardanus* octo meſſores ſub quercu cœnantes, fulmine percuſſos fuiſſe, & eandem figuram corporis ſervaſſe, ut unus comedere videretur, alter manum poculo admovere, alius bibere, licèt

omnes

omnes eſſent exanimati. Vulgò etiam fertur vinum in dolio à fulminis ſpiritu interdùm congelari; in terræ motibus aliquandò ſpiritus quoſdam è terrâ erumpere, à quibus homines, & reliqua animalia repentè conſiſtunt, & & rigida manent.

Hoc Sennerti inventum non eſſet omninò rejiciendum, niſi ille hanc unicam catalepſeos cauſam ſtatuens, reliquas omnes expugnaret. Neque ulla neceſſitas cogit ad cauſas occultas confugiendi, quando manifeſtæ habentur, talem producendi effectum capaces, ut infrà dicemus. Prætereà fulmine tacti non cataleptici moriuntur, ſed ictu oculi uſti in cinerem rediguntur, ut ex tactu patet, ideòque eandem mortui ſervant figuram. Inſuper *Sennertus* hujuſmodi ſpiritum congelantem ab humore melancholico excitari dicit, ac proindè illius ſententia à vulgari parùm diſtat, quæ humori, aut vapori frigido, & ſicco, atque adeò melancholico catalepſis geneſim tribuit.

Michael Ettmüllerus de catalepſis geneſi ſcribens, inquit: *De Catalepſi, ſeu ut aliàs vocatur Catoche quid dicam, ferè neſcio.* Et infra: *Jn his quomodò verè ſpiritus animales ſint conſtituti, vel quodnàm eorum ſpeciale vitium ferè neſcio. Fixatos eos eſſe, minuſque mobiles, quàm naturaliter eſſe debent, certum eſt, ſimul tamen etiam eos continuo motu membra agitare, & animare, ex eo confirmatur, quod tales ſtent, ſedeant, impulſi progrediantur, & ſemper antequam figuram retineant, utut ipſi etiam hoc neſciant, hoc fateor me neſcire.* Ettmüllerus laconicè per verbum neſcio catalepſis cauſam aſſignavit, nè aliorum medicorum cenſuris redderetur obnoxius, & reverà verbum neſcio quempiam à tricis eximit.

Nonnulli meditantes è telluris cavernis ſpiritus erumpentes homines & bruta repentè in lapideam duritiem convertiſſe: ſimilem ſpiritum catalepſim inducere ſanxerunt. Cæterum ignotum per ignotius procedi, nec quis ſi talis ſpiritus, aſſignant, credimus eſſe de qualitatis occultæ naturâ, nec unquàm tales homines, & bruta in lapides verſos comperti & obſervati fuêre, ſed tantum, apud *Ovidium* legimus in metamorphoſibus.

Chymicorum ſoboles ſulphur narcoticum ſpiritus animales figens accuſant. Verum ab hoc ſulphure narcotico ſoporoſi, & non cataleptici oriuntur affectus. Nonnulli chymici hanc ſpirituum animalium congelationem, à mercuriali principio deducuntur. Alii conſiderantes Mercurium currentem à Saturno dicto citius coagulari, & in duram cogi maſſam: ſtatuerunt à Saturni ſpiritu ſpiritus animales coagulari, & fixari. Verum tot metallorum fodinæ, quot in humano corpore excogitant chymici, non reperiuntur, vel non facilis eſt illorum intra corpus injectio, vel generatio.

Noſtra Cauſa.

Aliorum authorum de catalepſis geneſi ſententiis ad noſtram adducendam deveniamus oportet, pro quà ſupponimus fluidi naturam in partium componentium rotunditate, lævitate, & æquiponderatione conſiſtere. Rotunditas, & lævitas particulis inſervit, ut facilè una ſuper alteram excurrere poſſit; nulla enim figura figurarum aptior eſt ad fluendum, quam rotunda,

&

& lævis. Æquiponderantibus corpuſculis opus eſt fluido, ut liberè expoſitum, in plano Horizontali ſe adæquare poſſit, quod illi non accideret, niſi ejus particulæ eâdem gravitate eſſent præditæ.

Verùm unâ, aut alterâ ex his conditionibus à fluido ablatâ, viriatur fluiditas; ſi enim fieri poſſet, ut particulæ fluidi corporis, ex rotundis cubicæ reddi poſſent, certè fluidum ampliùs corpus illud non erit, quia figura iſta ineptiſſima eſt ad motum, & à ſphærâ quammaximè diſtat, neque levigata, eſt, quia quatuor habet angulos ſolidos. Si inæqualis ponderis eſſent, non explanarentur ad planum Horizontale, ſed potiùs dùm unirentur, in acervum reddi poſſent, quod fluidis corporibus accidere eſt impoſſibile.

Tribus hiſce conditionibus etiam ſtantibus, poteſt fluidum ſolidum fieri, ex novorum ſcilicèt corpuſculorum ab extrinſeco advenientium admiſtione; quæ quidèm novæ particulæ inſervire poſſunt veluti tot cunei firmandis partibus fluidi; ſed quænam figura cunei ſimilior ſit, quàm ſolidus triangulus? neſcimus.

Corpuſcula triangularia in toto naturæ orbe nitroſa ſunt, & fluidam ſubſtantiam congelare poſſunt, teſte autopſiâ, & *Williſio de fermentatione cap.* 12. ſeſe inſinuando in porulos illius cuneorum munus exercent, & mobiles fluidi particulas firmas reddunt; quamobrem corpus neceſſariò ex fluido fiet ſolidum.

His ſecundum naturæ principia, quæ vera ſunt, ſtantibus, genuinam catalepſis cauſam ſtatuimus: Nervorum principium in ſuis porulis à corpuſculis nitroſis inibi à ſanguine depoſitis, vel ab aëris inſpiratu, vel à potu, & cibo geniitis, obſeratur, & obſtruitur, imò ipſæ nervorum valuulæ rigiditate percuſſæ arctè clauduntur; undè ſpiritus animales rigido carcere clauſi per nervos in artus, & muſculos propter interclusam viam fluere non poſſunt, imò miſſi ante morbi invaſionem redire non poſſunt ad regiam, ſed hinc indè excurrentes nervos, & muſculos inflant, vel quandòque denegato vehiculo, nempè ſucco nerveo fluido, qui à nitroſarum particularum influxu, quaſi gelatina redditur, in quâ ſpiritus animales veluti fixantur, & excurrere nequeunt, undè rigida, & immobilia tota membra redduntur, & hinc animæ, & corporis cum omnium ſenſuum labefactatione detenſio oritur, omniumque functionum munia intercipiuntur, & motus, & ſenſus voluntarius perit, quia ſpiritus animales ad has non influunt partes. Hinc in regionibus glacialibus, & frigidiſſimo anni tempore frequens eſt catalepſis; in his enim magna particularum nitroſarum ubertas reperitur.

Prognoſis.

Morbus hic ſicut rariſſimus eſt, ut multi ſeniores medici nunquàm illum viderint, ità periculoſam inſtituit prognoſim, & niſi tempeſtivè ægris occurratur, mors præ foribus adeſt, quia nobiliſſimam aggreditur partem, cerebrum nempè, & ſpiritus animales intercludit, & pro majori, vel minori ſymptomatum procellâ, majus, vel minus vitæ periculum portendere ſolet, & difficiliorem, vel faciliorem admittit curationem, & catalepſis exquiſita ſemper lethalis eſt, notha verò non ità. Sic ſpirandi difficultas, & interceptio, oculorum

lorum diſtorſio, excrementorum ſuppreſſio, & tandem ſumma virium imbecillitas morte morbum finiunt; intereunt enim cataleptici ſive per virium exolutionem, ſive per ſuffocationem, ubi adeò motus cohibetur, ut reſpiratio ſupprimatur. Catalepſis ſæpiſſimè in apoplexiam, epilepſiam, alioſque ſoporoſos tranſit affectus, & tunc periculoſiſſima eſt.

Si febri lentæ, & quartanæ, vel alii morbo acuto ſuperveniat, quia vires à priſtino morbo fuerunt detritæ, penitùs ſub novo collabantur neceſſe eſt, exitialis cenſetur, & ejuſdem quoque exitij eſt, ſi ſenes arripiat. Contrà verò juvenes viribus adhuc pollentes non difficulter ab hoc extricantur morbo. Solet quandòque hic morbus in phrenitidem, vel lethargum degenerare; Si in phrenitidem, æger ſeſe movere incipit quodam motu inordinato, brachia jactat, manus capiti admovet, obloquitur, & vana quædam ſemper profert; ſi in lethargum, æger ſtertit, clauſos oculos tenere incipit, & floridus color vel deperit, vel in pallidum, & cadaveroſum transformatur. Tempus, intra quod ſive ad mortem, ſive ad ſalutem terminatur morbus, breve eſt: ſi catalepſis itàque ad ſalutem terminatur, æger crepitus emittere, & jàm ſapere incipit, aliquorum recordatur, quod eſt optimum ſalutis principium, & ipſe melius ſeſe habere fatetur, & catalepticorum curatio niſi maturè acceleretur, torpidi remanent.

Veterum Curatio.

Inſtitutâ victûs ratione, mucidæ medicinæ profeſſores ſecundam medicinæ partem luſtrant, deſumptâ indicatione ab intemperie frigidâ, & ſiccâ, medicamentis calidis, & humidis utuntur, & imprimis clyſteribus acrioribus podicem ſtimulant, ſed in paroxyſmo incaſsùm laborant; expultrice nàmque ſopitâ, aluus clyſterum ſtimulum non percipit. Poſtmodùm terrificis clamoribus, extremarum partium frictionibus, arctiſſimiſque ligaturis ægrum excitare conantur, ſed fruſtrà ſaxeum ſimulacrum omni ſenſu, & motu deſtitutum excruciant. Cucurbitulis affligunt ægrotum, & præcipuè plures magnâ flammâ ceruici admovent, ſed ægro terrorem, & expergeſcentiam non incutit ignis, ac attrahendo humiditatem, adugent ſiccitatem, & pertinax redditur morbus.

His peractis, ad ſanguificinam deveniunt, & ſanguinem ex cephalicâ effundunt, verum nos à ſanguinis miſſione non abhorremus, ſed magnâ circumſpectione procedamus oportet, nè imprudenter noſtros ad orci fauces demittamus ægrotos, & eodem modo procedere debemus ac in affectibus ſoporoſis, & eò magis in hoc, ubi cauſa eſt glaciale venenum, nè phlebotomiâ ipſum calorem exſtinguamus nativum, & mortem acceleremus; admodùm itàque cautâ, & initâ priùs conſultatione mittatur, & non niſi his ſtantibus legibus, & conditionibus: Catalepticorum corpora ſint calida, eorum color floridus, venæ rubeant, & ſanguine turgeant, aliàs minimè mittendus.

Egris nonnihil ad ſe redeuntibus medicamenta præſcribunt purgantia, quæ humorem melancholicum frigidum, & ſiccum exturbant. Hæc medicamenta, quę humorem melancholicum purgant, deſcribere futile judicamus, ideòque nè cambrem recoctam pluries apponamus,

mus, conſultò prætermittimus, cùm non ſolùm tyronibus, ſed etiam lippis, atque tonſoribus pateant.

Poſt corporis depletionem ea præſcribunt medicamenta, quæ capitis intemperiem auferunt, & ea eligunt, quæ moderatè humectant, calefaciuntque, ità ſunt perfuſiones ſuper tempora *ex oleo violarum, & amygdalarum dulcium cum lacte*, quibus in progreſſu, quæ leniter diſcutiunt, immiſcent, *ut oleum anethinum, & chamomelinum*. Multi in hoc morbo acria medicamenta commendant, ſed ea humectantibus corrigunt, ut

℞ *Olei Vulpini,*
amygd. dulc. ana ℥.j.
caſtorei,
ſinapis ana ℈.j.
ceræ parum. m.
f. linimentum.

Vel digerentibus utuntur *ex oleo ſambucino cum euphorbio, & caſtoreo*, quibus futuram lambdoidem, & ſpinæ exortum illiniunt.

Curatio Noſtra.

A ſex rebus nonnaturalibus catalepſis curationem exordimur, & primò *Aer* debet eſſe benignus, ſerenus, purus, calidus, & humidus, vitetur nebuloſus, craſſus, pluvioſus, & præcipuè frigidus.

Cibus ſit boni ſucci, verùm ſolent interdùm cataleptici in paroxyſmo totum triduum ità jacere, quod cibum capere nequeant, & vulgares ægrotantis os cuneis aperiunt, & vi cibum immittunt, at quia cataleptici orbati ſunt motu, nulla deglutitio ſuccedere poteſt, & maximoperè læduntur. Inſuper in catalepſi cerebrum offenditur, & cunei adminiſtratione multò magis concutitur. Alij vulgares eruditiores, ut hos nutriant ægrotos, commodiſſimum nutritionis modum per podicem inſtituunt, adhibentque clyſteres nutrientes, quos nos alibi exploſimus. Extra paroxyſmum victûs rationem præſcribimus, quæ calefaciat, & moderatè humectet, undè commendamus cibos boni ſucci, ſed ſorbiles, & bibiles, ut jura conſumpta, panem tritum, ova ſorbilia, cerebella, vel olera, quæ non ſint ſaporis acrioris. Vitentur vaporoſi, flatulenti, fumo indurati, aliíque caput ferientes, & ſuper omnia vitentur aromata.

Potus ſit decoctum aromaticum, quod caput non lædat. Vitandus eſt vini ſpiritus, & omne vinum generoſum, quia caput ferit, inebriat, & cerebrum lædit. Aliqui vulgares vinum tenue, album, & aquoſum concedunt: verùm nos in hoc affectu, & in aliis capitis affectibus quantùm fieri poteſt, omninò à vino abſtinendum eſſe opinamur, quòd ſi aliquando concedendum eſſet, ſolummodò in manifeſtâ morbi declinatione commendamus. Tenue vinum nullatenùs caput ferire credunt, atqui vinum aquâ dilutum, & tenue factum etiam inebriat, & Ariſtoteles maculas, quæ à vino tenui, & lymphato ortum ducunt, difficiliùs auferri notat, quia hujuſmodi vinum magis penetrat. Præterea ſi vinum tenue, vel optimè dilutum alembico indatur, & leviſſimo urgeatur igne, ſtatim ſpirituoſa vini pars aſcendit, à vino itàque ſatiùs abſtinere arbitramur; eaproprer *Gal. de loc. aff.* ſemper in capitis affectibus vinum interdicit.

Somnus, & vigilia intra convenientiæ metam coërceantur, quia nimius

ſomnus caput multis vaporibus, & ſcorijs replet; vigilia multos abſumit ſpiritus, quorum vice ſylveſtribus cerebrum cumulat: cæterùm nugoſum eſt in catalepſi ſonum, & vigiliam deſignare, cùm cataleptici neque dormiant, neque vigilent, ſed eorum ſtatus eſt veluti medius inter ſomnum, & vigiliam; extra verò paroxyſmum ſomnus, & vigilia mediocritatem ſeruent.

Motus, & quies ſint moderati, verùm de motu cataleptic orum nulla fieri debet mentio, nàm toti rigidi, & immobiles à glaciali veneno, velut Marpeſia cautes redduntur; extra verò paroxyſmum motus, & quies moderatè regantur.

Excreta, & retenta ad catalepſim inducendam magnâ potiuntur vi; fæces nàmque aluinæ, lotium, ſudores, hæmorrhoides, menſtrua, lochia, narium mucus, lympha, & ſuccus bilioſus ſuppreſſa, vel retenta nimiâ morâ putredinem capiant, ſanguinem conſpurcant, & ſpiritibus obſunt, ac proindè in naturali curſu ſerventur oportet.

Animi paſſiones magnam habent energiam in gignendis, & profligandis morbis, imò actutùm plerùmque ipſam mortem, ultimam rerum lineam inducere valent; ideòque *Hip.2.Epid. ſect 4.* circa finem inquit: *Medicus debet curare, ut ægrotantibus ſecundum opportunitatem introducatur modò lætitia, modò timor, modò ira.* Animi pathemata ſpiritibus dominantur animalibus, & hos è ſuo ſolio exturbare ſolent, & non ægrè catalepſim inducere poſſunt; hæc itaque in hoc morbo ſecundum opportunitatem dirigantur.

Catalepſis ſecundum noſtram ſententiam eſt, quod nervorum principium, eorumdemque valvulæ, & ipſi nervi à nitroſis corpuſculis rigiditate perculſi, deobſtruantur, aperiantur, & naturalem adipiſcantur cavitatem, ac proindè ſucco nerveo fluido reddito, ſpiritus animales, remotis obſtaculis, in nervos, & muſculos influere poſſint pro motu, & ſenſu impertiendo.

Remedia itàque pro catalepſi tàm interna, quàm externa deſcribamus oportet, quæ ſi non ſtatim, tamen ſenſim, atque ſenſim animæ interceptæ libertatem reſtituant. Interna maximoperè emetica prodeſſe poſſunt, & inprimis *noſtrum Hippocras emeticum*, etiam in paroxyſmo, quia præterquamquòd ſaburram in ſtomacho latentem eliminat, in vehementi illo concuſſionis motu totum concutitur corpus, & præcipuè caput, undè ductus reſerantur, & multa in capite excrementa attenuantur, & reſoluuntur. Purgantia quoque extra paroxyſmum locum habere poſſunt; ſed ea, quæ à diſſitis partibus evacuant, conducunt, ut *Extractum catholicum, pillulæ divinæ, de Tribus*, & alia valdè purgantia, ſi vires conſtent, & juvenilis annuat ætas Inſuper ea convenire dicimus, quæ peculiariter caput purgant, ut ſunt errhina, & ſternutatoria, inter quæ *Gummi guajaci naturale* excellit, naribus inditum, vel *vitriolum album cum aquâ ſampſuci*, vel

℞ *Sampſuci* ℨ.ß.
hellebori albi,
ſeminis nigellæ ana ℈.j.
m. f. omnium pulvis ſubtiliſſ.

Sternutatorijs nihil proficientibus, admoveatur naribus *fumans ſpiritus ſalis armoniaci*, qui non ſolùm cataleptici vitam interceptam excitabit, verùm etiam mortuum, qui cum Charonte de naulo paciſcitur, ad vitam revocabit.

Prætereà

Præterea ea conveniunt medicamenta, quæ potentiſſimè penetrant, attenuant, deobſtruunt, & reſolvunt nitroſa corpuſcula triangularia, quæ ſuo glaciali veneno in ſuccum nerveum viſcidum redditum, & obſtruentem ſe intruſerunt, & ſpirituum animalium commercium inhibuerunt: hæc itàque requiruntur medicamenta, quæ ſpirituoſitate ſuâ ſe inſinuent, nitroſas particulas eliminent, viſcidum ſuccum extenuent, ſubtilient, & in ſuâ fluiditate naturali ſtabiliant, *ita ſunt ſalia volatilia cornu cervi, fuliginis, ſuccini, viperarum, liquor c. c. ſuccinatus, tinctura caſtorei cum ſyrupo de cinnamomo* ſigillatim, vel unitim, juxta medici libidinem, exhiberi poſſunt, vel cum diamoſc. pilulæ efformati. Inter hæc etiam ſalia volatilia acriora tùm ex plantis acrioribus, tùm ex aromatibus longè præſtant. *Sylvius ſal volatile oleoſum* ex herbis tanquàm præſtantiſſimum commendat, cujus compoſitionem tradere non piget:

℞. ſalis rutæ, vel
thymi ℥. iij.
fixi ejuſdem ℥. ij.
olei deſtill. ejuſdem ʒ. iij.

Facito ex his ſaponem, & levi calore digere, poſteà in phialâ ſublima ſal volatile oleoſum

Item *Spiritus ſalis armoniaci cum aromaticis, ut cinnamomo, nuce myriſticâ, caryophyllis deſtillatus,* & exhibitus miracula præſtat. Sequens *ſpiritus compoſitus pro catalepſi* arcanus exiſtimatur, ut

℞. Vini ſublimati lib. ß.
olei cinnamomi.
thymi.
macis ana ʒ. ij.
fœniculi ℥. ß.

Stent ſimul tamdiu, donec ſpiritus olea abſorbierit, & tunc adde
Spiritûs ſalis armoniaci ℥. iij.
& ex longâ phiala ex arenâ deſtilla, & ad uſum ſerva.

Balſamum ſanguinis humani ex noſtrâ deſcriptione *in Mantiſſâ apud Hadrianum Amynſicht* non poſſumus non commendare.

Non deſint intereà medicamenta externa, quibus nucha, & ſpina dorſi inungatur, ſed hæc ſint *ſpirituoſa, & linimenta aromatica*, ut

℞. ol. nucis myriſticæ per expreſſ.
laurini eſſentientalis ana ʒ. ij.
ol. ſuccini,
lavendulæ ana ʒ. j.
rutæ deſtill. ℈. ij.
axungiæ caſtorei ℈. j.
m. f. linimentum.

Vel ad vitanda pinguia:

℞. Spiritûs ceraſor. nigr.
aquæ Reginæ Hungar. ana ℥. ß.
tincturæ caſtorei ʒ. ß.
ſpiritûs c. c.
formicarum ana ʒ. j.
m. pro linimento.

Clyſteres extra paroxyſmum cap. de Apoplexiâ deſcripti conveniunt, in ipſo verò nequaquam, quia omnes excretiones ſunt ſuppreſſæ ob membrorum rigiditatem, & expultrix ſopita jacet. Cauteria tam potentialia, quàm actualia repudiamus, quia vita intercepta extrinſecum non ſentit cauterizantem, & eſtò quandoque juviſſe legamus, hoc per accidens, & non per ſe arbitramur.

CAP. V.

De Incubo.

QUi per ſomnum ſe ab aliquo invadi prægrandi aliquâ mole incumbente opprimi, & ferè ſuffocari putat, adeò ut nec loqui, nec ullâ ratione moveri poſſit, illum incubo laborare judicabis. A latinis dicitur incubus à mentis, ſenſuumque incubone. Græcis ἐφιάλτης ab inſiliendo nomen habens, quòd hoc morbo correpti ſe ab aliquo invadi, atque ab onere incumbente premi ſomnient, cujus affectionis tamen recordantur expergefacti, falſamque illam imaginationem fuiſſe agnoſcunt. Vocatur Strangulatio, quia, qui hoc laborant malo, ſub primum ſomnum onere ſe aliquo opprimi, & ſuffocari ſomnient, & ellò clamare, & alios in auxilium vocare velint, non poſſunt, neque etiam manus ad onus hoc, quo ſe opprimi ſomnient, amoliendum, & amovendum liberè movere valent. Dicitur ſuffocationis ſpecies, quia hoc laborantes malo in ſomno à magnâ mole ſuffocari putant. Aſthma nocturnum, quia correpti magnâ loquendi, reſpirandique difficultate laborare falsò imaginantur. *Plinius lib.* 25. *cap.*4. vocat interdùm ſuppreſſiones nocturnas, interdùm Ludibria Faunorum, & Satyrorum inquiete, & ſic Faunos, & Satyros hujus morbi auctores autumant: Vndè hoc correpti malo interdùm veluti fugere, & aliquem ſeſe amplecti, & quandòque ab aliquo ad libidinem comprimi arbitrantur. Delira antiquitas, quam floridum ſequitur vulgus in dæmonem, aſſumptâ facie humanâ, hujuſmodi ludibria, quæ contingunt, refert. Hinc forſan ortam eſſe opinamenti occaſionem de dæmonibus incubis, & ſuccubis, de quibus aliqui auctores mentionem faciunt, arbitramur, dæmones ſcilicèt aſſumptâ pulchri juvenis formâ, & humano ſemine, mulieribus ſe commiſcent, ab incubando incubi dicuntur, & aſſumptâ pulchræ mulieris facie, viri ſuccumbunt, & muliebria patiuntur, ſuccubi vocantur. Cœterùm nos adduci non poſſumus, ut dæmones mulieres comprimere, eaſque gravidare, & viros rem habere cum dæmone, & dæmonem implere poſſe credamus, cùm hi fœtus ab orbe condito ad noſtrum uſque ævum nunquàm reperti ſint.

Merlinum ex Dœmone, & fœminâ Anglicanâ natum fabulam, & merum præſtigium arbitramur, & veneficam ejus matrem in dæmonis, cui addicta erat, gratiam tantum protuliſſe mendacium ad hominum mentes præſtigandas; ut hiſtoriis proditum eſt: quæcumque etiam hiſtoriæ à variis authoribus conſcriptæ aliud commonſtrant, & vana omnia videntur, nec aliundè originem ſuſcepiſſe, quàm ex humanâ vanitate, & novitatis deſiderio, ex eventuum naturalium ignorantiâ, aut eorum negligentia, qui harum inquiſitioni profecti fuerunt: ſicuti de naviculâ cygni, de muliere crinibus apprehensâ à juvene in mari natante, de Magdalenâ angillâ Germanicâ à dæmone gravidâ, de Merlini matre &c.

Unum tantùm credere poſſumus, quòd ſi innupta, vel vidua, quæ caſta, & devota cenſetur, clàm gravidata fuerit, jurejurando, & fallacibus lacrymis nunquàm hominem in pudoris ſinum

num admiſiſſe aſſeveret ob mortis metum, gravidata interrogetur, an noctu inter dormiendum aliquo onere adeò premi ſenſerit, ut neque loqui, nec ſe movere potuerit, ſomniaverit, illa datæ hæret occaſioni, ut ſe ſarctam tectam tueatur, & cunctantèr à dæmone gravidatam fuiſſe ſanguine junctis ſuadetur, ut mulieris famæ proſpiciatur. Præterquamquòd dæmonem incubum dari, humanam formam, & ſemen aſſumere, comprimere, & gravidare mulieres adeò vulgatus eſt rumor, ut lippis, atque tonſoribus pateat. Eſt itaque merum inventum, opportunum, & impune in clandeſtinis Veneris furtis pro mulieribus remedium, nec famæ detrahitur, iſto dæmonis uxor extrinſecè denominetur mulier, quod illi parùm refert. Verumenimverò *D. Auguſtinus* de incubis, & ſuccubis de *Civitate Dei lib.*15.*cap.*23. meminit, ideòque an ſit, vel quâ ratione fiat Theologis catholicis remittimus, cùm non ſit hujus loci hæc diſquirere, & nos de hujus morbi cauſâ naturali tantùm inquiramus; non tamen, ut diximus, calidas mulieres ad tuendam æſtimationem, vitandamque meritam necem ab incubo occaſionem uſurpare negamus. Hiſce in noſtris regionibus circa incubum abuſus invaluit, & antiquitatem ſapit; quotieſcumque enim quis incubo corripitur, dicunt Monachellum (qui multis reperiretur domibus, & præcipuè ubi verſatur) ſub primum ſomnum, quia tunc ſomnus gravior eſt, ſuo onere comprimere, fortiter amplecti, & penè patientem ſuffocare, qui nec ſuffocare, nec auxilium quærere, neque onus, quo opprimitur, manibus avellere valet, & hîc lubenter mulieres, & præcipuè puellæ hoc laborant morbo, nec extra rem hujus opinamenti inventores loquuntur, deſumptâ occaſione à dæmone incubo; nàm ſæpeſæpiùs dæmon in Monachum, & Monachus in dæmonem transformatur.

Definitur ab aliquibus authoribus eſſe parvam, & tempore ſomni factam velut apolexiam. Dicitur parva, quia parùm durat, & citò liberantur patientes expergefacti; nàm motiva vis redit, remanente præcordiorum anxietate, & cordis palpitatione, & non rarò etiam diaphragmatis celeberrimâ, & violentâ vibratione. Fit tempore ſomni & præſertim primum ſomnum ob vapores à ſtomacho magnâ ciborum copiâ, & indigeſtionibus infarcto elevatos, & præſertim poſt in dorſo decubitum, in vigiliis tamen nunquàm accidit. Dicitur tandèm velut apoplexia, in quâ ſenſus, & motus deperduntur, ſed huic aſſimilis; in apoplexia n. ex toto ſenſus, & motus amittitur, & nulla eſt imaginatio: in incubo diminuitur motus, tantum adeſt imaginatio, ſed depravata, & tunc temporis non poſſunt ſe movere ægri, læſamquè habent reſpirationem cum metu ſtrangulationis; imaginantur enim ſe ab aliquo hoſte invadi, vel à Monachello, vel à ſagis, vel ſpectro vel dæmone incubante, vel ab aliquo pondere ſuffocati, & taliter ſupprimitur reſpiratio, ut ſi tempore vigiliæ aliquis aliquo gravatus pondere, prope eſſet ad necem. Hinc depravatur loquela, dum loqui nequeunt, ſed ſonum inconditum, aut boatum, aut falſum ſonum confuſum proferunt.

Breviter tamen deſcribi poteſt, quòd ſit ingens imminutio motus naturalis,

turalis, & partium voci, & reſpirationi inſervientium, nervorum in primis phreneticorum, & recurrentium dictorum à prohibitio ſpirituum per eos influxu dependens; cum falsâ imaginatione molis gravioris, ſub ſpecie ſpectri pectori incumbentis.

Virgilius incubum 12. *Æneidos* deſcribit his verſibus.

Ac veluti in ſomnis, oculos ubi languida preſſit
Nocte quies; nequicquàm avidos extendere curſus
Velle videmur, & in mediis conatibus ægri
Succidimus, non lingua valet, non corpore nota
Sufficiunt vires, nec vox, aut verba ſequuntur.

Non inutile erit illam ſolvere quæſtionem: An ſcilicèt incubus vigilantibus evenire poſſit, ſicut dormientibus accidit? Pro qua nequaquàm poſſe contingere dicimus, nàm vigilantes non ità falluntur circa imaginationem docente *Ariſtotele lib. de ſomno, & vigiliâ*, pravas phantaſias dormientibus apparere, quæ vigilantibus non apparent. Prætereà cum hujus mali non alia cauſa ſit, quam vapores craſſi impedientes facultatis animalis tranſitum hujuſmodi vapores facilè in vigiliâ diſſipantur, quòd ſi tot, tantique fuerint ut diſſolvi non poſſint, dùm vigilamus tunc potiùs epilepſiam, vel apoplexiam, quam incubum generant.

Signa.

Incubi ſigna ex his, quæ hactenus retulimus, adeo copioſè clareſcunt; ut ferè pathognomonicè commemorata videantur, & ea eſſet bis recenſere, at non p'gebit, ut noſtro inſtituto in unoquoque morbo, & medicinæ Tyronibus ſatisfaciamus, ea in compendium cogere.

Pareſcere hujus effectûs ſigna tùm ex ægri expergefacti relatione, cùm ex concumbente cum ægro hauriri poſſunt. Tali affecti malo inter dormiendum magnam in præcordiis molem, ſub ponderis alicujus incumbentis imaginatione percipiunt, undè impeditur reſpiratio, & ſuffocari imaginantur. Clamare, & auxilium petere fruſtià conantur. Aſſolent interdum fieri queruli, & gementes, attamen concumbentes, qui vigilant, ſonum obſcurum, raucum, inarticulatum, nihilque ſignificantem audiunt; vox enim ipſis aliquandò diminuitur, & interdum aboletur. Cubant immobiles velut catalepſi correpti, & vocati non reſpondent. Interdum fugere, & in ipsâ trepidante fugâ amplecti, fortiterque brachiis vinciri, & nonnunquàm ab inſequente àd libidinem cogi; & Venerea pati imaginantur, & hinc orta eſt de incubis ſomniata opinionis occaſio. Multò poſt tempore tandèm, labore, anxietate, & facto impetu expergefacti conqueruntur ægri multa, de gravi, & magno pondere, aliaque plura aperire ſolent, ità tamen ut norint ipſis interceptam fuiſſe reſpirationem, impeditam loquelam & oppreſſum corporis motum. A tanto denique periculo erepti, floridus faciei color in lucidum, & ſepulchralem immutatus apparet, remanet cordis tremor, & palpitatio, imò trepidationis & vibrationis motus, quia cor, diaphragma in ſuis motibus fuêre cohibita, & ſomno diſcuſſo ad interrupta

terrupta majori nixu redeunt munia, non aliter ac virga elaſtico motu ad ſe revertitur.

Veterum Cauſæ.

Rhaſes, & Avicennas immediatam incubi cauſam eſſe ſanguinem, at pituitoſum, & crudum crediderunt; attamen inveriſimile eſt à ſanguine cujuſcumque conditionis hoc malum fieri: nàm corpora plethorica, & athletica, ſive cacochima hoc corriperentur malo, quod tamen compertum non eſt.

Fernelius incubum ſolummodò ex crapulis, & indigeſtionibus fieri autumat, ſed Fernelij pace plures ſunt aliæ cauſæ hunc producentes morbum; narrat nàmque quidam apud *Cœlium Aurelium* Romæ aliquandò hunc morbum epidemium, & publicè graſſantem fuiſſe, & multos jugulâſſe, quaſi peſtis quædàm fuerit. Numquid tunc Romæ helluviabantur, & nunc minimè? Non ergò immediata incubi cauſa ſunt crapulæ, & indigeſtiones.

Hujus mali cauſam ad aërem frigidum, & craſſum nonnulli referunt; ſed hanc cauſam inveriſimilem deprehendimus, nàm in regionibus uliginoſis rigidâ hyeme omnes, vel ſaltèm plures incubo corriperentur, quod incompertum habemus.

Cenſuit *Averrhöes* hunc affectum eſſe intemperiem materiatem, id eſt cum humoribus conjunctam: ſed eſtò in incubo aliquam reperiri intemperiem concedamus, certum tamen eſt non ab illâ intemperie immediatè lædi actiones, ſed à morbo, cujus proprium eſt actiones lædere.

Humoriſtarum ſchola cum diſcipulis ſuis antecedentem cauſam craſſos vapores elevatos à craſsâ, & frigidâ pituitâ, aut humore melancholico in præcordiis, & circa hærentes, & poſteriorem cerebri partem obſtruentes; ac propter hos ſpiritibus tranſcurſus interdicitur, incubum producere imaginantur. Inquit n. quoties vapores multùm craſſi, & crudi à crapulâ, indigeſtionibus, vel pravis cibis in ventriculo non ritè coctis, aliiſque primis viis, & hypochondriis turgeſcunt, & agitantur, toties thorax, pulmo, & diaphragma premuntur: præſertim verò craſſo vapore illinc in fauces, deindè in cerebrum exhalante, & nervorum principia obſtruente, unà cum motu thoracis reſpirationi inſerviente, tunc reſpirationis difficultas oritur, æger ab aliquo incumbente pectori onere comprimi, & ſibi ſuffocari videtur, vox intercipitur, deindè vapor pravus imaginationis ſedem irrepit, ſpiritibus ſe immiſcet, phantaſia viſis triſtibus perturbatur, & varia ſoporis cudit ludibria: & ſicut à benignis, & ſuavibus vaporibus cum ſpiritibus animalibus miſtis ſomnia læta, & concinna oriuntur, ità à pravis prava, & terrifica, quæ mentem terrent, cuduntur inſomnia.

Generatur iſte vapor ob errorem externum, nempè ob victum craſſum, & vaporoſum, ac proindè procatarcticæ cauſæ ſunt nimia ciborum ingurgitatio, & hinc ſequens cruditas, ſomnus ſtatim à repletione, quia tunc vapores craſſiores majori copiâ ad caput elevari incipiunt, & hoc etiam accidit, dùm homo ſupinus decumbit, nàm per talem ſitum prompta fit in caput evaporatio, & vapores craſſi faciliùs ad

nucham, & poſteriores cerebri partes, ac initium ſpinalis medullæ moventur, & meatus in illo decubitu nonnihil comprimitur. Incubus etiam faciliùs excitatur in ſupino decubitu ob muſculorum motum, motum thoracis promoventium læſionem; motus n. iſte in decubitu ſupino non ità liber eſt; undè qui ſupini dormiunt, faciliùs ſtertunt, quàm ij, qui in alterutrum decumbunt latus.

Primo intuitu hæc vulgarium de incubo ſententia videtur optima, ſed ſub *noſtrâ Trutinâ* ſuos patitur manes, crapulæ nàmq; nimis ciborum ingurgitationes, ebrietates & cruditates non ſunt immediatæ incubi cauſæ, & ſi quandòque cenſetur, ſunt non cauſæ ut cauſæ apud vulgares medicos; & quandòque ſine ciborum ingurgitatione fit, undè aliis de cauſis fieri neceſſe eſt. Novimus nos quendam Sacerdotem, qui ſingulis quoque noctibus incubo corripiebatur, eſtò inopi uteretur menſâ imò ut plurimum cubitum incœnatus adibat, eſt ſolemne ſymptoma hypochondriacis incubus ad melancholiam hypochondriacam inclinantibus. Vermes in abdomine ſtabulantes pueris incubum inferunt. Præterea diximus Romæ fuiſſe morbum epidemicè graſſantem.

Craſſos imaginantur vapores à crapulis, & indigeſtionibus, vel à frigidâ pituitâ, & humore melancholico elevatos, thoracem, pulmonem, & diaphragma opprimere, hinc ad fauces deindè ad cerebrum elevari, nervos obſtruere, ſpiritus animales detineri, & vaporibus immiſtos varia cudere phantaſmata.

Vulgares appoſitè, ſi incubi cauſam collocâſſent in humoribus pituitoſis, & melancholicis, veſtigaſſent; nàm humores turgentes primò naturalia, deindè vitalia viſcera, & tandem caput ſcandunt, obſtructionem in nervorum principio, & variam ſymptomatum procellam ſuſcitare non eſt incredibile.

Vapores craſſos incumbentes, ſuffocantes, & ſpiritus animales in nervorum principio, quaſi in carcerem detruſos aſſignant; Cæterum meditari debebant à vaporibus tantum onus non inferri, ſed potiùs talium viſcerum inflationem, imò ſpiritus animales eſſe tenuiſſimam ſubſtantiam, & poſſe impunè, & abſque ullâ morâ pervadere hos craſſos vapores, nec in ſuis muniis cohiberi. Præterea in vulgarium opinamento vapores hunc affectum producentes, ſunt molles, graves, & torpidi, qui ſuâ craſſitie, & gravitate non ità facilè ſacram Palladis arcem ſcandare poſſunt, nec citò, ut citò fit, reſolveretur morbus iſte. Melius vapores agiles, & tenuiores excogitâſſent, nàm malum hoc citò fit, & citò deſinit, & durante ſomno durat, & facto vigili ægroto evaneſcit, & redeunte ſomno, redit affectus: non ergò vapores craſſi, & torpidi, ex ſomno in vigiliam celeri factâ, imò ictu oculi permutatione, tàm citò & nullâ interpoſitâ morâ diſſipari poſſunt, & morbus, qui citò fit, & citò reſolvitur, à tenuiſſimâ, & volatili causâ fieri oportet, meliùs itàque vapores tenuiſſimos aſſignâſſent.

Non eſt itàque incubus Deus, ut de Iove, Marte, & Apolline fertur, qui multis incubuêre puellis. Nec ſemideus, nec Cupido, non ſatyri, nec Fauni, ut laſcivi fabulantur poëtæ, & antiquitas decepta credidit, ſed alio

modo

modo res ſe habuit, ad cohoneſtandam nempè honeſtarum puellarum famam, & cælanda Veneris furta. Nec vetula, vel aliquod animal, vel monſtrum in ſomno opprimens. Nec Monachellus fictitius, ut bardum vulgus ſuâ ignominiâ credit, ſed vetus furtim in cœcis domûs latebris commiſſus, & horâ ſomni premit, & ſuffocat. Nec Dæmon incubus, de quo ferunt, ejus coitu mulierculas concipere poſſe, undè homines naſcuntur: id abſurdiſſimum eſſe probavimus: hoc enim Deus ſolis conceſſit hominibus. Si fortè Dæmon mulierculas ſubagitans, maſculo cuipiam ſemen ſuffurari poſſit: ineptum tamen id erit ad generationem, cùm ſubitò ſpiritus in ſemine latens evaneſcat, ubi externum offenderit aërem, cùm experientia nos doceat virum prolixum penem habentem, cum muliere coëuntem generare non poſſe, cùm in ipſo penis tranſitu ſpiritus evaneſcat, vel brevem neque gravidare poſſe ob ejuſdem ſpiritûs evaneſcentiam. Quomodò ergò Dæmon, eſtò ſit Diaboli filius, raptum ſemen ad uterum ejaculari poteſt, abſque eo quod ſpiritus non avolet? Non lamiæ, Striges, lemures &c. ut nonnulli ineptè putârunt, incubum producunt, quia hæ quodam oblitæ unguento noctè per feneſtras egrediuntur, per aëra deferuntur, longè latèque vagantes, quaſcumque januis clauſis, domos ingrediuntur, pueros incurvant, quandoque exedunt, in viridarijs gradiuntur, theatra colunt, tripudia agunt, ſonant, cantant, convivia celebrant, concubitus cum formoſis juvenibus, imò cum alternis animalibus, & ipſo Dæmone exercent, & in diverſas ſe transformant beſtias. Noſtris in regionibus nucem Beneventanam pro regiâ ſibi ſeligerunt, ut bardum vulgus credit, & ſpectaculis oblectamentis, omnibuſque rebus, quibus delectantur, juxta earum libidinem fruuntur. Itèm Dæmones, canes, lupos, leones tigrides, variaſque belluas, ſolitudines, carceres, & ſupplicia intuentur.

Quomodò id eveniat, diſquirendum; lamiæ ſe quodam inungunt unguento, cujus compoſitionem deſcribit *Ioannes Baptiſta Porta noſter Neapolitanus lib. 2. Magia naturalis: Puerorum pinguedinem aheno vaſe decoquendo ex aquâ capiunt, inſpiſſando, quod ex elixatione ultimum, noviſſimumque ſubſidet, indè condunt, continuoque inſerviunt uſui: cum hac immiſcent eleoſelinum, aconitum, frondes populneas, & fuliginem.* Vel aliter ſic: *Sium, acorum vulgare, pentaphyllon, veſpertilionis ſanguinem, ſolanum ſomniferum, & oleum ſimul conficiunt, partes omnes perungunt, eas anteà perfricando, ut rubeſcant, & revocetur calor, rarumque fiat, quod erat frigore concretum. Vt relaxetur caro aperianturque pori adipem adjungunt, vel oleum ipſius vicem ſubiens, ut ſuccorum vis intrò deſcendat, & fiat petior, vegetiorque, id eſſe in causâ non dubium reor.* Lamiarum quoque unguentum propemodùm ſimile tradit *Cardanus: Conſtat pinguedine puerorum, ſucciſque apii, aconiti, pentaphylli, ſolani, ac fuligine.* Sed tamen dormire creduntur, dùm hæc vident. Hæc unguenti inunctio eſt violentorum ſomniorum cauſa, & per ſomnum ferri videntur in diverſas regiones, atque ibi multifariàm affici, prout uniuſcujuſque fuerit temperies, unguento adjuvante. Cui non abſimile ad inducendum profundum ſomnum, longumque, adjungam hìc oleum:

℞ Lolij.
hyoſcyami.
cicutæ.
papaveris rubri,
nigri,
lactucæ,
portulacæ ana part. iv.
bacc. ſolani ſomniferi part. j.
ex his omnibus f. ol. ſ. a. l.
& pro qualibet iſtius olei ℥. j.
miſceatur opii Thebaici ℈. j.

Hinc ſumatur ℈ j. vel j. ß. & duorum dierum ſubſequetur ſomnus.

Omnes operationes, quæ à lamiis peragi vulgò dicuntur, fiunt unguenti ſomniferi ope, quia in profundiſſimum labuntur ſomnum: tanta eſt imaginationis vis, & impreſſionum habitus, ut ferè cerebri pars ea, quæ memorativa dicitur, hujuſmodi ſit plena, cùmque valdè ſint mulieres ad credendum pronitate felices, ſic impreſſiones capeſcunt, ut ſpiritus immutentur, nihil noctù, diùque aliud cogitantes. Hæ igitur operationes, & viſiones nihil ſunt, niſi ludibria, deliria, & phantaſmata ſomni, ceu exindè patet, quod ſæpè lamiæ conclavi benè clauſæ, & ſomnum capeſſentes, maritis accumbentes, manè enarraverint, quòd varias peragrâſint regiones, fuerint in theatris, convivijs, tripudiis &c. cùm tamen & conclave ſuum nunquàm egreſſæ fuerint. Et tamen hæ aniles fabellæ, inanis ludibria, & ſomni deliria, ac ſimulacra in ſomno viſa ſopitas deludunt, & bardum vulgus contremiſcere faciunt!

Non tandèm ſanguis eſt incubi cauſa, non crapulæ, non aër frigidus, & craſſus, non intemperies materialis, non vapores craſſi à frigidâ pituitâ, aut humore melancholico elevati.

Noſtra Cauſa.

Nos cum recentioribus dicimus incubum eſſe epilepſiam nocturnam, & epilepſiam parvam propter muſculorum thoracis convulſiones, quæ fiunt in omnibus inſultibus epilepticis; Dicitur epilepſia nocturna, quia noctù invadit; dicitur parva, quia brevi tempore abſolvitur, & incubus confirmatus in epilepſiam degenerat, & medicamentis epilepſiam curantibus ejus perficitur curatio. Undè in epilepſiâ adeſt reſpirationis difficultas, & ſpuma circa os apparet, quæ in incubo nullatenùs reperitur.

Eſt incubus convulſionis ſpecies, in quâ diaphragmatis primò, deindè thoracis muſculi hominis ſomnum capientis ità afficiuntur, ut laborioſus exindè reſpiret. Eſt itàque proxima incubi cauſa omne id, quod liberum diaphragmatis motum verſus inferiora impedire poteſt; hoc enim primariò quoad reſpirationem impedito, ſecundariò reliqui muſculi inſpirationi intervientes in motu impediuntur: notum nàmque eſt diaphragma eſſe primarium reſpirationis organum. Quod diaphragma comprimit, aut ſaltem ejus liberum impedit motum, primò eſſe ſolet ſtomachus viſcidâ, & mucilaginoſâ materiâ infarctus, quæ ab acido fermentante in flatus tranſit. Vel ſtomachus copioſis nimis alimentis confertus, vel tandèm omne, quod ſtomachum cumulare, & expandere valet. Hinc ſupino decubitu dormientibus frequentior contingit incubus, quia à dictis cauſis diaphragma ſurſum repelli, ejuſdemque motus verſus inferiora dilatationis, & contractionis impediri poteſt.

teſt. Hinc eruimus frugali utentes menſâ, & ſobriam amantes cœnam rarò incubo corripi: & frequentiùs crapulę, vel ingurgitationibus, vel nimiæ voracitati, præſertim in cœnâ debitos incubo laborare; ob id incubus familiaris, & frequens pueris eſſe ſolet ob nimiam, aſſiduamque ciborum lurcationem. Undè, qui ſæpiùs ob voracitatem, & ebrietatem in incubum incidunt, ut leviùs affligantur, & faciliùs morbus diſcutiatur, non dormiant ſupini, ne ventriculus diaphragma comprimat, ſed elevato capite, & in dextero latere cubant, & ſic incubum præcavent.

Pars affecta in incubo ſunt nervi, & diaphragma, hi convulſi hunc efficiunt morbum. Incubi cauſa eſt lympha acida, quæ diaphragmatis primò nervos, deindè muſculos motui inſervientes inficit, irritat, contrahit, duros, & rigidos reddit, ac motu ſpoliat: poſtmodùm in thoracis muſculos ſe inſinuat, quos inficit, & convellit; undè primò læditur, comprimitur, & impeditur diaphragmatis motus, & hoc impedito, quia præcipuum eſt reſpirationis inſtrumentum, ceſſat quoque thoracis, & pulmonis motus, nempè extenſio, & contractio, ac ſanguinis gyrus præpeditur. Et cùm nervus ex intercoſtali, & ex eodem trunco profectus ramus laryngem moveat, à nervi intercoſtalis irritatione, muſculis convulſis, ſimul etiam larynx convellatur oportet, & hinc ſtrangulationis ſenſatio emanat, deindè loquela inhibetur, & ſonus ab accumbente cum ægroto inconditus percipitur, non ſecus ac in epilepſiâ advenri ſolet, & cùm hinc ſanguinis gyrema à læsâ pulmonum reſpiratione præpediatur, incubo correpti diuâ anxietate corripiuntur.

Accidit incubus horâ ſomni, ac proindè facilè varia excitantur ſomnia, ad id animâ concurrente humanâ, percipit nàmque moleſtiam, & juxta varias objecti moleſtias varia cudit ſomnia. Quòd anima humana corporis alterationes percipiat, & pro perceptionis varietate varia cudat ſomnia, ex nocturnâ pollutiòne perſuaderi poteſt: ij, quorum in veſiculis ſeminalibus ſperma turget, dùm turgens foras erumpit, accidunt ſomnia Venerea, quaſi cum hac, vel illâ pulchrâ muliere coëant: Sicut itàque ex ſpermatis turgeſcentiâ, & ejaculatione varia excitantur ſomnia Venerea, ità diaphragmatis motus, & thoracis impeditus dat compreſſionis, & conſtrictionis ſomnia rei ſuperpoſitæ; Verùm hæc ſomnia vaga interdùm certo applicantur ſubjecto. Anima noſtra nunquàm otiatur, ſed dùm vigilamus, vel dormimus ſemper aliquid cogitat, undè dormientibus ſemper ſomniamus, & in profundiſſimis ſomnis confuſas repreſentat cogitationes. Hinc incubo laborans in ſummo certum ſibi imaginatur ſubjectum, & anima percipiens corporis alterationem, ſe premi, & ſuffocari imaginatur.

Sicut incubus dormientibus accidit, cur & vigilantibus evenire non poteſt? Nihil impedit quominùs, & in his diaphragma, & reliqui muſculi etiam interdiù convellantur. Hujus incubi vigilantes affligentis exempla vide apud *Rhod. cent. 1. obſ. 54. Smetium in miſcellaneis medicis*, & alios.

Prognoſis.

Incubus rariſſimè lethalis eſt, attamen morbus non contemnendus; ali-

qui enim ità vexantur, ut in vitæ diſcrimen adeant. Pueris, & obeſis utentibus craſſis cibariis frequens eſt, quàm adultis, & ijs, qui frugali utuntur menſà. Suâ naturâ facilis eſt affectus, ſi ratò contingat, ſed ſi frequentiùs vexet, vel præceſſerint cephalij alij affectus, epilepſiam prænunciat, aut apoplexiam, aut melancholiam hypochondriacam, quandòque maniam, vel ſubitam minatur mortem. Pueri, & obeſi quandòque hoc ſuffocantur malo; non enim rarum eſt multos hoc morbo è medio ſublatos fuiſſe tempore ſomni per modum catarrhi ſuffocativi. Si malum hoc in pejus ruat, & per noctem etiam vigilantibus eveniat, vel ſi dormientes adoriatur, deterius eſt, quia epilepſiæ propinquior, & rurſum deterius, ſi poſt expergefactionem ſpaſmus, vel ſyncope, cordis tremores eveniant, aut frigidi ſudores, de ephialtici vitâ conclamatum eſt.

Veterum Curatio.

Vulgares medici pro incubi curatione in paroxyſmo vaporem craſſum cerebri meatus obſtruentem diſcutiunt; deindè nè redeat morbus, humorem talem gignentem affectionem evacuant. In paroxyſmo, ſeu incubi inſultu ęgrum compellatione per proprium, & non appellativum nomen excitant, ſed ſub tanto preſſus pondere, neſcimus, vocantem an audiat, & excitari poſſit, cùm vita alii vacet, & exclamantis vocem non advertat. Vellicant varias corporis partes, ſed fruſtrà, nàm vellicatio cutem attingit, & morbi cauſam non adit; Deindè vapores revellunt, diſcutiunt, & diſſipant craſſos, extrema fricando, & natale incubi ſolum intactum relinquunt. Forſan extremorum fricatione craſſi vapores cerebri cuniculos obſtruentes, evaneſcunt, & reſolvuntur? Extrema vexant, peripheriam fricant, & morbi focum, ac centrum omittunt.

Nè morbus repetat, recurratque exacto paroxyſmo, pituitoſos humores redundantes ſi deprehendant, incidentibus, & abſtergentibus, *ſyrupis* nempè *de ſtæcade, oximell. ſimpl. cum aquâ majoranæ, vel bugloſſæ* præparant. Si melancholici exuberent ſucci, *ſyrupis de fumariâ ſimpl. lupulis* cum aquis ejuſdem conditionis utuntur, quibus flatus diſcutientia commiſcent. Deindè præparatos evacuant humores *pilulis Cochijs, de agarico, de lapide lazuli &c.* Vel in formâ potûs utuntur *ſyr. de fumar. mal. vel ſucc. cum confectione hamech, vel diacatholicone, aut diaphœnicone cum decocto communi ſolutivo.* Has purgationes, ſæpiùs, & per intervalla repetunt, & maximè cùm metus eſt, ne hoc malum in alium degeneret affectum.

Poſt univerſales corporis evacuationes, ſi plethora dominetur, venam cephalicam, vel communem, aut hepaticam, in mulieribus propter menſium obſtructionem ſaphenam, in viris ob hęmorrhoïdum ſegnitiem talum ſecant, & eò liberiùs ſanguinem fundunt, quò craſſiorem deprehendunt. Quandòque venam frontis, aut eam, quæ ſub linguâ eſt, ranina dicta, aperiunt. Maleferiati Galeniſtæ hoc malùm à ſanguine fieri ſupponunt, quod experientiâ falſum à nobis compertum eſt, nàm plethorici tantùm hoc corriperentur morbo. Putant ſanguinem cordis ventriculis ad breve intervallum hærere, quia craſſus, crudus, & pituitoſus eſt: Sed

ſi hoc

ſi hoc aliquam haberet veriſimilitudinem, potiùs ſyncope, quàm incubus accideret. Prætereà ſi verum hoc eſſet, cacochymiâ laborantes huic obnoxij eſſent malo, quod nequaquam accidit.

Interim ad revellentia recurrunt, ità ſunt clyſteres acres, verùm caput patitur, & podicem ſtimulant. Quid commune cum podice caput habet? Non deſunt cucurbitulæ, capitis frictiones, pectinationes, errhina, & ſternutatoria, quibus innocens, & miſerum feriunt caput, ſed non collimant ad morbum, nec centrale incubi attingunt punctum. Caput hoc aſpergunt lixivio:

℞ *flor. ſtœcados Arabicæ.*
betonicæ.
majoranæ ana m. j.
cyperi.
agarici.
macis ana ℥. ß.

Coque in ſufficienti aquæ flor. roſ. rubr. quantitate, & fiat lixivium cephalicum.

Denique ad vapores pituitoſos, & melancholicos à capite abigendos, caputque roborandum confugiunt, & ad hunc finem extollunt *electuarium Pliris archonticon cum confectione alkermes, vel Diambra miſtum* horâ decubitûs. Utile quoque dijudicant *Diamoſchum, Dianthos, vel electuarium de gemmis,* quotidiè aſſumenda bis in hebdomadâ tribus horis ante cibum. Poſt cibum, ut inhibeant vapores caput ferientes, præſcribunt Diacydonium, aut pulverem ex coriandro præparato, ſemine aniſi, galangâ nuce moſchata cum ſaccharo roſarum tabulato paratum. Manifaciunt capitis, pectoris, & ventriculi inunctionem *ex oleo chamomæleo, & anetino,* ſed hac inunctione tremur, nè cum Strigibus nucem Beneventanam adeat æger. Pro capitis integumento *pellem lupinam* commendant. O rem cachinno dignam. O ridiculum ſpectaculum. ò rictum inhumanum. Ecce ephialticum, novum lycaonem ex homine in lupum transformatum. Ridicula præſidia, quia ipſi ridiculi.

Pro coronide tandèm incubi dæmonis ope advenientis curationem ſubnectemus, (non loquimur hîc de Monachello, nàm eſt faſti ominis in domibus) hæc curatio medicamentis naturalibus non perficitur, ſed ſpiritualibus; ideòque huic malo dæmoniaco obnoxiæ ſacerdotem, virum religioſum ſuperpelliceo, & ſtolâ adhibeant, qui pſalmis, & orationibus ab eccleſiâ præſcriptis de ordine recitatis, aquâ luſtrali totam domum, & torum aſpergat, benedicatque, deindè ephialtem patiens multis ſanctorum reliquijs ſe muniat, ut omnis phantaſia, & nequitia, vel verſutia diabolicæ fraudis effugiat: ſed hoc genus dæmoniorum non ejicitur niſi in oratione, & jejunio, & Deum orare debemus, nè nos inducat in tentationem.

Noſtra Curatio.

Incubus cùm ſit breviſſimus morbus, curâ diæteticâ in ipſo inſultu non indigere videtur; nàm reſoluto paroxyſmo, evaneſcit: atqui hujus affectûs cardo in præſervatione totus conſiſtit, nè impoſterùm recurrat, & curatur, ut à magnis præſervet morbis. Curæ diæteticæ nomine ſex res non-naturales luſtramus, & primò ſe offert

Aër, qui ſit calidus, & ſiccus, nec tetris conſpurcatus expirationibus: vitetur nebuloſus, humidus, & ventis turbatus. Non moretur æger ſub ſolis, & lunæ radiis, vel ad ignem.

Cibus

Cibus ſit concoctu facilis, & optimi nutrimenti, ideòque ſe abſtineat æger ab omni alimentorum crudorum, & craſſorum genere, ut à leguminibus, paſtâ, lacticinijs, carnibus fumo induratis, flatulentis cibis, & durioris digeſtionis, nè materia craſſa, & viſcida generetur, & fermenteſcens in aciditatem, & flatulentiam abeat. Sint cibi calidi, & ſicci, qui facilè coquantur, & diſtribuantur, condianturque ijs, quæ extenuandi vim habent. Imprimis in hoc affectu ſummoperè crapula, repletio, & ebrietas vitetur. Vita ſit ſobria, menſa frugalis, & ſuper omnia cœna ab avarâ manu apponatur:

Si vis eſſe nocte levis, ſit tibi cœna brevis.

Potus ſit vinum tenue, vetulum, & dilutum, nam ſic creſcit, dulceſcit, & lædere neſcit, ac parciùs ſumendum, in quo fiat aniſorum, vel cinnamomi, vel ligni ſaſſafras infuſio. Vitetur vinum firmum, album, vaporoſum, auſterum. Si vinum non bibat æger, leviſſimâ utatur aquâ, in quâ aniſum, coriandrum, vel cinnamomum ebullierint. Vitetur craſſa, turbulenta, & paluſtris, hæc nàmque in corporibus ſtagnans, viſcidam, craſſamque generat colluviem, & præ omnibus vitentur omnia acida.

Motus, & Quies moderamen ſervent, aliàs hujus affectûs occaſiones eſſe poſſunt; à nimio enim motu ſpiritus abſumuntur, partes volatiles diſſipantur, & materiæ crudæ, ac viſcidæ progignuntur: à nimiâ quiete magnus viſcidarum, craſſarumque materierum proventus provenit, undè hic morbus, & penè innumeri alij oriuntur.

Somnus, & Vigilia intra convenientiæ limites coerceantur: ſomnus ergò diuturnus, & ſtatim à cibo admiſſus, ac ſupinus decubitus noxius eſt: itàque non actutùm à cibo, ſed duabus exactis horis, & ultra lectum repetat. Supinum decubitum quandòque ſervare poteſt, ſi æger incœnatus dormitum eat. Vigilia ſi modum exceſſerit, cruditates cumulantur, & humorum craſſities, & viſciditas congeruntur.

Alvus ſervetur lubrica, menſtrua, aliæque evacuationes ſecundum naturæ leges ſuis ſtatis periodis fluant, aliter arte urgeantur, nè ſanitati derogent.

Animi paſſiones benignæ, ut gaudium, ſpes &c. conciliandæ ſunt, contrà verò malignæ, ut curæ, ſollicitudines, præſertim mœrores, timores, iræ, rixæ, deſperationes &c. relegandæ ſunt; hæ enim affectiones vitam alterant, illi moleſtiam inferunt, & ſecundum varias alterationes, & fortes impreſſiones varia moleſta objiciunt objecta, & diſparia cudunt ſomnia, in quibus horrenda ſomniorum ſpectra, ut lemores, ſtriges, harpyæ, cadaveroſæ facies, monſtruoſi rictus offeruntur. Quandòque conſerere lites, conſerre manus, cædes parare, ædificia conflagrare, ſe in cœno, & ſordibus volutare, & gravi pondere ſe premi videtur. Vel in alto loco, & periculoſo ſe ſuſpenſum eſſe imaginatur. Ablegandæ itàque ſunt malignæ animi paſſiones, nè incubi ſint cauſæ occaſionales.

Pro noſtrâ itàque incubi curatione duplici procedimus modo, uno in paroxyſmi actu, altero extra paroxyſmum. Incubo obnoxius æger non dormiat ſolus, ſed ſemper in lecto fidum habeat Achatem, ut inſultante morbo, concutiatur, vellicetur, compellatur, & in tantâ vitæ compreſſione, & ſuffocationis imaginatione ſomno excutiatur.

Exacto

Exacto paroxyſmo, metus eſt, nè repetat, & eodem inſultante obruatur æger, vel in alium priori pejorem degeneret morbum; ideòque ut hæc declinemus diſcrimina utramque eâdem curatione complebimus paginam, & unâ fideliâ duos dealbabimus parietes.

Primò itàque ſtomachus, & primæ viæ inaniantur mucilaginoſâ materiâ, & lymphâ acidâ diaphragmatis, & thoracis muſculorum impediente motum; deindè medicamentis antepilepticis curationem abſolvimus.

Inter evacuantia emetica commendamus, ita eſt *Mercurii Vita infuſio*, *vel noſtrum Hippocras emeticum* pluribus in libris deſcriptum, vel *Tartarus emeticus Amynſicht*, quibus præſentanei correſpondent effectus; hæc nàmque mucilagines, acidamque ſaburram ventriculo, aliiſque locis infixas viâ compendiariâ per ſuperiora exturbant. Si ephialticus non ſit ad vomendum facilis, vel vomitum reformidet, utut ſit optimus, evacuationem per inferiora inſtituimus, ut

℞. *Extract. hellebori nigri* ʒ.ß.
mercurii dulcis ℈.ß.
diagridij gr. iij.
trochiſ. alband. gr. j. *m.*

& cum ſufficienti quantitate olei aniſorum deſtill. fiant pilulæ V. & deaurentur. Has pilulas in inſultu epileptico non ſatis extollere poſſumus.

Vel

℞. *Extract. catholici* ℈. *ij.*
f. pilulæ iij. & deaurentur.

Pilularum de Aloë ad ciceris magnitudinem duabus horis ante cibum continuatus uſus certo certius incubum curat; & hac ratione multi practicantes *pilulas Aloephanginas* commendant in hoc malo. Eaſdem vires, & majores, *D. Car. Muſitani Trutina Medica*, ut experti ſumus, æmulantur *pilulæ* illæ *ſine curâ* dictæ *D. Cyriaci Weberi*, quia aloën in compoſitione admittunt, ideòque in incubo pro præſervatione commendantur, quarum deſcriptio hæc eſt:

℞. *Xylocaſſiæ, cinnam. acuti, nucis moſchatæ, maſtiches electæ, cubebarum, ligni aloës liquiritiæ ana* ʒ. j. *roſar. rubearum* ʒ. *ij. rhabarbari opt.* ʒß. *ſpicæ Indicæ* ʒ. ß. *aloës ſucc. roſar. lotæ* ℥. *iij. redigantur in maſſam pilularem.*

Propinanda deindè ſunt medicamenta ſpirituoſa, & volatilia, quæ materiam viſcidam, ac acidam lympham in diaphragmate, & thorace incidendi, attenuandi, & reſolvendi energiam habent, ut *magiſterium ſuccini*, *ſpiritus ſalis armoniaci ſuccinatus*, *ſal volatile cornu cervi*, & cætera ſalia volatilia quæcumque.

Cœtera verò, quæ huic conducunt malo, ex epileſiæ curatione deſumenda ſunt, appropriata tamen recenſemus, ut ſunt, quæ omnibus palmam præripiunt, inter quæ primum tenet locum *Pæonia*, cujus radix, ſemen, & flores frequentiùs uſurpantur. *Radix* infundi, vel decoqui poteſt pro potu ordinario. *Ex ſeminibus fit emulſio*, quæ ſyr. de pœoniâ edulcoratur. *Ex floribus ponatur Tinctura.* Adjungimus ea medicamenta, quæ in epilepſiâ uſitatiùs præſcribimus, ità ſunt *flores ſtœcados, lavendulæ, anthos*, ex quibus conſervæ, vel tincturæ parari poſſunt, quas æger cubitum iturus ex cochleari ſumere poteſt. Magnoperè contra incubum, & pavores nocturnos extollitur *pulvis ſmaragdi*, & ità exhiberi poteſt:

℞. *fæculæ pœoniæ* ʒ. ß.

Smaragdi præp. ℈. j.
m. f. pilulæ iij.

& horâ unâ, vel alterâ ſumatur ante ſomnum. Multùm prodeſſe experti ſumus aquam Cinnamomi additâ Diambræ particulâ.

Aniſum in incubo appropriatum, & ferè ſpecificum eſt remedium, ſi ejus ſemen ſub lecti introitum comedatur, vel ejus ſyr. cochlear ſumatur: Verùm ejus oleum deſtillatum potenter operatur, & mira præſtat in ſomnis truculentis, & turbulentis, ſi ejus olei guttæ aliquot cum aliis permiſtæ poſt cœnam aſſumantur, præſertim puerorum pavores in ſomno mirè curat; hoc nàmque ſemen, ejuſque ſyrupus, vel oleum humores craſſos incidit, extenuat, in flatus reſolvit, & ſtomachum corrigit.

Patientis pectus, ſtomachus, & venter inungi poteſt noſtro *Balſamo Catholico*, cujus compoſitio talis eſt.

℞. *Thuris* ℥. ß.
ſtyrac. ℥ j.
benzoini ℥ iij.
myrrh. elect. ʒ vj.
balſam. Peruvian. ſolid. ℥ j.
aloës ſuccotrinæ ℥. ß.
ſemin. & flor. hyperici ℥ j.
moſchi orient.
ambræ griſeæ an. ℈ ß.

Semina, & flores hyperici inde in vas vitreum cum ſpiritus vini alkoholizati lib. iij. quod optimè obſera per 24. horas, deindè decantato ſpiritui rubore imbuto inde ſupradicta ingredientia ſubtiliter in pulverem redacta, ſtent in infuſione per xx. dies ad ſolem, vel in ventre equino, vel in cineribus calidis, & hoc exacto tempore, ſepone à fæcibus ſpiritum decantando per inclinationem, & in vaſe vitreo optimè clauſo tanquam theſaurum cuſtodi.

Catholicus dicitur hic balſamus ob univerſales, & mirabiles effectus, & omnibus morbis tàm externis, quàm internis congruit; carnes nàmque mortuas à corruptione præſervat, & perennat, undè ſi vitulinæ fruſtum, vel hoc genus aliud ter, vel quater hoc balſamo irrores incorruptibile evadet, & in mumiam abibit, quanto magis carnes vivas à corruptelâ præſervabit? Omnia vulnera tàm cæſim, quàm punctim inflicta, etiam ſclopetorum in qualibet corporis parte, tàm cum contuſione, oſſium fracturâ, quàm carnis deperditione, etiam capitis cum cranij, meningum, & cerebri læſione, abſque Trepani uſu feliciter, & tutò curat: hunc balſamum in vulnus inſtillando, parteſque adjacentes inungendo cum goſſipij imbuti applicatione, & decenti s. art. ligaturâ. Si verò vulnus ſit penetrans, ſyringa hunc balſamum immitte, nec turundis opus eſt, nàm ſunt ad curationem impedimenta phyſica, nec vulneribus emplaſtra, cerota, vel unguenta ſuperponas. Hic balſamus ſanguinem effuſum, vel grumatum volatilitate ſuâ, ſubtilitate, & ſpiritualitate penetrat, attenuat, diſcutit, & ad inſenſilem tranſpirationem ſollicitat; vel in naturalem fluiditatem, & è quiete ad motum adeò adigit, ut à venis reſorbeatur, & in vitæ gratiam redeat. Si ſuppurari incipit, ſuppurationem inhibet, & ſuppuratum in halitus reſolvit. Oſſium fracturas, ferruminat, ſolutam unit carnem, deperditam redintegrat, inflammationes prohibet, eaſque extinguit, affectas, & circum-

iras roborat partes, ſanguinis fluxus mpedit, tumores diſcutit, & dolores lemulcet. Felix erit ille Chirurgus in vulnerum curatione, qui tali potitur balſamo, ſed unà infelix, quia digeſtivo non utens vulnerati crumenam ligerere non poterit. In omnibus ulceibus in quacumque corporis parte um materiæ affluxu, intemperie, carnis excreſcentiâ, offis carie, eryſipelae, ſordidis, verminoſis, ſinuoſis, in pſâ gangrænâ, & cancro præſentaneum, & ſalutare eſt medicamentum. n aurium ulceribus non habet ſimile; umoribus adapertis præſens eſt medea. Dentium dolorem ſolo attactu tollit, ſtuporem abigit, & mobiles firmat. Gingivis exeſis, ulceratis, laxis, & putridis medetur. Fauces, & uvuam exulceratas curat. In omnibus oculorum affectibus promptum eſt medicamentum; nàm ſi in oculos gutta una inſtilletur, inflammationem, & ruborem reſolvit, fluxiones inhibet, lacrymas extinguit, vulnera, ulcera, & puſtulas conſolidat, carcinomata ſanat; maculas, nebulas, pterigia, & ungues delet, imbecillitatem roborat, viſum clarificat, & cataractam prohibet. Dolores iſchiadum, podagricum, cæteroſque articulares frequenti inunctione ſi non tollit, ſaltem demulcet. Penis carunculam mediante ſyringa abſumit. Solo olfactu capite dolentibus, vertiginoſis, & apoplecticis ſuccurrit. Flatus diſſipat, & dolores colicos ſolâ inunctione externâ ſedat. Catarrhalibus fluxionibus, tuſſi, aſthmati, empyemati, phthiſi, pulmonum vomicæ, & aliis pectoris affectibus præſentaneum eſt remedium tàm ore ſumptus, quàm pectore inunctus. Specificus eſt ſtomachicus tàm in ejus regione illitus, quàm ore propinatus; ſtomachum n. confortat, digeſtionem promovet, appetentiam excitat, & omnibus morbis indè ortum ducentibus, ut inteſtinorum affectibus, lienteriæ, cœliacæ, diarrhœæ, &c. ſubvenit. Inſigne eſt cardiacum in cordis tremore, palpitatione, lipothymiâ, & ſyncope. Alexipharmacum eſt in vulneribus venenato telo inflictis, morſu canis rabidi, viperæ, aſpidis, & ſcorpionis ictu, à veneno præſervat, ac proindè febribus malignis, & peſtilentialibus ſummum eſt benzoar. Doſis cochlear. ß. ad *j*. in vehiculis propriè morbum reſpicientibus.

Cave nè hoc in mulieribus utaris balſamo propter ſuaveolentia, quæ in compoſitione admittit, nè in hyſtericos præcipitentur affectus, pro fœminis itàque utere *unguento alabaſtrino aliquot guttis olei de caſtoreo, & balſami Peruviani, ac oleo nucis moſchatæ, & ſuccini vigorato.*

In incubo nullam de capite mentionem fecimus, cum in capitis morbis ab omnibus medentibus collocetur, ideòque facilè in epilepſiam, vel apoplexiam denegerat, Verum eſt incubum in epilepſiam, vel apoplexiam degenerare, attamen cauſam non in cerebro latere fatemur, tanquam in morbi foco, ſed aliundè advenit, ex diaphragmatis nempè motu impedito ab acidâ lymphâ, quæ ipſum, & thoracis muſculos contrahit, convellit, & impedit motum, ac proindè compatitur caput, quia illud vitales ſpiritus ob aditum in cordis ventriculis præcluſum, & pulmonis etiam motum impeditum non ſcandunt.

Incubus in epilepſiam tranſit, ſed hæc ſuum natale ſolum in cerebro non

habet, verùm aliundè caput ferit. Sic epilepſia ſuppreſſis menſibus, vel ſemine in teſtibus corrupto exorta in virginibus, vel viduis juvenculis, vel uxoribus, quæ ignavos habent maritos, & non ſunt prudentes, talis epilepſia ab utero dependet à pluribus aliis partibus pendere poteſt, puta ſtomacho, liene, meſenterio &c. & aliis etiam partibus extremis, brachio nempè, pede &c. & pluribus ſuccedit morbis, ut vulneribus, caſibus, percuſſionibus, variolis, morbilis, verminibus, puerorum dentitione &c. Hinc aura elevatur vitriolata, & volatilis, & cerebrum jaculatur, verùm antequàm ad ſacram Palladis arcem deveniat, in tranſitu viæ ſpirituum vitalium ad cerebrum pro ſuis muniis obeundis non totaliter occluduntur, & illi parvi ſpiritus aciditate imbuti in cerebro epilepſiam in actu exeruunt. Fit ſemper epilepſia ſympathicè, & medentes dùm non agnoſcunt, partem, à qua pendet, hydropathicè evenire fatentur, & partem primariò affectam non veſtigantes infelicem faciunt medecinam magno cum ægri diſcrimine, in productum, & poſterius curationem, & non in morbi fomitem, & cauſam dirigunt.

Sic apoplexia non fit in capite, ſed caput compatitur, quia ſpiritus vitalis à ſiniſtro cordis ventriculo per arterias aortas, & poſtmodùm per carotides in caput non ſcandit ob omninò interclusum aditum ab exhalationibus acidis, & auſteris exaltatis, & hinc omnes humani corporis functiones, quæ in capite exercentur, intercipiuntur, & abolentur, & oritur apoplexia. Hoc non phantaſticè adducimus, ſed ipsâ autopſiâ comprobamus, & in ſtrangulatis experimur; in quibus chorda, qua ſtrangulantur, viæ illæ, per quas ſpiritus vitalis cerebrum aſcendit, arctè clauduntur, niſi illicò, ruptis ligaminibus, quibus viæ illæ intercludebantur, & apertis viis, vitalis tranſit ſpiritus, & revocantur ad vitam. Hoc etiam in ſuffocatis, qui ſiquidèm, aquâ rejectâ, quæ ventriculum inundat, ſæpeſæpiùs ad vitam revocantur, modò non diù in ipſâ aquâ permaneant, & ratio eſt, quia ſi vitali intercepto ſpiritui illicò ſuccurratur per arteriarum, & canalium gutturalium reſerationem, redit ad ſua munia. Hinc meritò eruimus facilè incubum in epilepſiam, vel apoplexiam degenerare, ſi minor aciditas vitriolata, incubi occaſio cerebrum petat, & nervorum principium vellicet fit epilepſia; ſi major, & ad ultimum exaltationis gradum exaltetur, ut vias ſpiritui vitali omninò præcludat, fit apoplexia.

CAP. VI.

De Affectibus Soporoſis.

Affectuum Soporoſorum nomine lethargum, coma & carum comprehendimus, & apoplexiam, quàm aliqui inter hos connumerant affectus, à ſoporoſis ſejungimus. Differunt iſti affectus; nàm

Lethargus, ſive veternus eſt inexpergiſcibilis dormiendi neceſſitas, ſomnuſque gravis cum delirio, memoriâ læsâ, febre, pulſu forti, ſed aliquantulum undoſo, & faciei pallore.

Coma duplex eſt, vigil unum, ſomnolentum alterum; vigil eſt, cùm ægri

clauſis

clauſis oculis fruſtrà dormire conantur, qui tamen vigilant, & quandòque delirant, quandòque verò non, atque ex levi contactu mox cum torvo aſpectu oculos aperiunt, & extemplò in ſomnum labuntur; Somnolentum verò eſt pariter ſomnus profundus, ſed patiens ab eo excitatur, oculos aperit, reſpondet, & mox profundè indormiſcit.

Catus pariter eſt ſomnus ſine febre, ſed prædictis profundior, in quo æger excitatus vix aperit oculos, & interrogatus non reſpondet, ſentit tamen concuſſus, & integrè reſpirat.

Signa.

Signa lethargi alia futurum, alia præſentem demonſtrant; futurum arguunt capitis gravitas, dolor, tremor, aurium tinnitus, ſomnus abſque inſomniis, & frequens oſcitatio, figura corporis inter dormiendum inſueta, pulſus inæqualis, febris continua, & lenta.

Quæ præſentem patefaciunt lethargum eſt ſomnus profundus cum febre lentâ, in quo ægri profundè dormiunt, & excitati ſubitò iteratò in ſomnum labuntur. Inſignis adeſt ſtupiditas, memoriæ, rationis, & imaginationis læſio, auditus infirmus, ità ut etiam ſi altâ voce vocentur, non reſpondeant, oculos ſemper habent conniventes, crebertimè oſcitant, & inter oſcitandum ſæpè os claudere obliviſcuntur. Reſpiratio rara eſt, & debilis, pulſus magni, languidi, rari, fæces malè olent, quas excernere non recordantur: Sudant interdùm copioſiſſimè, urinam reddere obliviſcuntur, imo ſi iis matula porrigatur, aut non accipiunt, aut ſi accipiunt, mingere non recordantur, aut ſi mingunt, matulam reddere obliviſcuntur, & ſæpè etiam difficillimè urinam reddunt, & interdùm lethargici mingendi difficultate intereunt. Vultus luteus eſt, aut lividus, lingua alba, & ſalivoſa. Interdùm ſalivâ redundant lethargici, ut ab ore depellere nequeant. Præterea delirium adeſt; excitati enim reſpondent quidèm, ſed inconditè, & inconvenienter, non ſecus ac ii, qui naturaliter è profundo excitati ſomno, non adeò ſtatim, & appoſitè reſpondere valent, ſed inordinatè, & ridiculè loquuntur. Tandèm uſque adeò ſomno ſepulti recumbunt, ut ſolâ reſpiratione vivere videantur, quæ reſpiratio ſæpè fit cum ſtertore quodam.

Comatis ſomnolenti ſigna ſunt ſomnus gravis, expergefactio difficilis, ſtertor, & pulſus mollis. *Diſcriminatur* coma à caro ſtertore, quia in caro nullus adeſt ſtertor, ſed in comate; anhelitûs difficultate, nàm in comate invenitur, minimè verò in caro; pulsûs mollitie, quia in comate pulſus eſt mollis. Coma accidit tam in febribus continuis, quàm in febribus intermittentibus, ubi ægri admodùm ad ſomnum ſunt proclives, imò etiam quandòque profundè dormiunt; In intermittentibus quidèm rariùs in paroxyſmi principio, ſæpiùs tamen in ejus fine, interdùm tamen etiam obſervatur in principio ſomnus graviſſimus. In continuis febribus communiter obſervatur.

Coma vigil cognoſcitur, quia ægri modò dormiunt, modò vigilant, ut modò palpebras habent clauſas, interdùm modicè aperiunt, interdùm manus movent, furiunt, obloquuntur, mo-

ab delirant, modò ſapiunt, & quieſcunt. Hoc coma vigil, aliàs appellatur Typhomania, & in febribus malignis comes eſſe ſolet, in quibus imminentem phrenitidem, vel convulſionem portendit. Adeſt alia affectio, quæ coma vigil æmulari videtur, appellaturque à medicis vigilandi impotentia, quæ cognoſcitur, quia ſuccedit poſt febres exitiales, & ferè ſemper in fine, & in hac affectione pulſus ſunt maximè obſcuri, & minimi.

Cari ſigna ſunt: carotici profundè dormiunt, ſine motu, & ſenſu jacent, oculos ſemper habent clauſos, aut ſi aperiunt, ſtatim claudunt, reſpirationem habent magnam, ſed non multùm impeditam; febris aut nulla eſt, aut maximè lenta; in vultu, & pulſu mutatio pauca, ſed nihil omninò intelligunt, nihilque audiunt.

At quoniam carus pluribus aliis ſimilis eſt affectibus, diſtinctiva adducere oportet, ne unus pro alio accipiatur.

Diſtinguitur à lethargo, qui ſemper febrem comitatur, carotici verò febre non tentantur, quandoque lentâ laborant. Lethargici ſtimulati a ſomno excitantur, & reſpondent; contrà carotici puncti, & ſtimulati, aut non excitantur, aut excitati non reſpondent.

Ab apoplexiâ, quia in hac valdè læditur reſpiratio, in caro nullatenus læditur, & ſolâ reſpiratione differunt; qui à caro liberantur, ſani ex toto evadunt.

Ab epilepſiâ, epileptici nàmque moventur, ſpumam habent in ore; qui verò caro corripiuntur non moventur, neque ſpumant.

A ſyncope, in hac enim pulſus admodùm obſcurus, & languidus eſt, atque facies cadaveroſa; carotici pulſum magnum, & validum habent, & faciei color potiùs floridus, quàm cadaveroſus eſt.

Diſtinguitur tandèm ab uteri perfocatione, quia perfocatæ mulieres (homines non hoc tentantur malo) intelligunt, recordantur, & ferè ſine omni reſpiratione ſunt; in caro neque ægri intelligunt, neque recordantur, & conſpicuâ fruuntur reſpiratione.

Carus propriè non eſt morbus; ſed ex illo ſymptomatum genere, quæ ex externo fiunt errore, v. g. à nimiâ ebrietate: ſpiritus n. vini ſulphureus non ritè cum humani corporis ſpiritibus junctus, iis tàm confuſè permiſtus continuum infert ſomnum. Itèm opii abuſus carum inducit. Fumus carbonum in conclave præcipuè concamerato, & clauſo carum infert; carbones n. ſulphure minerali ſunt imprægnati, ac proindè figendo ſpiritus, carum inferunt. Item fumus Nicotianæ, quia inſigniter narcoticus eſt, carum producit.

Veterum Cauſæ.

Vulgares medici horum affectuum præcipuam cauſam eſſe volunt humorem pituitoſum, vel aquoſum in cerebro præternaturaliter conceptum, qui ſi copiâ non admodum magnâ copuletur, & cerebri ſubſtantiam irroret, atque refrigeret, illiuſque meatus inſenſiles obturet, comatoſum generat affectum; quod ſi putredinem concipiat, ſive in tumorem ſit collectus ſive per totam cerebri ſubſtantiam diſpergatur; lethargum efficit; ſi in magnâ copiâ eſt, & imbibitur à tota

cerebri

rebri ſubſtantiâ, earum producit.

Cauſæ à vulgaribus medicis allatæ iſplicent Hermericis, &

Primò, pituitoſus humor in multis atarrhoſis maximè abundat, qui tamen is affectibus non corripiuntur.

Secundò, quia hydrocephalo laboantes, quorum cerebrum totum aquâ ſperſum eſt, neque comatoſi, neque thargici ſunt.

Tertiò, ſectionibus compertum eſt uamplurimorum cerebrum pituitâ, & quâ fuiſſe repletum, qui tamen nunuàm ſomnum præter naturam hauerunt.

Quartò, quia multi in hos incidunt ffectus ex vini generoſi nimio potu, ui conſequenter in cerebro vini vaores calidos, & ſiccos habent.

Prætereà frigidæ regionis incolæ uamplurimis ſcatent hujuſmodi exrementis, & tamen in hos incidunt ffectus, non aliter ac alij, qui in aliis abitant regionibus, cùm deberent el perpetuò, vel ſæpè hæc pati: igiur &c.

Nonnulli vulgares ſomni cauſam à rigiditate provenire perperàm credieiunt, quia neque aqua frigida, neque ix, neque glacies utpotè ſummè frigia ſomnum inducere poſſunt. Deciiuntur in opio, mandragorâ, ſolano, multis aliis, quæ vim habent ſomum inducendi, quem ab horum friiditate oriri putant; ideòque vulgò igida ultra tertium gradum ſtatuunt. Verùm ſi horum qualitates, & vires ſeulò perpendamus, calida animadertemus; eſt enim opium non tantùm uſtui amarum, ſed acre, linguam velicat, palatum, & fauces exulcerat, itim excitat, odorem habet gravem, acilè flammam concipit, animum efferat, Venerem excitat, ſudorem provocat, dura emollit, & diſcutit. Mandragora duritics omnes, apoſtemata, ſtrumas, omneſque tumores licèt Scirrhoſos reſolvit, & *Dioſcorides* inquit mandragoræ ſuccum ebur diſſolvere, & ſic de cœteris. Videnturnè hi affectus à frigiditate pendere poſſe? Quæ frigiditate ſomnum inducere credunt, frigida nequaquàm ſunt, ſed calida. Vndè ſtyracem calefacere extra controverſiam eſt, & tamen ſoporem afferre docet *Dioſcorides.* Anethum calidum eſt, nihilominus ſomnum conciliat, teſte *Gal.6.de ſimpl.med.facult.* Lolium inter excalfacientia connumerat *Gal.* & panis, in quo fuerit, ſtupiditatem quandam, & veluti temulentiam eſitantibus parit cum inexpergiſcibili ferè ſomno. Vinum calidum putatur, & nimius vini potus profundum affert ſomnum potantibus, non minùs ac opium ſumpſiſſent, ideòque Turcæ, & Ægyptii in opii defectu, vino pro ejus ſuccedaneo utuntur, teſte *Proſpero Alpino de medicinâ Ægyptiorum lib.* 4. *c.* 1. Vini ſpiritus non tantò profundiorem, quantò potentiorem ſomnum inducit. Nec etiam quæ calida ſunt, ſomnum inducunt, ſed ob quoddam narcoticum ſulphur, quod eis ineſt.

Noſtra Cauſa.

Principium chymicorum unum, videlicèt ſulphur, tàm in mineralibus, quàm in vegetabilibus quibuſdam reperitur, quod narcoticam habet virtutem, tale eſt in Opio, hyoſcyamo, & aliis ex vegetabilibus; in mineralibus verò in vitriolo &c. Hoc in microcoſmo eſſe probant chymici, primò

ex:

ex conſtitutione; ſecundò ex commiſtione; ex conſtitutione, quia extrahitur ab homine mortuo tale ſulphur; ex commiſtione verò, quia utitur rebus tale ſulphur habentibus: alitur enim herbis, leguminibus, & frumentis, in quibus vel actu eſt, vel potentiâ hujuſmodi ſulphur; alitur quoque animalibus, quæ illis veſcuntur. In lactucâ ineſſe actu ſulphur narcoticum patet, quia cùm lactuca matureſcit, ferè ut papaver ſomnum inducit, quod non facit, cùm tenella eſt, quod deberet hoc magis efficere, ſi humiditate, & frigiditate id perageret. Præterea ex frumentis, fructibus, & leguminibus fermentatis liquor efficitur inebrians, & ſomnum inducens.

Cùm narcoticum ſulphur, vel in alimentis vel in ſanguine exiſtens exaltatur ac cerebri arcem petit, tunc cerebri pori clauduntur, & ſpiritus ad motum neceſſarium redduntur inepti ob fixationem, & ſomnus oritur; ſi non admodùm ſulphur exaltatum eſt, vel ſomnus naturalis, vel qui parùm à naturali differt, generatur; ſi exaltatur magis; & etiam incenditur tunc lethargum efficit; ſi ad ultimum ferè gradum exaltationis provenit, coma vel carum efficit; ſi ſpiritus in totius corporis partibus exiſtentes figit, catalepſim facit. Hinc facilè controverſia, quæ de ſomno præternaturali medicos angit, tollitur, qui aliquando febres comitatur acutas; nàm cum febres fiant à ſulphure, ſi ſulphur aliud de narcotico participat, neceſſariò ſomni præternaturales generantur. Aliquandò figitur vel Mercurius, vel ſal à narcotico ſulphure, & tunc affectus ferè inſuperabiles procreantur.

Quæres, quomodò probant chymici in ſulphure eſſe vim narcoticam?

Reſpondetur probare primò ex vino, cujus ſulphurea pars narcotica eſt Secundò ex opio, cujus pars inflammabilis eſt etiam narcotica, quâ ſeparatâ ab opio, opium ampliùs narcoticum non eſt.

Somnus igitur præſertim præternaturalis neque frigores, neque humiditatis ſoboles eſt, quia multoties; quorum cerebrum ſummoperè calet, & lingua ſiccatur, hi obſervantur prædictis ſoporoſis affectibus obnoxii, ut videre eſt in praxi.

Hæc, quæ adduximus, præter rationem, ferè per mechanicam, an vera ſint, unuſquiſque facilè experiri poteſt: ſed ſomni naturalis cauſam inveſtigemus oportet, ut præternaturalis cauſa magis eluceat, ideòque dicimus: In ſomno naturali omnes quieſcunt perceptiones, quæ ab externis objectis creantur, ad has efficiendas concurrunt nervi, ſpiritus, & animæ ſedes: in his igitur vel omnibus vel in uno ex his neceſſariò in ſomno aliqua fit mutatio. Objecta externa movent nervos, ſive nervorum fibrillas, à fibrillis moventur ſpiritus, à quibus animæ ſedes: quotieſcumque igitur motus hic deficit, oritur ſomnus; non oritur hoc ratione ſpirituum in cerebro exiſtentium, quia ſpiritus etiam in ſomno naturali moventur, & excitant perceptiones internas, ut videre eſt in ſomniis: ergò defectus eſt vel in ſpiritibus exiſtentibus intra nervos, vel in ipſiſmet nervis ſive in fibrillis, vel in ambobus. Carentia ſpirituum in nervis non eſt, quia vehementi motione factâ ab objecto ſenſibili excitatur ſenſio in dormientibus. fibrillæ vel poſſunt laxari, vel ità liga-

ri,

ti, ut motum non referant, laxantur à deficientiâ ſpirituum, ob quam concidunt; ligari poſſunt à materiâ quadam, ſive à cauſa coagulante: Cauſa hæc coagulans, vel poteſt eſſe frigus, vel aliqua alia. Rurſus defectus hic cùm ſit toti corpori communis, necaſſariò eſt in nervorum capitibus: cùm capita igitur nervorum vel laxantur ob ſpirituum defectum, vel à frigore, vel ab aliquâ aliâ qualitate fibrillæ ipſorum colligantur, ſomnus oritur, & quia laxitas ab humiditate etiam proficiſcitur, hinc humiditas naturalem ſomnum cauſare poteſt.

Frigus non poteſt ſic excedere in vivo homine, ut colligationem neceſſariam pariat ad ſomnum inducendum, nàm ſerpentes, teſtudines, piſces, & alia animalia, quorum cerebrum gelidum obſervatur, non dormiunt ſemper; cujus ratio eſt, quia ſpirituum animalium exiſtentium intra nervos tanta eſt tenuitas, & mobilitas, ut coartari à frigore, licèt excedenti non poſſit, exemplum habemus in vino, quod coagulatur in dolijs, illæſo manente ſpiritu. Neque humiditas præſertim ſola id efficere valet, quia fibrillarum pori anguſtiſſimi ſunt, & ſolùm ſpiritibus animalibus patent. Teſtantur hoc pueri, & qui exiſtimantur pituitoſæ temperaturæ, & qui hydrocephalo corripiuntur non ſemper dormientes. Remanet igitur, ut hoc efficiat aliqua quædam cauſa, hæc autem talis eſſe debet, ut ex ramoſis conſtet particulis ſic fabrefactis, ut nervos, ſive nervorum fibrillas colligando, ſomnum excitare valeant. Somnus igitur naturalis, vel ab hac cauſâ eſt, vel à ſpirituum deficientiâ in nervorum principio, ob quam fibrillæ concidunt, & hoc ultimo modo generatur ſomnus in ijs, qui vel à vehementi aliquo exercitio, vel à vigiliâ aliquâ immoderatâ afflicti fuêre, hæc tamen cùm valdè nimia eſt ex uſu, & viâ ſemper factâ à ſpiritibus inſomnes fiunt: quibus cauſis addi poteſt rarefactio fibrillarum cerebri à vigiliâ confecta.

Ab his quoquè cauſis præternaturalis ſomnus generari poteſt, ſcilicèt à ſpirituum indigentiâ, & narcoticâ energiâ, & quia ſpiritus communicatur per arterias jugulares, illis clauſis, ſomnus quoque fit; his comatoſi, & lethargici affectus præferendi, ſed carus validiorem requirit cauſam, vel igitur in caro ferè omnes deficiunt ſpiritus animales, vel à narcoticis ſpiritibus coagulantur, ſic ut ad omnem motum reddantur inepti, vel nervorum capita narcoticâ vi ità colligantur, ut ſpiritus animales vel fixentur ſimul cum fibrillis, vel à nervo exprimantur. In comate vigili adeſt narcotica vis, qualis in lethargo, ſed adeſt præterea motus internus ſpirituum talis, ut facilè nervos ſubire poſſint, & cerebrum ſic exagitent, ut deliria inducant.

Prognoſis.

Horum affectuum prognoſes hoc modo inſtituendæ ſunt: omnes ſoporoſi affectus ſunt periculoſi, quia *Somnus modum excedens, malum. aph. 3. ſect. 2. In quo morbo ſomnus laborem facit, lethale. aph. 1. ſect. 2.* Sed pro eorum minori, vel majori vehementiâ alius eſt alio periculoſior, & quò difficiliùs expergiſcitur æger, eò majus vitæ diſcrimen portendit. Sic lethargus comate, & carus vtroque periculoſior eſt, attamen omnes ſenibus utpluriműm

lethales eſſe ſolent propter ſpirituum indigentiam. Hi affectus perículoſiores ſunt in febribus acutis, & præcipuè ubi prægreſſæ ſunt vigiliæ, quia propter ſpirituum abſumptionem vix ſuperabiles ſunt.

In lethargo prætereà prognoſis ità ſe habet ex *lib. 2. de morbis: Lethargo affecti in ſeptem diebus intereunt.* Ibidem *lethargus ſeptimum diem excedens, ſanatur. Si lethargo parotides erumpant, vel pus ex naribus, faucibus, vel auribus effluat, & lethargus ceſſet, bonum, ſi non, lethale. In coac.* lethargo ſervari empyici fiunt i. purulenta excernunt alicubi, ſignificat enim naturæ prædominium ſupra morbificam cauſam, quam non dùm perfectè concoctam, vel ad emunctoria expellit, vel in pus converſam per naturales ductus evocat. *A lethargo tremor, malum. aph 21. ſect. 7.* Sed ſudor frequens, convulſio, & ſingultus, lethalis. Nonnulli in lethargo, alijſque periculoſis capitis affectibus ità prognoſim explorant: Si hirudo fronti impoſita non adhæreat, vel ſi pane, aut lardo frontem frices, quem vel quod ſi famelicus canis reſpuat, lethale, quæ an vera ſit, experientia te docebit.

Veterum Curatio.

Soporoſorum affectuum vulgarium deſcribere curationem, non tàm prolixum, quàm ridiculum exiſtimamus, quia eſſet eandem recanere cantilenam, quam in apoplexiâ, paralyſi, & epilepſiâ retulimus, hoc unum breviter dicemus, quòd in his affectibus ægrum magnâ voce, proprioque nomine vocitantes, omni ſtrepitu, & tumultu excitare conantur, ſed dormienti fabulam narrant, deindè ità ſoli exponunt, ut oculos radijs objiciat ſolaribus. Cutem vellicant, pungunt, pilos, capilloſque evellunt, teſticulos contorquent, frictiones celebrant validas, membrorum extremitates arctis vinciunt ligaturis, nares veteribus calciamentis ſuffumigant. Spatulis ſcarificatas apponunt cucurbitulas, veſicantia, imò vexantia applicant, & ſternutatoria uſurpant. Alii ad eandem ſoluendam, ſive evacuandam pituitam, carnes, & interſectorum animalium viſcera calida, & adhuc palpitantia capiti apponunt, qualia ſunt catulus, gallus, collumbus, & nonnulla alia. Glandibus, & clyſteribus anum ſollicitant, quaſi ani ſtercus ſopores cuderet, venas ſecant, hirudines podicis venis apponunt, & ad purgans deveniunt præſidium. Nonnulli laudant ferro candente, vel laminâ ignitâ uſtionem in occipite excitare, & id genus alia carnifica in ſomno ſepultos exercent, quæ æquè patent lippis, atque tonſoribus.

Noſtra Curatio.

Antequam ad noſtram curam pharmaceuticam, & chirurgicam pro affectibus ſoporoſis deveniamus, operæ pretium eſt, ut cura diætetica præcedat, quam in ſex rebus non-naturalibus rimamur, ideòque

Aër ſit calidus, & ſiccus, præcipuè lucidus, & purus, ut ſpiritus excitentur, alteretur odoribus ex caſtoreo, pulegio, origano, & ſimilibus, rectificetur lignis juniperi incenſis, rore marino, & folijs lauri; Vitetur nebuloſus, pluvioſus, humidus, & frigidus, talis enim ad ſoporem diſponit.

Cibus ſit tenuiſſimus, & attenuans in principio, quia ſoporoſi affectus ſunt acutiſſimi,

acutiſſimi, & in his præſtat in defectu, quàm in exceſſu delinquere. Conducunt juſcula, vel jura conſumpta per intervalla uſurpata, fiantque ex caponibus, gallinis, pullis, vel phaſianis, condianturque aceto, ſucco limonum, herbis cephalicis, cinnamomo, aliiſque aromatibus. Ægri ad cibos aſſumendos impellantur, quia dormientes parùm, & nihil curant de victu. In morbi progreſſu, & præcipuè in declinatione aliquid carnis boni ſucci, & coctu facilis concedi poteſt. Vitentur cibi crudi, flatuoſi, frigidi, ſalſi, olera, lacticinia, & præſertim amygdalatum, & ſeminum milonum emulſiones, nàm hæ ſomnum inducendi vim habent.

Potus ſit aqua hordei cum cinnamomo, vel decoctum ex præcipuis herbis cephalicis, ſed præſtat potus herbæ Theè ex aquâ fontanâ, qui ſaccharo edulcorari poteſt, vel ſit potus Caffeę, cujus vires herbam Theæ emulantur. A vino omninò abſtineat æger uſque ad declinationem, aut ſi ob ventriculi imbecillitatem aliquid vini ægroto permittendum ſit, ſit illud aquoſum, vel benè dilutum, & ſubadſtringens.

Somnus non plùs concedatur, quàm quòd viribus ſaltem conſervandis ſufficiat, productus arcendus eſt omnibus modis, & quantùm poſſibile eſt, & inprimis mox à cibo, ſaltem per unam, vel alteram horam arceatur ſomnus dulcibus amicorum colloquijs, & fabellis, quòd ſi non poſſint, & æger labatur in ſomnum, excitetur vellicationibus, pilorum, & capillorum evulſione, digitorum compreſſione, arctis vinculis ad partes extremas, & ſi neceſſitas urget, torqueatur, ut ſaltim torturâ excitetur, vel naribus *ſulphuris, caſtorei, euphorbij, piperis, galbani, vel ſagapeni fumus* admoveatur. Itèm naribus ſubdatur *ſpiritus ſalis armoniaci fumans.*

Vigilia omnibus poſſibilibus modis procuretur, & hæc eſt unicum horum affectuum medicamen.

Motùs loco, fortes inſtituantur omnium membrorum, pedum, manuumque frictiones, quæ aſperis peragantur pannis, & ſæpiùs in lecto ab uno latere in aliud voluatur æger.

Quies in his affectibus non eſt neceſſaria, ideòque meritò eam prætermittimus.

Excreta, & retenta omni conatu in ſuo ſtatu naturali conſervanda ſunt. Sed heu, ſomnus evacuationem tollit! Expergeſiat primò æger, deindè compellatur ad lotium reddendum, & veſica comprimenda ſupra pectinem, qui *oleo rutaceo cum caſtoreo* inungatur. *Aluus* pro ſcybalis egerendis enematibus glandibus, aliiſque id genus urgeatur catharticis.

Animi paſſiones, quæ his conſonæ ſunt affectibus, lætitia, & hilaritas præcellunt, ideòque accerſendi ſunt amici, qui ſemper diſcurrendo, ægri ſomnum interrumpant. Vitentur malignæ animi paſſiones, ut triſtitia, melancholia, anxietas, timor &c.

Curatio juxta noſtra principia, & ſententiam dirigitur vel ad cauſæ ablationem, vel ad ejuſdem mutationem, & depreſſionem. Aufertur cauſa nunc per vomitum, nunc per aluum, modò per ſudorem, & modò per ſternutatoria, quibus mediantibus, virus narcoticum, & concomitans phlegma cerebrum inundans feliciter eliminatur.

Evacuantia ſtatim nullâ interpoſitâ morulâ, nullaque habita temporum electione, & reſpectu propinanda ſunt; ideò-

ideòque medicus debet eſſe audax, & omni depoſito timore, & cunctatione in purgandis lethargicis, & quidèm valido medicamento, quia ſomnus omnem evacuationem tollit, & ſic incaſsùm laboraretur. Inter evacuantia primum obtinent locum vomitoria, ſi commodè propinari poſſunt, quæ admodùm proficua experti ſumus, & inter hæc præcellunt antimonialia, & præſertim noſtrum *Hippocras emeticum*, vel *mercurij vita in vino infuſio*, vel *Aqua Æſculapij ad* ℥.iij. in noſtrâ *Pyrotechniâ* deſcriptâ, vel *Nicotianæ Tinctura vini ſpiritu extracta ad* ʒ.ij. vel *ſal vitrioli albi*, ſi à ſtomacho præſertim morbi ſoporifici ortum habeant, ut ex crapulâ, vel vini nimiâ ingurgitatione, vel narcotico intempeſtivè adhibito, vel in doſi excedente, vel veneno obſtupefactivo, quod ſpiritus incraſſat, & immobiles reddit, ut ſunt Cicuta, ſolanum, hyoſcyamus, mandragora, ſtramonia &c. quæ ſomnum profundiſſimum lethargo non abſimilem inducunt: tunc vomitoria præſentaneam afferunt opem, & viâ compendiariâ ſe extricant, quod non fit per medicamenta purgantia; quæ diutiùs in peragendâ evacuatione cunctantur.

Purgantia extemplò in his affectibus exhibeantur, quia vitium eſt in morâ, & maximum pro ægroto impendit periculum, ne dulci morte quieſcat, & conſultius eſt materiam evacuare, dùm in motu eſt, quàm dùm in capite firmata eſt, & ſedem ibi fixit, quia tunc mors imminet, & à ſomno ad mortem brevis eſt tranſitus, & ſimilitudo, ut

Stulte, quid eſt ſomnus, gelidæ niſi mortis imago? Eapropter purgantia ſint valida, difficile namque eſt in profundiſſimum ſomnum demerſis purgare, quia ſomnus omnem evacuationem tollit: ideòque aſſumpto medicamento, ad completam uſque evacuationem omni induſtriâ, & artificio evocandus eſt à ſomno.

Inter purgantia maximoperè, quod *Alexandri Tralliani* ætate fuit celeberrimum purgans in affectibus ſoporoſis commendatur, ut

℞ *Caſtorei* ℈.ij.
ſcammonij prep. ℈.j.
miſce, divide in duas partes æquales.

Datur in oxymelitis ſcillitici vehiculo. Vel propinare poſſumus *extractum trochiſcorum Alhandal ad gr. x. & caſtorei gr. viij.* Vel *extractum catholicum*, vel *pilulæ Angelicæ*. Vel quia dormientes non facilè degluiunt, appropriatum purgans erit *ſpiritus aureus Martini Rulandi*. Ex officinalibus *pilulæ cochiæ ad* ʒ.jß. exhiberi poſſunt.

Si medicamenti purgantis æger non ſit capax, vel illud aſſumere nequit, tunc clyſmatibus fortiter ſtimulantibus uti poſſumus, qui parari debent ex herbis ſale volatili uberibus, ut ſunt *ſampſucus, origanum, radix pyrethri ſalvia, centaurea minor, ruta &c. Ex his fiat decoctum in ſufficienti aquæ quantitate, in qua bulliat pulpæ colocyntidos* ʒ.jß. *in petiâ ligata, fiat colatura, in quâ diſſolue fellis tauri* ʒ.j. & injiciatur. Vel adhiberi poſſunt glandes acres, & ſuppoſitoria acuta oleo colocyntidos illita, ſed ani ſtercus ſomnum non cudit.

Ani remediis nihil proficientibus, & ſopitos non excitantibus, ad naſi medicamenta recurrendum eſt, quæ *ſternutatoria* dicuntur, quia iſta tales habent particulas rigidas, & de acrimoniâ participant, & ſtatim ac membranulas attingunt, illas vellicant, & ſpiritus ad motum ſpaſmodicum, & excretorium

torium irritant, & à ſomno ſopitos excutiunt ſpiritus, quorum formula eſſe poteſt.

℞ *Hellebori albi,*
piperis albi,
caſtorei ana ℈.j.
fiat pulvis.

Vel

℞ *Sem. nigellæ* ℈.j.
euphorbij gr. vij.
turbit,
gummi guajaci ana ʒ ß.
m. f. pulv. ſubtiliſſ.

Quæ ſternutatoria per calamum, vel pennam naribus inflantur.

Vel

℞ *Vitrioli ad albedinem calcinati* ʒ.j.
ſolue in aqua ſampſuci ℥ j.

Qui liquor naribus attrahatur, & eſt elegans ſternutatorium.

Quòd ſi nec ſternutatorijs in ſomno ſepultos ad vitæ munia reducantur, ad veſicantia, idest ad vexantia tranſeundum eſt, ut

℞ *Cantharid.* ℈.ß.
euphorbij gr. x.
caſtorei gr. xv.
fermenti acerrimi ʒ.ß.
m. pro veſicante.

Veſicantia ad Endimionis ſomnum dormientes idonea arbitramur, hæc quia cantharides admittunt, quæ ſale volatili cauſtico, & ſulphure inflammabili abundant, facilè etiam extrinſecè ſe inſinuant, ſpiritus à veterno excitant, in motum irrequietum impellunt, efferos reddunt, ac proindè magis excubias agunt.

Tutiùs ad ea medicamenta, quæ penetrant, & particulis ſubtilibus, & ſpirituoſis conſtant, confugimus; quia hæc ſpiritus veterno coërcitos ſuſcitant, ad volatilitatem reducunt, eoſque irritant, & in motum adigunt, poros volatilitate ſuâ penetrant, reſerant, & ingenuum, ſuique juris ſpiritibus commeatum permittunt, hujuſmodi ſunt *Balſamus ſanguinis humani n. d. in Mantiſsâ, ſalia volatilia ſuccini, cornu cervi, liquor cornu cervi ſuccinatus, ſpiritus fuliginis, ejuſque ſal tàm volatile quàm fixum, ſpiritus ſalis armoniaci aromatizatus &c.* in diverſis formulis exhibita.

Horum affectuum ſoporoſorum cauſa narcoticæ energiæ depreſſione mutatur, & ad hunc ſcopum excellens eſt pro his affectibus eliminandis, ut lethargo, comate, & caro, ac multis alijs morbis, ut apoplexiâ, vertigine, affectibus ſtomachi, malo hypochondriaco, podagrâ, dolore nephritico, confortandâ memoriâ &c. herba *Thee*, quæ modernis eſt uſitata. Eſt plantula Chinenſis, & Japponenſis foliis myrtinis, hæc coquatur in aquâ iſtiuſque decocti, & aromaticum acquirit ſaporem. Qui hoc utuntur decocto aliquot dies, & noctes inſomnes ducere poſſunt ſine laxitudine, & ingenii labe, imò egregiè ingenium acuit.

Deprimitur ſoporis cauſa ab eſſentiâ caſtorei, & ab omnibus illis, quæ opium corrigunt. Opium corrigentia in noſtrâ *Pyrotechniâ* docuimus, ejuſque tincturam acidis extrahi, quia ità opium deponit ſuum ſulphur venenoſum, fœtidum, & vaporoſum, in quo omnis vis obſtupefactiva conſiſtit, quod cerebrum lædit, & attenuatum citiùs ſuam exerit malignitatem: acida autem, ut acetum, ſuccum aurantiorum, berberum, citri, limonum eâ de causâ eligimus, quod ſicut humorum acrimoniam, ità & narcoticam vim acida hebetant, & ſpiritus narcoticos

ſigunt, & deprimunt. Undè in omnibus affectibus ſoporoſis nullum præſtantius reperitur medicamen, quàm acida. Salutariſſimus quoque in hiſce profundè in ſomno ſepultis eſt ſulphuris, vel vitrioli ſpiritûs acidi uſus in magnâ doſi inſtillatus in acetum vini, & ea ægro profundiſſimè dormienti per os exhibita. Pro robuſtioribus doſis ſpiritûs vitrioli, vel ſulphuris poterit eſſe drachma una, imò in inſpergiſcibili ſopore adhuc major, additis cochlearibus aceti, & agitatione probè invicèm miſtis, totam miſturam pro unâ vice altè dormienti propina. In defectu acidorum ſpirituum: ℞ *Chelidonium majus, & cum radice conquaſſatum recèns in aceti vini lib. j. obtectâ ollâ, ad tertiæ partis conſumptionem decoque*, & colaturæ hauſtulum ℥. IV. vel v. patientis ori infunde.

Caſtoreum ſumptum corrigit opij virulentiam, & idem ſomnolentiam ab opio introductam etiam corrigit, ideòque in affectibus ſomnolentis, & ſoporoſis, ut lethargo, comate, & caro expertum eſt remedium tàm ſolum, quàm cum appropriatis, & etiam cum purgantibus, ut retulimus. Hinc *caſtoreum in aceto ſolutum, & in ſpongiâ*, vel linteis naribus applicatum eſt egregium ad lethargicos excitandos experimentum; nam acetum etiam opium corrigit, & ad arcendum ſomnum, & vigilias inducendas, eo magis cum caſtoreo admodùm conducit. Fit ex *caſtoreo extractum, tinctura, eſſentia, & oleum*, quæ omnia affectibus ſomnolentis appropriata ſunt remedia.

Crocus in affectibus ſoporoſis, & præcipuè in caro mirè commendatur pro interno uſu cum aceto, ſed in moderata doſi; corrigit namque & figit opium, & opij ſulphur volatile virulentum omninò deſtruit. Undè etiam à quibuſdam in præparatione laudani opiati aſſumitur.

Capiti abraſo hoc emplaſtrum magno cum juvamine ſuperponi poteſt, ut.

℞ *Succi apii,*
aceti acerrimi q. ſ.
& cum caſtorei pulvere
fiat emplaſtrum.

Sed ægregium proponit *Paracelſus* experimentum in ſopore lethali peſtilentium, vel malignarum febrium Vol. I. de peſte ad civitatem Sterzingenſem p. m. 597.

℞ *Betonicæ,*
majoranæ,
ſalviæ,
roſ. ſylveſtrium,
flor. ſambuci ana m. j.

Coquantur in dimidiâ parte vini, & aceti roſacei, ut aliquantulùm bulliant. Exprime, & herbas capiti impone. Refrigeratas in prædicto vino, & aceto iterum imbue, ſeu calefac, & denuò applica. Id ſæpius iterandum eſt. Ità ſomnus lethifer miteſcet, & naturalis fiet, ac ſine noxâ vaneſcet.

Tinctura lunæ, & lunare bezoarticum non tantùm in ſopore præternaturali magnam habet efficaciam, verùm etiam in omnibus capitis affectionibus.

CAP. VII.

De Somnambulis.

HUc ſpectat de *Somnambulis* aliquid dicere, & pauca attingemus, nàm hæc affectio infrequens eſt, & perpaucos adoritur. Mira, & vix credibilia, ac omnem ſuperant fidem ſomnam-

ſomnambulorum opera, & vigilantibus inimitabilia, quorum exempla varii congerunt authores, quæ brevitatis gratiâ non commemoramus. Unam tantùm hujus admirandi ſoporis obſervationem in medium afferemus, cujus teſtis oculatus fui: Habebam amicum, cum qui eaſdem incolebamus ædes, hic intempeſtivâ nocte ſtrato ſurgebat, & forâs efferens pedem, in proximam dirutam ſe conferebat domum, huic præter muros, & ſolos trabes in parte ſuperâ nil aliud reſtabat, niſi præcipitium ad imi planitiem uſque, nàm præceps abduxerat omnia lapſus. Hic gradus aſcendens, in domûs cacumine de trabe in trabem ſaliebat, & reſaliebat, & id iteratò peragebat; quadam nocte cùm exeuntem deprehendiſſem, eum inſecutus fui (furtivè evigilabam) ad domûs faſtigium uſq; & cùm aſpexiſſem de trabe in trabem ſalientem, nàm Phœbi ſoror noſtrum orbem fulgore replebat: ut vidi, ut perij, & & vox faucibus hæſit, exclamare pertimui, ne ſe præcipitem daret, tacitus orabam pro ejus incolumitate, multas fundens preces. Tandèm exacto tripudio, domum redeuntis preſſi veſtigia, obſerato oſtio, & ſcuticâ arreptâ profundè dormientem ad vibices uſque diverberavi; ſimulabam enim canem è culinâ ei cere, & quoties id intempeſtivâ nocte peragebat, ſtatim ac januam attingebat, ad verbera recurrebam, tandèm ob incuſſum metum à tam perniciosâ noctambulatione eum impoſterùm vindicavi.

Noctambulus eſt ſopor ità profundiſſimus, ut, quos prehendit, manè è ſomno excitati, eorum opera quæ perpetrant, non recordentur; etenim ſani, & dormientes, inſcii impelluntur, & coguntur, adeò ut nocte intempeſtâ profundè dormientes, è lecto ſurgunt, & profundè dormientes, clauſis oculis, ambulant, ac vigilantium more munia exercent, imò mirabilia exequuntur, quæ ſole meridiano vix fieri queunt, cubiculi fores ſerâ aperiunt, & claudunt, ambulant, per diverſa loca circumvagantur, loquuntur, ſcribunt, legunt, quod ſcribunt; rident, cachinnantur, gladium evaginant, ſtringunt, digladiantur, feriunt, occidunt, tranant flumina, natant, nonnunquàm murorum faſtigia, necnon tecta aſcendunt, atque hinc inde imperterritè repunt, & demùm rursùs promptè deſcendunt. Tùm demum domum repetunt, januam aperiunt, & obſerant, in lectum ſe reclinant, ac reliquum ſomni quiete tranſigunt, & manè expergefacti omnium ſunt immemores.

Signa.

Somnambuli noctù ſurgunt; & dormientes ambulant, & expergefacti, eorum quæ gerunt, non recordantur, aut ſi recordantur, ea ſomnia eſſe imaginantur. Quæ agunt dormientes, varia ſunt, & ut alii vigilantes aliis occupantur, ità variæ ſunt ſomnambulorum actiones, ut ex hiſtoriis quiſque colligere poteſt. Et quis dicere poteſt vitam noſtram non eſſe continuum ſomnium, & omnia ea, quæ agere putamus vigilantes, non agamus dormientes? Aliqui clauſis oculis, alii apertis, ſuas exequuntur operationes. Neque enim ſeras aperiunt, avium pullos è nidis extrahunt, obviam factis de viâ cedunt, vel alia, ad quæ viſus requiritur, peragunt, oculis clauſis efficere poſſunt.

Veterum

Veterum Cauſæ.

Quænam hujus ſomnambulationis cauſa ſit, hoc opus, hic labor eſt, hæc cordatorum medicorum ingenia torſit, nec ea, quam afferunt ratiocinationi ſatisfacit. Humoriſtarum medicorum vulgus hujus affectûs cauſam in quatuor humoribus rimatur, non aliter ac ſues in cœno ſe volutantes, eſcam exquirunt. Aliqui in melancholicæ, quidam in colericę,alii pituitoſę,&demùm aliqui ſanguineæ corporis complexioni hanc adſcribunt cauſam, adduntque cerebrum humidum, quod condenſet illos vapores ex inferioribus partibus aſcendentes. Cæterùm circa has complexiones fruſtrà volutantur, cùm ſufficientem hujus affectionis cauſam non aſſignent. In quacumque etenim corporis complexione, ſeu temperamento tàm melancholico, quàm bilioſo, tàm pituitoſo, quàm ſanguineo hanc affectionem accidere poſſe teſtis eſt ipſa experientia, ſed talis complexio hujus affectus non eſt cauſa.

Daniel Sennertus, relictis humoriſtarum næniis, vaporem pro hujus causâ deſignat, talem penè vim obtinere inquit, qualem illa narcotica, quæ ſenſus ligant, & unà plurima ſomnia, eaque clara excitant. Verùm ad narcotica confugiens, ſomni tantùm, non verò noctambulationis cauſam adducit, & maximum inter ſomnum, & noctambulationem diſcrimen occurrit.

Ioannes Baptiſta Van-Helmont. putat noctambulos frui lunæ lumine, quæ nocte peculiare irradiat lumen cujus beneficio noctivaga cernunt animalia, quod hoc probat argumento: Veſpertilio, mus, glis, bubo nocte ſub denſiſſimis tenebris eminùs objecta ſua diſtingunt, & celerrimos objectorum motus notant, nequeant oculorum nitore glauco, quem quædam præſeferunt, vel medium diſtantiæ illuſtrare, ut per illum eminùs perfectè cernant, ac proindè neceſſe eſſe, ut denſiſſimâ nocte, & recluſo antro aliquod continuò lumen ſit, cujus interventu ejuſmodi animalia perſpicuè videant, illudque ex eo percipi poſſe, quod nimirùm noctivida nullum extra oculos lumen mittant, quod ſit illuminando medio, ad diſtinctè noſcendum objectum eminùs poſitum, atque adeò illa videre ſolius luminis lunaris beneficio, ſi ſtatuatur ſpeculum inter oculum animalis, & objectum ſuum, idque ſpiſſis ſub tenebris, ne nimium enim luminis in ſpeculo reflexum inveniri; evinci ergò, aliud lumen ſubter terram eſſe, nempè lunæ ad dominium noctis conſtitutæ, quod etiam nocte illuni luceat, ac antra quoque ſubterranea infeneſtrata perfulgeat, modò tamen diariis oculis inpercepto, cujus illuſtratione noctambulanda animalia viſu fruantur. Horum in confirmationem narrat, ſibi aliquandò in claſſibus literariis, fuiſſe honeſtum ſodalem in cubiculo, qui noctù plerùmque clauſis oculis ſurrexerit, & oberraverit, clavem verò ſecùm detulerit, ſeramque poſt ſe clauſam rediens aperuerit, & clavem clanculùm ſubter pulvinar abſcondiſſe. Illum verò in ſomno ſurgentem, abditam clavem velut ſibi viſam cæpiſſe, & obiiſſe. Se ergò arreptâ tunicâ illum eſſe ſecutum. Illum antiquum ſcandiſſe parietem, terminum Collegii muſco, ac fœno obſitum. Arcum enim fuiſſe, quo trans

lumen ſuſtinuerit paries hortum vicinum, fuiſſe etiam plenilunium, & noctem pruinoſam. Ad ſpectaculum ſe horruiſſe, & præ frigore rediiſſe. Sodalem verò mox reverſum tàm inhæſitanter clavem in foramen ſeræ abdidiſſe, ut vix ullus videns, & ſub meridiem æquè incunctanter id feciſſet. Manè verò eum omnium immemorem fuiſſe. Iſtos enim ambulones clauſis palpebris clarè ſub denſis videre tenebris, abſque vertigine ſecuros ſcandere, eò quod lunari fruantur lumine. Hæc Helmontius.

Helmontius aliorum medicinam deſtruxit, & ſuam non conſtruxit, fuit felicior ad impellendum, ad docendum minimè, in multis morbis ad lunam quaſi lunaticus recurrit, & circa lunam volutatur. Eſtò hujuſmodi lunare lumen, necnon noctivagorum animalium ab eo influum viſum concederemus, non per hoc ſequitur noctambulones per clauſas palpebras ad illud lumen videre, & ſcandendo, cum felibus certare poſſe, imò cum jam commemorato etiam res abditas cernere, & in momento è ſuis latibulis depromere, ſomnoque defunctos nil quicquam à ſe patrati reminiſci, hæc enim à vulgari hominum naturâ aliena potiùs nos eò magis ſuſpicaces reddunt, non nil innaturale hiſce ſubeſſe, taleſque per cauſas nobis incompertas ſubeſſe dominatui lunatico, & complicatè quibuſdam ſpiritibus tenebrarum eos in ſomno moderantibus, maximè cum à ſomno reſorbeſcentes nihil horum ſciant, non enim obſcurè hiſce emicat, quod hæc neque per voluntatem, neque poteſtatem iſtorum hominum fiant, aliàs deberet aliqualis eorum relicta ſcientia, & recordatiò concurrere, nempè ad minimum quaſi ſomnialis. Porrò ſi illud lunare lumen tàm potens, & fulgoſum ſit, ut etiam per clauſos oculos viſum illuſtrare poſſit, adeò ut non tantùm per ſua tegmina, verùm quoque ſpiſſiſſimas tenebras cernere queat, idque etiam in homine noctiçidis oculis aliàs non gaudente, tùm ſanè lumen lunæ immenſis paraſangis fulgorem ſolis ſuperabit, & ſupervacanei fortè erunt oculi animantium noctivagorum.

Nonnulli à ſomnambulationis cauſâ ſupernaturali lumine irradiati breviter ſe extricantes, aliquid ſupernaturalis concurrere meritò ſuſpicantur; inquiunt enim: Rationi conſonum non eſt aliquem talia in ſomno, & denſiſſimis ſub tenebris, clauſiſque oculis perpetrare poſſe, quæ ſibi optimè vigilanti, luceque meridianâ fruenti interdùm penitùs impoſſibilia forent. Cœterùm iſti illius, quod naturaliter accidit, cauſam cognoſcere nequeunt, & magna temeritas eſt omne id, quod naturaliter cauſatum eſt præſumere noſſe, & ubi naturalem cauſam demonſtrare non poſſunt, nullam eſſe, niſi ſupernaturalem, nec aliam eſſe poſſe credere temerarium eſt: eapropter in ſomnambulationis causâ ad quid ſupernaturalis confugere, ſanctum imperitiæ aſylum exiſtimamus.

Noſtra Cauſa.

Magnæ molis eſt ſomnambulorum cauſam adinvenire, attamen juxta noſtras vires, quæ rationi conſentanea nobis videntur trademus: nobis ſat erit humoriſtarum nænias vitare, circa lunæ lumen non ambire, & ſupernatu-

tales non adducere cauſas.

Certum, & indubitatum eſt in dormientibus ſpiritus non deferri in corporis partes, nec in ſenſuum organa verum non omninò feriantur, & ceſſant, hæc nàmque vices in cerebro exercent, hinc in ſomno multæ fiunt cogitationes, quæ vulgò inſomnia nuncupantur. Fiunt inſomnia non ſolùm cùm ſomnus levior eſt, & medius quidam ſtatus inter ſomnum & vigiliam, ſed etiam in profundiſſimis ſomnis, ac proindè ſemper dormientes ſomniamus: atque eorum tantum ſomniorum recordamur, quæ in leviori ſomno contingunt. Multi dormientes loquuntur, interrogati, appoſitè reſpondent, queruntur, gemunt ſuſpirant, rident, flent, cantant, quia ductus, per quos ſpiritus ad ſenſuum organa deferuntur, non clauduntur. Neque in ſomno ſemper canales illos, per quos ſpiritus motivi feruntur, occludi obſervamus; nàm illi, qui thoracis motum propter reſpirationem adjuvant, minimè clauduntur, ſed neque eos, qui ad pedes, manuſque pertingunt, ſemper claudi videntur, undè quidam dormientes toto volutantur corpore, pedes, & manus variè movent è lecto ſeſe erigunt, & ſecùm cubantes verberant, ac pedibus impetentes calcitrant.

Perficitur ſomnambulatio ſpiritibus animalibus, qui à phantaſiâ concitantur ad motum ob aliquod objectum in ſomno oblatum; etenim in homine vigilante ratio, & voluntas in locomotivam habet imperium, & in ſomnambulis voluntatis, & rectæ rationis imperium non concurrit, & actiones voluntariæ ſunt, vel ſi concurrit obſcurum, obtenebratum, & exiguum eſt, quod patet; quia ſomnambuli ſæpè in præcipitia deſcendunt, & loca pernicioſa ſcandunt, & feruntur, in quæ vigilantes nec poſſunt; nec audent conſcendere, ut ipſi poſteà, ſomno excuſſo, & periculi, in quod dormientes ſe conjecerunt, magnitudinem attendentes, toti perhorreſcunt.

Non omnes homines ſomnambulatione corripiuntur, ſed quidam ſolùm, & illi quidèm non ſingulis noctibus, ſed per certa intervalla, alii quidèm frequentius, & alii rariùs. Cauſa hujus rei proxima eſſe videtur, quod appetitus in iis fortior, & vehemens eſt, ac locomotiva agilior, & ſumma ad res expediendas alacritas, imaginatio verò debilior & cauſa adeſt, quæ ſenſus ligat externos, & profundum excitat ſomnum, & appetitus tàm fortis eſt, ut etiam ad motum animalem hominem conciter. Vndè accidit, ut ratiocinatio phantaſiæ ſegniter operantis, & ope rationis deſtituta, in ſomno nullas conſideret circumſtantias, & memoriâ quieſcente, errores phanthaſiæ non emendantur. Hinc evenit, ut nec pueri, nec ſenes, ſed tantùm adoleſcentes, qui fortem habent appetitum, & affectibus facilè trahuntur, hoc malo ſolum afficiantur. Illa appetitûs vehementia à ſpirituum diſpoſitione pendet, quam quidèm illi ab admiſtis vaporibus accipiunt. Vt enim in ſanis ratione diſpoſitionis ſpirituum actiones illæ principes variantur, ità etiam ſomniantes rerum imagines in memoriâ aſſervatas alii clarius, alii obſcurius perſpiciunt & non ſolùm imaginatio, ſed etiam appetitus hinc variatur, & quidem pluribus modis; nam quidam quietè

dor-

dormiunt, nonnulli in ſomno loquuntur, lacrymantur &c. alii manus, pedeſque movent, & calcitrant, & ſi hic appetitus valdè intendatur, tandem accidit, ut planè è lecto ſurgant, & ad rem appetitam proſequendam moveantur. Nec hæ dormientium, & ſomniantium actiones inter ſe differunt, niſi quòd hi ſurgant, illi verò in lecto jacentes eadem ferè agunt. Suppeditantur ab humoribus vapores, qui talem diſpoſitionem ſpiritibus inducere poſſunt, qualis in ebriis, delirantibus, & narcotica ſumentibus ſæpè apparet.

Quòd tàm mira peragunt, & quæ vigilantes perficere non poſſunt, aggrediuntur, & perficiunt, ædium cacumina ſine ſcalis ſuperant; in puteos deſcendunt, & ex iiſdem aſcendunt; præcipitiis ſine damno ſe committunt, non eſt, ut cauſam corporis levitati ſpiritibus turgentis adſcribamus, ſed vera cauſa eſt, quòd ſomno ſenſus ligati ſunt, ac ſolo appetitûs ductu cum ſummâ incogitantia, ſine omni metu actiones ſuas aggrediuntur lumine phantaſiæ.

Obſervamus idem in ebriis, & delirantibus fieri, qui eâdem temeritate, & audaciâ ſæpè perficiunt, atque ea pericula aggrediuntur, quæ ſobrij, & ſani perficere non poſſent.

Prognoſis.

Somnambulatio etſi plerùmque nullum inferat damnum, tamen quia ſomnambulones ſæpiſſimè in vitæ diſcrimen adducuntur, & malè illis cedit, & quandòque miſerè occumbunt; nàm præcipites feruntur, & tunc excitantur, oculoſque reſerant, cùm eos in ſomno obſcrant æternum. Imò ſolet hoc malùm in pejus degenerari, ut epilepſiam, vel ſimile quid mutari poteſt: ſtudere itàque debemus, ut æger ab eo eripiatur. Aſſolet hic affectus ætatis decurſu mutari, ac in occiduâ ætate plerùmque ſponté evaneſcere.

Noſtra Curatio.

Cura diætetica in ſex rerum nonnaturalium regimen abeat, & primò

Aër ſit ſerenus, & purus, vitetur pluvioſus, & turbidus, quia hujuſmodi eſt conveniens ad hoc malum diſpoſitio. Radii lunares dormientis capiti non incidant, hoc enim malum excitare vulgò putatur.

Cibi ſint optimi ſucci; vitentur flatulenti, qui ſomnia pariunt turbulenta, ut fabæ, lentes, & alia legumina, ut etiam lactuca, papaveris ſemen, & crapulam interdicimus, ac cœna ſit ſolito parcior.

Potus ſit aqua, fugiatur vinum, & præcipuè recens, vel generoſum caput replens.

Somnus non ſtatim capiatur à cœnâ.

Vigiliæ magis quàm ſomnus proſunt.

Motus, *&* *quies* ſint alternatim regulati.

Excretoria emunctoria, ac quæ retinent in ſuo naturali ſerventur poſitu.

Animi paſſiones, ut ira, deſperatio, anxietas, rixa, temeritas, audacia, diuturnæ actiones, & fortes cogitationes, quarum ideas pertinaciter impreſſas memoria per ſomnum phantaſiæ repreſentat, penitùs corrigantur.

Somnambulatio potiùs induſtriâ, [illegible] pharmacis curatur. In paroxyſmo itàque ſi ſomnambulani ſunt in loco tuti excitandi clamore, vel aliis

modis, & ſi ex loco pernicioſo liberari poſſint, libenter faciendum, ſi abſque periculo id peragi poſſit: verùm ſi in præcipitio ſint, vel loco periculoſo, ità ut vigilantes redire non poſſint, nullatenùs inclamandi vel expergefaciendi ſunt; multoties evenit quoſdam excitatos in vitæ incidiſſe diſcrimen, ut multæ extant obſervationes. Extra paroxyſmum præcavendus eſt affectus iſte, nè repullulet, & nè è ſomno ſurgant, & ambulent dormientes, humores illi vitioſi, ex quibus elevantur vapores phantaſiam turbantes, purgandi ſunt. Cerebrum roborandum illis medicamentis, quæ alibi deſcripſimus. Sed irrita ſunt pharmaca pro extirpando hoc ludibrioſo affectu, & experto crede Ruberto, ut pluries nos experti ſumus, curatur induſtriâ, ſepoſitis medicamentis, & experimentum habemus infallibile à *Ioanne Hiſkiâ Cardilucio* adductum, inquit enim: Habeas in promptu; ignorante ægro, acerrimum flagrum, eoque jàm ad oberrandum conſurgente, ipſum protinùs ſequere, ac ità nudum, vel induſiatum abſque compaſſione flagro cedas tantâ cum vehementiâ, ut quælibet ferè plaga, vel cæſio vibicem appingat, & quamvis æger expergefactus inhibitionem clamet, ſurdo tamen fabulam narret, ſed te quoque ſomno, & ſomnio obrutum ſomniare fingas de flagellatione equorum ſcuticis impellendorum, vel canum è culinâ eijciendorum, ſic æger præ dolore inermis tandèm aufugiat, ſuoque genio tantum metum incuſſum reportabit, ut planè impoſterùm à noctambulatione deſiſtat, veluti canes, qui ſemel opiparè vapulantes, poſtmodùm ſemper oſtenſo ſaltèm baculo, ſe dant in fugam.

CAP. VIII.

De Vigiliis.

Somni naturalis, & moderati pluſimæ ſunt utilitates; ſanitati nàmque confert, vires reficit laxas, membra calefacit, ſpiritus à laboribus diuturnis reſoluti reparantur, & plurima alia præbet commoda, quæ in noſtrâ *Chirurgiâ* opiparè recenſuimus, *cap. de ſex rebus nonnaturalibus*; contrà verò immoderatus & præternaturalis ſanitatem evertit, naturales inhibet evacuationes, appetentiam proſternit, crudos cogit humores, calorem enervat, & ſpiritus animales torpidos reddit. Vigilia verò ea incommoda, quæ per immoderatum ſomnum contrahuntur, optimè reparat, corpus nàmque rurſùs ad ſuas obeundas actiones redditur vegetius; mens acuitur; ſenſus excitantur, & ad omnia peragenda evadit alacrior: eapropter, ut homo optimâ fruatur ſanitate, neceſſe eſt per vices dormiat, & vigilet, ac proindè ubi ſpiritus per vigilias ſunt exhauſti, ſe quieti dare, & ſomnum carpere debet, verùm inter ſomnum, & vigiliam apta proportio intercedere neceſſe eſt, nàm *ſi ſomnus, & vigilia excedant, malum.* Cœterùm quandòque ità producta eſt vigilia, ut morboſa evadat, & ut inquit *Horatius*:

Stulti dùm vitia vitant, in contraria currunt.

Non loquimur hîc de vigiliis, quando homines ex induſtriâ, vel neceſſitate alicujus negotii causâ, vigilias producunt, & ſomno non ſuccumbunt; ſed

ſed de iis agimus ; cùm homo, qui dormire debet, cupit, & dormire non poteſt, & eſtò ad ſomnum ſe componat, illum tamen carpere nequit, ac ſenſuum externorum exercitatio præter voluntatem perſiſtit.

Hæ productæ vigiliæ plurima pariunt incommoda, calor n. ad exteriora propellitur, ſenſus in aſſiduo verſantur exercitio, ſpiritus in ſanguinis maſſâ abſumuntur, & ſanguis in vappam denegerat, corporis vires labefactantur, coctiones impediuntur, cruditates fiunt, univerſi corporis ſucci exſiccantur, & acres, ac corroſivi redduntur, imo ipſum cerebrum areſit. Vnde plurima eveniunt incommoda; nam cerebro exſiccato, & abſumptis ſpiritibus animalibus, mentis alienatio inducitur, & morbi calidi dicti oriuntur, & cum conſequenter ſpiritus vitales, qui animalium ſunt materia, exhauriuntur, imò ipſi etiam per ſe in vigiliis cum labore conjunctis imminuuntur, & diſſipantur, languor totius corporis ſequitur, & naturales actiones, quæ ut rectè perficiantur, ſpiritu, & calore indigent plurimo, unà læduntur. Si homo ſolido, vel ubere utatur alimento; corpus cruditatibus, & humorum ſuperfluitate cumulatur, & ad cachexiam deducitur; ſi verò tenuiori utatur cibo ad tabem diſponitur. Et quia ſpiritus, ſanguis, ac præſertim bilis per vigilias incaleſcunt, & accenduntur, capitis dolor, vertigo, oculorum rubedo, ventriculi tenſiones, febres, & deliria excitantur, corpuſque variis morbis obnoxium reddunt. Hæc, & quamplurima alia ſunt vigiliarum immodicarum incommoda, quæ de ſymptomatum numero ſunt, & ab aliis dependent morbis, & niſi auferantur, quia nimiæ, & naturæ infenſæ, vitam ſuffurari poſſunt; pro his itaque curandis medicus totos intendere nervos, & magnam ſolertiam adhibere debet, ne ex vigiliis in profundum veternum demergat ægrotum: unicum in hoc malo eſt auxilium, quod eſt ſomnus gemmis, & ipſo pretioſior auro.

Signa.

Vigiliarum ſigna ex ſeipſis pateſcunt, æger enim quæritur dormire non poſſe, undè ſatis vigilare colligitur, & eſtò, æger vigilias non referat longiores, has præceſſiſſe cognoſcitur ex eo, quia oculi apparent ſqualidi, licet nulla immoderata præceſſerit evacuatio, æger palbebras difficulter attolit eæque inſtabiles ſunt, ut refert *Gal. 1. prognoſt. t.* 8. Præterea cognoſcendæ ſunt immodicarum vigiliarum cauſæ, quæ faciles ſunt, quandò æger ſe curis affligi, & affectibus indulgere fatetur, in febribus ardentibus, & malignis facilè patet, undè ſint vigiliæ. Qua ratione cognoſcantur cauſæ, in ſpecie de ſingulis dicemus.

Noſtra Cauſa.

Sicut ſomnus nil aliud eſt niſi ſenſuum quies, & ceſſatio, ſeu feriatio, ità vigilia eorumdem actus, & exercitatio: vigiliarum itàque cauſa eſt ſpirituum animalium nimius, & continuus motus, ſive influxus in corporeæ machinæ organa interna, vel externa, cujus influxûs ratione ſenſibilium objectorum impreſſiones promptè recipiunt, & deindè promotionis ratione in organo impreſſæ, ſimiliter

in cerebro motæ varias diſcurſuum occaſiones animæ ſubminiſtrant, & quamdiù hi ſpirituum influxus, ſive motus durant, tamdiù vigiliæ perſiſtunt. Pro his peragendis motibus habet cerebrum ſuas valvulas, & has valvulas habent etiam nervi, per quas in cerebrum ſpiritibus animalibus datur ingreſſus, & regreſſus: iſtæ valvulæ in vigiliis ſemper apertæ, & ſuſpenſæ permanent ob fortem ſpirituum agitationem, & motum. Verùm hi ſpiritus ſuas habent cauſas occaſionales, à quibus impelluntur ad motum, & agitationem, ac proindè perpetuò vigiliæ alterius morbi ſunt productum eoque curato, ſponte iterùm feriari ſolent, adſunt verò in quibuſvis magnis doloribus; præſertim capitis, oculorum, aurium, dentium, inteſtinorum, in inflammationibus, animi pathematibus, in ardentibus febribus, & ſimilibus quibuſdam etiam extra morbos moleſtæ ſunt.

Cauſæ vigiliarum occaſionales, & mediatæ ad duas in genere reducuntur, & prima eſt, quandò objectum ſenſile fortiùs ſenſus organum afficit, & tunc neceſſario ſpiritus agitantur, & fortiùs moventur, quæ motiones ob organo per nervos continuatæ ad cerebrum uſque reliquos ſimiliter in cerebro movent, & agitant ſpiritus, undè hominem vigilare neceſſe eſt. Hinc obſervamus clamorem fortiorem, dolorem quemcumque, capitis, oculorum, aurium, dentium, colicos, nephriticos, articulares &c. ſomnum auferre, & his affectibus correptos vigiles reddere. Hùc faciunt tormina quæ vigilias inducunt. Itèm tuſſes, quæ aſſiduò aſperam arteriam fortiter ſtimulant, & huic forti ſtimulo fortis ſuccedit ſpirituum agitatio, & hinc vigiliæ eveniunt. Imò & aſthma vigilare facit, nàm totum nervorum genus in eo contentorum concutit, & hinc ſpirituum commotio ſuccedit. Hùc pertinet anima rationalis in anxietatibus, vel cogitationibus occupata, cùm nàmque hæc ipſa ſpirituum animalium miniſterio utatur, neceſſariò graves curæ, aut anxiæ meditationes, quibus ſpiritus agitantur animales, vigilias inferunt nimias. Hùc pertinaciſſimæ melancholicorum vigiliæ faciunt; compertum nàmque eſt melancholicos ad plures dies, pluresque hebdomadas, & etiam ultra, nec quidèm ſomni momentum carpere potuiſſe: in his enim anima rationalis in aſſiduâ objecti melancholici meditatione volutatur, & ſpiritus animales ſemper inquietiores, & in continuâ ſunt agitatione, undè nec benignis, ſed validis obtemperat opiatis.

Secunda cauſa occaſionalis eſt varium ſpirituum vitium, à quo iidem ad concitatiores, aut pertinaciores diſponuntur motus, & hùc ſpectat eorum, uti etiam totius cerebri fervor, & incaleſcentia in febribus ardentibus, & aliis ſimilibus, qui in fervidiore cerebro ocyùs moti neceſſariò vigilias inferunt. Hinc etiam æſtate, & præſertim complexionibus cholericis dictis faciliores ſunt vigiliæ. Miaſma malignum ſpiritus animales depravando obſtinatas infert vigilias; in febribus verò malignis qui ipſi propter confuſum motum à miaſmate maligno, tunc ſimul delitia inferre, & varias phreneſes inducere ſolent. Hùc faciunt animi pathemata, quæ variè ſpiritus alterant, eoſque rapidos, vel ſaltim in continuos dirigunt motus, ut ſunt amor,

amor, timor, mœſtitia, deſperatio, terror, audacia, temeritas, imò excandeſcentia, in quibus ſpiritus nimis perturbati inceſſanti motu vigilias afferunt. Inedia etiam vigilias inducit, nam ciborum defectus ſpiritus magis ſubtiliat; & ad motum promptiores redduntur, & ex motu continuo vigilias inducunt: ſicut contrà ex alimentorum ſuccolentiorum copia aut cerebrum humectatur, aut ipſi ſpiritus fiunt aquoſi. Undè placidè mori, aut in cerebro humido, aut ipſi humidi ſomnum inferunt. Hùc pertinent alimenta nimis ſpirituoſa aſſumpta, & oleoſa volatilia, vel piperata, ex cinnamomo, caryophyllis, zingibere, croco &c. Hæc enim ipſa ſalia volatilia oleoſa atomatica fermentata abeunt in ſpiritus inſigniter volatiles, à quibus acuti, & quaſi acres fiunt ſpiritus animales, & velociùs moventur,& ex velociori motu nimias, & continuas vigilias inducunt. Tandèm in ſenili ætate vigilia frequens eſt ſymptoma, & ſenes non ampliùs dormire poſſunt, hi in quibus hoc vitium eſt, inprimis acidi, & ſqualidi eſſe ſolent, quoad tactum, & alias proprietates. Undè has ſenum vigilias non iàm ex ſpirituum vitio, quàm ex cerebri texturâ alteratâ dependet; nàm poris cerebri per tot annos continuum ſpirituum motum, & tranſitum nimis apertis, ac nimis patulis liberrimè ſpiritus meant, & remeant, indèque placidè quidèm, ſed tamen continuâ motione vix ſomnum concedunt.

Prognoſis.

Vigiliæ nimiæ non contemnendum malum ſunt, nàm vires, quæ in ſomno reficiuntur, enervat, & non minùs vires labefectant, ac deijciunt quàm ſenſiles evacuationes, unde *Hip. vigilias edaces* appellavit, & quot incommoda vigiliæ inferant, jam enumeravimus; eapropter inquit *Hip. ſect. 2. aph. 3. Vigiliæ modum excedentes, malæ. Sect. 7. aph. 73. Vigiliæ immodicæ ſunt morbus. ſect 2. aph. 12. Vigiliæ continuæ ſunt peſſimæ. Perituri vigilant. ſect. 5. aph. 10.* ſæpiùs vigiliæ productæ convulſionem, aut delirium portendunt. *ſect. 7. aph 19. A vigilijs convulſio, aut delirium, malum.* Verumenimverò *corpora vigilijs aſſueta minus læduntur, 2. aph. 50.* Vigiliæ in ætate conſiſtenti, aut in ſexu muliebri plùs offendunt, quàm in ætate juvenili, aut in ſexu virili. Quò major cauſarum, à quibus vigiliæ præter naturam excitantur, vis eſt, eò periculoſiores ſunt vigiliæ: & quò faciliùs cauſæ tolli poſſunt, eò etiam minus periculi conjunctum habent vigiliæ. Atque ideò à causâ internâ periculoſiores ſunt vigiliæ, quàm ab externâ, & evidenti. Si à vigilijs nimijs proveniat tuſſis, malum; Siccitatem nàmque reſpirationis organis communicari ſignificat. Breve tempus eſt, imò diù durare nequeunt vigiliæ in morbis acutis, cùm vires diù ſine ſomno conſiſtere non poſſint; & quidèm via ad mortem eſt per virum diſſolutionem; via verò ad ſalutem, & ſanitatem, per ſomni reſtitutionem. In morbis verò chronicis, peculiariter in affectibus melancholicis interdùm ſatis diù citra noxam vigiliæ continuari poſſunt. Obſervatum nàmque eſt nonnullos ſatis diù incolumes, & ſine vitæ diſpendio vigilaſſe. Sic enim obſervatæ ſunt vigiliæ 45. noctium continuæ. *Schenck.* refert *lib. 1. obſerv.* de quodam 14. menſibus. Somno propter melancholiam

cholia m deſtituto. *Seneca de Provident.* narrat Mecœnatem tribus annis integris ſine ſomno permanſiſſe, & tandèm ab hac ægritudine liberatum fuiſſe ſolâ placidâ, & leni harmoniâ. Sicut & de eodem *Plinius lib.7. natur. hiſt. c. 51.* refert, quòd ei triennio nullo horæ momento contigerit ſomnus. *Fernelius Patolog. lib.9. c.2.* mente quendam captum menſes 14. inſomnes duxiſſe refert. *Heurnius de morbis capitis cap. 16.* refert ſibi in Italiâ narratum eſſe Nizolium, illum Ciceronianum, decennium ſomnum non vidiſſe. *Montanus de morbis lib.1. cap. 27.* ſcribit ſe noviſſe mulierem, quæ per 35. annos inſomnis permanſit ſana, & citra noxam. Verumenimverò tales vigiliæ ſine periculo continuatæ nonnunquàm in fatuitatem terminantur, quale exemplum habet *Panarollus Pentecoſt. 5. obſerv. 40.* de puero biennii ſex menſibus inſomni, qui poſtmodùm fatuus redditus fuit.

Noſtra Curatio.

Quàm maximè ſex res non-naturales pro parte diæteticâ militant, ut ſomnus concilietur, & primò

Aër ſit frigidus, & humidus, & præſertim pluvioſus, qui ſi per contingentiam haberi nequeat, arte parandus eſt aquæ ſtrepitu ad modum rivi blandè fluentis, vel aquæ in peluim per gutturnium ſtillantis ſonitu. Pavimentum frigidâ, & foliis roſarum, lactucæ, violarum, ſolani &c. conſpergatur, ſi aër ſit calidus, & ſiccus.

Cibus ſit ejus conditionis, ut ſuaves generat vapores, qui ex alimento aſcendentes vapores denſandi, & ſpiritus ſopiendi vim habeant; ſit itàque coctu facilis, frigidus, & humidus, talis eſt ptiſana hordeacea, ova ſorbilia, caro gallinarum, vitulina, hedina, dapes ſint ex lactuca, juſcula cherefolio alterentur. Cibi ſint elixi, vitentur frixi, vel aſſati, fugianturque alimenta ſicca, corrupta, acria, ſalſa, & acida, nàm ſæpè vigilijs anſam præbent. Inter hæc alimenta bellaria connumeramus, quæ ob latentem aciditatem acidiores redduntur humores, effervescentiam excitant, & ſpiritus mobiles, & irrequietos efficiunt. Vitentur cibi flatulenti, & nimiâ quantitate ingurgitati; ne indigeſtio gignatur, & aciditas augeatur, præſtat itàque aliquid aſſumere. Inedia, & jejunium vitetur, nàm in nobis experimur, ſi cubitum properamus, non tàm jejuno ſtomacho, quàm tenui cœnâ, ſomnum vix capere potuiſſe, & totam noctem inſomnem tranſegiſſe, ideòque vigiles jejunia ferre non poſſunt, nàm vigiliis anſa præberetur, & forſan dormituri, ſomnus evaneſceret. Antiqui ad ſomnum alliciendum poſt cœnam lactucam frequenter uſurpabant: cùm hodiè jàm appetitum gratiâ excitandi ante cœnam mandatur, undè *Martialis lib.3. Epigram.* cecinit:

Claudere quæ cœnas lactuca ſolebat avorum,
Dic mihi, cur noſtras incboët ore dapes?

Aſſumitur nunc ex lactucâ, vel aliis herbis acetarium ante cœnam, & pro pauperibus optimum acetarium eſt peſſimæ cœnæ principium. Aſſumitur quandoque acetarium poſt comeſtionem, qui mos apud Hiſpanos convaluit, ad hoc ut cum appetentiâ claudatur cœna. Panis cum amygdalis, & papaveris albi ſemine paretur, at ſi vigiliæ ſint obſtinatiſſimæ, cum aliquali

farinæ

farinæ lolij portione. Abſint in epulis omnia aromata, ut cinnamomum, caryophylli, crocus, piper zingiber; hæc enim ſpiritus tumultuantes reddunt.

Potus ſit, ſi morbus, à quo vigiliæ pendent, id ferat, vinum dilutum, & liberaliùs potetur, antiquum verò, & generoſum, vel ſpiritus vini, aquæ ſpirituoſæ, & id genus alia vitentur, nàm ſæpè hujus affectus ſunt fabri, quia ſanguinis motum adaugent, ejuſque conſiſtentiam minuunt, ſpiritus accendunt animales, & vigilias excitant. Eapropter operæ pretium erit, antequàm vigil cubitum eat, hauſtum aquæ lactucæ ſtillatitiæ bibere. Imò ſalutariſſimum medicamentum erit emulſio ex amygdalis, & quatuor ſeminibus frigidis dictis cum paucâ ſeminis papaveris albi quantitate; hæc enim humorum acrimoniam temperat, & tumultuantes ſpiritus ad quietem componit.

Motus, & omnis agitatio proſcribatur, *quies* magis convenit, undè vigil in conclave, clauſis feneſtris, & in molli ſtrato cubat, à quo culices, pulices, & cimices exulent. Abſit omnis ſtrepitus, & vehementior ſomnus, ac omne id, quod vehementius in ſenſuum organa agit, ipſe quietus, & tacitus oculos habeat clauſos, & intetim mulier digitis ejus ſcalpat caput; hac n. induſtriâ matres infantibus ſomnum conciliare ſolent.

Somnus eſt vigiliarum alexipharmacum, & hic omni operâ, ſedulitate, & ſtudio conciliandus, ſed eâ cautelâ, ne in veternum degeneret, vel alia mala inducat; provocetur itàque vel dulcibus amicorum colloquijs, vel ſuavi cantu, & muſicâ uniformem ſonum edente, avium cantillatione, ſuſurratione ſubmiſsè loquentium, aquarum ſtrepitu, vel medicamentis ſomnum inducentibus, de quibus inferiùs agemus.

Alvus, & reliqua emunctoria, per quæ conſuetæ peraguntur evacuationes, ſi ſecundum naturæ inſtitutum ſuum non ſolvant cenſum, arte proritentur.

Animi pathemata ſex rebus non-naturalibus ſupremam imponunt manum, ac ea maligna corrigantur, & ad benigna transferantur, quæ ſomnum conciliant. At ſi intenta cogitatio vigiliarum ſit in causâ, mens dexteritate aliò avocetur, ne temperatum ſpirituum motum perturbet, & agitando, illos magis efferos reddat.

Vigiliarum cura non perficitur, niſi cauſæ, à quibus hæ dependent, removeantur; ſemper enim aliorum morborum ſunt producta, & quì his occurratur, ſuis in capitibus dicetur. Cæterùm cauſæ illæ, quia non ità breviter auferri queunt, & intereà vigiliæ vitæ œconomiam ſubvertunt, vires diſſolvuntur, & æger vigilans morti ſuccumbit; tunc vigiliæ totam ad ſe rapiunt curam: indicatio igitur curativa, ejuſque antidotus eſt ſomnus, nec aliam medicam exigit opem, & ſicut ſitis remedium eſt potus, & famis cibus, ità vigiliarum ſomnus, nec aliud pro vigilijs pharmacum habemus.

Ut ſomnus concilietur, ante omnia cauſæ removendæ ſunt, ſi fieri poteſt, aliter ſpiritus animales blandè ſopiantur, aut humectentur, vel narcoticis moderatè coërceantur, obſerando cerebri, & nervorum valuulas, per quas in cerebrum ingrediuntur, & egrediuntur ſpiritus animales. Medicamenta, quæ ſomnum inducunt, univerſalia, ut venæ ſectionem, & purgans, arcemus,

niſi vigiliarum cauſa id exigat, quod in aliquibus caſibus ratiſſimè evenire arbitramur. Cœterùm *Galeni* armenta ſanguinem à brachio, vel malleolo ad revellendos vapores acres caput ſcandentes, & ſpiritus conturbantes, fundunt: quaſi hi vapores unà cum ſanguine è corpore egrederentur. Si bilis nimià quantitate ſpiritus inquietet animales, & inde vigiliæ exſurgant, illam, ſi ſursùm vergat, vomitorijs exturbant, Si verò deorsùm, cholagogis eliminant, & ſic quò natura vergit, eò educunt: Sed bilis potiùs temperanda, quàm evacuanda eſt, nec tota evacuari poteſt, & ea, quæ remanet, majorem adipiſcitur motum, magis æſtuat, excandeſcit, & eò magis vigilias excitaret. Si bilis ſuâ quantitate ſpiritus irrequietos facere, & ſic vigilias inducere poſſet, in complexionibus bilioſis actum eſſet de ſomno.

Ad vigilias profligandas, ſomnumque inducendum ea conducunt medicamenta, quæ humectant, & vi pollent narcotica, & ex hac vi narcotica lactuca *Galeni* tempore in magno uſu fuit contra vigilias. Apud nos in magnâ conſuetudine eſt *emulſio ſomnifera* ex quatuor ſeminibus frigidis tàm majoribus quàm minoribus, ut *amygdalis dulcibus*, *ſemine milonum*, *papavere albo*, *lactucæ*, *portulacæ*, ut

℞ *Amygd. d. num. viij. cortice in aq calidâ exutarum,*
ſemin. milon. ℥.ß.
papaveris albi ʒ.j.
lactucæ ℈.j.
fiat emulſio in aquæ lactucæ ℥.iv. *& edulcora. cum ſyr. de Nymphæâ* ℥ jß.

quæ à cœnâ aliquo exacto tempore, frigida uno hauſtu propinatur. Quandoque *Nepenth. Quercetani gr. j.* pro pertinaci vigiliâ addimus. Hæc blandum conciliat ſomnum, quia blandè humorum efferveſcentium acrimoniam temperat, & irrequietos ſopit ſpiritus. Attamen in acutis morbis alia morbis appropriata adijcimus, ut in febre malignâ u. g. emulſionem concinnamus ex ſuprà dictis, cum aquâ ſcorzoneræ, addimuſque *bezoartici mineralis gr. viij. vel ſtibij diaphoretici* ℈.j. *vel lapidis bezoar.* ℈.j. *vel magiſterii cordialis* ʒ.j. pro divitibus, pro pauperibus utimur *cornu cervi prep.* Sic enim malignitati reſiſtit, ſomnum allicit, & profuſis in ſomno detrudit ſudores. Sic v. g. ad conciliandum ſomnum in dolore Nephritico, emulſione ſomniferâ utimur, ut

℞ *Semin. milon.* ℥.j.
papav. albi,
dauci,
milii ſolis ana ʒ.j.
f. emulſio in aq. ononidis ℥.iv.
diſſ. Nepenth. Querc. gr. j. vel ij.
ſyr. de Quinq; rad. aperient. ℥ j. *m.*

Hæc non ſolùm vigilias ſiſtit, ſomnum allicit, & omnem abigit dolorem, ſed etiam expergefacto ægro, & dolore ſedato, calculos excludit.

Maximoperè opiata, tanquàm vigiliarum alexipharmaca commendamus, hæc nàmque omnem humorum acrimoniam emendant, narcoſin inducunt, ſpiritus animales furentes ſiſtunt, eorumque motum inhibent, & blandum conciliant ſomnum, ut quotidiè nos experientia docet, & præſertim ſi vigiliæ à doloribus oriantur. Verùm accuratâ ſolertiâ exhibenda ſunt, nec in doſi peccandum, eapropter moderatè his utendum, & potiùs in parvâ doſi, quàm in nimiâ peccetur, ne majus malum, vel ipſam inferant necem. Tempeſtivè admini-

adminiſtrata, miracula patrant, & maxima morborum pars opiatis curatur. Verumenimverò opiatorum uſus non ſemper eſt tutus, eſtò in vigilijs ſit pretioſum alexiphatmacum, tamen his non ſemper, & in omnibus utendum eſt; eapropter quandò vigiliæ ſunt futuræ critis ſignum, planè opiata relegunda ſunt, ne naturæ labor impediatur. Sic quoque ubi adeſt virium pauperies, & etiam ubi ſenes diuturnis torquentur vigilijs, tunc alia, quæ ſunt de confortantium potiùs ordine, ut ſpecies diamoſchi, vel diambræ, & ſimilia, commendare debemus. Sic etiam ubi vigiliæ in pectoris anguſtiâ excruciant, in dypſnæa, catarrho ſuffocante, hydrope &c. opiata vix tutò adhibentur propter ſuffocationis metum; ſomno enim fortiori procurato, ægri ſuffocati moriuntur, & ſic diabolum per Beelzebub ſtultè medicus eliminabit. Itèm papaverina non admodù.n largè à matribus, vel nutricibus puerulis per os exhibeantur, ut mos apud iſtas invaluit puerulos papaverinis infarciendi ſingulis ferè noctibus, ne vagitus earum perturbet ſomnum; ſed hæc non ſolùm eorum animam labefactant, & eos ingenij ſtupidi reddunt, verùm quandòque funere mergunt acerbo.

Habent ſua narcotica rancidæ medicinæ profeſſores, quæ per vetularum, & tonſorum ora feruntur, & præſcribuntur, ut ſunt *Requies Nicolai*, *Philonium Romanum*, *Philonium Perſicum*, *pilulæ de cynogloſſo*, quæ, cùm ſimplicia cruda narcotica admittant, ferè in diſſuetudinem abiêre, & ab aliquibus vulgaribus tantùm infimæ ſortis ægrotis propinantur.

Narcotica ſimplicia ſunt primò *Papaver*, cujus ſuccus expreſſus, & inſpiſſatus appellatur Mæconium, & tota papaveris planta eſt anodyna, narcotica, & obſtupefactiva tàm foliorum, ſtipitis, quàm capitum, & ſeminum, ex quibus paratur mæconium, ſive noſtras opium, ut mercatorum fraus declinetur, qui opium ad nos adulteratum è diſſitis regionibus aſportant: hinc *D. Cajetanus de Auguſtino* peritiſſimus pharmacopœus, & Celeberrimus noſtri temporis Chymiæ profeſſor, Amiciſſimus noſter, quotannis opium noſtras propriâ manu, & artificio parat, quod in compoſitionibus narcoticis mira præſtat, & optatos patrat affectus, & meliori ſorte id peragit, quia exotico opio ſæpè adulterato fidem minimè præſtat. Deindè *Mandragora*, ejuſque radix vim habet narcoticam, & obſtupefactivam, & eſt una ex primarijs narcoticis, & obſtupefactivis, ideòque internè raiò, imò rariſſimè, & ferè nunquàm uſurpatur, tamen extrinſecè adhiberi ſolet ejus ſuccus in emolliendis tumoribus duris, & ſcirrhoſis, eodem modo ac cicuta. Poſtmodùm ſequitur *Hyoſcyamus*, cujus radix, folia, & ſemen, ac tota planta eſt una ex primarijs narcoticis, & ſine præparatione vim habet obſtupefactivam, & dolorum lenitivam, tàm internè, quàm externè uſurpata: Cœterùm nimis ejus uſus dementes, & àmentes reddere ſolet ſumentes, adeò ut ſi paſſares hyoſcyami ſemen comedant, illi in terram ſtupidi, & torpidi ità decidunt, ut manibus prendi poſſint, & tamdiù veluti mortui jacent, donec à naturâ vis obſtupefactiva evecta fuerit. Tandèm *Stramonium*, ejuſque ſemen eſt narcoticum, & obſtupefactivum, ſed è narcoticorum

cenſu proſcribi arbitramur, nàm vel in profundiſſimum veternum, vel inſaniam ſumentes adigit, & nos tres obſervavimus pueros, qui ſtramonium comederant, duo quartum agebant diem, in qui profundiſſimè dormiebant, & tertius inſanus evaſerat, qui aromatibus, calidiſque cibarijs priſtinæ reſtituti fuère ſanitati. Sed præſtat *Indorum Datura*, eſt hæc planta ex Stramoniorum generibus, cujus ſemen inſigniter habet vim anodyno-narcoticam, nihilominùs irà mitiorem, ut ſint, qui hanc Indorum daturam ipſi præferant opio.

Habemus nos in medicinâ ipſo auro, & lapidibus pretioſis pretioſiora narcotica, quæ ſi ritè præparentur, fermententurque miracula præſtant, & ægros ab orci faucibus eripiunt *Paracelſus ille medicinæ Monarcha* quibuſdam pilulis opiatis, quas ſecùm ſemper ferre ſolebat, mira efficere valuit. Sed quantùm opiata proſunt, tantùm malè præparata, & perperàm adminiſtrata obſunt, nec omnes medici his uti debent, quia *non omnibus licet ire Corynthum*, & tamen vulgares medici in medicamentorum recentiorum promptuaria ſe intrudunt, dicuntque *nos quoque poma natamus*, & recentiorum non tantùm opiata, ſed etiam alia pharmaca paſſim præſcribentes, non paucos jugulant ægros. Sint itàque narcotica ritè præparata à perito pharmacopœo, vel ab ipſo medico, neque omnibus ſeplaſiarijs indifferenter fidem adhibere debemus, & præſertim in Nepenthis confectione, cujus uſus in tantum devenit tremorem propter vulgares medicos, ut vulgò ab Italis dicatur: *Nepente, non mi pigliare, che ti pipenti.* Præſtat proindè vulgaribus *ad philonium, requiem Nicolai, pilulas de cynogloſſo*, cæteraſque officinales compoſitiones confugere. Sint noſtra narcoticâ ritè à peritâ manu præparata, correpta, & vetuſtatem ſapiant; nihil enim tàm benè illa corrigit, quàm vetuſtas. Opiata egregia ſunt *laudanum opiatum, laudanum ſine opio, Theriaca Cœleſtis, Nepenthes Quercetani, Tinctura Zuvelferi anodyna, noſtra Aqua ſomnifera in Mantiſſâ*, & alia quamplurima apud varios authores deſcripta, quæ ſi prudenter exhibeantur, non tantùm vigilias, ſed earum cauſas abigent, & quia ſulphureâ pollent energiâ, vim diaphoreticam, & ſudorificam habent, quâ humiditates morbificas expellere valent, undè ad multorum morborum cauſas reſpiciunt.

Solent quandòque vires adeò eſſe debiles, & inopes, ut opiata non conducant, & non niſi magno vitæ diſcrimine præberentur, idcòque non rarò contra vigilias externa uſurpantur, & elegantes pedum, & manuum lotiones fieri ſolent *ex folijs lactucæ, nymphææ, ſolani, hyoſcyami, mandragoræ, floribus chamomillæ, fœnugræci ſeminibus &c.* ut

℞ *fol. lactucæ,*
ſolani,
hyoſcyami,
nymphææ, ana m. j.
capit. papav alb. cum ſenim. nn. iv.

Coque in ſuff. aquæ communis quantitate, & iſto decocto foveantur tempora, deindè manus, & pedes, & petiis involutis eodem decocto madefactis, ac ſponte exſiccatis, blandus provocatur ſomnus, præſertim ſi aliquot diebus veſperi ante lecti ingreſſum uſurpetur.

Poſt lotiones conducunt inunctiones temporibus, & fronti *ex oleis ane-*

thino, *ſeminibus papaveris albi per expreſſionem*, *ſeminibus hyoſcyami etiam per expreſſionem*, *mandragoræ*, *nucis moſchatæ expreſſio*, ut

℞. *ol. papaveris* ʒß.
hyoſcyami,
mandragoræ ana ℈j.
nuc.moſch. q. ſ. m. pro inunctione.

Vel adhibenda ſunt unguenta ſomnum inducentia, ut *unguentum populeum*, *de cynogloſſo*, *alabaſtrinum*, & unicuique iſtorum ſeparatim aliquot guttæ olei hyoſcyami addendæ ſunt.

Vel

℞. *Ung. populei* ʒijß.
ol. hyoſcyami,
cortic. mandragoræ ana ℈. j.
ol. nuc. moſch. expreſſ. ʒß.
opii ℈ß.
m. cum ol. papav.
& f. ſ. a. unguentum.

Vel uti poſſumus ſequenti *unguento ſomnifero à Schrödero* deſcripto, ut

℞. *Opii Thebaici* ℈. ij.
croci ʒß.
ung. roſ.
alabaſtrini ana ℥. iß.
ol. nuc. moſch. ʒ. v. ℈. j.
aceti ſambucini parum
m. f. ſ. a. Ung. pro uſu.

Inungitur fronti, temporibus, aut manuum, & pedum pulſibus.

Similiter medici tantam medicamentorum congeriem pro alliciendo ſomno adhibent, ut ſunt balſamus hypnoticus, cataplaſmata, epithemata, emplaſtra, turundæ ex laudano opiato, clyſteres, glandes, ſuppoſitoria, & ſomnum per podicem conciliant, poma ex opio, ſacculi, noduli, odoramenta, ſuffitus &c. quæ ſi deſcribere voluiſſemus, caput in immenſum produceretur: ſufficit, quòd eadem ſemper medicamenta ſimplicia à nobis ſupra deſcripta in vitioſum torquentur circulum ſub diverſis formis.

Refert *Ettmullerus*: *Denique ſordes aurium aſini quantitate piſi temporibus illitæ in agrypniâ febrium ardentium probata ſunt. Sed obſervetur, ne augeatur doſis, aliàs nimis profundum, & diuturnum ſomnum inducit.* Stupemus equidèm tantum authorem hoc arcanum aſininum recenſere, credimus ipſum hoc remedium opiatum experientiâ comprobaſſe, dùm refert auctâ doſi ſomnum profundum, & diuturnum inducere. Cenſemus ſordes aurium aſini eſſe ipſo opio ad ſomnum conciliandum efficaciores, quia temporibus tantùm illitæ; extrinſecè veternum inducunt, quod de ipſo opio extrinſecè adhibito in majori quantitate non tantam vim ſomniferam commemorare poſſumus. Miramur tamen non connumerari inter animalia ſomnolenta, cùm ejus ſordes in auribus opio majores æmulentur vires, attamen eſt animal melancholicum, forſan ſordium opiatarum energiâ. Si tantam vim extrinſecè ejus in auribus ſordes habent, ſi propinarentur, ſomnum inexpergiſcibilem inducere arbitramur. Eſt itàque aſinus animal eximiis præditum virtutibus, & totus quantus eſt aſinus, medicamentoſus exiſtimatur, nec eſt in humano corpore morbus, cui aſinus non medetur.

Idem affert Clariſſimus *D. Io. Baptiſta Notarangelus* in ſuo Aſino Pythagorico, ſeu ſcientiarum Reformatore: opus id eſt ſanè multiplici, ac reconditâ cùm Veterum, tùm Recentiorum eruditione refertum. Ibi Momus varia, & oppoſita de Philoſophiâ ſyſtemata, quæ hoc ſæculo circumferuntur, con-

trariaſque aſſertiones, quibus ipſa huc illuc diſtorquetur, ac laceratur Philoſophia, mente volvens; indignum id ratus, atque animo percitus, Iovem adit, eique ſtomachabundus, magis exoticas, diſſentienteſque, ac, ut ità dicam, phantaſticas Philoſophorum opiniones de rerum naturâ majori ex parte refert. Iovi, quorsùm id, & quid ſibi velit, roganti; aliquem ſapientiſſimum reſpondet, eligendum, qui Philoſophiam ex rei veritate reformet, idque ratum à cunctis habendum, tot commentitiis, futilibuſque ſententiis, & opinionibus in orcum rejectis. Auctore Momo, cogit Iuppiter Deorum concilium: cùm ibi alii alios ex antiquis philoſophis, adjectis eorum laudibus, proponat: Momus, patefactis eorum ineptis dogmatibus, ac vitiis, ad unum reſpuit, ac excludit. Tædio Divi tandèm affecti, & irâ ſuccenſi; ut ipſe in medium afferat, qui ſibi tanto muneri par eſſe videatur, injungunt. Tunc Momus omnium maximè ad id oppoſitum, atque idoneum Aſinum eſſe pronunciat; quare ab omnibus exibilatur, & magnis clamoribus, ut impoſtor, exploditur. Poſt aliquas contentiones, indicto per Iovem ſilentio, Aſini laudes Momus expromit, ac luculentum texit encomium, in quo præter innumeras tùm corporis, tùm animi dotes, & virtutes, præter multas ſcientias, Aſinum pro ipsâ mente poni, ac germanum ſapientis ſymbolum eſſe, claré oſtendit. Poſtremò Divi efficacibus Momi rationibus inducti, ad Philoſophiam ſcientiaſque reformandas unanimi ſuffragio Aſinum eligunt.

CAP. IX.

De Vertigine.

VErtigo eſt ſpirituum motus depravatus cum imaginationis depravatione, in quo omnia objecta circumagi, & in gyrum rotare videntur; at cuncta firma ſtant, & nullo pacto in gyrum vertuntur. Differt à phrenitide, & melancholia, quia in vertigine ratiocinatio manet integra, & imaginationis errorem advertit; in phrenitide verò, & melancholiâ ratiocinatio cum imaginatione afficitur.

Duplex eſt; una levis, altera tenebricoſa; levis eſt, in qua viſio illæſa manet; & objecta tantùm aliquantulùm in gyrum agi videntur; tenebricoſa, in qua non ſolùm omnia circumrotare apparent, ſed etiam oculi ſimul caligine hebetantur offusâ, vel fumoſâ, vel varia coloramenta obverſantur. In utrâque vertigine viſio aliquantulùm læditur, quia ſpiritus, qui ad oculos rectà tendere ſolent per nervos opticos tranſverſim moventur, undè oculus illis non ità commodè fruitur, ſed in tenebricosâ vehementior eſt ſpirituum commotio, ità ut minùs ad oculos ferantur, undè viſionis obtenebratio oritur.

Quænàm functio in vertigine præſertim afficiatur, apud authores valdè controvertitur, de quibus prolixè agit *Sennertus*. Nonnulli vitium in viſu eſſe autumant, quia ità depravatur, ut res omnes externæ circumagi videantur ab oculo, & præcipuè in cryſtallino humore, qui in ipſo certamine commoveatur, & in gyrum vertitur

citur ab ipſo animali ſpiritu, quia ipſemet ſpiritus gyrat, undè neceſſe eſt, ut omnes ſpecies externæ viſibiles in gyrum etiam verti videantur. Habetur experimentum in ſpeculo, quod quidèm dùm commovetur, & in gyrum vertitur, tota domus; & ea, quæ in ſpeculo repræſentantur, commoventur, & gyrant. Ità ſpecies omnes viſibiles repræſentantur in humore cryſtallino, tanquàm in ſpeculo ſi cryſtallinus humor moveatur, & gyret, moventur, & gyrant omnes ſpecies, quæ in eo humore repræſentantur. Hinc phantaſiam non depravari, & ſenſum communem ſolùm per accidens depravari ſtatuunt, quatenùs s. ei falſus motus à viſu offeratur: Cœtera rectè ſe habere, & motum illum à quiete diſcernere, & motûs magnitudinem dijudicare. Sed experimur non oculum, & viſum in vertigine affici, quòd res quietæ moveri putantur, cùm etiam ſiquis clauſis oculis, aut rectus in gyrum agatur, nihilominùs vertigine corripiatur, & pavimentum cui inſiſtit, circumagi putet, & niſi adminiculo ſe ſuſtentet, concidat. Imò oritur vertigo morboſa, etſi nulla vel à viſu, vel à motu, aut certè levis occaſio præbeatur.

Alii ſenſum communem præcipuè, non læsâ phantaſiâ: alij phantaſiam, non læſo ſenſu communi, depravari ſtabiliunt. Verùm ſenſus communis, & phantaſia affici poteſt, ſi viſus vertigini occaſionem præbet, quia utergue rem, quæ quieſcit, quaſi motu agitatam apprehendit; Cùm enim ſpiritus animalis ſenſuum objecta recipiat, & ad ſenſum communem, & ad phantaſiam referat, ſi ille p n moveatur, objecta quoque moveri videntur. Habetque ſe res ſicut in aliis rebus viſibilibus. Etenim ut ſi rei albæ ſpecies per vitrum flavum, aut rubeum in oculum admittatur, res rubra, vel flava apparet: ità etiam cùm res quieſcentes moveri videntur, ſi ſpiritus animales non rectè in oculos, ſed circulariter agitati influant. Si verò ab externâ tantùm causa excitetur vertigo, & oculi ſint clauſi, ſolùm imaginatio afficitur, non autem ſimul ſenſus communis, utpotè qui non agit, niſi ab externo ſenſu motus, ut externorum ſenſuum objecta mediis ſenſibus exterioribus percipit, ſecundariò poſteà motus, & viſus ſæpè læditur. Cùm enim à phantaſiâ animalis greſſus regatur, accidit, ut læsâ imaginatione, conſequenter lædatur motus, & ægri concidant, quia ſpiritus animales in anteriori cerebri parte præternaturam moti, etiam eos, qui ad organa motus influunt, turbant, ac ut inordinatè moveantur, efficiunt, undè fit, ut ſpiritibus animalibus, non ut par eſt, in organa motûs influentibus, ægri collabantur: aut, ut aliis placet, cùm omnia circumagi videantur, non habent, ubi ægri figant greſſum. Et quia ſpirituum hoc vitium oculis quoque communicatur, tenebræ ſimul oculis oriuntur. Utrumque tamen etiam evenire poteſt, ut & aliorum ſenſuum læſio, quòd ſpiritus animales in organa ſensûs, & motus non influant. Etenim cùm ſpiritus animales rectâ lineâ in nervos influant, ſi hi circulariter moveantur, nervos præterlabuntur, ſicut aqua, quæ in vaſe aliquo circulariter movetur, è vaſe non effluit, etſi illud perforatum ſit.

Depravatur interdum auditus, & tunc levis obauditur fluctuatio. In non-

nonnullis etiam olfactus, & in aliis guſtus, ratiocinatio autem, & memoria ſalva eſt, cum vertiginoſi ſe errare cognoſcant in ipſo paroxyſmo, & poſt ipſum omnium recordentur.

Signa.

Vertiginis ſigna non ſunt longiùs inquirenda, cùm ægris referentibus, manifeſta fiant, nam præcedit objectorum inverſio, & circumgyratio, & ſi tenebricoſa ſit vertigo; oculi ſimul variè obtenebrantur, modò quaſi per ſpiſſam nebulam, aut fumum, jàm quaſi obſervante viridi, vel flavo, vel ſpadiceo, vel variegatè colorato velo; & omnia inverti, & rotari in alium videmur. Hinc vertiginoſus circum ſe palpat, adminiculum quærens, quo ſe ſuſtentet contra lapſum, & niſi adminiculum apprehendat, in terram labitur.

Differt ab epilepſiâ, quia epileptici ſubitaneè velut ſiderati in terram concidunt, convelluntur, & denique ſpumam emittunt ex ore. Ab apoplexiâ, quia apoplectici extemplò omnem ſenſum, & motum amittunt, & cum difficultate, & ſtertore reſpirant ſecùs in vertigine.

Si caput dolens gravitatem, & aurium tinnitum percipiat, affectum idiopaticum in ipſo capite eſſe dijudicamus; ſi verò in inferioribus partibus aliquod perſentiatur gravamen, ſympathicam eſſe vertiginem conjectamur. At incomparabilis *Helmontius* omnem vertiginem ex debili ſtomacho oriri, & aſſumpto vomitorio ceſſare aſſerit.

Veterum Cauſa.

Pro vertiginis cauſâ proximâ ſpirituum animalium circulationem *Gal.* 3. *de loc. aff. cap.* 8. totus vertiginoſus aſſignat, cui omnes vulgares in gyrum ſe ſubſcribunt; pro causâ verò antecedente, omnes humores, ut ſanguinem bilem, pituitam, & melancholiam, è quibus vapores elevari poſſunt, cùm tàm à calidis, quàm à frigidis vaporibus vertiginem excitari poſſe imaginatur. In his vertiginum cauſis vulgares conſentiunt medici, & Hermetici ſuo more ulteriùs progrediuntur, & non in ſimplicibus vaporibus ſiſtunt, ſed aſſerunt vapores, qui ſalinis ſcatent ſpiritibus acrimoniâ ſuâ efficere capitis dolores &c. & unctuoſos fumos, quales ſunt, qui ex reſinoſis lignis exhalant, nigras affectiones concitare, ſi in cerebro illi vel generantur, vel ad cerebrum tranſmittantur ab aliis partibus.

Tranſmittitur per venas, vel arterias interiores, & exteriores cervicis vapor, qui inæqualiter in his arteriis, vel cavitatibus cerebri circumactus humores variè impellit, & ſpiritus animales, vertiginem ſimpliciter dictam efficit.

Procedit etiam aliquandò ex ventriculo, & præcordiis, quibus vapores hujuſmodi à corrupto aliquo humore ſuſcitantur, qui ſpiritus inficiunt & luce privant. Exaltari hujuſmodi fumos ex pinguioribus corporibus, & hos in morbis eſſe probant Hermetici ex ſanguine, & lacte; quibus incenſis nigræ fuligines denigrandi vi præditæ eliciuntur, quæ oleosæ ſunt, ut obſervare eſt.

Opinantur aliqui ex vulgaribus medicis, quibus etiam quamplurimi ex Hermeticis ſe ſubſcribunt, ſpiritus animales lucidos eſſe, & quia luce prædi-

dici animam quodammodò illuminant, & actiones quamplurimas peragunt, & luce vel imminutâ, vel deficiente, actiones quaſdam vel minui, vel deficere cenſent. Probant ſpiritus animales eſſe lucidos ex fulgore, qui ex oculos percuſſo exire obſervatur; & ex his, qui oculos habent ſplendidos, ut feles, ſed nimirum in modum, qui ſic philoſophantur, allucinantur; nàm ignis, qui in noſtro corpore eſt, lucidus non eſt, quia cum humido corpore eſt, propter cauſas alibi tactas, ſic aqua quantumvis ferveat, lumen non emittit. Nec ſi lucidi eſſent operari aliquid poſſent ratione lucis, quia lux in retinam tantum agit, illamque movet, & viſionem medio hoc motu excitat. Lumen verò, quod conſpicitur in oculis felis eſt adventitium ex dilatatione pupillæ, & ſic etiam illud, quod in multis obſervatur, qui noctù etiam per aliquod tempus legere poſſunt, ut ſciunt philoſophi. Neque lumen ſemper retinam percutere debet ut luminis phantaſma oriatur; ſufficit nàmque, ut hoc oriatur, ſi retina feriatur, ſive comprimatur à corporibus, à quibus lumen excitatur, vel ſi motus internus excitetur illi ſimilis, qui excitatur à lumine mediâ retinâ, ſic ſomniantes lumine phantaſmatis, feruntur, neque anima à lumine afficitur, niſi quatenùs lumen motum excitet in ejus ſede.

Chymicorum ſententia vana eſt de fumis tenebricoſis, futile etiam eſt, quod dicunt de vapore ſulphureo acrimoniam non habente; nàm etiam vapores ſalini acrimoniam habentes vertiginem efficere valent, ut obſervare eſt in iis, qui ex comeſtione nimiâ ſinapis, & allii in vertiginem incidunt, etſi vertigo, ut ipſimet fatentur, prænuncia aliquandò eſt epilepſiæ, neceſſariò fieri debet tunc ab acri vapore epilepſiæ causâ.

Præterea à quibuſnàm vaporibus nebuloſis afficiantur, qui intentè in labentes aquas proſpiciunt? Quiſnàm vapor thedis, & curribus velociter currentibus, ſi velociſſimus rotarum curſus aſpiciatur, inſidentes invadit? Quinàm è locis altiſſimis reſpiciunt, quivè ex irâ, mærore, ſubitò in vertiginem incidunt, quibus vaporibus corripiuntur? Vt vera vertiginis cauſa indagetur, imaginationis, quæ in ipsâ læditur, inveſtiganda eſt eſſentia.

Noſtra Cauſa.

Senſio non in his partibus fit, in quibus fieri vulgò, & ab aliis philoſophis putatur, videlicèt in partibus, quæ organa ipſarum ſunt. Probatur hoc ex hiſtoriâ duarum mulierum, quibus inſcientibus à medicis reciſum fuit brachium, & crus: hæ mulieres ſemper querebantur de doloribus in digitis, quibus carebant. Senſio igitur non fit in organis externis, ſed in ſede animæ, quam aliqui in cerebro ſtatuunt, aliqui verò in corde, quidam in ſtomacho, alij tandèm noviſſimè in centro nerveo, & licèt hæ ſententiæ probabiliores omnes ſint, probabiliùs tamen videtur cerebrum animæ ſedem eſſe. De parte cerebri animæ ſede etiam controvertitur, probabile tamen eſt in conario animam ſedem habere, hoc eſt in illo, veluti in quadam arce objectorum nuncios recipere: anima igitur, cùm ſedes illius mutatur, ſentit, & quia conarium corpus eſt, mutari tamen poteſt eo modo, ac corpus mutari

tari poteſt; corpus autem mutari poteſt, tantùm motum recipiendo, vel ſecundum totum, vel ſecundum partem; motum autem recipere non poteſt, niſi à corporibus contiguis, & quia non continuantur nervi cum conario, per aliquod aliud, quod à nervis motum recipit, habere hunc debet, hi cùm ſubitò moveant, ac moti ſunt, debent eſſe tenuiſſimi, & hi ſpiritus appellantur animales, qui nihil aliud ſunt, quàm ſubtiliſſima pars ſanguinis ab arteriis, nervis, & cerebri ventriculis communicata.

Motæ fibrillæ nervorum ab objecto ſenſili, movent in ventriculis cerebri ſpiritus, qui movent conarion, quo moto, anima ſentit, & prout varius hic motus eſt, variæ fiunt ſenſationes, cùm autem anima imaginatur, neceſſariò conarion moveri debet, quamvis objecta ſenſibilia non ſint in organis, motus hic conario impartitur à ſpiritibus, qui moventur tunc ſimili motu, ac moveri ſolebant ab objecto ſenſibili: cùm igitur depravatur imaginatio, depravatur hic motus.

Ex his colligitur, quòd omne id, quod depravare motum ſpirituum poteſt, depravare etiam imaginationem poteſt, & quia in vertigine eſt depravavata imaginatio ſecundum motum ab objectis viſibilibus acceptum, inveſtigandum eſt, à qua causâ hic motus depravari poſſit.

Nervi viſorii fibrillæ omnium tenuiſſimæ ſunt, & motui aptiſſimæ, quem communicant ſpiritibus: quotieſcumque igitur hæ inflectuntur, motum depravatum illis communicant, & ſic ex pugno parva oritur vertigo, vel ad oculum, vel ad caput inflicto. Quoties cerebrum comprimitur vel ab anodynâ qualitate, quam explicavimus in apoplexiâ, ſpiritus per illud ſpatiari non poſſunt, ſed intropelluntur, & motum vertiginoſum inducunt, à quo etiam oritur vertigo, & præcipuè illa, quæ apoplexiæ eſt prænuncia.

Cùm acre aliquod cerebri membranas ſtimulat, non tamen ſic intenſum, ut epilepſiam excitare valeat, cerebrum totum concutitur, agitantur ſpiritus, & vertiginem efficiunt.

In proſpectu ab alto, in mærore &c. comprimitur etiam cerebrum, ut ſpeculanti patet.

Prognoſis.

Vertiginis prognoſis eſt: ſi rarò invadit, & ab externis excitatur cauſis, pertimiſcenda non eſt, ſicut quæ frequentiùs aggreditur, & internam agnoſcit cauſam, & qui tali tentatur modo, rarò conſeneſcere ſolent, præcipuè ſi non tantum res externæ, ſed etiam caput totumque circumagi corpus videntur cum visûs læſione, periculoſior eſt ob majorem cauſæ vehementiam, & ſi adeo invaleſcit, ut patiens ad terram defluat, in epilepſiam, aut apoplexiam mutatur. Senibus ſolet eſſe frequens, quia *Vertigo eſt familiaris ſenili ætati. aph.* 31. *ſect.*3. & periculoſior ob cerebri debilitatem, & caloris nativi inopiam, quam in florenti conſtitutis ætate. Et ſi frequentius ſenibus contingat, præſertim cum magnâ ſenſuum perturbatione, apoplexiam tandem præſignat. Si in tenebricosâ vertigine coloratum aliquod chaos oculis obſervetur, ſcilicèt vel rubens, vel viride, vel atrum, quorum quidèm rubens color in amentiam, viridis

tidis epilepſiam, & ater apoplexiam pronitatem, portendit. Et *aph.15.ſect. 8.Vertigo tenebricoſa in febre eſt ſignum deſperatum.*

Veterum Curatio.

Curationem aggrediuntur vulgares, ſi ſanguis in toto peccet corpore, præmiſſo clyſtere aliquantulum acriori, venam tundunt ſcilicèt baſilicam, vel communem, hinc cephalicam, tandèm poſt aures, & *Galenus* arteriotomiam extollit: Sed hi ſanguinarii cautè admodùm in hoc maledicto remedii genere procedere debent, quia venæ ſectio, ſi non juvat, ſtatim ægrum interficere poteſt, & incertum eſt in eorum opinione per ſe juvare poſſe, quia ipſorum confeſſione non adſunt demonſtrationes, ſed tantum probabiles conjecturæ, quas pro illâ afferunt, in ambiguis autem tutiorem quiſque ſequi debet ſententiam: eliminanda igitur prorſus è medicamentorum ſupellectili. Non conducit, cum morbus ſit frigidus ſenibus familiaris, & ut plurimùm vapores à debili elevantur calore, qui illos reſolvere nequit per naturales ductus, & per ſanguinis eductionem major inducitur perfrigeratio.

Si alii exuberent humores, ſecundum ſingulas humorum ſpecies convenieus inſtituunt medicamentum purgans: ſed dicant nobis, in vertigine ex cauſis externis proveniente, ut ex proſpectu ab alto, aquarum vorticoſarum aſpectu, ab ambulatione per pontem anguſtum, & tremulum, à vehementi tonitrui, & bombardarum fragore, quem purgant humorem? Quodnàm medicamentum habent, quod virus illud totans per alvum exturbat? Vidimus vertiginoſum, quem vulgares poſt varia laxativa, tot ſanguinis emiſſiones, hæmorrhoidum apertiones, omnem medicinæ carnificinam, invictâ vertigine, imò illæsâ pro inſanabili vertiginoſum deſeruerunt. Similem narrat hiſtoriam *Quercetanus* de quodam nobili in Galliâ, qui præter omnem medicorum expectationem à quodam ruſtico ex pavonis ſtercore reſtitutus fuit. Et nos *ſale ex ſtercore pavonis*, poſthabitis omnibus aliis medicaminibus, multos curavimus.

Deindè cucurbitulis ſiccis, & ſcarificatis, partium extremarum frictionibus, & ſternutatoriis vapores evocare intendunt, ne caput aſcendant, quia ſi illùc ſcanderent, à ſpiritu animali in fugam verterentur, & in gyrum in illo orbiculato certaminis loco, & vertiginem efficerent.

Tandèm veſicatoria, ſetaceum, & cauteria ad vaporum derivationem celebrant, quia facto ſpiraculo, vapores vel in ſaniei formam, vel in halitus erumpunt.

Sua non deſunt vulgaribus periapta, nàm aliqui *vulpis virgam* capiti alligatam vertiginem tollere credunt. Alii *corollam ex ulmi foliis* paratam capiti imponi jubent. O' bella periapta Diogenis digna cachinno!

Hæc ſunt vulgarium medicamina, & non alia, quia non alia, quæ vertiginoſo circumferuntur curſu pro cujuslibet morbi ſanatione.

Noſtra Curatio.

Curatio huic morbo debetur, vel in paroxyſmo, vel extra, ſed non præ-

miſsâ curâ diætecticâ, fruſtrà laboramus; nàm certum eſt diætam eſſe primam medicinæ partem, & multos curare morbos, vel ſaltim ſi non curat, eos deteriorare non ſinit. Hinc pro parte diæteticâ ad ſex res non-naturales confugimus, & primo ad

Aërem, qui ſit temperatus, ſerenus, lucidus, ſed paroxyſmi tempore non admodùm lucidus; ac proinde vitandus craſſus, humidus, teter, & nebuloſus. Hinc varii ventorum flatus (nàm ventus nil aliud eſt, niſi aëris motus) diverſimodè noſtra corpora afficere, & de unâ in alteram conſtitutionem transferre experimur, idteſtante *Hip. ſect.3. aph.17. Flante nàmque Aquilone nubes exploduntur, aër ſerenatur, noxiæ è corpore humiditates exhauriuntur, corpora coguntur, firmiora, agiliora, coloratiora, & meliùs audientia ſiunt, ſpirituum nebulæ diſcutiuntur, alvus exſiccatur. At ſi Auſtrini inſurgant venti, contrà, corpora diffundunt, humectant, auditum obtundunt, capita aggravant, & vertigines faciunt, oculis, atque corporibus difficilem præſtant motum, & alvos humectant.* Nil igitur boni ub Auſtriâ nobis affertur, niſi in valetudine detrimentum.

Cibus ſit boni ſucci, faciliſque coctionis, vitentur alimenta coctu difficilia, & quæ pravum ſuppeditant ſuccum, quæ flatus, fumos, & vapores multos ad caput mittunt, & præſertim legumina, ut fabæ, piſa, lentes, & ſimilia, etiam lac, piſces viſcoſi, conchylia omnia, caſtaneæ, nuces rancidæ, allium, porrum, cæpæ, raphanus, & alia ejuſdem farinæ. Vitetur ciborum varietas, eorum ſatietas, ac fames, ſed

Inter utrumque vola, medio tutiſſimus ibis.

Potus non ſit vaporoſus, ne caput vaporibus repleat, ac proindè vinum non bibatur, niſi ventriculus ſit imbecillis ex frigiditate, aut vitium languor id exigat, & tunc parcè bibendum, & ſit tenue, aquâ lotum, & non vinoſum, nec muſtum. Vitetur itàque vinum generoſum, & omnis ebrietas proſcribatur. Poſt cibum ſumat ea alimenta; quæ ventriculi orificium claudunt, & vaporum aſcenſum ad caput inhibent, ut coriandra præparata, cum nuce moſchatâ cydonia condita, vel diacydonium.

Motus ſit moderatus, & vacuo ventriculo non eſt incommodus, nec nimis exercitio ſe fatiget, nec per cochleas aſcendat, nec per pontem tranſeat anguſtum, ne vertigo excitetur. *Quies* potiùs prodeſt, & præcipuè à cibo. Vitandus rerum aſpectus, quæ circumrotantur, & in gyrum vertuntur, vel velociter moventur, ut rotæ, & flumina impetuosè fluentia. Æger ex alto non deſpiciat, vitet etiam hominum turbam, qui hinc indè ambulant, & moventur, curru non vehatur, nec equo.

Motus mediocris magis prodeſt, nec à cibo ſtatim ſe ſomno æger componat, vigiliæ verò nocent.

Scybala quotidiè naturâ, vel arte excernantur, & eadem de aliis excretionibus ratio, ut menſtruis, hæmorrhoidibus &c. habeatur, ac de iis, quæ retinenda ſunt. Si vertigo à menſibus ſuppreſſis, vel ſemine retento ortum ducat, licitâ Venere frui fas eſt, aliter abſtinendum.

Animi perturbationes nimiæ, ut ira, excandeſcentia, mæror &c. exulent,

ne

ne vertigini anſam præbeant.

In curatione, quæ paroxyſmo debetur, quia vertigo ſæpè in apoplexiam, vel epilepſiam degenerare ſolet, ea conveniunt medicamenta, quæ in earum inſultibus deſcripſimus, & quia vertigo affectus eſt levior, non tanto remediorum indiget penu; nares, tempora, & Suturam coronalem *oleo ſuccini ſampſuci*, *roris marini*, *macis*, *nucis moſchatæ*, *ſalviæ deſtillato* fricamus. *Propinari poteſt eſſentia roſarum*, *albarum moſchatarum*, *balſamus vitæ*, *ſpiritus roris marini.* Ori ad maſticandum indatur aliquid *macis*, *vel theriaca cum aceto roſaceo*, *vel aliquid elixiris proprietatis*, *vel confectionis alkermes*, ſed melius ejus *tinctura* ex noſtrâ deſcriptione.

Sternutatoria omninò vitentur, nàm undè facilè ſpiritus animales in inordinatos excitantur motus, & vertigo potius concitatur magis, & ad epilepſiam magis diſponitur.

Ad vertiginis præſervationem, qui huic morbo ſunt obnoxii, uti poſſunt imprimis *doronico*, ejuſque radice, quæ etiam ad præſervationem, ejuſque curam commendatur. Hujus radicis uſu funambuli ſe præſervare ſolent contra vertiginem, ſaltando in funibus, quod ipſis ſibi tanquàm ſingulare reſervant arcanum. Quidam ex doronico eſſentiam præparant, eamque ſingulariter ad vertiginem commendant.

Si apoplexia ſit in metu, ad præſervationem multùm valet *ſemen carvi in vino marceratum*, & poſtea ſiccatum, ſi quotidiè cochlear dimidium diù maſticetur, ſub horam decubitûs, tandemque deglutiatur. Multum quoque ſequens pulvis valet, cum timemus, ne vertigo in apoplexiam denegeret, ſingulis menſibus ante novilunium.

℞. *Succini præp.* ʒ ij.
Spec. diarrhod. Abbat. ʒß.
rad. pæoniæ ℈. ij.
fiat pulvis.

Doſis eſt ʒ j. cum aquâ ceraſorum nigrorum.

Extra paroxyſmum removenda eſt vertiginis cauſa, ubi ſpecialiter viſcerum inferiorum habenda eſt ratio. Et quia vertigo eſt quaſi quædam parva epilepſia, & ad apoplexiam multoties diſponit, eapropter vertiginem in ſpecie ſiſtunt ea, quæ medicamenta epilepſiæ ſuccurrunt, ſicut contrà, quæ vertigini medentur, etiam epilepſiæ opitulantur, & quia vertigo utplurimùm per conſenſum ex ſtomacho fit, curatur concitato vomitu *ſale vitrioli albi*, *vel aqua Æſculapii.* A vomitu ſtatim *elixir proprietatis cum ſyr. de cort. citri*, *vel aqua cinnamomi cum elæoſaccharo citri*, *vel electuarium de granis juniperi* exhiberi debet ad ventriculum roborandum.

Si verò fiat idiopathicè, vel ſympathicè, nullum etiam majus medicamen emetico dari poteſt juxta mentem *Hip. aph.* 17. *ſect.* 4. *Vertigo extra febrem requirit purgationem ſupernam.* Et convenientiſſimè fit in robuſtis per *Aquam benedictam*, *crocum metallorum*, *mercurium vitæ*, *hippocras emeticum*, *tartarum Emeticum &c.* At in ſenibus catharticis levioribus, & deindè roborantibus curatio perficienda eſt.

Ad illam, quæ eſt per eſſentiam utimur *magiſteriis perlarum*, & *coralliorum*, ut

℞. *Magiſt. perlar.* ʒ. iij.
magiſt. corall. ʒ. v.

ſalis betonicæ,
ſampſuci ana ʒ.ß.
olei roris marini,
lavendulæ ana gutt. vj. m.

Doſis ℈.j. cum *aquâ roris marini, lavendulæ.* Vel ſequenti, ut

℞ *Succini alb.* ℥.ij.
myrrhæ ℥.j.
aloës ſuccotrinæ ℥.ß.
flor. roſar.
boraginis,
bugloſſæ ana m. iij.
cubebarum ℥.j.
cardamomi ℥ ß.

Digerantur cum duabus menſuris vini, & deindè deſtilla ad remanentiam medietatis. Detur cochlear. j. cum ſale prædicto.

Utuntur aliqui ſaccharo penidiato aromatizato:

℞ *Sacch. penid.* ℔ ß.
Pulveriſetur, & irroretur
olei citri eſſentialis gutt. XL.
cinnamomi gutt. XX.
caryophyll. ℈ß.
moſchi,
ambræ ana gr. j.

Commendatur etiam contra vertiginem *pulvis è cinnabari nativâ*, ut in apoplexiâ:

℞ *Cinnab. mineral. ver.* ℥.ß.
vel in ejus defectu cinnabaris antimonij.
magiſt. corallior.
margaritarum ana ℈ij.
croci ℈.j.
fol. auri num. x.

fiat pulvis ſubtiliſſimus, cujus ℈.ß. *vel* ℈.j. *detur cum aquâ liliorum convallium.*

Sunt multa medicamenta contra vertiginem ſpecifica, ſed expertum pluries à nobis felici cum ſucceſſu, *ſtercus pavonis*, & omnibus præfertur, qui ejus periculum fecerunt, & maximè commendant, præmiſſis univerſalibus. *Bartholetus carnem etiam pavonis* comeſtam admodùm contra vertiginem laudat. *Stercus* itàque *pavonis* nullâ præmiſsâ præparatione, in formâ pulveris unius, vel ſemidrachmæ pondere vertiginem curat, cum ſaccharo exhibitum, ex qua curatione hujus affectûs cauſa patere poteſt, & analogiâ hic, & quamplurimi alij curari poſſunt. Vel propinari poteſt *ſtercus pavonis exſiccati ad* ʒ.j. *cum conſervâ florum anthos, vel miſcetur pro ditioribus cum Confectione alkermes, quæ moſchi, & ambræ* ratione admodùm ſenibus convenit. Aliqui medici vanam, ſuperſtitioſamque ſexûs obſervationem in eligendo pavonis ſtercus adhibent; nàm pro homine vertiginoſo ſtercus pavonis maris, pro muliere ſtercus pavonis fæminæ eligunt; imò hoc ſtercus, ſed aliqua ratione, menſe majo coliigendum jubent, & hujus ʒ.j. per noctem in vino macerant, poſtmodùm per linteum traijciunt, & exhibent, continuanda à novilunio, ad plenilunium uſque. His parùm proficientibus, tanquàm ad ſacram anchoram, ad *laudanum opiatum* confugiendum eſt cum ſuccinatis miſtum; laudanum nàmque opiatum quoſcumq; inordinatos ſpirituum motus compeſcit, & eoſdem figendo, mirabiliter ſedat. Pro mulieribus vertiginoſis commodè permiſcetur *caſtoreum, vel ejus eſſentia*, cum alijs medicamentis vertiginem reſpicientibus. Celebratiſſima, & à nobis pluries experta eſt *Caffeæ potio* per plures auroras aſſumpta; nàm vapores caput ſcandentes, retardat, reprimit, compeſcit, & ſpiritus animales inordinatè, & in gyrum ſe moventes.

moventes in naturalem redintegrantur motum.

CAP. X.

De Epilepſiâ.

NUllus eſt ferè morbus, qui à veteribus pluribus fuerit nominibus inſignitus, quàm morbus hic epilepticus, qui dicitur

Primò, *Comitialis*, quia vel in comitijs, & hominum frequentiâ facilè detegitur; vel quia comitia vitiare dicebatur: non celebrabantur enim comitia apud Romanos, quoties eodem die ſiquis illo afficeretur morbo.

Secundò, *Herculeus*, aut quia Hercules eo morbo laboraſſe fertur, aut quia magnis, vehementiſſimis, & potentiſſimis eget remedijs, aut quia ad hunc morbo obſiſtendum Herculeæ exiguntur vires.

Tertiò, *Morbus ſacer*, vel quia divinitùs immitti putatur, vel quia non ope humanâ, ſed ſacrâ tolli poteſt; vel quia ſacram corporis partem, nempè cerebrum, arcem Palladi ſacram impetit, & ſubvertit; vel propter morbi magnitudinem, quia magnus eſt, & Græci magna appellare ſolent ſacra, ut ſacrum mare, anchora ſacra, ſic medici os ſacrum, vel quia deteſtabilis, & abominandus eſt morbus, ut apud Poëtam:

Auri ſacra fames.

Quartò, *Caducus*, dicitur *morbus*, à ſubito ægri caſu.

Quintò, *Puerilis*, vocatur *morbus*, quia pueritiæ tempore in primis ſolet negotium facere.

Sextò tandem, dicitur *morbus lunaticus*, vel quia à lunâ immitti putatur; vel quia in novilunio natos hoc morbo corripi fertur, vel quòd lunæ circuitionem ſequitur. Sic comitialis, Herculeus, ſacer, caducus, puerilis, lunaticus morbus ſynonyma ſunt, ſignificantia horrendum illum morbum, quo laborantes ſubitaneo caſu in terram collabuntur, ac toto corpore, & præcipuè cerebri membranis, & conſequenter nervis convelluntur.

Itaque epilepſia eſt motus convulſivus totius corporis, non perpetuò, ſed interpolatis, & ſubitaneis paroxyſmis ſuos adoriens ægros, omnemque plerùmque mentis, ac ſenſuum uſum ſuſpendens, & lædens.

Signa.

Epilepſiæ ſigna alia imminentem minantur, & alia præſentem indicant; imminentem minantur, caput grave, vertiginoſum, mentis torpor, vigiliæ, aut plurimus ſomnus, inſomnia turbulenta, oblivio, mæſtitia, pavor, membrorum frigus, & tremor, linguæ motus inordinatus, aurium tinnitus, obtutus defixus, ſcintillæ oculis obverſantes, interdùm nubeculæ, aut ſplendores, vultûs pallor, oſcitatio, & ſternutatio. Iracundia, pectoris conſtrictio, & anhelitûs mutatio. Cibi faſtidium, nauſea, & oris ventriculi morſus.

Præſentis epilepſiæ ſigna nondùm medicis, verùm etiam plebeiſſimo cuilibet ex horrendo inſultu manifeſta ſunt; nàm patiens ſubitaneâ correptione in terram proſternitur, ità ut omnes ejus ſenſus interni, & externi intercipiantur, & totum ejus convellitur corpus, atque indè poſt paroxyſmum æger

ad ſe

ad ſe redit actorum omnium immemor, & miſerandâ debilitate laxatus.

In mitiori epilepſiâ non toto æger convellitur corpore, neque concidit, ſed aliquæ convelluntur partes, vel caput concutitur, vel oculi contorquentur, vel manus, & pedes hinc indè jactantur. Hic manus habet clauſas, ille voluitur in gyrum. Hic curſitat, ille ſedet. Quandòque loquitur, audit, ſentit in paroxyſmo, quo peracto, omnium, quæ egit, vel acciderunt eſt ignarus. Quidam vociferantur, aliis dentium ſtridor ſupervenit, ſtertor, oris ſpuma, urinæ, fæcum, & ſeminis involuntaria excretio.

Quæ idiopathica, quævè accidentalis ſit epilepſia, ex corporis conſtitutione conjectari poterimus, nàm ſi perpetua capitis gravitas, dolor, aurium tinnitus, memoriæ imminutio, difficilis auditus, oculorum, & ſenſuum hebetudo, & alia capitalium functionum executio, morbum idiopaticum eſſe arbitramur; ſi verò caput, ejuſque organa benè ſe habent, & moleſtia inferioribus alicubi percipiatur, & aura aliundè elevari, & ſurſùm ferri ſentiatur, epilepſiam per ſympathiam fieri conijcere oportet, & ubi moleſtiæ ſenſus ſe percipiendum præbet, ibi mali originem ſtabulari, cerebroque magneticè communicari, vel evaporabiliter tranſmitti.

Veterum Cauſæ.

Reijciunt Hermetici morbi caduci cauſam à *Galeno*, ac ejus ſequacibus allatam, ventriculorum cerebri obſtructionem à craſſi, frigidi, & phlegmatici ſucci multitudine productam, & excitatam.

Primò, quia non differret epilepſia ab apoplexiâ, nec quicquàm facit craſſum humorem in apoplexiâ facere perfectam obſtructionem, in epilepſiâ verò imperfectam, nàm magis, & minus non variat ſpeciem: eſſet igitur levis apoplexia excitata à non omnimodâ obſtructione.

Secundò, ſequerentur convulſivi motus, oculorum inverſiones, capitis concuſſio, & ſpumæ generatio circa os in epilepticis, quæ obſervantur etiam in apoplecticis, imò in caro detentis, cum utrobique, ut ex *Galeno* patet in ſignis, humoris viſcidi, ac frigidi copia cerebrum, ejuſque cavitates occupat.

Tertiò, epilepſiæ obnoxij eſſent etiam apoplexiæ, & è contrà, quod non obſervatur, coagmentatâ ſcilicèt aliquandò tali portione pituitæ, quæ ſufficeret ad utrumque effectum: poſſibile enim non eſt, ut ſemper totaliter ſinus cerebri repleantur, & ſemper non totaliter.

Quartò, nunquàm, vel rarò fierent apoplectici, nàm obſtructis ſecundum partem ſinubus cerebri, naſceretur extemplò epilepſia.

Quintò, argumento ab auctore deſumpto, quod adduximus in apoplexiâ, convincitur epilepſiam excitari non poſſe ab humore craſſo, cùm ſubitò fiat, & ſubitò ſoluatur.

Sextò, ſi craſſus, & phlegmaticus ſuccus cerebrum obſtruens epilepſiam gigneret, vertigo, ſternutatio, & ſingultus, qui cum morbo comitiali magnam habent cognationem, quæ ad caſum in terram, quæ ad vehementem capitis, ventriculi, & ad aliarum partium corporis concuſſionem pertinent, ab eâdem proficiſcerentur cauſâ.

Septimò

Septimò, quia nullâ daretur ſympathica epilepſia, quæ præſertim ſubitò fieret aliûs partis conſenſu, quod tamen manifeſtum eſt, ut videre eſt apud obſervatores, qui referunt ex vermibus, digito, pede, coxâ, & ex pupillâ, ut obſervavit *Marcellus Donatus*, & ex innumeris alijs locis natam fuiſſe epilepſiam. Quomodò enim ex partibus remotiſſimis, interdùm exiguis, craſſus humor ad cerebrum tranſmitti poſſet, & aliquandò contra naturæ leges ſurſum?

Octavò, quia ſolveretur neceſſariò paroxyſmus, materiâ illâ craſsâ per palatum, os, nares, vel aures excretâ, vel ad nervos tranſmiſsâ, quod non obſervatur; nàm paralyſis ſemper ſuccederet epilepſiæ, quod rariſſimè accidit.

Nonò, quia multoties obſervantur aliqui, qui craſſis humoribus in cerebro abundant, & præcipuè hydrocephalo laborantes &c. & tamen epilepſiæ ſubditi non ſunt. Præterea compertum eſt ab anatomicis apertione capitum quorundam maximam in ijs ineſſe copiam pituitæ, qua invenerunt etiam ventriculos oppletos, qui tamen nunquàm tentati fuêre, neque ab hoc affectu, neque ab apoplexiâ.

Decimò, quia nunquàm generatur epilepſia hoc pacto; nàm imperfecta ventriculorum obſtructio nullo modo impedire ſpirituum animalium tranſitum, quorum ſubſtantia ponitur ſubtiliſſima, & quaſi ætherea, & conſequenter non poteſt impediri ab ullo humore, quin tranſeat, cùm quoſvis poros ſubeat, ut diximus in paralyſi. Præterea elegantiores anatomici docent, & nos innuimus ventriculos cerebri non eſſe receptacula excrementi pituitoſi, & non fieri, imò non dari in illis ſpiritus animales. Adde, quòd curatio, quam adhibent, non favet illorum opinioni, nàm ut prætereamus medicamentum purgans, quid efficere poſſunt pœonia, viſcus quercinus, corallium, alcis ungula ad mucum ex cerebri ventriculis extrahendum?

Ultimò, in diſſectione epilepſiâ mortui ventriculi cerebri hujuſmodi muco pleni non obſervantur; inventa fuit ſolummodò macula, modò aqua lympida, modò ſpumoſus quidam humor, modò nihil protſùs, ut teſtatur *Valcher.* communiter etiam de apoplecticis his verbis: *Aquam lympidam tenuem, & parum in epilepticis, & apoplecticis multoties vidi, nihil in cerebri ventriculis pituitæ, nullam in ijs obſtructionem, & non plus humoris tenuis, aquoſi, ac lympidi in medio ventriculo, atque in reliquis deprehendere quivi, ſed totam cerebri ſubſtantiam inveni aquoſâ humiditate refertam, & ventriculos omnes eâdem aquâ plenos.* Hoc quoque teſtatur *Eraſtus*: *Complurium epilepticorum cerebrum diſſectum nihil habuit, ex quo obſtructio colligi poteſt.* Diſſecti etiam alii ſunt, in quibus aqueo humore, aliquandò etiam cruento pleni apparuêre, quamvis nihil epilepſiæ fuiſſent paſſi.

Noſtra Cauſa.

Verùm hac opinione explosâ, ſtatuunt Hermetici epilepſiæ cauſam eſſe vaporem mercurialem vitriolatum ex tartaro impuro, ſeu ex mucilagine æruginosâ in aliquâ corporis cavitate collectâ expirante, qui ſtypticitate ſuâ arterias carotides conſtringens, & comprimens, ſpiritûs vitalis viam ſiſtit, & eâdem aciditate vitriolatâ ventriculos, & meatus

& meatus cerebri nimis coartans, & panniculos ejus laceſſans, pungens, ac vellicans, ejuſmodi quas ſe offerunt omnium corporis partium præcipuè externarum convulſiones, & contractiones excitat.

Generari autem ejuſmodi vapores in corpore, non ſolùm probatur ex analogiâ microſmi cum macrocoſmo, ſed etiam obſervatur præcipuè aciditas in ſtomacho, ut dicemus, quæ oritur, ut volunt Hermetici, ex digeſtione factâ in corpore variorum tartareorum liquorum, qui cùm expelluntur, nocere poſſunt, cùm verò retinentur in aliquâ corporis cavitate, ſi exaltatur in ijs qualitas acida vitriolata, & vapores hac confecti tranſmittantur ad caput, excitatur epilepſia, & hac de causâ *Paracelſus* caducum morbum viridellum vocat, licèt huic denominationi occaſionem dederit ſpiritus vitrioli viridis, quo hic affectus tollitur. Undè dicitur etiam vitriolatus, in id quoque recidit, cùm ait: *Caduci cauſam materialem eſſe ſulphur vitrioli narcoticum mordicativum in microcoſmo exiſtens.* Neque ut ipſe ſubdit: *Quilibet ſulphuris odor affectum hunc excitare valet, ſed ſtupefactivus, inebriativus, & mordicativus.* Horum ſulphurum diſcrimen apparet in uvâ versâ, cicutâ, hyoſcyamo, opio, mandragorâ, & papavere, quæ mordicativâ potentiâ carent, & inebriativa, ſtupefactiva tamen ſunt, & in ſulphure vitrioli narcoticâ, & mordicativâ prædito.

Fieri à vaporibus hunc affectum probatur ex dictis, quia ſubitò fit, & ſubitò tollitur; fieri autem à vaporibus vitriolatis, vel his analogis probatur etiam, quia hi habent virtutem ſtupefactivam, & mordicativam, quæ requiritur ad hunc effectum efficiendum.

Epilepſia cùm ſenſûs privationem, & motum convulſivum contineat, neceſſario à causâ ſummoperè irritante, & ſenſum auferente proficiſci debet, quæ ſummoperè irritare poteſt, neceſſariò eſt acris, & mordax, & ex tenuiſſimis particulis conſtat, & acuminatis. Ex quo reijciuntur, qui *Galenum* defendere conantur, dicentes quantitate pituitam gravare naturam, non qualitate, & ſic irritare expultricem, nàm hæc irritatio, ſi adeſſet, parua admodùm eſſet, quapropter non potens eſſet efficere tam validum motum, ſubtilem admodùm eſſe cauſam hanc arguunt etiam invaſiones, quæ ſubitò fiunt, & quia ſenſum tollit, ſpiritus figere debet, vel comprimere, & conſtringere cerebrum, & ipſum per minima penetrare, ad quod ſubtilitas requiritur.

Ex quo colligitur, quòd vapor acris, & mordax, qui virus anodynum habet, quo ſenſus tollitur, eſt genuina epilepſiæ cauſa, & quia talis eſt vitriolatus, probabile eſt valdè vitriolatum, vel vitriolato analogum vaporem hujus affectûs cauſam eſſe. Confirmatur hoc, quia ij, qui vitriolato hoc acido abundant, huic morbo obnoxij ſunt, nempè pueri, in quibus ob voracitatem lac aceſcit, & exaltatur, & ij, qui melancholici vulgò dicuntur, quod notavit *Hip.* ſive quiſquis fit ille, qui dixit: *Melancholici fiunt epileptici & contrà.* Quomodò autem generatur aciditas hæc, dicemus, cùm de affectibus ventriculi, hic ſolùm advertendum melius locutos fuiſſe chymicos, quàm Græcos medicos, & ſequaces dogmaticos, nàm per vitriolatum vitriolati additamentum exprimitur, ſive melius explicatur aciditas illa, quæ huic affectui, & multis.

multis alijs reddidit obnoxios, idem igitur eſt dicere vitriolatus vapor, quàm vitrioli naturam ſapiens, ex quo fit, quòd vulgares medici non explicant, quomodò melancholia hunc effectum generat, neque lis tantùm de nomine eſt, ſed quammaximè de re, nàm qui melancholiam dicit humorem terræ correſpondentem, frigidum, & ſiccum, & ad ſummum acidâ qualitate prædittum, ex quo, quod colligi poteſt ad cauſæ explicationem, hujus, & reliquorum affectuum quiſque conſiderare poteſt, ſed de his inferiùs.

Coagulandi vis, quam habent vitriolati vapores, ſenſum adimit in epilepſiâ; non adeò tamen hoc nobis perſuaderi debet, ut negemus dari non poſſe aliam cauſam valentem id efficere ob remedia, quibus hic affectus aliquandò tollitur. Idemmet probant chymici, & rationes convincentes non ſunt, tùm quia non ſemper illis remedijs non tollitur, tùm quia alia poteſt eſſe cauſa, ob quam tollatur.

Multoties vapor tantùm acrimoniam habet, & tunc epilepſiam excitat aliquandò obſervatam, in qua manet ſenſus, motu depravato.

Quæres, quid intereſt inter cauſam apoplexiæ, & epilepſiæ?

Reſpondemus utramque vitriolatam eſſe, in eâ tamen, quæ cauſam dat apoplexiæ ineſſe magis vim coagulativam; in hac verò ineſſe magis acrem, quæ obtunditur coagulatione, & quia utraque vel in cerebro generatur, vel ex aliâ parte in cerebrum confluit; hinc epilepſia, ut apoplexia, modò ſympatethica, modò adiopathica eſt. Utplurimum tamen ſympathica exiſtit, & ventriculi conſenſu, in quo aciditas generatur, vel propagatur ſecundum aliquos in alimentorum digeſtione, quæ vel fit ab acido, vel aciditas ad illam conſequitur, ut nos opinamur: Conſequitur, & exaltatur, & figitur in ventriculi tunicis, ſcatente acetoſitate quadam acidorum ſpirituum ſede, non aliter ac dolium, in quo acetum fit, vinum in acetum convertit, alimentum magis quàm par eſt, acidum reddit; quod cùm fermentatur, vel fibris, vel nervis mediantibus, caput petit, vel lacteis venis, ut dicunt, ad cor fertur, & à corde per arterias ad caput etiam tranſmittitur.

In utero quoque poteſt vitriolatus hic vapor generari, & deindè &c.

Vermes epilepſiam excitare poſſunt, tàm ratione ſui, morſu ſcilicèt nervorum, & tetro vapore illos inquinando; tùm ratione materiæ acidæ, à qua generantur etiam in communi ſententiâ, quæ ex putri ipſos generat, cujus putredinis comes eſt aciditas.

Poſſet etiam ſolo morſu excitari epilepſia, nervo moto, & ab illo excitatâ materiâ in cerebro exiſtente, nàm ſi hæc non excitaretur, inſultus epilepticus momentaneus eſſet, ſi à ſolo morſu eſſet abſque excitatione materiæ. Subtilior materia eſt, quæ epilepſiam excitat, & hac de causâ vel nunquàm, vel raro in paralyſin deſinit, ut obſervant practici.

Deſinere poteſt aliquandò in paralyſin, quia motu illo convulſivo latex in cerebro exiſtens vel vitriolatus, vel mercurialis ad nervos transfertur ſimul cum aurâ epilepſię causâ, vel nunquàm, à qua adjuta ab aliquâ aliâ in nervis adinuenta coagulatur. Poteſt etiam coagulatio fieri ſolius auræ beneficio.

Prognoſis.

Hujus affectûs prognoſis eſt: Epilepſia ratione acceſſionis morbus acutus eſt, ſecundum verò morbi latitudinem eſt chronicus: ideòque idiopathica difficillimè curatur, ſympathica ſæpè curationem admittit, & hæreditaria eſt extra omnem curationis ſpem. Infantibus, & pueris eſt perfamiliaris, undè infantes admodùm parvi, & poſt nativitatem rarò evadunt, imò novilunij tempore nati plerùmque epileptici fiunt, & rarò mortis periculum evadunt. *Aph.25.ſect.3.Pueros facilè corripit ſub tempus dentitionis, maximè caninis dentibus erumpentibus. Præſertim in pueris craſſioribus alvum duram habentibus. Sed ex aph.28.ſect.5. Deſinit in pueris ante ſeptimum annum, vel ad pubertatem accedentibus, puelliſque menſtruis erumpentibus. Et ſect.5. aph. 7. Quibuſcumque morbi comitiales fiunt, ante pubertatem mutationem accipiunt. Et ſect. 2. aph. 45. Quicumque juvenes morbo comitiali laborant, mutatione maximè ætatis, & temporum quoque liberantur. Et ſect.5. aph. 7. Poſt annum autem vigeſimum quintum ferè ad mortem durat.*

Sed hic ultimus aphoriſmus falſitatis evincitur, cùm multos ætate provectos ab hoc morbo fuiſſe liberatos, quamplures teſtantur obſervationes, quia *Hip.* tempore incognita erant efficacia remedia, quibus modò Herculeus iſte morbus ab aliquibus ſuperatur; niſi dicere velimus: epilepſiam poſt vigeſimum quintum annum, utplurimùm per vitam durare.

Epilepſia, quæ cum ætatis flore evaneſcit, abiens utplurimùm quaſi pulchritudinis invida quoſdam deturpat, aut manum reddit inutilem, aut faciem diſtorquet, aut ſenſum aliquem aufert, & ſui mancipatûs caracterem relinquit. Mulier utero gerens, ſi fortiori epilepſiâ corripiatur, in magno verſatur diſcrimine. Si ſenibus, & decrepitis epilepſia ſuperveniat, difficulter curatur. Faciliter curationem admittit, quæ (licèt ſit crebrior) breviores habet paroxyſmos, at quæ longiores, & vehementiores, non rarò in paroxyſmo ægro vitam abrumpit.

Veterum Curatio.

Vulgares medici duplicem in epilepſiâ inſtituunt curationem, unam in paroxyſmi actu ad tollendam illam acceſſionem; alteram verò ad tollendum in habitu morbum. In paroxyſmo inſignes ad aures adhibent vociferationes, at inanes, quibus ſopitam facultatem excitari credunt; imò nonnulli ad ægri aures quædam ſuſurrant verba, quæ, quia ſuperſtitioſa ſunt, ſub ſilentio involuimus. Verùm tacere non poſſumus, quod *Nicolaus* prodidit inſuſurrando in dexteram aurem illud: *Oremus præceptis ſalutaribus moniti, & divinâ inſtitutione formati audemus dicere: Pater noſter*, adjectâ totâ oratione Dominicali, poſt completam ſupplicationem, antequàm abſolvantur hæc ambo, ægrum ſurgere à morbo. Atqui hæc medicamenta, ſeu arcana, ut dicunt, ut ſuperſtitioſa explodimus, quia in his nulla eſt vis pro morborum ſanatione. ſed aëria, & inutilia ſunt experta utpotè in verborum prolatione, & in aëre fundata: Orationis nàmque Dominicalis finis eſt, ut Patrem oremus, quâ Chriſtus Redemptor

demptor

demptor noſter nos breviter orare docuit, ut habetur in *Evangelio ſecundum Matth. cap.* 6. *verſ.* 7. *Orantes autem nolite multùm loqui, ſicut Ethnici; putant enim, quòd in multiloquio ſuo exaudiantur. Nolite ergò aſſimilari eis: ſcit enim Pater veſter, quid opus ſit vobis, antequàm petatis eum. Sic ergò vos orabitis: Pater noſter, qui es in cœlis, ſanctificetur nomen ſuum &c.* Prætereà opinamur forſan ex fortuitu effectu, quem quandòque bardum vulgus, & creduli impoſtores obſervant, ità contingere, vel quia ſuſurrus ille in aurem prodeſt, vel à flatu fieri, ut multi credunt medici, vel ab illâ aurâ, quæ interim exacto ſuſurru conſumitur, vel quia epilepſiæ paroxyſmus per breve intervallum durat, & intereà dulci ſuperſtitione captantur.

Manuum digitos, tùm alias partes, ne vehementiſſimè convellantur, in rectum extendunt, & quandòque in ægri manu clavem maſculeam imponere ſolent, qua tamen ratione ipſi neſciunt. Graves naribus adhibent odores ex galbano, ſulphure, bitumine, aſafœtidâ &c. ſed potiùs epilepticum ingeminant inſultum, quia rerum fœtidarum ſulphuris, bituminis picis &c. ſuffitu ſervos emendos, an eſſent epileptici, antiquitùs explorabant.

Revulſionis gratiâ frictiones, & violentas ſcapularum, brachiorum, crurum, & ipſius dorſi cum pannis aſperioribus, & piloſis celebrant. Ligaturas validas, & dolorificas inſtituunt, ſed ſteriles ſunt, quia ex loco affecto propter obtuſum membrorum ſenſum nihil evacuare poſſunt; neque ſopiti ſenſus excitant, quia ſenſus moleſtas frictiones, & ligaturas non percipit. Si paroxyſmus ſit diuturnior, glandibus, & validis clyſteribus alvum ſtimulant. Pudenda medentum medela, humor frigidus, & craſſus cerebri ventriculos obſtruit, & vulgares podicem ſollicitant! Quid commune, quem conſenſum habet cum cerebro podex? Tot tamen anatomicorum pace hoc dictum ſit, qui cerebro nates, & anum aſſignârunt. Ori, ut paululum ſervetur, cuneum inſerunt. Pungunt, vellicant epilepticum, cucurbitulas infligunt, ut fruſtrà affligant, temporum, corporum, & narium illinitiones præſcribunt, ut inſultantem proſcribant morbum, ſed oleum, & operam perdunt, quia hac extrinſecâ medicinâ inquilinum non eliminant hoſtem. Nonnulli teſtes cum arietis corio nectunt. Quiſnàm teſtium cum cerebro conſenſus? Si morbus tamen mentum obſideret, ægrè hoc remedij genus admitteremus, magnus licèt teſtium cum mento ſit conſenſus, ex quorum amputatione eunuchos videmus imberbes, & à maturis teſtibus barbam efficienter dependere obſervamus.

Extra paroxyſmum *ſyr. de hyſſop. ſtœcade, pœonia &c.* pituitam præparant. Si melancholicus exuberet humor, præparatur *Syr. de boragine, betonicâ &c.* Si verò bilioſus *ſyr. de endiviâ, violis &c.* Deindè præparatis humoribus pro tribus vicibus, ad purgans deveniunt medicamentum, & exordiendo à lenioribus, ad fortiora confugiunt, eorumque diuturnum continuant uſum, quæ non ſolùm bis, ter, & quater, ſed etiam ad plures menſes exhibent, alternis, ternis, vel quaternis diebus. Cùm verò animales meliùs ſe habere inſpiciunt actiones, & ſymptomata ſe remittunt, non tàm frequentiùs

purgant, ſed ſemel ſingulis hebdomadis, ſemel in menſe, vel longiùs protrahunt. Pro pituitâ *agaricum*, pro melancholiâ *helleborum*, & pro bile *rhabarbarum* exhibent cum ſuis appropriatis decoctis, vel ſyrupos magiſtrales, pilulas, pulveres, vel electuaria, quam medicamentorum lanienam, an ægri ſuſtinere poſſint, experientia te docebit, & ad epilepſiam curandam, an ſufficiant, epileptici, qui vulgarium perfidæ tyrannidi ſe obſtinatè ſubmiſerunt, ſunt incorrupti teſtes.

Nonnulli in epilepſiæ paroxyſmo ſanguinem fundunt, ſed in illâ vehementi, & inordinatâ vitæ concuſſione non commodè, & utiliter phlebotomiam celebrant, quia in eo inſultu inter vitam, & occaſionalem morbi cauſam atrox intercedit bellum, & vita nihil aliud, niſi cauſæ occaſionalis expulſionem intendit, & quia vita habitat in ſanguine, & ſanguis eſt vitæ theſaurus, ſi in illo conflictu ſanguinem emiſeris, non niſi cum vitæ diſpendio id efficies; undè fieri poteſt in ipſomet paroxyſmo magnâ cum medici ignominiâ, ut cauſæ morbificæ ægri vita ſuccumbat.

Extra paroxyſmum multi venam aperiendam perperàm cenſent, quia epilepſia in eorum ſententiâ à frigido, & craſſo naſcitur humore. Nec in eorum opinamento, qui potiùs à tenui humore, quàm à craſſo ortum ducere dicunt, ſanguis mittendus eſt, cùm ad hunc affectum fovendum, ſive excitandum nullum ſanguinis vitium concurrat. Neque plenitudinis notæ, quæ in hujus morbi inſultu apparere ſolent, plethoriam indicant, nàm venæ turgidæ à vehementi nixu, & inordinato naturæ motu fiunt. Neque aliqua ſanguinis ſuppreſſa evacuatio, ſi ad comitialem præceſſerit, ut menſium, vel hæmorrhoidum ſuppreſſio, morbum tàm rebellem efficere poteſt, quia ſanguinis miſſione proſcriberetur, ſed alium longè benigniorem, & facilioris curationis patraret.

His parùm proficientibus ad ſudorifica confugiunt, quæ per triginta, vel quadraginta continuant dies, præ omnibus *ligni guajaci decoctum* præferunt cum antipilepticis, ſcilicèt *ligno viſci quercini*, & *pæoniæ radice*. Eodem modo *ſalſæ parillæ*, *radicis chinæ*, & *ligni ſaſſafras decoctum* parant.

Si cœtera non profuerint, quia morbus eſt chronicus, deveniunt ad *cauterium*, turpis ignorantiæ aſylum, & eſtò id, quod quotidiè evacuatur, parùm videatur: tamen quia continuatur, temporis progreſſu multa parva faciunt unum ſatis, quod in morbis acutis, qui ſubitas requirunt evacuationes, minimè militat. At hoc remedij genus implicitam involuit blaſphemiam, qua palam Creatorem in condendis emunctoriis inſufficientiæ incuſant, & quod Deus integrum fecit, meliùs vulneratum conſervandum fore credunt. Ex permanente vulnere valetudinem mendicant! Non eſt via à cerebro ad cutem, qua craſſus ille humor per adipis medium ſe exoneret. Id, quod corruptum, putidumque in globulo, chartâ bibulâ, & hederæ folio apparet, non hujuſmodi præexiſtebat, ſed ſanguis, vel geniale partium nutrimentum, quod in cauterizatæ partis foramine, labiiſque malè diſpoſitis in degenerationem abiit.

Si cauterium parùm, aut nihil proficiat, ad *ſetaceum* confugiunt, quia majus præſtat emolumentum, & ubi

unum

unum cauterium nullam tulit opem, ibi unum ſetaceum totum abſtulit morbum, cùm per duo foramina plus evacuet. Vndè ſetaceum, alias funem per cervicis pellem traductum magnoperè commendant, quo credulâ ſimplicitate humores à cerebro derivare, & revellere credunt, medicamenti genus tantum æquis, & aſinis à veterinariis hucuſque vocatum fuit in uſum, & medicorum crudelis inſcitia à veterinariis erudita in mortales ſibi agnatos tranſtulit, & afflicti ægroti, falsâ valetudinis ſpe hoc crudele, & belluinum tolerant emunctorium, quod æqui, & aſini ægrè ferunt.

Si decantatis morbus non ceſſerit præſidiis, ad extremum devenientes carnificium, ſyncipur terebello perfodiunt, vitatis ſuturis. Excarnificant caput, ut tanti morbi pœnam luat, dum ipſis pravorum humorum eſt collegium, cloaca, & mephitis, ad hoc ut facto ſpiraculo epileptici melius exhalare poſſint. O' miſeram humanæ vitæ conditionem, quæ capitis truculentam ſuſtinere tyramnidem cogeris! Mens horret humana in tàm barbari, & horrendi præſidii meditatione, quo in epilepticos crudeles utuntur medici citra ſpem ſanationis.

Tandem ſi neque medicamentis, neque ſectione epilepſia tolli potuit, à ferro ad ignem, ad cauterium nempè actuale, quod ignito ferro in ſuturâ coronali excitant, tranſeundum cenſent: ſed ut verum fateamur, ex hac cauterii applicatione nullum vidimus, qui commodi aliquid ſenſerit, imò multos in vitæ diſcrimen incidiſſe, obortâ inflammatione, cum ſit medicamen cum maximo, & neceſſario vitæ diſcrimine conjunctum, quia os in ſuturâ coronali eſt tenuiſſimum, & membrana durior per fibras, nervos, arterias, & venas pericranio connectitur, ignito ferro non ægrè inflammari & cerebrum in conſenſum trahere poteſt, & plures ab inuſtione in hoc loco factâ in phrenitidem eâdem die incidiſſe obſervavimus; tùm quia humores in corpore latentes ſuaptè naturâ deorsùm per ſuturas evocare difficile eſt. Exploſis vulgarium medicamentis ſectione, & inuſtione, remanet epilepſia juxta *aph. ult. ſect.* 7. incurabilis: *Quæcumque non ſanat medicamentum, ea ſanat ferrum, quæ ferrum non ſanat, ea ignis ſanat, quæ ignis non ſanat, ea incurabilia putari oportet.*

Multi vulgares ſuorum medicaminum inſufficientiam inſpicientes, ad illud humanæ ignorantiæ aſylum confugiunt, ad medicamina ſcilicèt, quæ ex occultâ, & ſpecificâ qualitate epilepſiæ reſiſtunt. In primis anteſignanus *Gal. l. 6 ſimpl med. de pæoniæ radice* hanc anilem narrat fabellam: *Et quidem vidi puellum quandòque octo totis menſibus morbo comitiali liberum, ex quo geſtabat radicem: ac poſteà fortè fortunâ cùm, quod à collo ſuſpenſum erat, decidiſſet, protinùs denuò convulſione correptum: rurſuſque ſuſpenſo in locum illius alio, inculpatè poſteà egiſſe. Porrò viſum eſt mihi ſatius eſſe rurſum id collo detrahere, certioris experientiæ gratiâ. Id cùm feciſſem, ac puer iterum eſſet convulſus, magnam recentis radicis partem ex collo ejus ſuſpendimus: ac deinceps prorſum ſanus effectus eſt puer, nec poſteà convulſus eſt.* At nunc pæoniæ radix miracula à *Galeno* decantata non efficit.

Commendant alii *aſini ungulam, cranium*, & inaſſatum hepar. Non equi-

æquidèm miramur vulgares aſinina celebrare remedia, cùm ſimilium facilis ſit conventus, ſed aſinum tot medicamentoſis eſſe præditum virtutibus admiramur, nec tantùm comitiali aſinum prodeſſe fatentur, ſed etiam in inſaniâ, maniâ, & melancholiâ tanquàm ſpecificum aſini ſanguinem laudant, ex eo quia aſinus eſt animal melancholicum, ideòque melancholicos curare morbos, ſive quia eſt animal ſtolidiſſimum, ideòque capitis ejus ſanguinem medicâ virtute morboſam humani capitis depellere ſtoliditatem ineptè credunt; imò credere deberent reddere melancholicos, & ſtolidiſſimos. In hecticâ febre lac celebrant aſininum, ſed illud capientes aſinini evadunt. Quàm medicaminibus eſt indiga vulgarium medicina, ut pro depellendis morbis, ab aſino medicamina mendicant!

Plura antepilectica ex animalium regno commendantur medicamina ab ipſis, quæ inepta, & cachinno digna videntur. Talia ſunt: *Leporis coagulum. Hirundinis, & talpæ cor. Bovis, cervi, & hirci cornu. Agni, & catuli fel. Capri hepar. Hirundinis pulli. Equi lien. Sanguis menſtruus juvencularum. Apri veſica. Ciconiæ, & coturnicis ſtercus*, & id genus alia, quæ narrare velle non tàm tædioſum erit, quàm nauſeoſum.

Noſtra Curatio.

In epilepſiæ curatione ſex res non naturales non omittendæ, ſed præmittendæ ſunt, nàm in his prima curationis jacimus fundamenta, cum ſint prima medicinæ pars, quæ eſt diætetica & circa rectum ejus regimen ſanatio ex voto nunquam ſuccedet, & epilepticus in pejus corruet.

Aer itaque ſit purus, & temperatus aut potiùs à temperato ad calidum, & ſiccum vergens. Vitandus angue, & rabido cane pejus, craſſus, nebuloſus, impurus, contagioſus, fætidus præcipuè nimis frigidus. Vitentur venti auſtrales, & aquilonares, fumi, ac fuligines à carbonibus accenſis, & præcipuè à rebus fœtidis, quæ epilepſiæ obnoxium in paroxyſmum conjicere poſſunt. Radij lunæ, qui hunc morbum peculiarem excitandi vim habent declinentur, & in primis aperto capite ſub lunæ radiis degere ſummè noxium eſt.

Cibus ſit boni ſucci, coctu facilis, & moderatæ calidus, ea propter carnes conveniunt avicularum montanarum, gallinarum, pullorum, leporum, turdorum, turturis, columbarum ſylveſtrium, caponum, & hirundinum, quæ hyſſopo, ſalviâ, ſampſuco, fœniculo, rore marino, nuce moſchatâ, macere, cinnamomo, vel caryophyllis condiantur. Vitentur cibi craſſos, & flatulentos generantes ſuccos, qui peculiari quadam vi caput feriunt, ut ſunt legumina præterеà cicera, lentes, fabæ alſia item, ſinapis; cepæ, fungi. Inter carnes vitetur porcina, caprina, hircina, hedina, & de coturnicibus, anſeribus, anatibus, & paſſeribus; hæ carnes nàmque epilepſiæ obnoxiis multum nocere creduntur. Itèm lacticinia, nuces juglandes, fructus horarii, braſſica capitata, portulaca, raphanus, apium, quia proprietate quadam epilepticis nocent. Inter piſces vitet anguillas, carpiones; omneſque, qui in cœnoſis, ac fætidis ſtagnis, ac paludibus vitam

vitam degunt. Vitetur in infantibus nimia lactis ingurgitatio, nàm hoc in ventriculo acefcit, corrumpiturque, undè tormina, motus convulſivi, & certa oritur mors. Vitet æger omnia ſaccharata, & dulcia, contra bardi vulgi opinamentum, ob latentem aciditatem, quæ ſæpè ſunt in epilepſiæ cauſâ, & in hoc jugiter medici peccant qui in præbendo infantibus medicamenta, ſemper ſaccharum admiſcent ad guſtatus oblectamentum, & dum minorem curare ſtudent: majorem inducunt morbum.

Potus non ſit vinum, niſi in ventriculi languidi, vel vitium fractarum gratiam permittendum ſit, & ſic paucum, tenue, & medicatum radice pœoniæ: non vetuſtum, non fumans, aut ſul,hure imprægnatum. Fugiatur ebrietas, quæ quandòque epile,ſiam commovet. Sit itàque potus decoctum ligni viſci quercini. Devitet epilepticus omnes ſuccos acidos tàm pro potu; quàm in epulis, ut ſuccum citri, limonis, berberum, acetum &c.

Somnus & vigilia mediocritatem ſervent, ac proindè ſomnus maximè diuturnus, & nocturnus immodicus tanquàm mortis imago vitetur, nec ſub nocentiſſimis lunæ lucentis radiis dormiat. Vigiliæ juſtas excedentes leges declinentur, aliter ſpirituum animalium inordinatum excitant motum.

Motus ſit moderatus, & juſto tempore fiat, antè nempè prandium, & cœnam inſtituatur, vel ejus loco extrema fricentur. Caveat epilepſiæ ſubjectus, ne ingruente paroxyſmo, juxta puteos, aquas, ignem, & omnia loca, in quibus aliquid detrimenti pati poteſt, verſetur. Si æger verò paroxyſmum ingruere animadvertat, adſtantibus illum illicò exponat. Verum qui tali eſt obnoxius morbo, ſemper fido gradiatur comitatus Achate, qui ad omnem morbi paroxyſmum actutum eum ab omni eripiat periculo. *Quies* magis congruit, ubi exercitationes ſunt periculoſæ.

Alvus ſingulis diebus ſuum deponat onus, quod ſi naturâ non fiat clyſtere vel leniente aliquo medicamine primas evacante vias irritetur. Seminis, menſium, hæmorrhoidum &c. retentio maximoperè nocet, nâm ex his non ægrè miaſmata commoventur, quod credibilius ſit, ſi malum per ſeminis excretionem ſublatum fuerit. Hinc facilè eſt arbitrari diuturniorem ſeminis retentionem, ac ſolitum menſtruorum, vel hæmorrhoidum fluxum recentum latentem epilepſiam in lucem excitare.

Animi pathemata, ut ira, excandeſcentia, timor panicus, mæſtitia, anxietas &c. magnam habent emergiam in epilepſiam excitando; ſolet nàmque per plures menſes, & annos latere, & quaſi ſopita manere, & deindè per malignas animi paſſiones in apertum campum fulminis inſtar prodire. Vitandæ ſunt itàque hæ malignæ animi paſſiones, ne latentem, ſopitumque hoſtem intra proprios lares incolentem provocent.

Alma fugienda Venus eſt ab epilepſiæ obnoxiis, nàm coitus eſt parva epilepſia, in quam & majorem in illo actu facilè incidere poſſunt, ut fuſiùs *De Veneris ſenſu probavimus.*

Perluſtrato ſex rerum non naturalium regimine, primâ nempè medicinæ parte diætetica, ad ſecundam pharmaceuticam, ut rectus methodi ordo poſtulat, pertingimus, itàque

Epilepſia in paroxyſmo curatur *oleo ſuccini*, *ſampſuci*, *nucis myriſticæ*, *heraclino*, *ex ſanguine humano*, & aliis hujuſmodi, quibus ſolitariè ſumptis, vel miſtis palatum, nares, ſuturam, & nervos inungunt. Iactitant ad hoc etiam *pæoniæ extractum*, *oleum cranii humani* quod per os exibent cum vehiculo, facta inunctione in ſpinâ cum eſſentiis prædictis, additâ *tincturâ caſtorei*, *& oleo lumbricorum* in furno facto non autem, ut vulgariter fit.

Applicatur etiam in inſultu ſuturæ coronali hoc *emplaſtrum epilepticum*.

℞. *ol. de caſtoreo*,
rutacei,
irini ana ℥. j.
radicis, *& ſem. pæoniæ*,
pyrethri ana ʒ. j.
viſci quercini,
ſquillæ præp.
cornu alcis,
cranij humani ſpagyr. calcinat. ana ℈. ij.
thuris electi
maſtich.
laudani,
galbani
opoponacis ana ʒ. ß.
flor. lavendulæ,
ſtœcadis,
ſpicæ Indicæ ana p. j.
olei ſtillatitij roris marini,
hyſſopi,
nucis moſchatæ expreſſ. ana ℈. j.
reſinæ, *& ceræ q. ſ.*
f. empl. ſ. a.

Exhibetur per os *eſſentia caſtorei*, *& ſpiritus ſuccini albi gutta j. vel ij. ex aquâ antepilepticâ*, inſtante paroxyſmo, quo detur etiam *laudani opiati* pilula cum confect. alkerm. vel oleo camphoræ miſta, ut.

℞. *laudani opiati gr. x.*
ol. camphoræ gutt. ij.
m. optimè, *& formentur pilulæ ij. vel iij. granorum pondere.*

Doſis pilula j. Sed efficaciùs erit *laudanum ſine opio* cum ſulphure vitrioli anodyno paratum.

Irritant etiam alvum glande, vel clyſtere acri, in quo incoquunt *ſcorias reguli antimonij*.

Prodeſt etiam *aqua ceraſorum nigrorum cum eodem ſpiritu impregnata*. Accomoda iſſimus erit *ſpiritus epilepticus*, quem ſequenti modo efficies :.

℞. *ſummitat. hyperici*,
anagallidis,
rutæ,
rad. pæoniæ,
viſci quercini,
theriacæ ana ℥. j. ß.
Vini lib. ij. ß.

Quod affunde prædictis, *& per dies aliquot in loco calido colloca*, *per pannum colato.*

eſſentiæ vitrioli lib. j.
calvariæ human. opt. pulveriſatæ ℥. ij.
opii optimè præp. ʒ. ß.
Camphoræ ℈. ij.

Adde, *& cùm per menſem integrum in ventre equino ſteterit*, *ſpiritum per deſtillationem abſtrahe.* Doſis ℈ j. ad ʒ j. cum aquâ ceraſorum nigrorum, florum tiliæ &c.

Sal epilepticum magnæ eſt efficaciæ, inſtante paroxyſmo, cujus præparatio ſic ſe habet :

℞. *Rad. palmæ Chriſti lib. ij.*
angelicæ,
pæoniæ,
pyrethri ana lib. j.
ſemin. pæoniæ,

Scabio

Scobis ligni cupreſſi,
viſci quercini ana lib. ß.
herbar. pentaphyll.
millefolij,
rutæ hortenſis,
verbaſci,
lavendulæ,
roris marini,
morsûs gallinæ ana ℥. iv.
flor. primulæ veris,
ſtœcados,
tiliæ,
pœoniæ,
Sambuci ana ℥. ij.
Miſta calcinentur in reverberatorio, poſtea adde
cinerum picarum juniorum,
hirundinum,
ſtercoris pavonis ana ℥. j.
& cum liquore appropriato.
f. ſ. a. ſal albiſſ. & cryſtallinum.
Doſis ℈. ß. ad ʒ ß. in *aquâ liliorum convallium, florum tiliæ.*

Suffimentum epilepticum, quod inſultum ſedat, ſi fumus epileptici naribus admoveatur, ità paratur:

℞. *ſuccini alb.* ʒ. xi.
myrrh. rubr.
maſtich. elect.
gummi animæ,
galbani,
elemi ana ℥. ij.
viſci quercini,
ſem. pœoniæ,
bacc. juniperi,
cornu alcis ana ʒ. j.
abſynthij,
majoranæ,
flor. lavendulæ;
lilior. convallium;
roſ. rubr. ana ʒ. ß. *m.*
& cum infuſ. tragacanth. factâ in aquâ epilepticâ f. ſ. a. trochiſ. pro ſuffitu.

Prodeſt magnopere *miſtura antepileptica*, quæ ſequenti modo fit:

℞. *Spiritûs vitrioli viridis ex vitriolo, & urinâ puerorum* ʒ. j. ℈. j.
cum aq. radic. pœoniæ, &
flor. tiliæ ana ℥. j. m.

De hac miſturâ exhibe in paroxyſmo, membris convulſis, & contortis, cochl. ß. guttatim, & paulo pòſt redibunt ad ſe, recollectis ſenſibus, quo animadverſo, denuò aliquid exhibeto, atque ità tertiò, quòd ſiquidem rediturus ſit paroxyſmus, at fieri poteſt, eundem repete proceſſum.

Maximæ virtutis eſt hæc aqua:

℞. *Aquæ flor. tiliæ,*
pœoniæ ana ℥. ij.
cheiri,
flor. trinitatis ana ℥. j.
eſſentiæ caſtorei gutt. v.
aquæ epilepticæ Langij ʒ. vj. *m.*
Doſis cochl. j.

Magnum arcanum contra epilepſiam eſt *ſpiritus ſanguinis humani*, qui ſequenti modo paratur:

℞. *Sanguinis humani q. pl.*
& in veſicâ vitreâ per arenam primùm igne lento, quouſque ſeroſitas exierit, deindè uſquequò nihil ampliùs de fumo conſpiciatur, fortiori deſtilla, quicquid effluxerit, per chartam griſeam filtretur, ut oleum nigrum, & fœtidum ſeparari poſſit: aqua flava duplicem materiam, aquoſam nempè, vel phlegmaticam, & ſpirituoſam cum ſale volatiſſimo in ſe continet, quæ per B. à ſe invicèm ſunt ſeparandæ: nàm ſicut ſpiritus vini, ità pars ſpirituoſa in elambico aſcendit, & portio phlegmatica relinquitur, ſpiritus verò à phlegmate miro modo cognoſcitur: Si nàmque guttula aliquot ſpiritûs vitrioli, ſalis, vel

aqua fortis huic ſpiritui addideris, ſtatim cumfragore bullæ aliquot aſcendunt, quæ in phlegmate non inveniuntur. Qui hoc ſpiritu rectè uti didicit, gloriari poteſt ſe magnum arcanum non tantùm contra epilepſiam habere, verùm etiam contra apoplexiam, aſthma, & alios hujuſmodi affectus.

Extra paroxyſmum utimur *extracto pilularum Cochiarum, hellebori nigri, agarici &c.* quibus repetitis vicibus alvus purgatur. Chymica mineralia commendantur magnoperè, ſed præcipuè in epilepſiâ per conſenſum. Si fiat ventriculo conſentiente, vomitus prodeſt, & uſurpari poteſt *Hippocras emeticum noſtrum, Algoreth, vel crocus metallorum &c.* prout ætas, & vires ferunt. Multi commendant *ſal vitrioli*, quod, quia nihil aliud eſt, niſi vitriolum vivificatum, vel putificatum, minimè intra corpus aſſumendum arbitramur, habet nàmque indolem ſuffocantem, ideòque magis interno uſui *vitriolum album* deſtinamus, prius tamen repetitis ſolutionibus, ut probè purificetur, quia ex argenteis mineris ortum ducit. Tutò cum maximo juvamine exhiberi poteſt *Aqua Æſculapij* in *noſtrâ Pyrotechniâ* deſcripta.

Sæpiſſimè morbus hic laxativis avelli nequit, quia altiùs ſuas fixit radices, ideò poſt univerſales evacuationes ad decocta ſudorifica recurrendum eſt, quę pro medici cupidine concinnari poſſunt ex *ligno guajaco, rhodio, ſaſſafras, juniperi, buxi, radice china, ſalsâ parillâ, raſurâ eboris, cornu cervi &c.* quibus ſemper antepileptica admiſceri debent, *radices pœoniæ, lignum viſci quercini, flores tiliæ, liliorum convallium, radices valerianæ ſylveſtris &c.* Sed fiant modo à nobis in *Pyrotechniâ* propoſito, non ut vulgariter fit. Ad ſudorem excitandum maximoperè ſudorifica ex noſtro penu chymico deſumenda ſunt ſequenti modo:

℞ *Spiritûs card. bened* ℥.j.
ſpiritûs guajaci ℈.ij.
ſpiritûs tartari ʒ.ß.
ſalis volatilis C. C.
bezoartici mineralis ana gr. vj.
antimonij diaphoretici ℈.ß.
Sulphuris ex mercurio extracti gr. iij. *m.*

Valdè commendamus *mixturam ſpiritualem*, quâ in comitiali nullum medicamen præſtantius inveniri poteſt, ejus compoſitio ità ſe habet:

℞ *Spiritûs vitrioli eſſentificati p.* j.
ſpiritus tartari p. iij.
aqua theriacalis camphorata p. xv. *miſce, & in vitro Hermeticè ſigillato per tres, vel quatuor hebdomadas digerantur.* Doſis ʒ.j. *in tincturâ, vel elixire pœoniæ.*

Eſt *Paracelſi arcanum*, quod genuinam continet epilepſiæ curationem, & in ſuis gloriatur chirographis ſe radicitùs averruncare poſſe caducem qualemcumque, & quantumcumque inveteratum, ubi mirè *Hippocratis* aphoriſmum exagitat, quo affirmatur: *Epilepſiam poſt 25. annum ſolet ad mortem uſque durare*, & ita ſe habet: *Primò ex tribus cranijs humanis non ſepultis, ſed morte violentâ peremptis, ſive per ſuſpendium, decollationem, alioſvè modos via juſtitiæ uſitatos, ſeu per violentum obitum in bello id factum ſit, & in aëre exſiccatis, craſſiuſculè contuſis, ex retortâ igne lento arena, poſteà obſervatis gradibus, auctiore, dari poteſt ignis ſuppreſſionis, in receptaculum capax deſtillat liquor, quem ſuper eaſdem fæces tertia vice deſtillando evocat, tandem*

dem per alembicum rectificat. Hujus liquoris accipit ℥.vj. *vel* ℥.viij. *addit.*

ſpec. diamoſchi dulcis ℥ß.
caſtorei,
mellis anacardini ana ʒ.iij.

& viciſſim è cineribus per retortam deſtillat. Extremò adjicit

liquoris perlarum ʒ iv.
ol. vitrioli, vel potiùs.
ſpiritûs antepileptici puerorum ʒ.j.

De hac totâ miſtu. à epilepſiâ laboranti exhibuit cochleare j. quotidiè jejuno ſtomacho, ad novendium continuando. Perhibetur hac unicâ confectione antepileptica *Paracelſus* mirabilia præſtitiſſe. Ideò Cæſari expetenti communicaſſe, ſed rogâſſe, ne decoctoribus ſyruporum hæc patefierent.

Maximè commendatur ad epilepſiam radicitùs tollendam *Oleum ex ſanguine humano,* ſi ſingulis diebus per integrum menſem ſumatur ℈. j. à novilunio incipiendo, & poſtmodùm ſingulis novilunijs ſemel per annum ℈.j.

Ex cranio humano magiſterium paramus, quod eſt verum epilepſiæ curativum, ſi ejus grana aliquot in convenienti vehiculo exhibeantur.

Cinnabaris antimonij à collo retortæ poſt mercurij vitæ extractionem ſemel, atque iterùm per ſublimationem rectificata, dat pulverem ſpecificum in epilepſiâ etiam inveterata, ſi cum ana magiſterij coralliorum, perlarum, & cranij humani permiſceatur. Doſis à gr. xv. ad xx. in liquore idoneo, & per diaphereſim morbi mineram exturbat. In defectu cinnabaris antimonij ſuſtitui poteſt cinnabaris nativa, (non verò factitia) quam *Crato* epilepſiæ magnetem vocat, ut

℞ *Cinnabaris nativæ*
pellucidæ, & ſplendentis ʒß.
pulveriſa ſubtiliſſimè, adde
magiſterij corall.
perlarum ana ℈.ij.
croci ℈ j.
fol. auri num. xv.

Terantur omnia ſubtiliſſimè ſuper lapidem, cujus gr. vij. ad xviij. in liquoribus appropriatis propinantur, & ſæpiùs repetuntur.

Mirabilis efficaciæ erit ſequens *pulvis epilepticus:*

℞ *Rad. pæoniæ maris,*
rad. angelicæ
ſem. pæoniæ
viſci querc. ana ℈.ij.
raſuræ unicornu,
unguis alcis ana ℈.j.
magiſt. margarit. &
corall. ana gr. x i i.
cranij hominis violentâ
morte mactati ℈. ij.
ſalis ejuſdem ℈ ß.
lapid bezoart. or. gr. xi.
ſmaragdi,
hyacinthi præparator. gr. xiiij.
ambræ gr. v.
fol. ſolis,
lunæ ana num. iij.
m. & f. pulvis.

Doſis ʒ.j. *Radix pæoniæ maris* nimirùm, ſeu nigræ (nàm fœminæ nullius eſt efficaciæ) effodienda eſt in Julio, Lunâ decreſcente, ſole leonis ſignum percurrente, in meridie, & die ſolari; ſi verò inclinante Lunâ, in ariete exiſtente effodiatur, de collo ſuſpenſa comitialem abigere fertur. *Viſcus quercinus*, lunâ decreſcente inter duo Mariæ feſta, hoc eſt 15. die Auguſti, & 8. Septembris, colligi debet: nobilior autem habetur illa pars, quæ quercui propior reſecta eſt.

Exhibeatur etiam *ſpiritus cerebri hu-*

mani, *luna vitriolum*, *tinctura*, *ſeu luna potabilis*, *hepata ranarum*, *ſpiritus vitrioli*, *& olei ſulphuris tàm vulgaris*, *quam viridis*, & ſpecialiter à chymicis præparatus. Prodeſt *pavonis ſtercus*, vel *ejus ſal* mane jejuno ſtomacho ad multos dies continuando, à novilunio uſque ad plenilunium, aut ultrà, ſi opus ſit. Datur etiam *aqua hirundinis*.

Multoties fit epilepſia à vermibus, & tunc cognoſcitur ex dentium ſtridore, tremore verborum, terrore, ac ſubito in ſomno clamore, narium pruritu, facie pallidâ, eâdem ſubitò rursùs incaleſcente, & rubente, morſu, & ſtomachi, ac inteſtinorum dolore, rugitu, & ventris torminibus, atrophiâ membrorum, & tandèm ex vermium egeſtione cum alui excrementis.

Curatur appropriatis, quæ vermes enecant, ità ſunt *eſſentia mentha tàm aſſumpta, quàm externâ ventris perunctione*, *ſpiritus ſalis*, *draco mitigatus*, *Calomelanos Turqueti*, *aloës eſſentia &c.* Præſtatiſſimus eſt *pulvis contra lumbricos in noſtrâ Mantiſsâ apud Hadrianum à Mynſcht* deſcriptus, qui non tantùm vermes enecat, & expellit, verùm etiam ovula exſtinguit, & ſumentes ab omni verminosâ progenie præſervat.

Si epilepſia fiat ab utero, cognoſcitur ex menſtruorum ſuppreſſione, vel ſeminis, vel fœtûs mortui, vel ſecundinarum retentione, & tunc adeſt dolor circa uteri regionem in pectine, in utroque inguine, in dorſo, abdominis crebra à flatibus diſtenſio, anhelitûs difficultas, cordis palpitatio &c.

Curatio dirigenda eſt ad cauſas; nàm ſi menſes ſuppreſſi fuerint, debent reſtitui, ſi ſemen retentum, eſt corrigendum, vel Hyminæo evacuandum in Veneris Balneo; & fœtus in utero mortuus eſt, extrahendus, ſic ſecundinæ.

Epilepſia pueris eſſe ſolet familiaris, unde morbus appellatur puerilis, qui quidèm periculoſus eſt, & multos ab ubere raptos acerbo mergit funeri, & facili tamen negotio à perito medico curari poteſt. Utplurimùm imperiti medici, dùm vident infantes ob dentitionem ſe incurvare, contrahere, oculos pervertere, & ſpumam ex ore reddere, vel ob ventris tormina à lactis materni pravitate illos divexare, decipiuntur, accipiunt enim pro convulſione epilepſiam, & paroxyſmo non laborant epileptico, dùm muſculos, & nervos diſtendunt, ſed convulſione, quia etiam *Convulſio eſt infantibus familiaris, ex aph.25. ſect.3.* Non negaremus in veram epilepſiam terminari poſſe.

Prægnanti mulieri epilepticæ, in utero ut fœtus ab epilepſiâ præſervetur, propinari poteſt *Aqua Vitæ mulierum, ſive embryonata cochl. j. cum ſpiritûs vitrioli antepileptici gutt. iij. vel* v. ſingulis menſibus, ſemel in novilunio, à quarto menſe ad partum uſque.

Infans in utero materno multas hauſit impuritates, & præcipuè ante exitum, ducto ſpiritu, ſiquid ſanguinis menſtrui hauxerit, & niſi vomantur, vel per alvum ſaltem non purgentur, multorum morborum ſunt cauſæ, & præcipuè epilepſiæ; undè ut infans ab epilepſia præſervetur, vel liberetur, ne ſuccedente ætate, tali corripiatur morbo, ſi recèns jam natus, antequàm lac ſugat, vel cibum comedat, ſumat *parum ſyr. de cichor. Nicolai*, quo nos ad ℥.j. utimur, & multos infantes à faucibus orci eripuimus. Vel *oleum*

amygd.

amygd. dulc. recens, & ſacch. tabarzeth permiſtum, utriuſque ſit à ℥ß. ad ℥ ij. Vel *ſtercoris de vaccâ nigra adhuc calidi in ollâ calcinati* ℈ j. *vel* ℥ ß. Qui per aliquot horas, jejunis detineatur, ut materia epilepſiam generans, quæ Mæconium dicitur, laxato ſtomacho, vel alvo educatur. *Arnoldus Villanovanus* inquit. *Cùm primùm infantes ex utero prodeunt, ſi priuſquàm aliquid guſtent, corallij ſcrupulum dimidium diligenter tritum cum lacte nutrito hauſerint, nunquàm epilepſiam incurrent.* Deinceps balneantur infantes aliquandiù, & in primis per puerperii tempus in balneo ubi recentes ſalicis cortices coquantur. Sic non tantùm ab epilepſiâ, ſed etiam à tabe præſervantur, cùm ſit in puerorum ariditate, ſeu Atrophiâ ſpecificum. Quidam in uſitatô infantis lavacro ſeminis pœoniæ juſto tempore collecti portiunculam incoquunt, idque aliquoties repetunt. Quidam verò ſeminis pœoniæ conquaſſati, & caſtorei ana q. pl. in ſuff. quantitate aquæ calidæ diſſolvunt, quo totum infantis corpuſculum poſt ipſius lavacrum illiniunt. Vel ex pœoniæ ſemine, & caſtoreo cum ſpiritu vini eſſentiam extrahunt, & hujuſmodi eſſentificato ſpiritu calidiuſculè infantis corpuſculum abluunt.

Epilepſia infantium lactentium, ſi ex vermibus, vel cruditate ortum habuerit, remedijs proprijs curatur, quæ vel nutrici, vel ipſi infanti adhiberi debent.

Multoties oritur epilepſia in infantibus ex lacte concreto, & tunc juvant ea, quæ lac concretum diſſolvunt, ut *ſuccus, ſyr. & eſſentia menthæ,* vel præ omnibus *ſperma Ceti*, Extra applicatur utiliter hoc cataplaſma:

℞ *fol. ulmi. q. v.*
coque in urinâ pueri, deindè partibus tribus illius miſce
butyri recentis partes. ij.
& ventriculi regioni applica.

In paroxyſmo, & extra, eadem, quæ in adultis aguntur, adhiberi debent, habitâ tamen ætatis, & virium ratione.

In adultioribus nullum datur majus ſpecificum, quàm *ſpiritus vitrioli antepilepticus puerorum*, cujus proceſſus ità ſe habet:

℞. *Vitrioli Hungarici depuratiſſ.* ℔ iv.
adde urinæ puerorum ſanorum. recenter collectæ ℔. viij.

Digere vaſe clauſo aliquandiù in B. M. poſteà in eodem deſtilla ad ſiccitatem duplex phlegma, quorum primum inſigne eſt medicamen ad dolores podagricos, alioſque ſuaviter demulcendum; alterum eſt inſigne ophthalmicum, ad quævis oculorum vitia utiliſſimum. *Caput mortuum pulveriſatum ex retortâ vitreâ validâ, igne nudo, ſed tamen ab initio valdè lento in excipulum capax urge, prodeuntibus confertim ſpiritibus, liquor emanat pretioſiſſimus ſulphurei odoris, & auſteriuſculi ſaporis, qui per retortam ſemel, atque iterùm rectificatus*, ac probè in vitro clauſo reſervatus omnem puerorum epilepſiam radicitùs tollit. *Ejus* ℥ j. *cum aqua radicis pœoniæ, & flor. tiliæ ana* ℥. j. *miſceatur, & ſervetur.* De hac miſtione exhibe in paroxyſmo, priùs membris contractis, & convulſis reductis cochlear dimidium, & paulopòſt recollectis ſenſibus, ad ſe redibunt, quo animadverſo, denuò aliquid exhibe, atque etiam tertiò. Quòd ſi quidèm paroxyſmus rediturus ſit, ut ſæpè fit, eundem proceſſum repete, nec diffide, quin ſecundâ vice hic morbus

pueris,

pueris, & infantibus valdè familiaris, penitùs, radicituſque aboleri poſſit, ſi præſertim poſteà cerebrum confortantia adhibita fuerint, ceu ſunt *magiſterium perlarum*, *coralliorum*, *Cranij humani*, ut & *tabulæ antepilepticæ*, quarum deſcriptio talis eſt:

℞. *Rad. pæoniæ* ʒ. j.
magiſt. perl.
coralliorum ana ʒ. jß.
magiſt. cranij humani ʒ ß.
ſacch. in aquâ flor. tiliæ ſoluti q. ſ. fiant tabulæ.

Detur una, atque altera, manè jejuno ventriculo, & veſperi longè à cœnâ.

Duplicem pulverem in *noſtrâ Mantiſsâ* deſcripſimus, & uterque pluries à nobis fuit expertus in morbo Herculeo profligando, & reverà omnia medicamenta anti-epileptica prætergreditur; acidum nàmque vitioſum nervos infeſtans abſorbet, undè ſpirituum animalium accenſionem, & exploſionem, nervorumque ac fibrillarum irritationem compeſcit, ac proindè ſpiritibus animalibus efferis, & volatilibus fixatis, nec non eorum motibus exploſivis ſuppreſſis, malum tolerabilius reddit, & planè abigit.

Corallia tanquàm amuletum, & periaptum circa collum geſtant pueri, & mulieres: putant enim influentias eorum vitam ab epilepſiâ præſervare. Ad eundem finem nonnullæ matres *ſeminibus pæoniæ* filo trajectis puerorum colla circumdant, & *Orbiculi è viſco querno* vulgari filo transfixi multùm præſtant in amoliendâ, & præcavendâ epilepſiâ. *Anulus* ex albi aſini ungulis confectus, & geſtatus epilepſiam pati noc ſinit. *Ungula Alcis* adverſus morbum comitialem magnam habet energiam; ea propter ejus particula anulo incluſa, digito anulari ità commiſſa, ut in palmam convertatur, collapſos in ipſo paroxyſmo plurimùm recreat, & confeſtim excitat. Portiuncula ejuſdem nuda, & manui in pugnum complicatæ inſerta, idem efficit; repentè nàmque epilepſiam propellit, & proſtratos erigit, itèm ejuſdem portiuncula in aurem ſiniſtram miſſa, & aliquandiù veluti ſcalpus mota, epilepticos reſurgere facit; igitur tàm ſuſpenſa, quàm geſtata, modò cutem attingat particula ejuſdem, eſt amuletum ad epilepſiæ præcautionem: Imò ramenta, vel ſcobem adverſus eundem morbum feliciter propinavimus. Cæterùm eligenda eſt ungula dextri pedis poſterioris, & cavendum ab impoſtoribus, qui bubulas pro alcinis venditant. *Cardanus* anulum ad epilepſiæ præcantationem adducit, quem ſi ex argento conficias, hoc modo intùs ſcriptum ✠ *Dabi* ✠ *Habi* ✠ *Haber* ✠ *Heber* ✠. ne comitiali morbo laborantes cadant, prohibebit, in digito geſtatus. Verùm quia præſtigioſus eſt, & nullius efficaciæ, meritò illum repudiamus.

Cùm ex lue Venereâ fit epilepſia, tollitur remediis mercurialibus, & præcipuè hydrargyri fumo, à quo alleviatus fuit affectus, ſi non ſublatus in viro, qui erat huic affectui à nativitate obnoxius.

Nullus eſt morbus, qui tot abundet remediis, ut epilepſia, quæ reverà eſt magnus affectus, & utpluimùm arcana requirit. Nos pro ejus curatione ſelectiora adduximus arcana, & unumquodque hunc morbum curare valet.

Habemus nos expertum ſpecificum, & rutum epilepſiæ prophilaticon, quod nunquàm nos, & epilepticum

ſefellit.

fefellit; ac proindè hucuſque inter noſtra ſcrinia latitavit, & gratis propriâ manu exhibuimus, ne in medicorum ungulas impingeret, ac illud agyrtorum more, in ſchedulis venditarent, ut eorum, de aliis trivialibus medicamentis ſub arcanorum nomine, mos invaluit. At nunc charitate acti pro tot miſeris ægrotis, qui in diem ab iſto epilepſiæ fulmine ab aſtris emiſſo proijciuntur, & proſternuntur cum omni ferè functionum eclipſi, abſque invidiæ livore communicamus: ſed nos non præterit ante procos proijcere margaritas, & ſanctum dare canibus. Eſt hoc Arcanum lignum viſci adnaſcens in illâ arbuſculâ, quæ *Oxyacantha* vocatur: fit ex hoc pulvis ſubtiliſſimus, & in ejus decocto, vel alio convenienti liquore propinatur. Hucuſque diximus, cætera verò cordatis medicis relinquimus.

Tandèm operæ pretium erit ea adducere medicamenta, quæ velut Index indicent, an totum morbi comitialis ſeminium exhauſtum fuerit, an aliqua in corpore hoſpitetur ſcintilla, velut anguis in herbâ; ad omnem mali ſuſpicionem dignoſcendam, poſt debitam medicamentorum exhibitionem pro infallibili experimento, ſequenti utere ſuffitu, quo curatum à non curato diſtingues:

℞. *Raſuræ cornu caprini* ʒ. j.
aſæ fœtidæ ʒ.ß. *m.*

Inijciatur prunis ad ſuffiendum, quo non dùm curatus confeſtim in paroxyſmum cadet, curatus, vel ſanus minimè. Idem etiam præſtat *lapis Gagates* incenſus, ſuffitu ſuo: ſed ne odor diſpergatur, ſtragulis circumdari debet, quiſquis eſt; nàm tùm ſi epilepſiæ eſt obnoxius, cadet.

CAP. XI.

De Convulſione.

Convulſio à convellendo dicitur; & hæc eadem affectio ſpaſmus etiam vocatur, & à contrahendo derivatur; in hoc enim affectu muſculorum principium, atque finem in unum quaſi convelli, & contrahi obſervare eſt. Differt tamen ſpaſmus à convulſioſione, quia ſpaſmus ſemper eſt dolorificus, quatenùs partes ſenſu exquiſito præditas invadit, convulſio verò minimè.

Convulſio eſt involuntaria nervorum contractio ad ſuum principium. Dicitur involuntaria; convulſio enim nervos, vel ipſorum fibrillas, & muſculos ad motum præter naturam cogit, & indè involuntarius motus fit in parte, quæ anteà voluntariè movebatur. Dicitur contractio, nàm nervi à capite ortum habent, qui ſi convulſione corripiantur, ſtatim ad ſuum principium retrahuntur, ſicut etiam faciunt omnes partes, quæ cum nervis connexionem habent, ut ſunt muſculi. Dicitur nervorum, nàm cùm convulſio ſit motûs localis ſpecies, à nervis procedere debet, ſed quia nervi in muſculos inſeruntur, & iſti per tendines oſſibus alligantur, hinc eſt, quod in hac affectione omnes commoventur partes. Dicitur ad ſuum principium, nàm id nervis contingit, quod lyrarum chordis evenit, quæ verſus ſua capita contrahuntur. Dicitur tandèm contractio involuntaria, ad motuum ſecundum naturam differentiam, qui voluntatis imperio fiunt.

Noſtri corporis motus tripliciter depravantur; quidam enim à naturâ fiunt, ſed irritatâ ab aliquâ cauſâ morbificâ, ut ſternutatio, tuſſis, oſcitatio, & ſingultus. Alii fiunt à naturâ, & morbo, quales ſunt motus torpidi, quippè natura membra mover, ſed imbecilliter, quia ſcilicèt à morbo eſt gravata, ut eſt tremor, in quo natura membra attollit, & morbus ex alterâ parte illa ad inferiora deprimit. Tandèm alij fiunt à ſolo morbo, naturâ ad ipſorum generationem nihil conferente, ut eſt palpitatio, & convulſio, quæ etſi plures habet differentias deſumptas à magnitudine, parvitate, à tempore, & generationis modo, tamen præcipuæ ſunt tres, & hæ ſunt totius corporis, quia tres ſolùm ſunt figuræ, in quas corpus noſtrum ſe movere ſolet: corpus enim dùm movetur, aut curuatum, ſi curuatum, aut movetur antrorsùm, aut retrorsùm, ità quod, cùm tot ſint motus, & figuræ motûs naturalis, totidem eſſe debent motus depravati ſecundum has figuras. Si itàquè totum corpus in anteriora curuatur, Græcè dicitur ἐμπροσθότονος ad poſteriora, ὀπισθότονος, vel in utrumque latus æqualiter deflectit, id eſt ſecundum rectam figuram, dicitur τέτανος, & *Celſus* rigorem corporis appellat; quia corpora rigida, & gelu concreta, ità erecta manent, ut in nullam flectantur partem, ſic miſeri ægri, qui hoc corripiuntur ſymptomate, manent inflexibiles. Corpus naturale movetur etiam in latera, tùm dextrorsùm, tùm ſiniſtrorsùm: deberet itaque in convulſione interdùm dextrorsùm, interdùmque ſiniſtrorſum contrahi, & tamen nunquàm in has partes convulſos obſervamus. Verùm hoc evenit, quia pauci ſunt muſculi, qui corpus ad latera flectunt, & plures, qui antrorsùm, vel retrorsùm flectunt.

Quæritur, cur in paralyſi potiùs afficiatur dextra, vel ſiniſtra pars, & in convulſione anterior, vel poſterior?

Reſpondemus, convulſionem à muſculis incipere, & in cerebrum tendere, quia eſt contractio nervorum ad ſuum principium, cùm igitur à muſculis incipiat, neceſſariò quandò muſculi vel anteriores, vel poſteriores ſuperant, fit motus horsùm, vel illorsùm: paralyſis verò incipit à cerebro, & deſinit in nervos, eapropter facilè fieri poteſt, ut materia à cerebri facultate detrudatur ad dextram, vel ſiniſtram partem.

Has tres aſſignatas differentias ad convulſionem univerſalem referimus, quia cauſam habent in cerebro, quandò nimirùm cum univerſo corpore muſculi etiam faciei convelluntur, vel in exortu ſpinalis medullæ, cùm muſculi caput, & ſpinam moventes, vel anteriores, vel poſteriores, vel utrique convelluntur. In primâ s. emprosthotono, corpus cum cervice, & capite violenter ad interiora contrahitur, ut mentum pectori annectatur, & corpus navis carinam repreſentare videatur; imò quandòque in arcum contorquetur, & quandòque in orbem, ut ægri caput cum genibus annexum habeant. In ſecundâ s. opiſthotono occiput retrahitur verſus dorſum, & poſteriora. In tertiâ, ſcilicèt Tetano eſt conductio anteriorum, & poſteriorum capitis muſculorum, hinc non poſſunt caput ad ullum latus vertere, ſed rigidum, & immobile manet. Interdùm omnes corporis partes, capite excepto convelli contingit, ſæpiùs quoque accidit, ut

caput

caput ſolùm retrorsùm ad dorſum, vel antrorsùm trahatur, & convellatur.

Diſtinguitur convulſio à motu convulſivo, nam in verâ convulſione retractio muſculorum eſt perpetua, continua, & indeſinens; in motu convulſivo variè agitatur, ut in epilepſiâ, quæ inter motus convulſivos principem tenet locum. Convulſio fit à ſolo morbo, & motus convulſivus à ſolâ irritatione, ut in epilepſiâ febribus malignis, vulneribus capitis &c. ſæpè obſervatur. Itèm in motu convulſivo membrum agitatur, vibratur, & variè concutitur, quod non accidit in convulſione.

Particularis convulſio fit ex contractione muſculi partis alicujus à nervo illius motioni deſtinato malè affecto, & interdum ab effectu, vel ſymptomate particulare ſortitur nomen. Sic convulſio muſculorum oculos moventium *Strabismus* appellatur. Mandibularum, & muſculorum temporum *Triſmos* dicitur. Oris convulſio ex lati muſculi contractione, ex unâ tantùm parte oriundâ, *Spaſmus Cynicus*, *convulſio canina*, *& oris tortura* vocatur, ſi verò in utrâque parte fiat contractio *riſus Sardonicus* appellatur. Interim tamen oris tortura ſine convulſione contingit, nempè ex paralyſi alterius muſculi, quo relaxato, ejus antagoniſta os ad partem ſanam contrahit, & diſtorſio in eâ apparet, quæ convulſio impropriè nominatur. Muſculorum penis convulſio *Satyriaſis*, vel *Priapiſmus* dicitur. Eſt & alia convulſionis ſeu ſpaſmi ſpecies, quæ *Crampus* nominatur, & crura invadere ſolet, ac breviſſimo temporis ſpatio ſolvitur quandòque ſolâ frictione miteſcit: Nonnullis ità arctè per hunc morbum contrahuntur, & convelluntur crura quandòque brachia, quandòq; manus, ut vix magno conatu extendi poſſint prædicta membra, priusquam acceſſio finiatur. Eſt ità dolorificiſſimus affectus ut vix cum podagra, lithiaſi, colicis doloribus &c. comparari, & in ſuæ extenſione muſculus diſrumpi videtur attamen pede terram attingente, protinus evaneſcit. Appellatur etiam ſpaſmus flatulentus, cui inprimis ebrioſi, & qui ad arthritidem nonnihil inclinant, ſunt obnoxii. Reliquæ verò convulſiones propriis carent nominibus, ac propterea omnes corporis partes, & ipſa viſcera, ut ſunt ventriculus, renes, cor, inteſtina, meſenterium, uterus, & omnes, quæ nervos ſenſationis organa habent, irritari, criſpari, & undè criſpaturâ convulſivâ affligi poſſe non ambigimus, nàm ubi ſunt fibrillæ nerveæ, ibi ſpaſmus oriri poteſt. Sunt proindè convulſiones externæ, & internæ; externæ quæ membra vexant externa, ut convulſiones capitis, oculorum, thoracis in aſthmate convulſivo &c. Internæ vero convulſiones ſunt, quæ viſcera interna membranoſa mirè torquent, & doloris ſenſatione miſerè augent, ut in colicâ paſſione, in hyſtericis paſſionibus, dùm inteſtina, meſenterium, & annexæ partes convulſionibus ſpaſmodicis affliguntur. Talis etiam affectus eſt, quandò in nephritide convulſivus ſtomachus vomit, & convulſa itidem inteſtina tormina colica in affectu nephritico patiuntur. Itèm quandò cor palpitat, & convellitur, & quæ ſimiles frequentiſſimæ in hypochondriacis, ſcorbuticis, & hyſtericis ſunt partium internarum convulſiones, & hac ratione in paſſionibus hy-

ſtericis ſupervenerit epilepſia, ſive partium internarum convulſio. Similiter in partu difficili adeſt convulſio partium internarum ſcilicet abdominis, uteri in ſpecie, meſenterii, & inteſtinorum, toties quoties ad parturiendi conatum ſe accingit.

Signa.

Ex his, quæ diximus, ſole clarius convulſionis ſigna pateſcunt, ſed ut tyronibus elucefcant, noſtra methodo clariori procedamus oportet, ac proindè convulſio propriè dicta autopſiâ dignoſcitur, quia pars affecta verſus nervorum, muſculique originem ità fortiter præter voluntatem contrahitur, ac rigida, & inflexibilis manet, ut ad voluntatis arbitrium in priſtinum habitum vix flecti queat. Dùm partes omnes capiti ſubjectæ convelluntur contingit præter illam duram contractionem, corpus nullo modo inflecti poſſe, vel in priora ita incurvari, ut mentum pectori jungatur, vel in poſteriora ità detorqueri, ut caput ſcapulis quaſi impellatur; caput quoque aliquandò vi huc illuc concutitur facies rubore perfunditur, & dolore moleſtatur. In motu convulſivo eadem fit contractio, ſed non ſemel, verùm ſæpiùs, & pars variè concutitur & agitatur. In convulſione verâ ſenſus ſunt integri, & in motibus convulſivis plerùmque ſimul læduntur.

Pathognomonicum tamen unicum ſignum eſt ſpaſmo dignoſcendo, ut contractio fit ſola præter voluntatis imperium; nàm etſi alia convulſis ſymptomata accidant, tamen non ſemper eveniunt. Dolor quidèm ſatis frequenter comitatur, non tamen ſemper, vel quia ſenſim fit contractio, vel quia membrum ultra modum, & naturalem ſitum non contrahitur. Motus convulſivus tremorem nonnihil quandòque infert, verùm facilè ab eo deſtinguitur in tremore ſemper concurrit motus voluntarius; convulſio raro planè præter voluntatem accidit, & tremor ſolum fit in unam differentiam ſitûs, cùm convulſivus motus varius eſſe poſſit.

Secernitur à paralyſi convulſio, quia pars convulſa difficulter, vel etiam cum dolore extendi poteſt; reſoluta verò ſine difficultate extenditur. Itèm in convulſione nervi, & tendines ad tactum rigidi percipiuntur, in paralyſi verò non itèm. Convulſio tandem brevi tempore ad ſalutem, vel mortem terminatur; paralyſis verò ſine periculo ad plures annos durare poteſt. Quo ſolo convulſionis minera lateat è partibus convulſis timemur neceſſe eſt, etenim ſi cum toto corpore faciei etiam muſculi contrahantur, & ſimul ſenſus interni afficiantur certo certius cerebrum ipſum affectum eſſe oportet: ſi ſenſus omnes rectè conſtent, neque faciei muſculi contrahantur, & totum corpus afficiatur, ſpinalis medullæ principium laborare certum eſt. Sed ubi pars aliqua ſoltim convellitur, nervi ac muſculi ejuſdem membri inſervientes motui afficiuntur. Atqui hìc neceſſaria eſt muſculorum, & nervorum anatome ut medicus rectè judicare poſſit, ubi mali cauſa in hæret.

Veterum Cauſa.

Immediatam covulſionis cauſam tradidit *Hip. aph. 39. ſect. 6. Convulſio fit vel*

vel ex repletione, vel ex inanitione. Cui *Gal.* & omnes ejus fideles famuli ſe ſubſcribunt, & reverà eſt tàm clara, ut nullâ indigeat probatione, multis tamen exemplis vulgaribus corroboratur, & præcipuè exemplo chordarum, quæ in lyris, & citharis tendi conſueverunt; dùm enim chordæ ab humore replentur, quod in Auſtrinis conſtitutionibus contingere ſolet, replentur, tenduntur, & diſrumpuntur. Si verò præter modum areſcant, ut in conſtitutione Aquiloniâ fit, contrahi & diſrumpi etiam contingit. Eodem modo corium prope ignem ſiccelcens, tenditur, & contrahitur. Idem etiam contingit in nervis, ut ſcilicet hunc ſubeant affectum, vel quia nimis ab humore replentur, vel quia nimis areſiunt, tenduntur, & contrahuntur, & muſculos ſimul, ad quos inſeruntur retrahunt ad ſuum principium, undè totum convellitur membrum.

Cauſas convulſionis mediatas, & procatarcticas, quæ repletionem, vel inanitionem efficere poſſunt, multas connumerant. Repletionis cauſæ ſunt, vita otioſa, crapula, ebrietas, fluxus humoris pituitoſi, inflammatio partium nervoſarum, præcipuè in nervorum principio, ſuppreſſio alicujus evacuationis conſuetæ, vulnus, contuſio, laxatio, punctura nervi, animalium venenatorum ictus, & morſus, ſubitus terror, excandeſcentia &c.

Quod ad inanitionem attinet, nervorum ſiccitatem frequenter convulſionis alteram cauſam eſſe fatentur, verùm ex hac parte longiori tempore producitur, ità eſt labor, vigiliæ immodicæ, febris ardens, ſolicitudo, ſudor immodicus, vomitus, alvi dejectio, ſanguinis immodicum profluvium, nimius coitus, vomitus ex helleboro, & aliis venenoſis, dolor vehemens, hectica, cauteria, aut veſicatoria partibus nervoſis temerè appoſita, magnus partium nervoſarum ardor, & alia id genus præceſſerint.

Optima quidèm convulſionis cauſa eſt repletio, & inanitio, ſed nimis trivialis, & ruſtica, ac nullatenùs immediata, ac proinde parcite *Hippocratis* manes, & vos vulgares medici, qui ejus cauſam tuemini; durum namque nobis eſt credere (nàm ſumus nimis ſcrupuloſi, ideòque non facilè credimus) repletionem, & inanitionem, cùm ſint termini planè oppoſiti, unicam convulſionem producere poſſe. Præterea perſuaderi non poſſumus, quòd inanitio tota privativa ſit æquè cauſa immediata convulſionis, ac repletio, quæ eſt poſitiva Miramur illam repletionem non eſſe ſecundam illam trinam demenſionem, ſcilicèt longitudinem, latitudinem, & profunditatem, verum nervi ſunt tàm exiles, ut nullam admittant repletionem, nec tubulos habent patentes, per quos humor pituitoſus, melancholicus, vel bilioſus infundi poſſint, & repletionem efficere, ac ſi infunderentur potiùs paralyſim, quàm convulſionem producerent, & unus affectus cum altero confunderetur, & utriuſque geneſim ex unâ, eâdemque causâ in effectu tantùm obſervaremus.

Ex inanitione convulſionem non fieri his rationibus impellimur: Qui prolixo alvi fluxu, hypercatharſi, vehementi vomitione ex medicamentis antimoniatis, diuturno ſanguinis fluxu, & ceteris evacuationibus immoderatis laborant, omnes equidem convelleſcuntur, ſed oppoſitum notamus.

Præthereà ſiccitas, quæ convulſionem facit, longo tempore producitur, & convulſio illico ſe prodit. Siccitas à calore etiam introducitur, humidi evaporatione corpus exſuccum reddit, nec tantus in humano corpore calor eſſe poteſt, quin priùs alias partes & deindè nervos exſiccet, (cùm vita ſit manſio caloris in humido) ut indè nervi contrahantur, nec id, niſi rarò in febre ardente, in quâ exurentiſſimus adeſt calor, animadvertimus. Denique tanta ſiccitas in corpore viventе eſſe nequit, ut nervi contrahi valeant cùm in febre hecticâ, atrophiâ, & maraſmo nunquàm convulſio contingat, in quibus ſumma viget macies.

Noſtra Cauſa.

Convulſionis cauſæ ſunt particulæ acres, tartareæ, nitro-ſulphureæ, ponticæ, & acidæ, quæ cum ſanguine nutrimento, vel lymphâ vehuntur, & mediante circuitu nervoſo generi communicantur; hæ nervos, nervorumque fibrillas, qui ſenſiles ſunt, aggrediuntur, vellicant, irritant, & aſſiduâ irritatione nervi, nervorumque fibrillæ criſpantur, contrahuntur, convelluntur, abbreviantur, rigeſcunt: & dolorem, atque duritiem in parte inducunt, atque ſenſim, & ſucceſſivè ſecundum nervorum ductum criſpatura ſursùm ſcandit, donec nervorum principio communicetur, & indè pars immobilis redditur, & quia omnis motus à ſpiritibus fluit fibrarum nervearum motricum beneficio, quoties fibræ nerveæ moleſtantur; & infeſtantur per inordinatam, & vehementem vibrationem, illuc ſpirituum impetus attrahitur, & convulſionem, ac motus convulſivos excitat. Convulſionis cauſa ſæpiſſimè in membro latet, & non in cerebro, & quandòque in cerebro, & hinc convulſio univerſalis eſt vel particularis. Hæ particulæ acidæ non debent eſſe volatiles, quia cerebri poros pervaderent, & potiùs epilepſiam, quàm convulſionem efficerent, ſed eſſe paulò fixiores, & craſſiores, vel ſaltim viſcido irretitæ, ut muſculorum tubulos obſtruant illiſque adhæreant, ſive ſint particulæ pituitæ acidæ, ut cum vulgaribus loquamur, ſive ſuccus pancreaticus, ſive lympha acida reddita. Si hæ particulæ nervorum canaliculis ſe inſinuent, quia acida ſunt inimica nervis, fixantur, & membrum omninò contractum permanet. Sic convulſio, & motus convulſivus ab harum particularum obſtructione fit, & ſpiritus in magnâ copiâ, & impetuoſo influxu in fibras nerveas circa obſtructionem irruunt, & tali impetu eas fibras irregulariter movent, vellicant, diſtendunt, convellunt, & hi ſpiritus ſunt immediata convulſionis, & motûs convulſivi cauſa; Remotæ verò, & occaſionales cauſæ ſunt omnia, quæ particulas acres, ponticas & acidas pro nervoſarum fibrillarum irritatione ſufficientes ſufficiunt, vel impertiunt, vel humores blandos abſumunt, itâ ut qui remanent, acidiores, hoſtiles, & exotici reddantur. Sic in magnis evacuationibus, ut vomitionibus enormibus, hypercatharſi, magno ſanguinis effuſione &c. convulſio ſupervenit, non ex inanitione, ſed ex acrimoniâ, quæ ſubſequitur, nàm exhauſtis blandis humoribus, acres remanent. Nec repletio, ut vulgares ſentiunt, convulſionem excitare poteſt, niſi cum magnâ humorum con-

gerie aciditas copuletur, quæ nervoſas lancinet, & contrahat fibras.

Prognoſis.

Convulſio, quæ per eſſentiam ex cerebro fit, periculoſiſſima eſt, quàm quæ per conſenſum, & hæc periculoſa eſt, attamen faciliùs curatur. Convulſio, quæ multas occupat partes, & præcipuè cerebro vicinas, periculoſior eſt, ſic etiam quæ thoracis obſedit muſculos; metus enim eſt, nè ob difficilem reſpirationem æger ſuffocetur. *Convulſio ex vulnere lethalis. ſect. 5. aph. 2.* Verùm convulſio è vulnere, ut vulnus eſt, lethalis: non autem ſemper in vulnere lethalis, quandòque enim ex puris acrimoniâ excitatur. *Convulſio ab helleboro, lethalis aph. 1. ſect. 5.* Verùm pro helleboro intelligitur quodcumque medicamentum validè purgans, nàm *aph.* 4. *ſect.* 5. inquit: *Ex nimiâ purgatione convulſio, aut ſingultus ſuperveniens, malum aph.* 25. *ſect.* 6. *A purgatione immodicâ, quam hypercatharſim vocant, convulſio, aut ſingultus, mortifera.* Poſt purgantia fortiora, ſi convulſio ſequatur, rari ſunt, qui evadunt ægri, utut non ſit deſperandum, quia opiatis, & theriacalibus alexipharmacis denuò convaleſcant.

Qui Tetano corripiuntur, intra quatuor dies intereunt, ſi verò hos ſuperaverint, incolumes evadunt, aph. 6. *ſect.* 4. Maxima enim omnium muſculorum tenſio reſpirationem impedit, ità ut ægri ſuffocati moriantur. Et notanda eſt interitûs cauſa in convulſione, quæ non videtur alioqui periculoſa ratione cauſæ nervos obſidentis, quemadmodùm paralyſis à ſimili ferè causâ oriunda, ad multos annos producitur. Sed lethalis evadit convulſio, ex eo ſolùm quod ſuffocationem inducit, convulſis muſculis reſpirationi deſtinatis. *Ubi ſanguis plurimus fluxerit, ſingultus, aut convulſio ſuperveniens, malum. aph.* 3. *ſect.* 5. Nàm ſingultus eſt convulſionis ſpecies. Item *A ſanguinis profluvio deſipientia, & convulſio, malum. ſect.* 7. *aph.* 9. A phrenitide convulſio lethalis. Affirmat *Aëtius* ſe neminem ex ijs, qui ità convulſi ſunt, ſervatum vidiſſe, neque qui vidiſſet, audiviſſe. Difficulter curatur, ſi febris ardentis, vel malignæ occaſione eveniat convulſio, undè *aph.* 26. *ſect.* 2. habetur: *febrem convulſioni ſupervenire melius eſt, quam febri convulſionem.* Quia febris convulſioni accedens materiam convulſionis abſumit, & qui convulſione tentatur, febre ſuperveniente, liberatur. Convulſio autem febri ſuperveniens à materiâ malignâ oritur, quæ cerebrum petit, & nervoſas occupat partes, ac vitæ periculum intentat. *Quartana capti non admodum convulſionibus capiuntur: ſi verò prius capiantur, & quartana ſupervenerit, liberantur. aph.* 71. *ſect.* 5. Rigor enim in quartanâ humorem nervoſo generi inimicum excutit, & ſubſequens calor eundem concoquit, & abſumit rigorem. Diſtorſiones labri, ſupercilij, oculi, vel naſi in febre continuâ ſæpiſſimè mortem prænunciant.

Veterum Curatio.

In convulſionis curatione primum locum Barbatis concedimus, quia ſemper veneranda ſenectus, ac proindè quia convulſio à repletione, vel inanitione fit, vel evacuant, vel replent juxta *Hip.* mentem *aph.* 22. *ſect.* 2. *Quicumque morbi ex repletione fiunt, curat evacuatio*

evacuatio: & quicumque ex evacuatione, repletio, & aliorum contrarietas. Et quia à frigidorum humorum repletione convulſionem fieri opinantur, in ipſo primo introitu ad ægrum, clyſtere alvum ſolvunt, quaſi fæces in inteſtinis convulſionem cuderent, vel clyſter à nervoſo genere humores ad anum traheret; Deindè præmiſſis *ſyrupis de betonicâ, ſtœcade, & rhodomellite*, medicamentum in formâ pilulari exhibent, ut

℞ *Agarici trochiſcati cum rhodomel. rhabarbari opt. ana* ʒ.j.
pilul agregativar. ʒ.ij.
miſce, & cum cathartico roſato formentur pilulæ, & deaurentur.

Si evacuatio ex voto non ſuccedat, apozema parant, ut

℞ *Syr. roſar. ſolutivar.*
ſucſſ. ana ℥ ij.
aqua betonica ℥.j. *m.*

Verùm medicamentum purgans tantæ non eſt energiæ, ut ad nervoſum genus perveniat, & humorem pituitoſum indè extrubet. Præterea convulſio ex repletione ſubitò fit, & repentè evacuare periculoſum eſt.

Corpore decenter purgato, ad venæ ſectionem confugiunt, ſi ſanguis abundet, & vires ſint validæ, & ſi venæ ſectionem ætas, & vires non admittant, cucurbitulis cum ſcarificatione utuntur, primò quidèm longius à parte affectâ, deindè corpore benè expurgato, etiam in parte convulsâ, in quâ materia fixa eſt. Vulgares medici ſunt de ſcarabeorum genere, qui intra ſtercus volutantur, & eo ſe alunt, & ſanguiſugarum, & alieno ſanguine aluntur. Verùm hoc maledictum venæ ſectionis præſidium ab hoc affectu proſcribendum ſuademus, cùm illa cauſæ principali, quæ ex eorum ſententiæ pituita eſt, contraria ſit.

Pluries corpore expurgato, ad decocta ſalſæparillæ, & ligni guajaci deveniunt, quæ continuari ad plures hebdomadas jubent, ut pituita inciſa, & ſubtiliata in ſudoris forma eliminetur. Prætereà revellentia ad humores à parte affectâ revellendos præſcribunt, prout ſunt frictiones, ligaturæ, cucurbitulæ ſiccæ, primò partibus remotioribus, deindè affectæ parti vicinis, ut ſi crura ſint convulſa, naribus, & lumbis applicentur; ſi brachia, collo, & ſcapulis. Sternutatoria, gargariſmi, apoplegmatiſmi &c. Tandèm ad revellendam materiam parti impactam, localia applicant tàm in parte affectâ, quàm etiam in illorum nervorum principio, qui ad partem tendunt affectam, ut ſi convulſum ſit brachium, topica circa ſextam ſpinæ vertebram apponunt, undè nervi ſuum ſumunt exordium, & ad brachium deſcendunt, talia ſunt omnia calida, *ut oleum balſamicum, ſcilicèt centum annorum, chamæmelinum, anetinum, vulpinum, coſtinum, de ſpicâ, de pyrethro, de rore marino &c. cum oleo nucis moſchatæ*, & maximè valent pro emollitione. Utuntur pariter *oleo ſeminum lini, ac amygdalarum dulcium cum pellibus vulpium*, vel ſi valentiora applicare volunt, reſolventia erunt *oleum de ſulphure, oleum euphorbij, de guajaco*, quibus admiſcent *aſſungiam urſinam, medullam oſſis bubali, unguentum Agrippæ, althææ.* Itèm catulos vivos per medium diſſectos, & pulmones è vivis animalibus exemptos parti convulſæ circumponunt; quandiù calent, & deindè oleo calenti immergunt membra convulſa, ut recaleſcant; tùm etiam pars affecta in intima bovis, aut verecis, aut

aut majoris alius animalis recèns cæſocum immittitur, & ibi tamdiù detinetur, quamdiù animal calet. Pellibus felium, vulpium, vervecum, luporum ad partes convulſas veſtiendas, & fovendas utuntur, & his animalium ſylveſtrium pellibus convulſi animalia ſylveſtria videntur, & ſi in ſylvis reperirentur à venatoribus, impunè ictu ſclopetæ occiderentur, accipiendo pro animali ſylvatico hominem convulſum. Interim caput roborant *theriacâ Mithridatio, confectione anacardinâ, diamoſcho dulci, acoro, caſtoreo, opoponace &c.* Optimum cenſent remedium occiput, & cervicem aquâ vitæ calenti fovere, verùm aqua vitæ partibus nervoſis hoſtilis eſt, quia nervos exſiccat, & malum pejorat. Interim medicamenta purgantia frequentant, quia evacuatione repletio curatur.

Maximoperè aquas thermales celebrant, quibus nos annuimus ob maximam, quam in hoc affectu energiam habent, quales ſunt ſulphureæ, nitroſæ, & bituminoſæ, quibus convulſi balneari poſſunt, ità ſunt *aquæ Balnei Gurgitelli, Dimidiæ viæ, Cytharæ, vel Sudatorium Barani, vulgò del Teſtaccio, vel Arenationes Sanctæ Reſtitutæ in Inſulâ Pithecuſa.* Commendant quoque inſeſſiones in vinaceis vindemiarum tempore.

Quandòque dolor ità intolerabiliter ſentitur, ut ad eum tota cura dirigenda ſit, & ſequenti utuntur linimento:

℞ *Olei violacei,*
liliorum,
chamæmelini ana ℥.jß.
ol. amygd. dulc.
maſtiches,
roſar. ana ℥.j. *m.*

& partem inungunt affectam. Vel ſequens parant balneum, quod potentiùs operatur:

℞ *Rad. althea,*
liliorum ana ℔.ß.
fol. malua,
violaria,
trigani,
ſalvia,
abſynthij ana m. ij.
ſemin. lini,
fænugr. ana ℔. j.

Decoquantur pro balneo, in quo diù non immoretur æger, ſed ſedato dolore, confeſtim egrediatur; ſufficiet autem partes convulſas immergere. Alii parant balneum ex oleo puro, & ſi æger ſit dives, in eo unam vel alteram decoquunt vulpem.

Si convulſio fuerit ex inanitione, nullam admittit curationem, & prognoſis ad mortem fieri debet, ſed ne ægrum omni ſpe deſtitutum relinquant, victûs rationem impinguantem, & humectantem præſcribunt, & medicamenta proſcribunt, tantùm balnea aquæ dulcis, & unctiones ex oleo amygdalarum dulcium, & butyro adminiſtrant. Verùm circumferentiam humectant, vel cutem incraſſant, nec internas partes exinanitas replent.

Noſtra Curatio.

A vulgatium curatione expediti, ad noſtram tranſeamus oportet, quam à ſex rerum non-naturalium adminiſtratione auſpicamur, & primò

Aër temperatus, & ſerenus eſſe debet, ac vitetur immodicè calidus, & immodicè frigidus, & hac ratione meridionales, & ſeptemtrionales incolentes plagas convulſioni ſunt obnoxij. Hinc meritò dicitur hyeme magis fieri

convulſiones, deindè æſtate, poſtremo autumno; & hac ratione *aph.17. ſect.5.* habetur: *frigidum autem convulſiones, tetanos, livores, rigores febriles.* Et *eâdem ſect. aph. 20.* idem reiteratur: *Vlceribus frigidum quidem mordax, cutem obdurans, dolorem inſuppurabilem facit, livorem inducit, rigores febriles, convulſiones, & tetanos.*

Cibus ſit, qui facilè nutriat, facilè concoquatur, & humectet, & in hunc finem conducunt jura conſumpta, ova ſorbilia, cremor priſanæ, lac amygdalarum, caro pullorum, gallinarum, caponum, hædorum, agnorum, vitulorum, cerebella animalium, aves montanæ; ſint carnes potiùs aſſæ, quàm elixæ, & cibis vegetabilia addantur cephalica, ut ſampſucus, ſalvia, ſerpillum &c. Vitentur cibi ſalſi, acres, pontici, & præſertim acidi, & omnes fructus auſteri, nec cibi in magnâ ingerantur quantitate, ſed temperata ſervetur frugalitas, & maximè vitandi ſunt cibi, qui flatus progignunt. Si infantes lac ſugentes convulſione capiantur, hoc evenit ex nutricum ingluvie, & ebrietate, vel dentitione, tunc optima diæta nutricibus cum omnimodâ à vini abſtinentiâ præſcribenda eſt.

Potus ſit decoctum ligni guajaci, vel ſalſæ parillæ, vel ligni ſaſſafras, vel aqua hordei, in quâ ebullierint radices pœoniæ, caryophyllatæ, enulæ, ſalviæ, roris marini, chamædrios. Ab omnimodo vini potu, crapula, & ebrietate abſtineat æger, in vino nàmque maximè acidæ particulæ latent, quæ nervis ſunt hoſtiles, ut rectè notatur in *aph.5. ſect.5. Si ebrius quiſpiam repentè obmutuerit, convulſus moritur, niſi febre corripiatur; aut ubi ad horam pervenerit, quâ ſolvuntur crapulæ, vocem receperit.* Controvertunt medentes circa vini potum in convulſione: *Celſus*, & alij vini uſum improbant, quia ſuâ proprietate convulſionem inducit; *Avicennas*, *Serapio*, & alij vinum ſubtile aquâ temperatum commendant. Verùm ut nos tantam authorum pugnam conciliemus, ne conſerant manus, veniant ad capillos, & deindè controverſiam ferro decernant, dicimus in morbi principio nullatenùs vinum convenire, at ubi morbus declinare incæperit, præberi poteſt, attamen dilutum, quia tunc magis attenuat, & reſolvit. Acetum tàm ſolum, quàm cum aliis miſtum, & ſi inſignem craſſos humores attenuandi vim habeat, tamen quia eſt nervis inimicum, cane, & aſpide pejus vitandum.

Somnus, & vigilia immodici varias humoribus, & ſpiritus præbent alterationes, ideòque moderamine regantur; verùm ſi æger dolorum torturâ excarnificetur, pro dolorum lenimine ad opiata confugimus.

Motus neceſſarius eſt, ideòque membra convulſa ad naturalem figuram extendantur, ſed lenè, & ſenſim; ſic enim minùs convulſione tentantur, nec materiam nervos impetentem facilè admittunt. Frictiones vertebrarum, colli, aliorumque artuum fiant, quia valvulas aperiunt, & ſpiritibus aditum reſerant: poſtmodùm convulſa membra in molli pulvinario, vel culcitrâ plumeâ quiete fruantur. Si maxillæ convellantur, præcaveantur cuneo, vel aliâ re interjectâ, ne dentibus, vel linguæ noxa inferatur.

Excreta, & retenta naturali potiantur tono, & ſecundum naturæ exigentiam recurrant, ac proindè ſcybala quotidiè egerantur, ut & reliquæ conſuetæ

evacua-

evacuationes ſi ſupprimantur, ad naturalem fluxum redigantur, & viſcerum obſtructiones reſerentur. Sic quoque nimiæ depletiones, ut narium hæmorrhagiæ, immodicus menſium, vel hæmorrhoidum fluxus, hypercatharſes, venena, nimii ſudores, inedia, vigiliæ protractæ, nimius in Veneris palæſtrâ conatus, purgantia vehementiora ex helleboro, antimonio &c. ac aliæ æquo majores evacuationes vitandæ ſunt, nàm acrimoniam ſanguini, & ſero conciliant, exhauſtis benignis, & amicis particulis, exaltantur acres, ſalſæ, ponticæ, & acidæ, quæ priùs à ſero, & ſanguine corrigebantur, nervoſum tonum ſpaſmodicis verſus ſua principia contracturis pervenerunt, & ſpiritus animales ad inordinatos ſollicitant motus.

Malignę *animi paſſiones* vitandę ſunt, & præſertim ira, & excandeſcentia, quæ utplurimùm hunc morbum cudere valet, ut etiam terror, metus, mæror, qui magnum negotium ſpiritibus faceſſere poſſunt, illos perturbando, & in varios ſpaſmodicos adigendo motus; Animus itàque ad hilaritatem componatur, ut ſpiritus placidâ fruatur quiete.

Sat cum vulgaribus de convulſionis curâ luſimus, & diæteticâ parte abſolutâ, ad noſtram curationem properamus, quæ ut juxta noſtram methodum procedat, cauſæ removendæ ſunt, fibrillæ nerveæ leniendæ, & irritatio earum, ac ſpirituum ſopienda, & tandem partes roborandæ.

Ad primam indicationem exolvendam, univerſalia præmittimus, ſi morbus dat inducias, & æger viribus pollet, & quia convulſio eſt epilepſiæ affinis, ea exhiberi debent purgantia, qualia in epilepſiâ retulimus, ac proindè ſi morbus cathartica admittat, ea conducunt, quæ particulas tartareas, ponticas, acres, & acidas exturbare valent, hujus energiæ ſunt *pilulæ divinæ, extractum catholicum, panchymagogon n. d. in Mantiſsâ*, quibus *mercurium dulcem*, tanquàm validum acidi domitorem admiſcemus; hæc nàmque fixam à quacumque diſſitâ corporis parte materiam eliminat. Si leniora conveniunt, & quis ea exoptat, ad pilulas officinales, ut *cochias, fœtidas, de ſagapeno, vel de tribus* confugere poteſt. Si vires purgantia non ferant, aut aliæ circumſtantiæ diſſuadeant, ea omittenda, & fortiores clyſteres eorum loco injiciendos arbitramur, & conveniens eſt *enema ab Hadriano à Mynſicht deſcriptum*, ut

℞ *Rad. pyrethri,*
ebuli ana ℥ j.
herbæ betonicæ,
ſalviæ,
althea,
malva.
ſerpilli ana ℥.ß.
flor: malvæ arboreæ,
hyperici,
verbaſci ana ℨ.ij.
Coquantur
℞ *Colaturæ* ℔.j.
olei chamomillæ ℥iij.
diaphœniconis ℥.j.
pingued. anguillæ ℥ ß.
ſalis gemmæ ℨ.jß.
turbith albi, & gummoſi ℨ jß.
m & f. enema, quod applicetur.

Hoc enim ex inteſtinis viſcidam materiam acidis corpuſculis irretitam evocat.

Quandòque ad mali mineram fundiùs exhauriendam emetica præſcribimus, ut *vinum emeticum, Hippocras*

noſtrum emeticum, mercurium vitæ, crocum metallorum, quia viſcidum acidum tunicæ ventriculi interiori compactum repetitis vomitionibus exturbant, imò aliquot movent ſedes, ſudores laceſſunt, & urinam ciunt, undè ex quacumque corporis parte acidas ſcorias evacuant, & eſtò malum factum ſit habituale, & diù duraverit, magnas ferunt ſuppetias.

His præmiſſis, fibrillarum nervearum irritationes, earumque ſpaſmodicæ contractiones, quæ à particulis acidis provocantur, dulcificantibus, & concentrantibus compeſcantur, ità ſunt medicamenta, quæ volatilitate, & ſpirituoſitate ſuâ agunt in illas particulas, & agendo, illas fixant, *ut ſunt ſpiritus fuliginis, ſanguinis humani, formicarum, liquor cornu cervi ſuccinatus, ſpiritus lumbricorum terreſtrium, aqua magnanimitatis, ſpiritus theriacalis ſuccinatus*. Vel ea propinamus, quæ acidum, vel acre corrigunt, & abſorbent, *ut ſunt lapides cancrorum, cornu cervi, ebur, corallia præparata, aſelli, lumbrici*, & omnia alkalia fixa, & volatilia ex cephalicis, Martiſque præparationes, quibus valvulæ convulſæ reſerantur, & ad naturalem ſtatum perducuntur, & ut uno verbo dicamus, omnia antiſpaſmodica conveniunt, ſub quorum vexillo *ſulphur auratum diaphoreticum* comprehendimus, ſic quoque *caſtoreum, ejuſque eſſentiam, cinnabarim antimonij, vel cinnabarim nativam*, hæc, præterquamquòd humorum acrimoniam cicurant, illos per inſenſilem tranſpirationem diſcutiunt.

Pro nervoſarum fibrillarum criſpaturâ, & ſpaſmodica vibratione, ac ſpirituum impetuosè recurſu, ad opiatorum vim decantatam in ſpaſmodicis contracturis medelam, tanquàm ad ſacram anchoram, confugimus; hæc nàmque effrenem ſpirituum incurſionem refrenant, eoſdem ſegnes reddunt, acidorum ſpicula obtundunt, mordaceſque ſuccos temperant, undè fibrillæ nerveæ flacceſcunt, & ſpiritus ſopiuntur, qui ad primum ſenſorium pro ſenſatione peragendâ non ſcandunt, & hinc contracturæ ſpaſmodicæ, & dolorificæ feriantur, ut in ſomnis obſervare eſt. Opiata ſunt *laudanum opiatum, quaſi laudatum, laudanum ſine opio, Nepenthes Quercetani, noſtrum laudanum opiatum*. Vel recurrere poſſumus ad vulgaria, & officinalia opiata, ubi hæc à nobis deſcripta non ſuppetunt.

Summoperè *Thermæ ſulphureæ* naturales, aut artificiales proſunt, quis particulis ſuis oleoſis quodvis acidum obtundunt. Balnea artificialia, ſed vaporetenus ex herbis nervinis, cephalicis, & aromaticis parari poſſunt, *betonicâ, ſampſuco, rore marino, ſalviâ, origano, pulegio, calaminthâ, chamædryo, ſerpillo, chamomillâ, fœnugræco &c.* In hoc balneo vaporoſo convulſus tectus ſudet circa horam plùs, minuſve, deinde abſtergatur, & in calido cubili ſtragulis optimè opertus iterùm ſudet.

Medicamenta partibus convulſis, & quandoque toti ſpinæ commendamus: & præſertim quandò pars convulſa rigida manet, & metus eſt, nè omninò contracta permaneat, tunc externa ſub inunctionis formâ partem obliniendo conducunt: verùm axungias anguillarum, hominis, pinguedines anatum, anſeris, vulpis, unguenta, olea communia per infuſionem, cæteraque unctuoſa proſcribimus, quatenus cutis poros potius infarciunt, & obſtruunt, quàm aperiunt; ideòque quò magis

ſpirituoſa, & volatilia, eò meliùs penetrando conducunt, vel ſaltim ſpirituoſa cum oleis, axungiis, vel pinguedinibus combinata præferimus, quia præterquamquòd partem convulſam ad ſuum naturalem tonum reducunt, intenſum dolorem leniunt. Ità ſunt *Galbanetum Paracelſi*, *oleum lavendulæ*, *terebinthinæ*, *philoſophorum*, *ſuccini*, *petreoli*, *juniperi*, *ceræ &c.* Quæ in hanc, vel aliam formulam præſcribi poſſunt:

℞. *Ol. lini*,
lumbricor. ana ℥ij.
lavendulæ ℥ j.
euphorbij,
petreoli ana ℈. iij. *m.*

Vel

℞. *Ol. terebinthinæ* ℥. j.
ſpiritûs lumbricor. ʒ. j.
ol. ceræ ʒ. jß.
caryophyll. gutt. vj. *m.*

Vel

℞. *Pingued. humanæ non rancidæ*,
vulpis ana ℥. j.
ol. philoſophor. ℥. ß.
caſtorei pulveriſati ℈. iv.
m. f. linimentum.

Hæ inunctiones, & linimenta membro ſpaſmo correpto calida applicentur, injectis pòſt faſciis calidis.

Si convulſio ab utero ſuam ſumat geneſim, præmiſſis univerſalibus, à caſtoreatis, cinnabarinis, & tandèm tota curatio in opiatis quærenda eſt. Si ab eſu fungorum, vomitoria proſunt. Si à vulnere, curatio requirenda eſt in *Trutina Chirurgico-phyſica Tomo 3. cap. 24. De vulneratorum convulſione.* Si à morſu venenatorum animalium ortum duxerit convulſio, vide eundem *Tomum cap. 29. De Vulneribus ex venenato morſu inflictis.* Si ex articuli laxatione fiat convulſio, luxati articuli repoſitione curatur. Si ex hypercatharſi, vel vehementiori purgante ſuccedat convulſio, ſumantur opiata, vel theriaca novella.

In Crampo, ſeu ſpaſmo flatulento ſufficit levis fricatio partis panno aſpero, aut manu calidâ, aut illinatur ſpiritus baccarum juniperi, aut ſpiritus theriacalis, vel ad hujuſmodi ſpaſmum flatulentum expertum habemus *Cratonis Unguentum*, ut

℞. *Axung. anſeris recentis* ℥. iv.
ol. deſtillati caryophyll. ℈. ß.
cinnamomi gutt. v. *m.*

CAP. XII.

De Phrenitide.

PHrenitis ità dicta eſt, quaſi phrenis læſio, ideſt mentis, quod nomen diaphragmati quamoptimè quadrat. & eſt vetuſtiſſimum ejus nomen φρενῶν, quod apud græcos idem ſonat ac mens, ſive interior animæ fundus, & *Sebaſtianus Bartholus* meus præceptor, felicis recordationis, *Exercit. Paradox.* iv. animam, ſeu vitæ domicilium in diaphragmate, & propriè in centro nerveo collocavit, quod eo affecto, mens, & ſenſus perturbantur ob conſenſum cum cerebro, & in ejus inflammatione paraphrenitis contingit.

Phrenitis, ſecundum vulgarium ſententiam, eſt inflammatio cerebri, & membranarum ejus cum delirio perpetuo, & febre acutâ continuâ, à ſpirituum accenſione. Solent vulgares ad phrenitidis eſſentiam magis enucleandam illam controvertere quæſtionem: An cerebrum, ejus ſcilicèt ſubſtantia

inflammationem pati poſſit? Multi pro parte negativâ concludunt, quia in ipſo diſſeminatæ non ſunt venæ, ſubſtantiam habeat albam, & exanguem, inflammationi obnoxium eſſe non poteſt; nàm cùm in ipſo diſſeminatæ non adſint venæ, quia molli, & laxâ ſubſtantiâ eſt præditum alienos humores in ſe recipere non poteſt, & conſequenter neque inflammari. Cæterùm iſti authores nunquàm cerebri anatomen obſervarunt; nàm ſi cerebri ſubſtantiam comprimas, guttulæ, ſive puncta ſanguinea exſudant, ideòque plurimas venas, & arterias capillares ibi diſſeminatas habet, ut videre eſt *De Anatomicâ capitis hiſtoriâ*, in quibus excrementa colligi valent, & inflammatione affici.

Per delirium ratiocinationis depravationem intelligimus, ità ut à conſuetâ lege, & ordine aberret. Hæc aberratio ſecundum omnes tres mentis operationes fieri poteſt. In ſimplicium objectorum, indèque formatorum conceptuum apprehenſione, cùm ſcilicèt delirans quid pro quo, vel aliud pro alio apprehendit, & hominem è vulgi fæce Poloniæ Regem ſe appellet. Secundò, in conceptuum apprehenſorum compoſitione, & diviſione, & tertiò indè ex his concluſionem, & ratiocinationem efformat, ut dùm quis exiſtimabat ſe ex butyro conflatum eſſe, & ob id ad ignem accedere nolebat, quia metuebat, ne exindè caleſcens colliquaretur. Omnes hæ aberrationes à rectâ ratione uno nomine delirium appellantur. Non tantùm ratiocinatio in delirio generali depravatur, ſed etiam imaginativa. Memoria in phrenitide depravatur, ſeu aboletur, cùm ægri eſto ſitiant, urinæ lotium urgeat, bibere, & mingere obliviſcuntur. Id tamen ferè ex accidenti contingit, quia in tumultuosâ illâ ſpirituum commotione variæ offeruntur imaginationes, quæ phantaſiam, & rationem ità depravatam reddunt, ut ad id, quod natura exigit, non attendat; Aliquandò tamen etiam per ſe lædi poteſt memoria.

Vt in aliis delirij ſpeciebus, ità & in phrenitide ratiocinatio ſuo non fungitur munere, ità phantaſia in ſuo officio aberrat, & in judicandis rebus ambæ aberrare poſſunt, nec verum à falſo, bonum à malo, turpe ab honeſto, congruum ab abſurdo, & quod nec loco, tempori quadrat, diſtinguere valent, & ob cauſæ rationem omnia cum contentione, rixâ, & furore agunt.

Quandòque ſola imaginatio depravatur, illæsâ ratiocinatione, & quandòque utraque functio læditur. Dùm ſola imaginatio afficitur, res abſurdæ, & non cohærentes offeruntur, & ea, quæ nullo modo adſunt, præſentia exiſtimantur, cætera rectè judicant. Exempla utriuſque casûs apud *Gal.2.de diff. ſympt. cap. 3.* leguntur, ubi cujuſdam medici Theophali hiſtoriam narrat, cui, ſalvâ ratiocinatione, imaginatio tantùm erat læsa; nàm is tibicines angulum domûs, ubi decumbebat, occupâſſe, aſſiduèque ſonare, tùm pulſare imaginabatur, atque illos ſe intueri rebatur partim ſtantes, partim verò ſedentes, & continuò exclamare non ceſſabat, ut à tali reijcerentur loco, in eo imaginationem depravatam habebat: quòd vero eos, ubi ſibi moleſtos, & quietem turbantes domo eijcere jubebat, & in cœteris omnia prudenter agebat, & rectè loquebatur, atque poſtquàm convaluit, quæ quiſque adſtan-

ſtantium dixiſſet, vel feciſſet, narrare poterat, & imaginationis illius depravatæ de tibicinibus recordabatur, in eo ratiocinatio,& memoria ſalva erant. Idem *Galeno* evenit, cùm feſtucas in lecto, & floccos in veſtibus putabat eminere, eoſdemque tentabat colligere, ſed optimè alloquentes intelligebat amicos. Altera hiſtoria alterius phrenitidis, qui depravatum habuit diſcurſum, apud ipſum pariter habetur ſine imaginationis depravatione, dùm lanificus quidam, occluſis foribus, ſingula vaſa promens, & per feneſtram tranſeuntibus demonſtrans, ac ſingula nominans, & an ea proijcere juberent, interrogans, illi ridentes, annuerunt, lanificus autem videns eorum affirmationem, ſingula vaſa projecit. Rursùs interrogans, juberentnè, ut puerum quoque proijceret, & cùm annuiſſent, illicò eum per feneſtram dejecit:phantaſiam, & memoriam eatenùs ſalvam habebat, dùm vaſa omnia agnoſceret, eorumque nomina recitaret, verùm dùm ea, & puerum ex alto projecit, rationem ſalvam non fuiſſe, ipſo facto demonſtratur. Plerùmque & phantaſia, & ratiocinatio depravari ſolet, verùm dùm eſt incipiens, poteſt altera tantum eſſe læſa. Ex quibus nonnulli vulgares facilè illud ſolvunt problema, quomodò una ex iis actionibus lædatur, alterâ illæsâ exiſtente? Reſpondent ſingulas facultates in ſingulis ſeparatis cerebri ſedibus, imaginationem ſcilicèt in anteriori, diſcurſum in medio, & memoriam in poſteriori reſidere.

Plures ſunt deliriorum differentiæ; quædam enim inveniuntur ſine febre, ut Mania, Melancholia &c. de quibus infrà; quædam conſequuntur ad febrem, ſive ad alicujus viſceris inflammationem, ut Paraphrenitis; tandèm quædam naſcuntur cum febre, & cum illâ ſemper perſeverant, cujus generis eſt phrenitis, quæ conjunctam ſemper habet febrem, & delirium continuum. Phrenitidis duæ ſunt ſpecies principales, una legitima, quæ primaria dicitur; & in definitione exprimitur: alia non vera, ſeu ſpuria, quam paraphrenitidem appellari diximus. Vera phrenitis eſt, quandò primario afficiuntur cerebri membranæ, & conſequenter cerebrum propter viciniam in calefacto eſſe ponitur; eaque iterùm duplici modo inſultat, vel in diſpoſitione, & vulgatiſſimæ frequentiæ eſt, vel in habitu, quæ hectica phreneſis appellatur, aliuſque ſe cerebro, veluti quadam bilioſâ tincturâ inſinuat, & plures ejus partes obſeſſas tenet. Secundaria, ſive paraphrenitis eſt, quandò phreniticus calor cerebro adventitiè communicatur vel à toto corpore, ut in febribus ardentibus fit, vel per conſenſum à membro aliquo inflammato, nempè ventriculo, hepate, pulmone, imprimis verò diaphragmate, cujus inflammatio non rarò contingens, ferè lethalem phreneſim producere ſolet. Fit ex magno conſenſu, ut vulgares putant, qui intercedit propter nervos inſignes, qui ad illud feruntur, & ex motu perpetuo diaphragmatis, cujus ratione perpetuos ad cerebrum tranſmittit vapores.

Omne delirium in febribus, quo etiam phrenitis fuerit, duplex eſt, unum ridiculum, alterum ſerium. Ridiculum eſt, quandò ægri varia abſurda incondita, & minùs coherentia cum

cum quadam hilaritate, interdùm cum riſu &c. proferunt. Serium delirium eſt, quandò ægri, quaſi aliquantiſper irati cum impetu, & quodam furore proferunt varia, & incondita, & interdum tàm inſcii, quàm excogitando, in varios prorumpunt ſermones quæ differentia deſumitur ab *aph.* 53. *ſect.* 6. *Deſipientiæ, quæ cum riſu fiunt ſecuriores, quæ verò cum ſtudio, periculoſiores.* ideſt deliria ridicula ſunt tutiora, & minùs mala, quam deliria ſeria, & cum jurgiis.

Signa.

Phrenitidis ſigna alia ſunt, quæ imminentem præmonſtrant, alia præſentem oſtentant. Imminentem quidèm in febribus præcognoſcere glorioſius eſt, ut eam præcavere poſſimus, quàm præſentem curare cum magno vitæ diſcrimine, & eſſet ægrum à libitinæ manu eripere, & à faucibus orci ad ſuperas evocare auras.

Imminentis itàque phrenitidis ſigna ſunt: patiens immodicè garrulus eſt, & ad loquendum nimis promptus, qui talis anteà non erat, vigiliis infeſtatur, & ſi ſomnus obrepit, brevis, & turbulentus eſt, & cum labore vigilat. Vrina primùm craſſa, mox tenuis redditur, & diaphana. Itèm ex morum mutatione, ſi nempè is anteà manſuetus erat, & nonnihil ferox, & temerarius fit. Si eorum, quæ legit, vel locutus fuit, illico obliviſcitur, & ſi eundem repetat ſermonem. Cum oculi nictitant, caput cum dolore calet, quibus ſignis denotatur materiam febrilem jàm caput ſcandere, & delirium excitaturam.

Præſentis phrenitidis indicia ſunt: Delirium aſſiduum, quia aſſiduè cerebrum afficitur, ſtultiloquium, vigiliæ continuæ, & turbulentæ. Reſpiratio magnâ, & rara, quia phrenetici reſpirare obliviſcuntur propter maximam mentis occupationem ab infinitis phantaſmatibus, quæ in imaginatione delirâ repræſentatur, & ſpiritus animales evocant; reſpiratio fit rara per intervalla, quaſi imo pectore deprompta, & raritas magnitudine compenſatur. Iectigatio manuum, & corporis cum maximâ impatientiâ, undè ſæpiſſimè ægri turbantur, membrorum ſitum ſemper præ inquietitudine mutant, corpus nudant, & verenda videntur, quandoque è lecto proſiliunt, & furore perciti in omnem audaciam ſunt proclives, & adſtantes alios verberibus, alios morſibus impetunt, & familiares, ac domeſticos pro hoſtibus, habent. Facies eſt eximiè rubicunda, aut lividè palleſcens, nec tamen idem calor anteà fuit, ſed in ipſa alteratione ità evadit. Adeſt oculorum rubedo, & ſæpè ex oculis lacryma fluit, oculorum venæ, & arteriæ ſanguine turgidæ conſpiciuntur, & ipſi oculi inordinatè moventur. Res viſui oblatæ geminæ videntur. In auribus percipitur ſibilus, ſonitus, & ſtrepitus, dentium ſtridor, & excreant abſque neceſſitate. Ægri eorum quæ dicuntur, obliviſcuntur, & interrogati cum iracundiâ reſpondent, & fixis oculis, ac tortuis homines qui ad eos accedunt, intuentur. Varia nugantur, floccos, quiſquilias, & feſtucas colligunt, & manus tremunt. Sitis nulla eſt, aut ſaltèm perexigua, eſtò præſentes ſint intenſæ ſitis cauſæ, quia mens ægrotat. Vrina in phrenitide ſolet eſſe flammea, atque tenuis, & ſæpè alba,

non

non ob bilis raptum ad cerebrum, ut humoriſtæ falſò ſupponunt, ſed quia ſcoriæ ſulphureæ ad cerebrum feruntur quarum defectu urinæ non tinguntur. Pulſus eſt parvus & frequens, & aliquantulùm undoſus. Febris eſt continua, quia cerebri inflammatio neceſſariò febrem acceſſit. Lingua eſt aſpera, nigra, vel citrina ob ſulphureas ſcorias eam exſiccantes. Æger modò flet, modò ridet, nunc cantat, nunc vociferatur, & ob mentis alienationem varia & contraria imaginatur, & ut ebrius furit. Tandèm omnia enarrata, vel ſingula ſigna præſentem denotant phrenitidem, ſed pathognomonica ſunt delirium continuum, & febris acuta, & ſi ulteriùs progreditur, ægri faciem habent hippocraticam.

Hectica phreneſis cognoſcitur, quia comitatur delirio ſubobſcuro, ac mitiori, ac ægri ſunt quieti, ſilentes, & dormire videntur.

Paraphrenitis hæc particularia habet ſigna: reſpiratio eſt parva, & cita, quia inflammatum diaphragma non poteſt multum dilatari, & extendi, ideòque neceſſe habet eò citatiorem reſpirationem facere, ac parvitatem frequentiâ compenſare: Vox in eâ eſt acuta, quia reſpirationis organum, impeditur, præcordia tument, & diſtenta ſunt.

Phrenitis febre continuâ, delirio perpetuo, & vigiliis tanquàm ſignis pathognomonicis facilè ab omnibus cognatis affectibus diſtinguitur; per febrem enim differt à melancholicorum delirio; vigiliis à lethargo; delirio perpetuo, & æquali ab aliis deliriis in quibus caput non primariò, ſed per conſenſum afficitur, ut cum diaphragmatis conſenſu laborat. Verùm hoc delirii genus aliis ſignis à phrenitide diſtinguitur; in phrenitide nàmque eſt cerebri inflammatio, & ex partis naturâ facilè patet, quia dolor eſt vehementiſſimus, cùm dura mater ſit affecta, quæ eſt ſenſibiliſſima. Vndè eſt, quòd tales phrenetici capillos avellere, & pugnis caput percutere ſoleant propter immanem, & acutiſſimum dolorem, quem percipiunt. Similiter manus capiti admovent, & vario, aut quaſi furioſo motu caput hinc indè agitant. Sunt dolores acerbiſſimi in cerebri, & membranarum inflammatione: & hinc adeò brevis eſt affectus, cùm durare non poſſit ob inſignem ſpirituum diſſipationem. Accedunt præthereà interdùm convulſiones, idque quandò cerebri inflammatio in gangrænam abire incipit, nàm hujus inflammationis finis eſt gangræna. Deindè in tali caſu pulſatio adeſt vehementiſſima, de quâ ante delirium conqueruntur ægri, quæ quanta ſit, percipitur, ſi attentè collum inſpiciatur; ibi enim arteriæ carotides, quàm impetuoſiſſimè pulſant propter ſanguinem influentem, & ob inflammationem in cerebro ſtagnantem: hinc Hip. arteriam in temporibus pulſantem phrenitidis imminentis prænunciam exiſtimat. In paraphrenitide vox eſt acuta, quia reſpirationis organum eſt impeditum. Denique in ſepti tranſverſi inflammatione hypochondria ſunt ſursùm revulſa, quia diaphragma inferiori parte tegitur membranâ à peritonæo mutuata, atque ità dùm inflammatur, peritonæum trahit, & cum peritonæo hypochondria. Adeſt in ſepti tranſverſi loco tuberantia, & dolor intenſiſſimus, & hypochondria à rabidorum canum dentibus dilacerari videntur, quia to-

tum ex nervis eſt conflatum, & ob doloris immanitatem ægri illi ſæpiſſimè manus admovent. Delirium modò ingraveſcit, modò miteſcit juxta doloris intenſionem, vel diminutionem, imò per vices intermittit, & non eſt continuum, ſed in phrenitide eſt perpetuum, & nullam intenſionem, vel remiſſionem patitur.

Veterum Cauſa.

Phrenitis, quomodò fiat, certò non dùm conſtat, nec ulla eſt certa opinio, quæ animum ſcrupuloſum tranquillare, ut veritatis amantem exſatiare poſſit; quare nonnullorum opinamenta trutinemus oportet: tribuamus itàque primas Galeniſtis, quia ſunt nobis priores temporis prioritate, & quia à nobis Barbati vocentur (ſed neſcimus an barba eos ſapientes, an capros reddat?) eos vel ut prudentes, vel ut capros veneramur, ſit res quomodocumque prioritas debetur.

In Galeniſtarum animo phrenitidis cauſa eſt ſanguis bilioſus, cui etiam bilis excrementitia utplurimùm admiſta eſt, & pro variis bilis gradibus, majori ſcilicèt, vel minori fervore, aut aduſtione, graviorem, vel mitiorem phrenitidem producit: Sic bilis pallida omnium mitiſſimam, aduſta verò ferinam excitat phrenitidem. Ut fiat cerebri, ejuſque membranarum inflammatio, ſanguinem illum bilioſum extravaſari, & in dictarum partium ſubſtantiam effundi oportet, quod duobus modis præcipuè fieri conſuevit, vel cerebro primariò affecto, vel ſecundariò. Primariò afficitur cerebrum, quandò immediatè à causâ aliquâ externâ incaleſcit; ut radiis ſolaribus, meri potu, irâ, & ſimilibus, ut ſanguis in venis cerebri commotus extra vaſa feratur, quod etiam à vulnere, percuſſione, contuſione capitis fieri poteſt. Phrenitis hoc modo genita primaria dicitur. Secundaria phrenitis eſt illa, quæ febribus ardentibus, vel malignis ſuccedit, quandò humoris morbifici portio ad cerebrum detruditur, ipſumque inflammatur, ex quâ inflammatione ſpiritus animales excandeſcunt, & ratio perturbatur, & perit; quibus autem anterior tantùm cerebri pars inflammatione corripitur, eos in imaginando media, in ratiocinando oberrare, poſterior tantùm pars affecta, illis memoriam labefactari credunt. Quidam vulgares culpant vapores bilioſos ad cerebri regiam delatos, qui ſpiritus, animales perturbant, & à rectâ ratione alienant. Sic in paraphrenitide ex diaphragmatis inflammatione vapores bilioſi aduſti per conſenſum in cerebrum tranſmittuntur. Eodem modo in anginâ, pleuritide, peripneumoniâ &c. iſtos vapores aduſti ad cerebrum ſcandere, & phreneſim excitare neceſſe eſt.

Phreneticant humoriſtæ cum delito *Galeno* in phrenitidis causâ, & extra choream cum bile tàm flava, quam aduſtâ; & muſcas in aëre venantur, & paleas colligunt; putant enim bilem ſanguini admiſtam, ſeu ſanguinem bilioſum in cerebri ſubſtantia, ejuſque membranis extravaſari, putreſcere, & inflammationem parere ſeu apoſtema. Cœterum hæc inflammatio erit eryſipelatodes, & illic eryſipelas produci certo certius fateri tenentur, atqui ſi in cerebro, ejuſque miningibus pro phrenitidis causâ oriretur tumor inflammatorius, hic vel in reſolutionem,

nem, vel in ſuppurationem abiret, ſi in ſuppurationem, ſupervenit gangræna, poſt quam ſphacelus erit ultima tumoris meta, & *Quibus cerebrum eſt ſphacelatum in tribus diebus pereunt*. In omnibus itàque morbis, quibus phrenesis copulatur, eryſipelas erit conjunctum. Credat hoc Iudæus appella, & Galeniſtæ, non illi, qui ſunt nimis ſcrupuloſi. Inſuper poſt cadaverum apertionem nunquàm cerebrum bile imbutum repertum fuit. Prætereà in febre ardenti, maligna, peſtilenti, capitis eryſipelate, anginâ, pleuritide, peripneumoniâ &c. quibus phrenesis aſſociatur, ſemper culpanda erit utraque bilis pro tàm ſævo morbo producendo, quæ cerebrum peteret. *Fontanus* refert juvenem 22. annorum ex gonorrhœâ virulentâ in phrenitidem incidiſſe. Nos ex panaritio in dextræ manus pollice phrenitide correptum obſervavimus. Numquid ex pudendo, & pollice bilis elevata cerebrum petivit? Credant hoc, qui in *Galeni* verba jurârunt. Maledicta, & excommunicata bilis, quæ hominem dementat, & perimit, & agaſones fecit medicos! In æquivoco delitant humoriſtæ, ſerum ſupernatans in ſanguine emiſſo pro bile oſtentantes venditant; nàm flavæ bilis naturam non ſapit, nec bilis qualitates, & conditiones præter colorem habet, non enim amaricat, imò dulcis, aut ſaltim inſipida eſt, nec igneæ naturæ, ac proindè igneum apoſtema generare poteſt, nec cerebrum, ejuſque meninges deflagrare: nullo itàque pacto calida, & ignea eſt, ut Palladis domum incendere poſſit, ſed potiùs verè frigida eſt, ut experientia patet. Hoc ſerum ſimplicem curat ſcabiem, ejuſque demulcet pruritum, undè colligimus bilis naturam non redolere, quia ſcabiem urgeret, ejuſque pruritum intenderet, cum bilis ex communi eorum ſententiâ ſit materialis ſcabiei cauſa. Sed has Galeniſtarum de quatuor humoribus nænias fuſiùs exploſimus in *noſtrâ Pyretologiâ cap.* 3. ubi funditùs *Galeni* principia evertimus.

Imaginantur vulgares bilem per venas ad cerebrum, ejuſque membranas ſcandere, inibi firmari, inflammationem producere, & præter hanc ſpiritus animales accendere, & rectam rationem perturbare. Verùm quod ſpiritus animales accendere, & perturbare debet, tenuiſſimum, aëreum, ſpirituoſum, vel ſaltim ſpiritûs naturam redolens eſſe oportet: utraque autem bilis ipſo ſpiritu tenuior, & ſpiritnoſior eſſe non poteſt, quia bilis eſt unus ex quatuor humoribus, quid materiale, terreum potiùs, quàm igneum, ſive elemento ignis reſpondens, ut blaterant humoriſtæ; undè ſuâ craſſitie, & mole omnes corporis partes pervadere, cerebrum ſcandere, ac ſpiritus penetrare, eoſque inflammare non poteſt, non enim materiale in ſpirituale agere poteſt.

Vulgares Galenici vapores aridos, & aduſtos ex utrâque bile in caput aſcendentes, & ſpiritus animales perturbantes culpant: Cœterùm repugnat in terminis eſſe vapores aridos, & aduſtos, nàm propriè vapores ſunt illi, qui ex humido emanant corpore, cujus naturam redolent. Prætereà, hi vapores ſpirituum actiones, & functiones interturbare nequeunt; non enim eorum vaporum eſt actiones morboſas facere poſſe, cùm & ſanas actiones peragere nequeant, juxta ſcholas: *functio vitiata eſt ejuſdem partis, cujus eſt in ſanis*

functio integra, & contrà. Hoc ſolius eſt ſpiritûs, qui læſus ſuas, quas peragere debet actiones, & functiones naturales, depravatas, & læſas faciat oportet. Nec dices utramque bilem præter naturam in corpore, & ſanguine corruptam lædere poſſe ſpiritum, ipſumque excandeſcere, cùm calida, & ignea ſit utraque illa bilis; hoc tamen ſatis refutatum eſt. Præterea dicimus ex ſanguine, & alimento noſtro non poſſe aliquid per corruptionem & alterationem illius fieri ſimile, quod reſpondeat utrique bili; nàm quod accendere, & ſpirituum noſtrum inflammare poteſt, tenuiſſimum, aëreum, & ſpirituoſum eſſe oportet, & ſpiritûs naturam redolere debet, cujuſmodi non eſt utraque bilis, ut diximus. Exploſâ Galeniſtarum bile pro phreniritidis cauſâ, noſtram adducamus oportet, quæ ſi ipſis non arridet, velint nolint, & ilia crepent, bilioſi ad bilem recurrant.

Noſtra Cauſa.

Phrenitidis cauſa eſt ſpirituum incaleſcentia, & effervescentia primò in corde, deindè in cerebro; totum itàque vitium in ſpiritus hæret, idque varium, & diverſum, prout diverſimodè ſpiritus afficiuntur: anima enim humana immutabilis, & alterabilis eſt, & ſemper eadem, nec excandeſcere, aut ab ullâ aliâ tàm interna, quàm externâ cauſâ lædi, aut fœdari poteſt. Hæc eſt immediata tam levioris, quam gravioris phrenitidis cauſa, undè ſpiritus accenſi, & in furorem acti in cerebro varia, & non cohærentia phantaſmata à mente efformantur, quorum index ſunt inconditi ſermones, riſus, aut fletus, floſculorum, qui nuſquam ſunt, collectiones, vigiliæ, jectigationes, muſcarum inſolitæ venationes, & variæ actuum motiones, donec aucto, & nimis impetuoſo ſpiritum reddito motu, tandem convulſiones ſæpè lethales ſuperveniant, aut donec ſpiritibus tantùm abſumptis, vel incondito narcoticorum uſu fixatis, phrenitis in lethargum mutetur, vel potius in affectum caroticum. Hanc phrenitidem antecedit febris continua, ardens, vel maligna, in quibus pertinaces cuduntur vigiliæ, & primò febris incipit ex ſpirituum vitalium in corde excandeſcentiâ, in nonnullis febribus, & in quibuſdam ægrotantibus igneſcunt etiam ſpiritus animales in cerebro, & tota Palladis Regia ignem concipit, & excandeſcit cum vigiliâ diuturnâ, & febre continuâ. Tunc ſpiritus, qui anteà conſtabant partibus oleoſis paucis acribus ab amicis particulis caſtigatis, & aquoſis harmonicè conſpirantibus, in tranquilitate manebant mutationes non ſubitant; poſtmodum adveniente febre continuâ, vigiliiſque pertinacibus, excrementa noſtri alimenti, ſeu ſcoriæ nitro-ſulphureæ, ſalinæ, acres, acutæ, vel ſylveſtres in ſanguine non corriguntur, nec per ſua emunctoria reſolvuntur, ſed ex eorum miſcela fermentationem arripiunt, exaltantur in igneam denegerant naturam, & totum perturbant ſanguinem, cumque ſecundum omnes ejus partes mediante veloci circulatione in[illegible]mant, tunc eò magis inflammantur, & igneſcunt ſanguinis ſpiritus, unde ignitis ſpiritibus, igneſcit ſpirituum domus: Sic co[illegible]x[illegible]ndeſ[illegible]it, totumque perinde c[illegible]s, [illegible] mirum deindè, ſi excand[illegible]toto co[illegible] & excan-

excandeſcente ſimul cum ſuo ſpiritu vitali excandeſcat etiam cerebrum unà cum ſuo ſpiritu animali, & tunc phrenitis producitur. Tum ſpiritus animales vitæ muniis deſtinati agitantur, tumultuantur, & ſine lege huc illuc per cerebri poros à particulis etherogeneis, & ſylveſtribus feruntur, ſed ſemper cerebrum aſcendunt tanquam ad munitiſſimam arcem, non aliter ac ad internicionem exquirerentur, ibi perterriti, & confuſi varia, & multiplicia phantaſmata, confuſaſque notiones cudunt, & hinc eſt, quod modò in hæc, modò in illa delati organa, vel loquelam abſurdam, vel geſtus incongruos excitant. In phrenitide judicium non laborat, eſtò anima abſurdos, & abſonos in corpore producat effectus; nàm cùm phreniticus de jurgiis loquitur, judicium ipſi non laborat, cum reverà tales ideæ animæ repræſententur ut de jurgiis neceſſariò cogitare debeat, ſed tantùm in hoc errat, quod ipſas ideas ſibi à causâ externâ præſentari putat.

Sed in noſtram ſententiam inſurgere vulgares, & abſurdo nos culpare poſſent; nàm in omni febre excandeſcit primò cor cum ſpiritu vitali in toto corpore, excandeſcit etiam cerebrum cum ſuo ſpiritu animali: in omni itàque febre phrenitidem fieri neceſſe erit, quod utique abſurdum eſſe nemo ambigit. Verumenimverò hoc in omnibus febribus fieri non ſolet, quia eſtò inflammetur cor, & ſpiritus vitalis, nihilominùs dùm ità eſt inflammatus, & excandefactus à ſcoriis, quæ in ſanguine continentur, cerebrum conſcendit, corpore cerebri, frigiditate hi ſpiritus moderatè temperantur, & frigeſcunt, ità ut in nonnullis febricitantibus non intercurrat phrenitis propter inn... n, & naturalem cerebri frigiditatem, & humiditatem, qua pollet, & quamvis cor, ejuſque ſpiritus excandeſcat, non proindè excandeſcit cerebrum & ſpiritus animalis, ſed ſuas optimè peragit functiones.

Vulgares jactitant in phrenitide tàm in cerebri ſubſtantiâ, quàm in ipſius meningibus apoſtema fieri propter ſanguinis, vel bilioſi humoris evaſationem, ſed ex quamplurimis obſervationibus nunquàm nobis tale apoſtema colligere licuit; nec nunquàm in hoc offendere potuimus, & tamen multos, quibus ſordida in capite fuêre vulnera phrenitide abſque tumore inflammatorio periiſſe obſervavimus, ut opipare *De Vulneribus cap.* 13. *De Phrenitide vulnerariâ recenſuimus.* Multa proſtant exempla phrenitide functorum, & poſt apertionem nullum apoſtema repertum fuit. Refert *Rhodius cent.* 1. *obſerv.* 9. Phreniticum biduo extinctum, in cujus capite aperto cerebrum, & membranæ ejus cum intenſo rubore adeò tumebant, ut facilè venæ ab ipſius ſubſtantiâ ſeparari potuerint. Itèm *Nicolaus Fontanus in Analectis cap.* 2. Vbi nempè phrenitide mortuum refert, in cujus reſecto cranio, cerebrum ubique maculis ſanguineis conſperſum, & meninges in ſpecie, pia mater tumida admodùm, & ſanguine nigrioſculo turgido viſa fuit, & inſigniores ejuſdem rami per cranium diſperſi ſanguine congrumato tumidi reperti fuêre. Cerebrum in phrenitide non patitur, ſed compatitur ut etiam meninges, non verò in his fit apoſtema inflammatorium; ſolus ſanguis, cujus eſt ſpirituum domicilium, à tantâ ſpirituum confuſione, & reſolutione præcipuè

æſtuat, & tandem grumeſcit, undè catochus, & mors ſubſequitur. Si quandòque in meningibus inflammatio ſuboriatur, illaque non reſolvatur, ſed ſuppuretur, in hac cerebrum compatitur, & in ſuppurationem abit, hinc gangræna, & neceſſariò ſphacelus, malum ut rarum, ità funeſtum, & lethale: eſtò *Hip. aph.50. ſect.7. dicat: Quibus cerebrum ſphacelatum eſt, in tribus diebus pereunt: Si verò hos evaſerint, ſani fiunt.* Tamen à nobis falſitate convincitur in noſtrâ *Trutinâ Chirurgico-phyſicâ cap.10. De Gangranâ, & ſphacelo.* Obſervavimus nos cerebri ſphacelo laborantem, in medio mortis diſcrimine cerebrum putridum, & putidum per nares, oculos, & aures miſerè excreviſſe.

Cauſæ iſtius agitationis ſpirituum in cerebro mediatæ ſunt omnes illæ, quæ nimiam maſſæ ſanguineæ incaleſcentiam, & inſignem effervefcentiam inducere poſſunt, undè ſpiritus fervidiores redditi, agiliùs, & perturbatiùs in cerebro commoventur, & hinc primò vigiliæ pertinaciores, & poſtmodùm phrenitis; Undè in febrium ardentium, & continuatum incremento, aut in ſtatûs principio phrenitis affligere ſolet, quandò maxima eſt ſanguinis effervefcentia: Verùm quandòque in febris principio, ſanguine non nimis effervefcente, nec corpore nimis incaleſcente, vigiliæ pertinaces cum leviori phrenitide ſe manifeſtare ſolent, tunc illa ſpirituum perturbatio à malignitate ortum habet, quæ velut anguis in herbâ latet, ut in peſte alijſque morbis malignis evenit, quod in praxi probè obſervatur. Hinc eruimus febres malignas multoties phrenitides habere conjunctas, nec inſignis ſanguinis effervefcentia, nec corporis incaleſcentia obſervatur. Undè medicos monitos volumus, ut ſemper phrenitidem vereantur, ne ſuos perdant ægrotos; in principio nàmque imminentem phrenitidem præcavere poſſunt.

Cauſæ itàque mediatæ ſunt ſcoriæ ſulphureæ, ſalinæ, acres, mordaces, & ſylveſtres in humano corpore ex alimentis genitæ, non reſolutæ, vel excitatæ à quacumque causâ occaſionali. Ità ſunt aëris ambientis fervor à radijs ſolaribus ſummè fervidis, qualis eſſe ſolet diebus canicularibus; eo nàmque tempore has ſcorias ſalinas, acres, ſulphureas &c. ubertim in cerebrum confluere obſervamus, & ſicut canes in rabiem, ità homines in phrenitides aguntur. Corporis incaleſcentia ex litigijs, rixis, injurijs, alijſque iracundiæ occaſionibus, & præſertim in juvenili ætate. Similiter nimia corporis agitatio per exercitia, labores, palæſtram, curſum, vini generoſi facilè inebriantis potationem; diætam inordinatam, ſtudia nimis pertinacia, lucubrationes nocturnas, medicamentorum calidorum aſſumptionem, nimium aromatum uſum, laſciviam, immoderatamque Veneris luctam, aliaque, quæ corpus calefacere apta ſunt. Item exercitia intermiſſa, ut deſidia, ſomnolentia, & labor intermiſſus, quo excrementitia excrementa cumulantur. Excretiones ſuppreſſæ, ut hæmorrhoidum, lochiorum &c. Tandem animi paſſiones, inter quas primatum obtinet ira, & ad febrem ſicut diſponit, ità etiam ad phrenitidem; nàm ipſa ira eſt quaſi quædam parua febris naturalis, dùm in irâ ſanguis effervefcit circa præcordia, undè corpus calet, facies rubore perfunditur, pulſus eſt frequentior, & major

ex auctâ ſanguinis fermentatione. Undè non mirum ſi ſupetveniat febris, & phrenitis.

Prognoſis.

Phrenitis lethalis eſt, & pauci, quos æquus amavit Juppiter, evadunt, quia pars, quæ afficitur graviſſimè, nobiliſſima eſt, & brevi infra ſeptem dies occidit, niſi, dùm imminet, maturè ſuccurratur. Lethalem phrenitidem denotant lingua, & manus tremulæ, ſingultus, aut dentium ſtridor, convulſio, horror, & rigor peſſima prognoſis ſunt. Vox tremula, quandò ægri floccos, & feſtucas colligunt. Item fæcum, & urinæ inſcia excretio, vomitus bilioſus, & virulentus, nigerrimuſque triſtis mortis ſignum, & æger celerrimè moritur. Phrenitis, ſi in lethargum vertatur, lethalis eſt. Ejuſdem energiæ ad prognoſim lethalem efficiendam ſunt, ſtilla ſanguinis è naribus manans, albæ dejectiones, urinæ albæ, & pellucidæ; Hæc omnia magnam cerebri oppreſſionem, vel ſcorias ſulphureas à toto corpore in cerebrum transferri ſignificant. Rubra dejectio mala eſt, quia propter nimium æſtum, & calorem omnia magis aduſta ſignificat, vel propter ſanguinem ſibi admiſtum Phrenitis, quæ cum hecticâ, vel corpore ſicco, vel calidiore conjuncta eſt, vix, vel nullam recipit curationem, quia ſpiritus animales in tali corpore ſunt acriores.

Maximam tamen ſolutionis ſpem præbent, ſi ſomnus delirium ſedat, quia in tuto poſita eſt, ſi deſipientiæ cum riſu fiant, ac cum ſtudio, & audacia, periculoſiores ſunt. Si phrenitis ſæpiùs remittat, ac plura habeat intervalla, id melius eſt, ac ſi ſit continua. Si ſymptomatum vehementia erit minor, ſi vires conſtent, tùm tandem ſi poſt ſummum morbi vigorem inſignis aliqua contingat evacuatio per ſudores, hæmorrhagiam, aut alvi fluxum.

Tandem advertere operæ pretium eſt, quòd quædam deliria in febribus phreniticis, vel paraphreniticis ſunt interdùm critica, ac proindè diſtinguenda ſunt à ſymptomaticis, quia ſymptomatica curare neceſſe eſt, critica verò intacta naturę operi committenda ſunt. His ſignis delirium criticum dignoſcitur, quia narium hæmorrhagia ſequitur. Si coctionis ſigna in urina appareant, & pulſus ſit inæqualis, ſit nonnihil magnus, & nonnihil validus. Item ſi tranquillitas quædam in ſymptomatibus ſit in ægroto. Si ex oculis ſplendores elici videantur. Si delirio ſuperveniat à ſubitò nata cephalalgia, ſi nares pruriant, ſi facies rubeat, & adſit tenſio mollis hypochondriorum, ætas ſit juvenilis, & forſan aliàs æger conſuetus ſit excernere per nares ſanguinem. In tali delirio caveat medicus, ne illud ſolvere conetur, quia eſt criticum, ſalutare, adeòque naturæ motus, quod delirium criticum, ut diximus, hæmorrhagia narium ut plurimùm ſuccedit, & tale delirium eſt ſalutare, & ſaluberrimum, reliqua ſymptomatica ſemper ſunt ſuſpecta.

Veterum Curatio.

Phrenitidis curatio ad Galeniſtas tanquàm antiquiores, & in arte necandi peritiores primò ſpectat, poſtmodùm ad recentiores, ac proindè illi, quia morbus acutiſſimus eſt, ante omnia, mox ab initio, & quacumque horâ diei, ante-

anteſignano curationes præmiſſo, nempè clyſinate, venæ ſectionem inſtituunt ex cephalicâ, vel ſi magna adſit ſanguinis copia, ex baſilicâ, vel medianâ primùm, & aliquot poſt horas ex cephalicâ. Si ex menſium, vel lochiorum, vel hæmorrhoidum ſuppreſſione malum ſuam ſumat geneſim, ſaphenam in pede aperiunt, & poſteà cephalicam aperiunt, ut quod in capite receptum eſt, vel proximè in id movetur, educere valeant. Unica phlebotomia ad hujus affectûs curationem utplurimùm non eſt ſufficiens, ac proindè bis, ter, & ampliùs in principio, vel morbi augmento, pro humoris copiâ, & conditione, ægrotantis ætate, temperie, & viribus repetunt.

Si febre continuâ laboranti phrenitis ſupervenerit, (ut non rarò fit in earum febrium augmento, vel ſtatu, naturam errantem, & materiæ morbificę malignitate turbatam bilioſos humores ad caput tranſmittere) licèt anteà ratione febris ſanguis detractus fuerit, venæ ſectionem repetunt. Sed quia vires à febre, & prægreſsâ evacuatione debilitatæ ſunt, parciùs ſanguinem detrahunt. Ideò tunc temporis venam cephalicam aperiunt, vel ſi vires id non ferant, ſaphenam in alterutro pede, vel utroque cujus venæ in talibus morbis apertio plurimum utilitatis affert. Neque minoris tamen eſt efficacię hæmorrhoidum per hirudines apertio.

Optimum, ſaluberrimumque præſidium eſt in phrinitide ſanguinis miſſio, ſed antiquum, & rancidum remedium à rancidæ medicinæ profeſſoribus, & tamdiù in medicinâ durabit, quouſque maledicti Galeniſtæ erunt. In eorum ſententiâ ſanguis eſt bilis frænum, & phrenitis ob bilis raptum ad caput fit: educto itàque ſanguine, qui bilem compeſcebat, ipſa bilis effrænatè fuerit, & ad cerebrum ſcandit, quia elemento ignis correſpondet. Potiùs bilem, quàm ſanguinem educere deberent: ſed bilis peccat, & ſanguinem plectunt. Nonnulli maleferiati Galenici, ut hoc ſuppedaneum ante pedes poſitum declinarent, duplicem eſſe phrenitidem, unam à ſanguine, alteram à bile aſſeverant, in ſanguineâ ſanguinem detrahere, in bilioſâ verò purgare præſtat. Verùm hoc diſcrimen eſt verum Galeniſtarum delirium, nàm in hoc omnes conveniunt, quòd phrenitis à ſangnine bilioſo fiat, nec ipſa bilis eſt à ſanguine ſecreta; ad educendam itàque bilem ſanguinem detrahere opus eſt non unâ vice, ſed pluribus, & in copiâ educendus erit ad aliquam bilis quantitatem educendam: Imò aliqui vulgares ſanguinem ad animi defectum uſque detrahendum eſſe opinantur. His ſtantibus, phrenitici propter inceſſantes agitationes aſſiduè enervantur, vires proſternuntur, & ex proſtratis viribus nil opportuni in diſperatis ſperari poteſt, & in ſyncopen valdè perniciosam incidere indubitatum erit, imò in tantâ ſpirituum reſolutione, vel in lethargum, catochumque facilè phreneſis degenerare poteſt: Prætereà tàm virium præſentium, quàm futurarum habenda eſt ratio, nàm eas in morbis acutiſſimis melius eſt vires conſervare, quàm perdere, & in hoc affectu victus tenuiſſimus præſcribitur, & experientiâ conſtat phreniticos famem non ſentire, quia eorum mens ægrotat, & aliò vacat, imò cogendi ſunt ad ciborum aſſumptionem; adeſt oris, & linguæ ariditas, ſiti anguntur, & ſitim non advertunt.

Alij

Alij vulgares poſt venam cephalicam, morbo perſeverante, à venâ frontis ſanguinem educunt, ubi venam frontis inciJere non poſſunt, hirudines naribus applicant, vel ſetis equinis nares ſtimulant, ut venæ apeciantur, vel ſublinguales tundunt venas. Omnia venarum genera exhauriunt vulgares, & phrenitidem quaſi Diogenis laternâ inſtructi in omnibus venis quæritant, in ſanguine hoſpitatur, & pro advenâ eliminando, unà hoſpitem eliminant.

Cùm venæ ſectioni non eſt locus, cucurbitulas profundè ſcarificatas, primò partibus inferioribus, poſteà ſuperioribus applicant, & cucurbitulæ non ſcarificatæ cruribus, alijſque partibus applicantur. Item frictiones in ijſdem partibus, & ligaturas tibijs ad revellendum adhibent. Similiter veſicatoria ſcapulis, & brachijs admovent; ſed his ſanguinem inflammant, acrioremque reddunt. Miſeri phrenitici in quæſtionem poſtulantur, & ab exotico torquentur carnifice, nec hoc ſupplicij genus in tanta rerum confuſione ſufficiebat, niſi vulgares ex omnibus congeſti ſentinis in eos omnium tormentorum genera exhaurirent.

Singulis diebus clyſteres inijciunt ex refrigerantibus, & humectantibus paratos, quia his humorum acrimoniam temperare, eorumque motum ad inferiora promovere arbitrantur, horum formulam talem præſcribunt:

℞ *Radic. althææ* ℥.j.
fol. malvæ.
violarum,
lactucæ,
parietariæ,
betæ ana m. j.
flor. nymphææ.
ſummit. anethi ana p. j.
prunor. parvor. par. vj.
coquantur in aquâ hordei, & in colatura ℔.j:
diſſ. caſſ. recens extractæ
diaprun. ſimpl. ana ʒ.vj.
ſacchari rubri ℥ j.
fiat clyſter.

Hujuſmodi clyſteribus non immiſcent olea, quia facilè inflammantur. Quaſi fæces in inteſtinis latitantes phreniſim producerent, & bilis focus in ipſis hoſpitaretur, ac fumigando phrenitidem ſuggererent. Latebroſa, & difficila eſt via ab interaneis ad caput, nec phreniticum per clyſteres curatum vidimus; alia quàm podicis remedia in tàm ſævo morbo requiruntur.

Si phrenitis febri continuæ ſuperveniat, magnus cacochymiæ apparatus notetur, & phrenetis ſit incipiens, ſtatim ad poſtremum auxiliorum genus, ad purgatorium ſcilicèt medicamentum confugiunt, & bilem tribus ſyrupis alterant, ut

℞ *Syr. de endiviâ,*
nymphææ ana ℥.j.
aquæ lactucæ ℥ iij. m.

Verùm quia materia turget, & furioſa eſt, nullâ interpoſitâ morâ, ſtatim purgans exhibent medicamentum. Purgationem autem inſtituunt ex decocto refrigerante cum purgantibus benignioribus, ut *ſenâ, rhabarbaro, mannâ, caſſiâ, tamarindis, catholicone, & ſyrupo roſarum ſolutivarum*, ut

℞ *Myrobol. chebul* ʒjß.
ſebeſten num. vj.
pulp. tamarind. ℥.ß.
flor. cord. p.j.
fol. ſen. or. ℥.j.
fiat decoctum in aquâ endiviæ, & in ſuff. quantitate diſſolve
ſyr. de roſis ſolutivis ℥.v.

diacatho lic. ʒiiß.
m. f. p.

Vel

♃ *Mannæ elect. Calabrenſis* ℥.iv.
diſſ. in decoct. hord. q. ſ. & f. p.

Vel præſtat ut

♃ *Mannæ potabilis* ℥vij.

Vel.

♃ *Rhabarb. elect.* ʒ.ij.
infunde in aqua endiviæ ℥v.
quouſque extrahatur tinctura,
& decanta.

Cæterùm hos Galenicos calices phreniticos exhaurire poſſe non poſſibile judicamus, nec exhiberi, quia mente alienantur, non obediunt medicis, neque domeſticis, & ferè ſemper non tantùm medicamenta, verùm etiam alimenta reſpuunt. Sed dato, quòd purgantia aſſumantur, quia vita aliò vacat, non actuantur, nec optatas moliuntur evacuationes. Præterea non dantur medicamenta electivè purgantia; rhabarbarum enim non purgat bilem, ſed quoſque exturbat humores, ſuâ flavedine tingit. Inſuper per purgantia humores benigni; ipſumque ſerum expurgatur, undè humores ſalini, acres, & acuti, qui anteà corrigebantur, & diluebantur, correctore viduati, acriores, & acutiores redduntur, & in realgarinam exaltantur naturam, hinc eò magis ſanguineam ſubvertunt maſſam, undè ſpiritus hinc indè furoris œſtro perciti, profugi in Palladis Regiam, tanquam munitiſſimam arcem, & ſacrum aſylum ſe conferunt, ac proindè malum intenditur. Nec adeſt humoris coctio, quia illum natura non ſecrevit, ideòque nullatenùs purgare oportet; nec ulla turgentia animadvertitur, eſt furioſus, & alijs admiſtus humoribus hinc indè jactatur, nec eſt ſecretus, nec proindè materia turget, nec in tantâ humorum confuſione exturbari poteſt.

Poſt venæ ſectionem, & medicamentum purgans ad repellentia recurrunt, quæ humorum aſcenſum inhibent, & cerebrum refrigerant, in quem finem oxyrrhodina uſurpant, ut

♃ *Ol. roſ.* ℥.iij.
aceti roſ. ℥ j.
aquæ roſ. ℥. iv. *m.*

Hoc ſincipiti abraſo, & temporibus pannis quadruplicatis applicant, ſæpè permutando.

Vel.

♃ *Ol. viol.*
roſarum,
nymphææ ana ℥.ß.
aquæ roſ.
lactucæ,
ſempervivi ana ℥.ij.
aceti roſ. ℥ ß. *m.*

Vel

♃ *Aquæ roſ.* ℥.iv.
ol. roſ. ℥.ij.
aceti roſ. ℥.ß.
album. ovor. num. ij.

Conquaſſentur omnia ſimul, & excipiantur ſtupis cannabinis, & applicentur, & ubi reſiccata fuerint, iterùm imbibantur.

Admiſcent bardi Galeniſtæ acetum, quod reverà proſcribendum eſt; nàm acetum in affectibus nervoſis, & inflammationibus eſt hoſtile, quia nervis, & membranis nocet, & cùm phrenitis ſit cerebri membranarum inflammatio, clarè patet non eſſe tanquàm appropriatum medicamentum admiſcendum; Verùm quia omnes practicantes oxyrrhodinis utuntur, acetum in paucâ admiſcent quantitate propter

penetra-

penetrationem. Cœterùm in oxyrrhodinorum applicatione peccant, tùm quia acetum vigilias inducit etiam in paucâ quantitate, cùm quia propter olei admiſtionem, nàm oleum poros obſtruit, acetum, & aquæ cuti non adhærent, imò defluunt, & nulla ſuccedit refrigeratio, imò contrarius affectus ex oleo evenit, nempè cerebri incendium ex prohibitâ tranſporatione. Præterea cerebrum ſuaptè naturâ eſt membrum frigidum, & princeps, ac metus eſt ex horum refrigerantium uſu, ne æger in comatoſum labatur affectum, refrigerato primo ſenſorio, & præſertim ſi ſenex, aut admodùm fuerit debilis.

Internè ad bilis refrigerationem julepos, emulſiones, & electuaria uſurpant, ut

℞ *Aquar. lactucæ,*
portulacæ,
roſarum,
papav. rhœados ana ℥.iij.
ſyr. viol.
granator. ana ℥.iij.
m. f. julep.

pro tribus doſibus ter in die ſumendis.

℞ *Quatuor. ſem. frig. mai. mund. ℥.vj.*
papav. alb.
aquæ hord. ℔ß.
aquar. lactucæ,
nymph. ana ℨ.ij.
aquæ roſ. ℨ j.
f. emulſio ſ. a. adde
ſyr. viol. ℥ij.
m. pro duabus doſibus.

℞ *Conſ. viol.*
roſ. ana ℥.j.
conſ. flor. nymph.
caulium lactucæ condit. ana ℥ ß.
pulu. elect. diamarg. frigid. ℨ.ß.
cum ſyr. viol. f. elect.

His humores calidos, & acres, ſcilicet bilem refrigerare, vel ſaltim temperare credunt inepti Galenici. Sed quis unquàm ignem refrigerare potuit? Si bilis in eorum ſententiâ correſpondet elemento ignis, quomodò refrigerari poteſt?

Exteriùs hepati, & cordi epithemata refrigerantia admovent. Renum regionem *unguento roſaceo, & cerato ſantalino cum aquâ lactucæ* illiniunt. Pectus oleis relaxantibus inungunt. Teſticulis linteis *oxycrato* madidis involuunt. Pedes lavant decocto refrigerante, nàm frigiditatem illam per nervos toti corpori, & indè cerebro communicari credunt, ut

℞ *Fol. viol.*
malvæ,
ſalicis,
vitis,
nymphææ ana m. ij.
flor. nymphææ,
roſarum ana m. j.
capit. papav. num. x.
fiat decoctum.

Sunt ità Galenici in percurandis morbis accurati, ut nullum medicamentorum genus intentatum relinquant, & à vertice capitis uſque ad plantam pedis nulla pars ſuo appropriato careat medicamento, nec tantam medicamentorum ſupellectilem in alijs morbis excogitarunt, quantâ in phrenitide utuntur. Multa omiſimus, dùm ſeriò ſcribimus, quæ verè ridicula ſunt, quia ipſi ridiculi. Phrenitis unus eſt morbus, & unum expoſcit medicamentum.

Inter omnia ſymptomata, quæ phrenitidi tanquàm inſeparabilis comes copulantur, ſunt vigiliæ, ideòque omni induſtriâ ſomnum procurant non ſolùm levioribus, ſed etiam præſidijs validioribus, quæ inſigniter cerebrum refrige-

ſare, & principem particulam ſtupefacere poſſunt; inquit namque *Hip.aph.2. ſect.2. Vbi delirium ſomnus ſedat, bonum.* Si verò non ſedat, malum. Undè omni arte interiùs, & exteriùs ſomnum promovent. Exteriùs ſunt lotiones, perfuſiones, embrocationes ex *aquâ ſimplici, vel violarum, lactucarum &c.* ut

℞ *Fol. malv.*
lactucæ ana p. ij.
ſolani m. ß.
cap. papav. num. viij.
decoquantur ad conſumpt. tertiæ partis.

Verùm non ſolùm caput perfundunt, ſed etiam cura, & manus abluunt, quo familiariter utuntur ad ſomni conciliationem. Ad idem valere credunt *poma mandragoræ* odoretenùs, *flores roſarum, violarum, aqua roſacea, & nenupheris.* Idem præſtare opinantur linimenta temporibus, & naribus iniuncta *ex oleo violaceo, de nenuphere, papavere, de mandragorâ, unguento populeonis,* quod eſt vulgare, & optimum: ſed inter cœtera efficaciorem obtinet locum *Opium,* ut

℞ *Opij gr. iv.*
moſchi.
croci ana gr. ij.
olei de nenuphere q. ſ. m.

Inter medicamenta, quæ per os propinant, ſunt *ſyrupus de lactucâ, de papavere, Philonium, requies Nicolai, nepenthes Quercetani:* ſed cautè in his ſomniferis incedere debent, cùm non ſolùm nativum calorem extinguere valeant, ſed minantur periculum, quin phrenitici nimiùm refrigerentur, & in catochum incidant, adeò ut ſi dormire incipiant, poſteà ſuſcitari non poſſint. Undè aliqui alienis ærumnis prudentiores redditi familiariter ſemine papaveris ad ʒ. ij. utuntur, ex quibus contuſis cum aquâ, vel jure lac exprimunt, quod in ferculis, vel jure conſumpto permiſcent, & felici ſucceſſu propinant.

Tandem in phrenitidis curatione animalia, ut columbas, pullos, gallos, vel catulos exenterare ſolent, atque ità per medium diſſecta, & calentia capiti apponere, ità tamen ut ſemper caput ſit deraſum; inquiunt enim, hæc eſtò calida ſint, ſunt calida calore nativo, qui blandiſſimus eſt, & viſceribus noſtris ſummè familiaris; eapropter non ſolùm ille calor nativus cerebro blanditur, verùm etiam quia placidiſſimus eſt, admodùm cerebrum roborant, humorem diſcutit, illiuſque acrimoniam temperat. Fuerunt nonnulli, qui hoc remedij genus improbarunt, quia ipſe non dixit *Galenus*, nec excogitavit: Verùm natura, quæ non omnia arcana *Galeno* patefecit, ſucceſſu temporis cordatioribus *Galeni* alumnis hoc novum, & optimum remedium revelavit. Hæc animalia exenterata ſunt tot hoſtiæ, quas phrenitidi mactant vulgares, & interim orco mactant phreniticum.

Noſtra Curatio.

Trutinatâ, & exploſâ Galeniſtarum curatione, noſtram afferamus neceſſe eſt, quam methodicè aſſequimur, ut conſequamur, ejuſque po iſſimum præſidium in victûs regimine ſtatuimus, in quo inſtituendo, primùm aëris ratio habenda eſt.

Aër itàque morbo contrarius eſſe debet, putà temperatus, purus, & ad frigidum vergens. Vitetur calidior, & ſiccior, quia morbum adauget, ſpiritus animales nimiùm laceſſendo; ſub Cane enim, tunc calidiore, & ſicciore exiſtente aëre, ſæpiſſimè contingunt phreni-

phrenitides. Declinetur etiam nimis frigidus, quia poros condenſando, inſenſilem prohibet tranſpirationem: Æſtate ergò ubi calidus eſt nimis, arte refrigeretur & hyeme ubi frigidior, omni dexteritate reprimatur.

Sed quondàm dubitatum fuit inter veteres in Republicâ medicâ: Virùm aër lucidus, aut obſcurus pro phreniticis eſſe debeat? Verùm hanc dubitationem *Celſus*, & *Cælius Aurelianus* enodavit, nàm in parando phreniticorum aëre maximè obſervanda eſt naturarum diverſitas, cùm alii plus à tenebris, alii à luce turbantur. Nonnulli dùm in lucido aëre verſantur, multa, quæ non ſunt, ſe videre imaginantur, alia pro aliis agnoſcunt, & varia ſimulacra ab objectis concipiunt. Eapropter phreniticorum cubilia ab omnibus picturis libera eſſe debent, cùm hujuſmodi colorum varietas majorem præbeat anſam, ut multa falſa imaginentur, & eò magis ægri delirent, ac proindè in loco obſcuro continendi ſunt. Contrà ſi æger tenebras horreat, & pertimeſcat, in lucido loco continendus eſt.

Cibus ſit humectans, & refrigerans, ut ſunt cremor ptiſanæ, hordeum excorticatum, farra, endivia, cichoreum, & id genus alia. Verùm in cibo, cùm morbus ſit peracutus, aurea obſervetur mediocritas; nàm immodica ciborum ubertas malum intendit; inedia vires proterit, & ſpiritus animales in fugam vertit. Fugiantur omnia acria, calida, aromata, quæ ſanguinem, & ſpiritus animales torrent. Vitentur fructus omnes, quoniam in nephriticorum ſtomacho aceſcunt; hujuſmodi ægri omnia alimenta reſpuunt, quia famis aculeum non ſentiunt, cùm mens aliò vacet. Declinante morbo præberi poſſunt piſces ſaxatiles, percæ &c.

Potus ſit aqua hordei, lactucæ, endiviæ, cucurbitæ, vel portulacæ deſtillata, ſerum lactis, decoctum tamarindorum. Sed dubitatum fuit, an potus aquæ frigidæ phreniticis competat? Verùm nos dicimus eſtò ratione febris phreniticus frigidæ uſum poſtulare videatur, attamen non ſemper ægri natutura illam ſuſtinet, omnia potulenta ſpirituoſa, calidiora, ſive aliæ aquæ cordiales calidiores, & ſuper omnia vinum, ipſiuſque ſpiritus angue pejus fugiantur, & nos dicimus vinum phreniticis præbere eſt perindè, ac dare venenum, quia ſanguinem, & ſpiritus animales incendit, & in vehementiorem adigit motum, eapropter *Hip.* inquit: *In nullâ mentis perturbatione vinum convenit.* Verùm aliqui vinum præbent, ubi vires ſunt infirmæ, ſtomachus frigidus, adſunt vigiliæ pertinaces, & aliqua apparent coctionis ſigna, & febris non ampliùs vehemens eſt: At nos in eâ ſententiâ ſumus nunquàm vinum concedi poſſe, niſi febris totaliter ſit deleta.

Motus ſit moderatus, ſi ſit nimius, inordinatus, & validus, quia ſanguis incenditur, & ſpiritus animales reſolvuntur, ſummoperè vitandus, eapropter diligenter cuſtodiendi ſunt ægri, ne ſibi, vel aliis aliquid noxæ inferant, & niſi admonitionibus, objurgationibus, ac minis quieti contineri poſſint, & fuerint divites, detineantur à ſervis, & ſi tanto motui reluctari non valeant, debent omninò ligari, & ne à ligamentis lædantur, ſtudendum, ut falciæ lanâ, vel goſſipio obvolvantur, ut minùs offendantur. Si pauperes ſint, funibus coërceantur.

Sed quæritur, cur phrenitici ſint robuſtiſſimi, & longè ipſorum robur ſit in phrenitide, quàm inſanitate? Reverà in praxi obſervamus phreniticos ea facere, quæ tres homines fortiſſimi non facerent, nec Hercules ipſe. Cur hoc contingat, & quomodò fiat, diſquirendum. Reſpondet ad hoc problema *Caſſius*, quia corpus eo tempore magis adſtrictum eſt, minimè quoad perſpiratum diſpoſitum. Sed hæc reſponſio barda eſt, nàm in hoc morbo tùm ratione febris acutæ, tùm in flammationis cerebri, ejuſque membranarum, tum ſpirituum animalium impetuosâ irritatione, & confuſione maxima obſervatur perſpiratio, ut ex hujus morbi ſignis claré patet. Magiſter *Galenus*, cujus temeritas ignaviæ combinata, totam medicinam primis qualitatibus vulgaribus conſpurcavit, hujus affectûs cauſam membrorum caliditati, & ſiccitati tribuit, dicebat enim ſiccitatem corporis maximè facere ad robur. Verum pace Galeni, & diſcipulorum, hæc reſponſio idiotiſmum ſapit; nam falſum eſt corpora calida, & ſicca eſſe robuſta, & qui phrenitide laborant, non omnes ſunt hujus qualitatis, & eſtò calidi, & ſicci, cauſam materialem ex parte corporis aſſignavit, non verò cauſam efficientem pro robore, à quâ tanta virium validitas præter naturam, & ultra vires dependet, quæ in ſtatu morboſo exercetur, & in ſano non ſuccedit. Nos pro hujus problematis enodatione dicimus hujus effectûs cauſam efficientem eſſe vitam exaltatam, nec ullum agens agit niſi exaltatum, & quo magis exaltatur, eò magis agit, & ſi ad ultimum exaltationis gradum deveniat, ſupra vires naturales agit, mirabilia operatur; adeſt nàmque in phrenitide pulſus frequens, celer, & magnus, vehementiſſimus imaginationis motus: Vnde phrenitici ſunt ad omnem audaciam proclives, iracundi, & feroces, velut Hercules furens, & quicquid efficiunt, à vitâ exaltatâ ſupra naturæ vires dependet; ut in œſtro iracundiæ accenſis experimur. Hinc non mirum, ſi phrenitici poſtquàm convalverint, tantum virium robur non habeant, quia eorum vita non eſt exaltata, & operatur ſecundum, & non ſupra vires.

Quies magis convenit, ideò in quiete detineatur, turba ab eis abigatur, adſtantes ſint pauci, prudentes ægris familiares, ac grati, qui propè aſſidere caveant, ne lædantur, nec adhærant, vel digitos ori admoveant *Fab. centur. 1. obſerv.* 84. ſe à muliere phreneticâ demorſum narrat: obſint verò, quos ægri odio habent, & ſuavi interdùm muſicâ demulcendi ſunt.

Somnus maximoperè eſt neceſſarius tanquàm unica phrenitidis medela, ideòque omni induſtriâ, omnibuſque modis procurandus, & conciliandus, cum nil phreniticis tàm utile ſit quàm ſomnus; hoc enim deliria miteſcunt, & ægri convaleſcunt. Pro majori quiete ſtrata, & culcitræ ſuper quibus dormiunt, ſint mollia, durities nàmque phreniticis noxia eſt, quia nervi laborant. Multum eos confert in obſcuro conclavi detinere, nàm in tenebris nullo modo oculi aperti detineri poſſunt, ſed eos claudi neceſſitas urget, & facili modo ad ſomnum diſponuntur; prætérquamquod in tenebris, remotis objectis, varia ſimulacra non concipiunt. Prætereà floccos non colligunt in tenebris;

bris;nam imagines illæ, quæ ante ipſorum occulos obvolvuntur ob vapores aduſtos,putantur eſſe in ſtragulis,& veſtibus,& propterea eos avellere conantur mentis errore compulſi, at in tenebris, vel in ſomno hi motus quieſcunt. Vulgares medicos admonitos volumus, ne decipiantur à ſomno, nàm ſi anteà furore perciti, ſubitò quieſcant, non eos dormire, ſed mori putent. *Vigiliæ* omni ſtudio vitentur.

Excrementa alvi ſint naturæ congrua, quòd ſi retineantur,quia non advertuntur à phreniticis, & cùm alio ingenio alvum lubricam præſtare non liceat, ſingulis diebus clyſteres infundere oportet. Vrina crebrò ſollicitanda eſt ad excretionem, cùm non advertant; undè ægri monendi, imò cogendi ſunt, ut urinam reddant, oblatâ maculâ, intra quam mentula ponatur.

Animi paſſiones vehementiores,præſertim ira, fugiendæ ſunt tanquàm Syrtes,in quibus mens humana facilè naufragium patitur, & in varios inordinatos acta motus, tandèm defatigata fatiſcit.Hilaritatem,vel mœrorem in hoc affectu multùm conferre exiſtimamus.

Pro phrenitidis curatione indicationem deſumimus à febrilis ſanguinis fervore, ſpirituum excandeſcentiâ, & à ſcoriis ſulphureis, ſalinis, & acribus ſanguinem,& ſpiritus animales in citatiores,& turbulentos motus agitantibus; nec ſanguinis effervеſcentia compeſci poteſt, niſi ſpirituum agitatio compeſcatur;nec ſanguis,& ſpiritus fervor demulcetur,niſi ſcoriæ,quæ ſunt hujus affectûs cauſæ occaſionales, abigantur. Hoc perpetuò obſervandum eſt in phrenitidis curatione,quod caveat medicus, & præcipuè junior, ne in æquivoco volutetur, & magno dedecore accipiat quid pro quo, ut ad ebrium accerſitus, ceu delirij curationem inſtituat, ut multoties à nobis obſervatum fuit accidiſſe quibuſdam bardis Galenicis, ne hac occaſione ſe cachinno apud vilem plebeculam exponat,& ſacra ars ludificatur.

Phrenitidis curationem à ſanguinis diminutione nos exordimur; diminutâ nàmque ferventis ſanguinis quantitate, tantus ceſſabit fervor, & multæ ſcoriæ ſanguinem in citatiorem motum cientes eliminantur;nihil enim ſanguinis flammam magis extenuat,quàm venæ ſectio, & illam maximè commendamus, ut aliorum potiùs morem geramus,quàm ex animo,ne barbatis,& ſanguinariis medicis reddamur exoſi, cùm venæ ſectionem in vulgarium curatione opiparè confutavimus, & nunquàm Dii faxint ne phreneticus inphlebotomatus obeat, nàm apud barbatos medico Beneventi aſylum non ſufficeret. Et ut eandem inſectemur, dicimus in phrenitide utplurimùm ſubeſſe malignitatem, quæ non venæ ſectione, ſed alexipharmacis, & bezoarticis tollitur, & febris delirium non producit, ſed ſimul ab eâdem producitur cauſâ.

Admittimus venæ ſectionem, licet non ex voto: ante omnia itàque, & quò citiùs, eò meliùs inſtituenda eſt; nàm ſi febris ardens phrenetica abſque malignitate optimè convenit, ut in *noſtrâ Pyretologiâ cap.* 34. *De Curatione febrium, quæ à ſanguine in motu, vel in ſubſtantiâ depravato producuntur*, admiſimus. Aut eſtò adſit malignitas, tamen in primo principio ſine periculo, & largâ manu celebrari, & iterari poteſt: Sed in ipſâ phlebotomiâ notandus eſt locus,nam ſi fortaſsè aliqua ſangui-

nis

nis ſuppreſsa evacuatio præceſſerit, ut puerperia, vel hæmorrhoides in partibus inferis in talo, poſtmodùm in brachio tundenda eſt vena. Tempore, quo vena ſecatur; medicus manum ſuper ægri caput teneat, ut ex pulſu cognoſcatur, quandò ſufficiens ſit ſanguinis evacuatio. Itèm ex pulſu cognoſcere poteſt, an æger ſit defecturus. Si æger minùs ſanguinis evacuationem ferat, in actu dùm ſanguis fluit, digito obſeranda eſt rima, denuò aperienda, & iteratò obſeranda, donec ſufficiens ſanguinis quantitas evacuata ſit; ſic enim minori ægri languore ſanguis deturbatur. Nonnulli arteriotomiam extollunt, quam non reijcimus, verùm non ità commodè celebrari poteſt, tùm quia apud nos non reperitur chirurgus, cùm omnes ſint de genere tonſorum, tùm quia caput, in quo morbi focus viget, æger agitat, ob atrociſmos dolores, quos patietur, & quandòque illud percutit, & carnes dilaniat, nec arteria facilè coaleſceret, ac proindè foramen fieri deberet anguſtum, & ſanguis guttatim flueret.

Spirituum exorbeſcentia compeſcenda eſt, verùm quia pertinaces vigiliæ phrenitidem augent, utramque abſolvemus paginam, & unâ fideliâ duos dealbabimus parietes, ſi blandè opiatis utemur, id facilè conſequemur, ſed cautè propinanda ſunt internè. Cœterùm ſi opiata ſpiritus, eorumque inordinatos non coërceant motus, phrenitidem graviùs intendunt, cùm in ſomnia turbulenta, & truculenta inducant. Si opiata ſpiritus nimiùm figant, metus eſt, ne ægrum ità, ſopiant, ut in lethargum, vel carum phreneſis degeneret, & deindè non ampliùs exſuſcitari poſſit; ſpiritus nàmque animales in phrenitide ſunt volatiliores, ſubtiliores, & fugaciores, quia ob aſſiduas agitationes circulantur, & volatilizationem, & ſpiritualizationem adipiſcuntur, ad ultimum volatilizationis gradum exaltantur, in tantâ rerum confuſione multi fugam arripiunt, & inſenſibiliter in auras evaneſcunt, undè pauci remanent, qui ex auctâ narcoticorum doſi facilè fixari, & in veternum æternum tranſire poſſunt; qui tranſitus periculoſiſſimus eſt, cùm morbus in pejus ruat, & de ægri vitâ conclamatum eſt. Non negamus tamen narcotica, & opiata legitimè adhibita non eſſe magna remedia, & unicam, ac ſaluberrimam in morbis medelam, verùm quantùm opportuno tempore, & legitimè præparata, ac adhibita ſanant, tantùm importuno tempore, vel perperàm præparata; & auctâ doſi ſaltim obſunt, vel utplurimùm interimunt. Ne in hoc remediorum genere decipiantur vulgares, & tyrones, obſervetur primò, quòd ſint legitimè præparata à perito ſpagyrico, & ſulphur narcoticum, fœtidum, & obſtupefactivum, in quo omnis virulentia conſiſtit, exhalet, & corrigatur mediantibus acidis, ut aceto. Tempus exhibendi non ſit in morbi ſtatu, tunc cùm ità ſpiritus ſint exaltati, & rebelles redditi, non obediant, eorumque energiam non advertant, quia ſera medicamenta, licèt exquiſita, adhibita ſemper infamantur, ſed tunc adhibeantur, cùm æger vigilare incipit, & phrenitis imminet, ut videre eſt in imminentis phrenitidis ſignis, nàm opportuno tempore data phreneſim miraculosè avertunt. Præſtat igitur vigiliarum, quàm actualis phrenitidis tempore narcotica exhibere, quia prudentis eſt prævidere futura, tunc cùm

malum

malum ruinam minatur, refici poteſt, quia poſt excidium nulla reparationis ſpes ſupereſt.

Sanguinis miſſione præter ſpem fruſtrà tentatâ, ut quandòq; accidere ſolet, ad opiata, tanquàm ad ſacram anchoram, confugiendum eſt, quæ vix, ut verè dixerimus, ne vix quidèm fefellerunt, equidèm animam ſenſitivam, non humanam, quæ morbis non eſt obnoxia, intelligimus, inordinatâ ditione errantem ad ordinata judicia impellunt, nàm viribus defectam reparant, & eâdem vi conſumptam blandâ quiete recreant, lympham furentem, ut ſanguinis maſſam nimis æſtuantem moderantur, & ſpiritus animales concitatos ad quietem componunt. Sed narcoticorum uſus moderatus eſſe debet, & præcipuè cùm vires ſint fractæ, vel criſis inſtat, vel deliria ſint critica, ut in ſignis inter ſymptomaticam, & criticâ diſtinſimus.

Alenioribus itàque incipiendum, & cautè validis utendum. Inter leniora primum locum emulſionibus ſomniferis tribuimus, ut

℞. *Quatuor ſemin. frigid. mai. ana* ʒij ß.
papav. alb. ʒ. j.
f. emulſio in aquæ nymph. ℥ iv.
edulcora cum ſyr. de papav. alb. ℥. j ß.

Vel

℞. *Sem. milon.* ℥. j.
papav. alb. ℈. iv.
lactucæ ℈. j.
f. emulſio in
aquæ anagallidis ℥. iij.
ſyr. de nymph. ℥. j.
ſalis prunellæ ℈. ij.
m. pro unâ doſi.

His parùm proficientibus, & neceſſitas ſomnum inducendi urgeat, ſenſim ad opiata progredimur, quibus diaphoretica, & bezoartica admiſcemus, quia in phrenitide ſæpiùs adeſt malignitas, & utplurimùm febribus malignis copulatur phreneſis, & opiata vim diaphoreticam habent, quâ bezoarticâ, & alexipharmacâ etiam potiuntur, & ſcoriæ ſulphureæ acres, & acutæ per inſenſibilem, vel ſenſibilem ſudorem eliminantur, quorum formulæ magis à nobis uſitatæ ſunt, vel ſimplices, ut

℞. *Syr. de nymphæâ* ℥. j.
emulſ. ſem. milon. in aqua betonicæ ℥ iij.
Nepenth. Quercet. gr. ij.
m. ad cochleare exhibe.

Vel

℞. *Aquæ bezorticæ n. d. cochlearia ij.*
laudani opiati gr. iij.
ſyr. de papav. albo ℥. ß. *m.*

exhibe per duas vices.

Vel

℞. *Aquæ lactucâ,*
Cucurbitæ ana ℥ ij ß.
diaſcord. Fracaſt. ʒ. j.
antidoti bezoartici n. d. ℈. iv.
ſyr. de nymphæâ ℥. j ß. *m.*

& parùm, & ſæpè per intervalla propina ad ſomni uſque conciliationem.

Vel

℞. *Laudani opiati n. d. gr. iij.*
ſyr. de papav. errat. ℥. j.
aquæ lactucæ ℥. iij. *m.*

& cochleatim exhibe, ſi æger dormit, ſanus eſt.

Non tantum medicamentis internis ſomnus conciliandus, verum etiam topicis, ſive externis, & aceti aliquantiſper addere conveniens eſt, tamen non multum commiſcere oportet quia vigilias inducit, & phrenitidem auget. Vnde etiam externis nimis gravia odorata vitare congruum eſt, quia

volatilia ſunt; & propter aſſiduam ſpirituum agitationem phreneſis augetur. Hinc epithemata fronti applicanda ad ſomnum alliciendum, quibus ſemper ſomnifera admiſcenda ſunt, ut *ex decocto radicis mandragoræ, & hyoſcyami ſit epithema* fronti tepidè applicandum.

Item pro ſomno:

℞. *Aquæ roſ.*
opii ℨ.j.
Croci ℈.ß.*m.*

& cum linteis duplicatis fronti tepidè applica reiteratò; nam conciliato ſomno, mens redit.

Vel

℞. *Aquæ ſpermatis ranarum* ℥viij.
ſucc.cancr.fluv. contuſ. & expreſſ. ℥.ij.
opii aceto correcti ℨ.ß.
camphoræ,
croci ana ℈.ß.
m.pro epithemate.

Vel

℞. *Aquar.ſolani,*
Lactucæ ana ℥. ij.
aceti roſacei ℨ. ij ß.
laudani opiati ℈. j.
camphoræ gr. iij. m.

Hoc epithema liquidum ſæpius, linteis exſiccatis renovandum. Ad ſomdum conciliandum aliqui ſequenti unguento nares inungunt, ut

℞. *Ol. nucis moſch.per expreſſ.*
laudani opiati ℈. ß.*m.*

Aut

℞. *Vng. populei* ℥.j.
eſſentiæ opii gr.iij.m.

Sed parcè, & cautè his epithematibus uti debemus, nè materia morbifica cerebro jàm ſuffuſa magis, & intimiùs illi infigatur, & malum pejoremus, & ægrum occidamus.

Præterea multa epithema refrigerantia, & præcipitantia adhibentur *ex ſeminibus papaveris albi, lactucæ, nucleis perſicorum cum aqua roſarum, papaveris, nymphææ, lactucæ, endiviæ, verbenæ,* fronti & ſincipiti applicanda Itèm cataplaſmata ex herbis recentibus *portulacæ, ſedi majoris, florum roſarum, nymphææ, chamomillæ, & meliloti:* ſed hæc remedia pro infimæ ſortis ægrotis.

Pro Phrenitide imminuendâ nonnulli adhibent columbam viventem, quæ animalcula per pectus, & ſtatim cum omnibus interaneis capiti abraſo imponunt, ſed ſi nimiam contrahant moram hæc animalcula, ita intenſiſſimum concipiunt fœtorem, ut mephitis ægri capiti inducatur, quæ multum cerebrum roborat, undè malum intenditur, ideòque ſæpius renovanda: ſed remedia, quæ animalitatem ſapiunt à cordatorum medicorum aulâ receſſerunt, nec ſunt in uſu, niſi apud barbaros Galeniſtas.

Ad ſanguinis æſtum temperandum ea conveniunt, quæ medicamenta in febre ardenti diximus, quorum vires julepis, decoctis refrigerantibus, & præcipitantibus tribuimus, ità ſunt *ſyr. de endiviâ, acetoſellâ, julep. de ſoncho, violarum, boraginis, roſar. pallidarum, tincturæ roſarum, violarum &c. ut*

℞. *Syr. de endiviâ*
acetoſellæ ana ℥.j.
anodyni mineralis ℈.ij.
decocti anagallidis ℥.iv.
Miſce.

Quibus præcipitantia admiſceri poſſunt, *ut corallia, perlæ, margaritæ, aliique lapides pretioſi præparati, vel eorum magiſteria, ut*

℞. *Julep.*

℞. *Julep. de ſoncho* ℥. *ij.*
diamarg. frig. ʒ. j.
nitri perlati ℈. *ij.*
tinct. corall. gutt. xv.
emulſ. ſem. milon. ℥. iv. *m.*

Si ſitis urgeat, conveniens medicamentum erit *decoctum anagallidis, ſerum lactis, emulſiones ſeminum milonum in aquâ lactucæ, ſonchi, vel ſedi majoris*, vel ſequens erit optimum pro potu:

℞. *Aquæ nymphææ* ℥. *iij.*
roſarum,
bugloſſæ ana ℥. vj.
ſyr. de ribibus, aut
limonibus ℥. *iij.*
ſalis prunellæ ʒ. *jß.*
m. utatur pro potu.

Sed quia in phrenitide ſubeſt febris maligna, ea etiã conducũt alexipharmaca, quę in febre malignâ, in noſtrâ *Pyretologiâ* deſcripſimus, undè petenda ſunt.

Non loquimur hîc de medicamento cathartico, vel emetico, quia non conveniunt, quatenùs ſanguinis motum adaugent, & ſpiritus animales efferos reddunt, & particulæ ſulphureæ non facilè fortioribus evacuantibus obediunt, nec vita exaltata advertit, cùm aliò vacet. Siquid moliendum, totum peragendum eſt à mitioribus lenientibus, ut *eſt tamarindorum decoctum factum in ſero lactis*, addito ſaporis gratiâ *ſyrupo papaveris erratici, vel berberum.*

Pro integrâ phrenitidis curatione tertia recurrit indicatio, ut ſcilicèt ſcoriæ ſulphureæ, ſalinæ, acres &c. eliminentur per ſua emunctoria; harum nàmque nidus in meſenterio ſtagnat, & una quotidiè cum urinis foras propelluntur, undè tinguntur, & colorantur urinæ, ſuo naturali colore flavo, vel rubro, quod ſi obſtructionis cauſa per urinas non extrubentur, in venas meſeraicas regurgitant, & unà cum ſanguine miſcentur, quem inficiunt, & quia hæc excrementa ignea ſunt, ac proindè ſanguinem, & ſpiritus ſuâ ſulphureâ & inflammabili ſubſtantiâ excalfaciunt, & accendunt, & unà cum ſanguine cerebrum conſcendunt, illudq; ejuſq; membranas accendunt, & incendunt, ac tota Palladis domus ardeſcit, & omnes functiones interturbantur, & hinc urinæ albæ redduntur, tinctore abſente, ac proptereà *Helmontius* inquit: *Urina clara, non tincta prædicat futurum delirium.* His ſcoriis per ſua emunctoria eliminatis, redeunt ſpiritus ad innatam temperiem, ad ſua munia, & ſanguis naturalem adipiſcitur motum.

Imminente itàque phrenitide, vel ſaltim incipiente, ſtatim ad medicamenta meſenterium, ejuſque venas meſeraicas deobſtruentia recurramus oportet, & quia res in anguſto poſita eſt, optimum deobſtruens erit *tinctura Martis aperitiva* abſque ullo corroſivo elaborata, cujus doſis eſt ℈ß. bis in die, manè; & veſperi in liquore convenienti propinata, cujus præparationem vide *Andreæ Battimelli Auctuarium apud Hadriani à Mynſicht Armamentarium medico-chimicum.* Et hoc eodem tempore diuretica bis, vel ter in die præbeantur, ità ſunt *ſpiritus ſalis dulcis, ſpiritus nitri dulcis, tinctura tartari, anodynum minerale, tartarus vitriolatus*, & alia diuretica, quæ recenſere magnæ molis eſt: horum, quæ attulimus, immiſceri aliqua poſſunt in *julepo diuretico*, cujus confectio talis eſt:

℞. *Salis prunellæ* ʒ.j.
aquæ ononidis,
petroſelini ana ℥.iv.

ſyr. è floribus ononidis,
vel in ejus defectu
ſyr. de ſucco limonum ℥iij.
m. pro julepo.

Hæc eadem phrenitidis curatio paraphrenitidi quadrat, ſit namque paraphrenitis ex diaphragmatis inflammatione, ut fertur. Sed quis ſpondere poteſt ipſam phrenitidem non fieri ex diaphragmatis inflammatione cùm phrenes græcè, Latinè Diaphragma, ſive ſeptum pectorale, præcordia, mens, animus ſonet? Vndè medentes in hujus morbi nomenclaturâ à verâ nominis ethymologiâ aberrant, nàm cùm diaphragma dicatur phrenes; ejus inflammatio phreneſis dici debet. Eſt diaphragma animæ ſedes, ejuſque domicilium centrum nerveum ut *Sebaſtianus Bartholus felicis recordationis Paradox.* 4. apprimè probat: Quotieſcumque ergò inflammatur, anima (de ſenſitivâ intelligimus, non de humana eſtò utrique eadem ſit ſedes, nec ſeparantur, niſi poſt mortem, hæc ad ſuum evolat locum, illa perit) à rectâ ratione aberrat, ſpiritus vitales excalfacti unà cum ſanguine cerebrum aſcendunt (& tunc dicuntur animales ex functionibus animalibus, quas ibi exercent, ut alibi probavimus) quod eſt animæ organum, non autem domicilium, ipſum cerebrum, ejuſque membranæ excandeſcunt, & inflammantur; tunc in caput à diaphragmate prout ſcoriarum influxus interpellatus, vel aſſiduus fertur, miteſcit, vel ingraveſcit, vel perſeverat phrenitis. Medentes ad poſterius non ad prius, ad effectum, non ad cauſam reſpiciunt: ad tela vibrata, non autem ad ſagittarium medelam adhibent; ſunt veluti canes, qui jactos lapides, non jaculatorem mordent.

CAP. XIII.

De Maniâ.

Morbus hic pluribus nominibus appellari ſolet, nàm apud latinos modò nuncupatur inſania, amentia, veſania, dementia, vecordia, modò furor, & tandem Mania, ſed eſtò denominetur hoc, vel illo vocabulo, parùm refert, dummodò de re nullus ſit diſſenſus. Dicitur Mania, ſed ineptè, à Manibus, id eſt à Diis infernalibus morbus immiſſus, undè non Maniacus, ſed Dæmoniacus appellatur, putant nàmque nonnulli Dæmonem huic morbo ſe immiſcere, quod bardum ſubterfugium arbitramur. Verùm Inſaniæ nomine *Celſus* omnia deliriorum genera complectitur, phrenitidem ſcilicet, maniam, & melancholiam, qui cognati ſunt affectus. Aliis à lunâ deducitur, undè inſani lunatici vocantur, & ſunt illi, qui furore laborant, non illo quidèm perpetuò, ſed intervallis quibuſdam, recurrente, quod mali genus indè nomen accepit, quod iis, qui ipſo interlunio nati ſunt, familiare eſſe conſueverit, ſive quod ſtatis lunæ ratione intervallis ſoleat reverti. Dicitur etiam Ecſtaſis, id eſt vehemens mentis perturbatio, & delirium, hinc medicamenta, quæ inſigniter mentem perturbant, ecſtatica vocantur. Hic affectus apud latinos maniæ vocabulum retinet, & iiſdem quoque inſania nominatur.

Mania eſt delirium ſeu imaginationis, & ratiocinationis depravatio ſine febre, & inflammatione, ſine timore, imò cum inſigni audaciâ, temeritate, vehementiſſimâ irâ, & maximâ feritate in quæcumque objecta irruunt, eademdiſ-

ſtringunt, vel dilaniant, homines verberibus malè mulctant, & tanquàm immanes beſtiæ obvios quoſcumq; invadunt, veluti bubali pannum rubrum adoriuntur, nec ſcipſis quandòque parcunt, inhibiti contumeliis, & jurgiis impedientes laceſſunt: timendi itàque & vitandi, nec propè accedendum ob furorem, & temeritatem, ac quæcumque perpetrandi audaciam, & arctè catenis ferreis devinciendi ſunt maniaci, & in loco clauſi aſſervandi. Imaginantur, quę non ſunt, nullum diſcrimen inter honeſtum, & turpe, bonum, & malum, amicum, & inimicum agnoſcunt.

Non ambigimus in maniâ cunctas principes animæ facultates lædi principaliter diſcurſum, & imaginationem, verùm de memoriâ magnum eſt litigium; dùm aliqui putant memoriam minimè lædi. Verùm fieri non poteſt, ut inſigniter, & tenaciter offenſis aliis facultatibus, ſimul & aliæ non offendantur, & credere non poſſumus memoriam penitùs illæſam conſervari; ſiquidèm in tanto animi tumultu, quis credat phantaſma poſſe integra ſervari, & repreſentari? Cæterùm quòd poſſit ſæpe maximâ ex parte ſervari, ſed cum aliquâ læſione, facilè aſſentimur, ut ex cantilenis ipſis familiaribus, quarum in furore illi non obliviſcuntur, colligimus. Hinc elicimus maniacos eorum, quæ ſub maniâ fecerunt, interdum recordari, interdùm non, non ſecus ac in ſomniis accidit. Fiunt autem inſomnia non modò cùm ſomnus levior eſt, & medius quidam ſtatus inter ſomnum, & vigiliam, ſed etiam in profundiſſimis ſomnis: ſed eorum tantùm inſomniorum meminimus, quæ leviori ſomno contingunt, non verò, quæ profundiſſimis ſomnis, nàm nos ſicut in vigiliâ ſemper cogitamus, ſic dormientes ſemper cogitamus, & cogitationes in ſomno inſomnia nuncupamus. Quòd nos profundiſſimè dormientes ſomnianus ex ſomnambulis patet, qui profundè dormientes, omnia vigilantium opera exequuntur, & expergefacti nullatenùs eorum recordantur. In ſomniantibus itàq; inſomnia dicuntur dormientium deliria: ſicut contrà vigilantium deliria rectè dicuntur vigilantium ſomnia, cùm tale quid patiantur delirantes, quod patiuntur ſomniantes. Cùm ergò mania levior, & remiſſior eſt, certè recordantur maniaci, cùm verò graviſſima; & intenſiſſima, non recordantur.

In maniæ deſcriptione diximus ſine febre ad phrenitidis differentiam, in phrenitide enim ſemper acuta febris concurrit, in maniâ verò nunquàm quò ad propriam eſſentiam, etenim ſi maniacus febre corripiatur, (ut quidèm poſſibile eſt) aliâ ex causâ fieri neceſſe eſt, ac non eâ, quæ maniam gignere ſolet, ità ut ejuſmodi febris non eſſet maniæ productum, ſed peculiaris morbus cum maniâ complicatus, & jàm cum duobus morbis ægro confligtandum foret.

Sed cur maniaci febre non laborent, diſquiſitione dignum videtur; maniaci nàmque atrociſſimum frigus, frigiſſimo etiam hyemis tempore nudato corpore dies, noctesque etiam ſuper gelidiſſimo marmore dormientes, innoxiè patiuntur, & abſq; damno perferunt, quod intenſiſſimum calorem in iis vigere denotat, & calidi ad tactum ſentiuntur, ac his ſtantibus moniacos febre non corripi, animo concipere non poſſumus. Pulſus eſt magnus, velox, & vehemens, inſignis in ſanguine fervor, in ſpiritibus incendium adeſt, & maniacos

X 3 febre

febre carere communiter medentûm ſchola aſſerit, ſed hoc malumus exquirere, quàm credere; febris nàmque nil aliud eſt niſi ſanguinis fervor, & multi in ſanguinis circulo adaucto febrem conſiſtere ſtatuunt, & ex ſpirituum incendio ephemeram excitari aſſerunt, & hanc in maniâ neutiquàm concedunt. Sed veſtigemus, cur mania citra febrem infeſtet, ad cujus diſquiſitionem aliorum rationes trutinabimus, & primò

Galeniſtarum ſynagoga cum *Galeno* anteſignano maniæ cauſam eſſe calidam, & ſiccam intemperiem in cerebro ab humore atrabilario progenitam, ac proindè in maniâ febrem excitari non poſſe autumant. Verùm hac eâdem ratione de febre convicti obmuteſcunt; nàm ſi tanta eſſet in cerebro intemperies, ut mentem de ſuâ ſede deijcere valeret, febrem quoque parere deberet, cùm calor remiſſior delirium efficere non poſſit, ſaltim febrem excitaret: ſed

Aliqui *Galeni* procuratores hæſitantes reſpondent: ad febrem accendendam requiri calorem fuliginoſum in materiâ humidâ exiſtentem, qualis eſt febrium putridarum materia, cujus fuligines ad cor delatæ febrem excitant: in maniâ verò humores ſunt aduſti, & incinerati, & ab illis nullæ elevantur fuligines, & uno verbo concludunt calorem in maniâ eſſe velut in primâ, in febribus verò ut in flammâ. Sed hac reſponſione inſtantia neutiquàm ſubigitur, ſed hecticæ febris exemplo eò magis urgetur, quòd nimirùm in febre hecticâ major ſit humiditatum conſumptio, quàm in maniâ. Attamen febris ad integram, & abſolutam omnium humiditatum, ac ipſius humidi primigenij conſumptionem, & ægri interitum uſque perſeverat.

Alii, & præcipuè *Platerus*, ad hanc limitandam difficultatem arbitrantur, malignam quandam, ac venenatam qualitatem cum dictâ ſiccâ, & calidâ intemperie concurrere, & potiorem maniæ cauſam exiſtere, quod ſcrutinioſo ingenio non dùm ſatisfacit, propoſitamque difficultatem diluit, quâ videlicet ratione hujuſmodi intemperies cum malignitate conjuncta non potiùs febrem, quàm maniam ſuſcitet, eamque acutiorem, quàm ſi malignitate careret, cùm obſervemus malignas febres etiam ſine notabili caloris exceſſu interficere; quid ergo non perpetrabunt conturmatæ tanto æſtu, qualis in maniacis ſe prodit, adeò ut mediante eo rigidiſſimo aëris hyberni frigore omnes aquas glacianti, omniaque vulgaria olea, ferè ignea obrigeſcere facienti corpus nudum innoxiè objiciant.

Delirant vulgares in aſſignandâ febris carentiâ in maniâ, nec eorum allatæ rationes nos veritatis accidos, & ſimul ſcrupuloſos exſatiare poſſunt, alias itàque ſolidiores inquiramus oportet, & pro noſtrarum virium ſufficientiâ dicimus: Adeſt febris carentia in maniâ, ſed non abeſt calor intenſiſſimus, nec febris eſſentia in calore conſiſtit, ut in febribus caſtrenſibus, & alijs obſervamus, ut fuſiùs in noſtrâ *Pyretologiâ*, in quibus calor non obſervatur, & febris adeſt, ità poteſt ſtare calor intenſiſſimus ſine febre. Mania fit à ſcorijs ſulphureis, ſalinis acidis ad ſummum volatiliſationis gradum evectis, quarum particulæ irregulares ſunt, & ſpiritus animales ad motum irregularem, & conſequenter ad intenſiſſimum fervorem, & feritatem

tem adigunt; hinc ſanguis ſpirituum vector plus ſolito concipit æſtum, qui partim per pulſum, nàm pulſus in maniacis eſt plenus, frequens, & ſatis magnus: partim per reſpirationem manifeſtatur, nàm reſpiratio eſt frequens, alta, & magna, undè totum corpus eorum calore perfuſum percipitur, non aliter ac in iratis, vel ebrijs, qui in ſummam excandeſcentiam, vel ſummum ebrietatis gradum evecti, inſigniter incaleſcunt, & naturalem obſervamus maniam, ſi actiones conſideramus, quæ enim irati vel ebrij non aggrediuntur, quæ non patrant! Nec tamen irati, vel ebrij, licèt ſit præternaturalis, febris appellatur: eodem modo diſcurrendum eſt de maniacis, licet enim ſit intenſiſſimus calor, tamen mania eſt delirium ſine febre, aliter irati, & ebrij febre laborant, quod neutiquàm dicendum arbitramur.

Sunt maniaci furibundi, & quæcumque peragere, & tentare audent, exequuntur, attamen hic furor non eſt abſque interno timore; nàm ſi maniaci aliquem formidoloſum vident, eum violenter aggrediuntur, ſed ſi impavidum, eundum deſerunt: ſunt veluti viperæ, quæ in formidoloſum irruunt, & ab audaci aufugiunt. Quòd ſi quandòque ab aliquo verberibus attriti fuerint maniaci, eundem admodùm reformidant, & quaque ratione poſſunt, aufugiunt. Sic in omni noſocomio, ubi horum ingens jacet multitudo, ſemper illic adeſt maniacorum magiſter, quem omnes reformidant, venerantur, cui omnes nutu obediunt, quia eos in virgâ ferreâ regit, undè hic furor, & audacia non eſt ſine timore.

Huic audaciæ, vel potiùs temeritati conjunctum eſt magnum virium robur, nàm validiſſima diffringunt ferramenta, & quæcumque obvia illicò conterunt, & evertunt, hoc tamen id ipſum non tantùm maniacis, ſed etiam phreniticis proprium eſt. Undè *Panarollus Pent.* 4. *obſ.* 49. narrat ſe obſervâſſe phreneticum, qui in febris vigore cancellos ferreos, ac ſi cerei eſſent, tractavit, & ingentia facillimè elevavit pondera, qui tamen exacto morbi vigore, adeò imbecillus fuit, ut vix ſurgere potuiſſet.

Dignum admiratione, & animadverſione in maniacis videtur, quòd intenſiſſimum ſuſtinent frigus, nàm utplurimùm omnes dilaniant veſtes, & indè etiam in gelu hyberno ità jacent dieſque nocteſque ſub aperto Jove nudis membris abſque eo, quòd à frigore læſionem contrahant. Sic *Lindanus* refert ſe Amſtelodami Gallum maniâ correptum, qui nudus in intenſiſſimo hyberno frigore incedebat, & ſuperveniente paroxyſmo caput antlijs ſubmittens aquam frigidiſſimam capite excepit, & indè levamen ſenſit. Hùc etiam pertinet exemplum *Foreſti lib. x. obſ.* xxII. de muliere maniacâ, quæ hyeme nuda in lecto jacens, corpus tamen habuit admodùm calidum, ubique rorido ſudore perfuſum. Admirandum certè videtur, & præter naturæ ordinem, quòd maniaci tantam intenſiſſimi frigoris potentiam eludant, cùm tamen videamus animalia etiam frigori aſſueta, & contra illud pellibus ſpiſſis villoſis, vel plumis munita tantum frigus vix diù ſine noxâ perferre, ſed tepida ſtabula requirere, aves ſe occultare, vel in calidas plagas ſecedere, ipſaſque feras in luſtra, & ſpeluncas ſe abdere, aquas in glaciem concreſcere,

creſcere, ova, poma, & carnes glaciali duritie imperſecabiles fieri, & nil ferè contra gelu perſiſtere præter ſpiritus igneos, ut ſunt ſpiritus vini, nitri, vitrioli, ſalis, aqua ſtygia, regia, & ſimilia, & corpus humanum nudum majori ex parte cum glaciabili conſtet materiâ, hyemis tempore diù inglaciatum, vel non rigeſcens perduret ſine læſione.

Tantam intenſiſſimi frigoris tolerantiam per rationes inquiramus oportet, nec occultas cauſas, tanquàm ignorantiæ aſylum perluſtrabimus, ſed genuinam aſſignabimus cauſam, pro quâ aliorum opinamenta adducemus, & trutinabimus.

Aliqui vulgares pro tàm mirabili ſymptomate ad conſuetudinem confugiunt, & ab aëre maniacos non affici inquiunt, quia aſſuetis non fit paſſio, & ſi fit non eſt tanta; id conijciunt à delicatulis puellis, quæ hyemis tempore algido pectus nudatum gerunt, quod ſi tangas calidum invenies.

Verùm conſuetudinis ratio non convincit, in tantâ nàmque frigoris inclementiâ vix quiſquam quantumlibet aſſuetus perſiſtere poteſt, quin conglaciatus fatis ſuccumbat, vel ſaltim ejus extrema pedum, manuum, aures, nares intenſiſſimum frigus externum gangrænet. Puellæ in tanto algore ſe domi continent, & nudatæ pectus, ut mammas oſtentent, juveneſque allaquient, ſpeculis ſe exponunt, vel curru per civitatem vehuntur ad breve tempus, & cœco carpuntur igne, qui per conſenſum ab utero pectus, & mammas incedit. Verùm nos experientiæ gratiâ multoties rigidâ ſub hyeme multas contrectavimus, quarum in pectore mammas frigidiores glacie invenimus. Quilibet in glaciali frigore perttremiſcunt, aſſueti minùs, inſueti plus, ſed maniaci horridâ ſub hyeme ſudant, & igne quaſi calidiores attactu ſentiuntur; ac proindè ſemper unicâ tunicâ, & eâ leviſſimâ, ac albâ, ut diſtinguantur, amiciuntur.

Quî hoc fiat, facili negotio rimabimur: Hoc ipſum fit partim ex maſſæ ſanguineæ vitioſè æſtuantis fervore; partim, quia maniaci in furore conſtituti, eorum mens alienatur, & frigoris ſenſationem non ſentiunt, nec percipiunt, ut in ebrijs, vel iratis quiſque experiri poteſt. Hæc tamen intenſiſſimi frigoris tolerantia non omnibus maniacis, & ſemper contingit, ſed tantùm quibus ſemper ſanguis æſtuat, & mens alienatur, & perpetuò in maniæ ſtatu ſunt conſtituti; alij verò, quibus per intervalla recurrit mania, in ipſo paroxyſmo glaciale perferunt frigus, ſed tranſacto, frigus averſantur hybernum, nàm interdùm obſervati maniaci fuêre veſtibus contecti, aut veſtes hyberno tempore poſtulantes: refert proindè *Platerus* quendam maniacum frigore intenſiſſimo congelatum periiſſe.

Pro parte affectâ maniæ *Galeni* ſectarij cerebrum aſſignant, & id ex principalibus functionibus, imaginatione nempè, memoriâ, & diſcurſu, quæ in ipſo exercentur, probant, & ſic cerebrum in maniâ vel per ſe, vel per conſenſum læditur: Verùm nos dicimus cerebrum tantùm per conſenſum, non per ſe affici, & functiones principales in cerebro tanquàm in proprio organo effici, non verò in propriâ ſede; ſedes nàmque ſunt præcordia, hinc enim cogitationes, rixæ, homicidia, &

contentiones procedunt. Hæc ſunt domicilium mentis, animæ, prudentiæ, ſagacitatis, triſtiæ, hilaritatis, delirii, maniæ, melancholiæ, cœterorumque mentalium defectuum, & quia continuò movetur, non poteſt eſſe tot motuum principium, quia primum movens, ut moveat, debet eſſe immobile, ideoque cor animæ ſedes non ſtatuitur, ſed diaphragma, quod ſub præcordiorum nomine venit, & propriè centrum nerveum, tanquàm immobile, & eſtò in capite ratiocinum exerceatur, alibi tamen initium motûs, & ſedes reſidet, quod phrenem, ideſt mentem, ſeu animam, ſeu hujus fundum nominârunt priſci. Reſidet diaphragma in corporis centro, & anima, quæ eſt de naturâ luminis, hinc concentricas irradiat partes. Sol in medio Cœlo totum irradiat hemiſpherium, ubicumque eſt ſolis radius, dicitur eſſe ſol, & hoc modo intelligitur, anima eſt tota in toto, & tota in qualibet parte totius. Ex hoc centro nerveo lux vitalis (*nàm vita erat Lux*) initium caloris, & motûs in totum corpus influit, & juxta organorum proprietatem, & deſtinationem operationes in qualibet corporis parte fiunt. Horologio non diſſimile eſt noſtrum corpus, cujus finis eſt horas deſignare, quod fit in ſuperiori horologii parte: ſic finis hominis eſt ratiocinari, quod in capite peragitur parte hominis ſublimiori. Qui crederet in horologii peripheriâ, in qua horæ deſcribuntur, eſſe principium tot motuum, ſummam oſtentaret ſimplicitatem, cùm tantorum motuum diverſorum conſiſtat initium in impulſu chalybeæ Zonæ ſuo axi violenter circumvolutæ, quæ ſenſilem motum non edit, & diverſas exercet operationes in machinâ ſecundum diverſitates partium, quas movet. Sic etiam in homine licèt in ejus capite ratiocinium exerceatur, quod eſt una ex humanis functionibus, alibi reſidet initium motus, quia ad omnia organa indifferenter ſe habet, ad illa movet ſecundum deſtinatam ſui muneris functionem.

D. Car. Muſitani Trutina Medica,

Helmontius philoſophus per ignem, qui medicinam potiùs deſtruxit, quàm conſtruxit, & felicior fuit in confutando, quàm in ſtabiliendo, hujus morbi ſedem in ventriculi ſacculo, & lienis ſcabroſitatibus, & per ventriculum & lienem duumviratum conſtituit, ac proindè in his duobus viſceribus maniæ ſedem collocavit; at tamen non adverterat dicta viſcera non eſſe præcordiis concentrica, ſed undequaque excentrica propriis obligata functionibus à participato vitalis ſolis radio, non autem ab ejus integro diſco.

Signa.

Satis patent ex his, quæ diximus; verùm quia alia futuram, alia præſentem declarant maniam, ideò ad futuram, vel imminentem dignoſcendam primò conſideranda eſt ægrotantis nativa diſpoſitio: Sic capita anguſtiora, & acuminatiora habentes, proclíviores ſunt ad maniam, ob anguſtum ſpatium liberiorem ſpirituum commotionem impediens, undè coarctati facilè incaleſcunt, uti quilibet experiri poteſt, qui per alembicum parvum, ſive parvæ capacitatis deſtillat, talem enim præ magno longè citiùs, & vehementiùs, incaleſcere, incommodioremque deſtillationem faceſſere advertet.

Qui ad bilioſam, vel atrabilariam

vulgò dictam temperiem accedunt, facilè in maniam incurrere poſſunt. Duo imminentis maniæ ſigna memoratu digna ſcribit *Hip.* Unum eſt 2. *epid.* 5. *Cui vena in cubito pulſat, furibundus eſt, ad iracundiam præceps: cui verò ſenſim movetur, torpens, ac ſtupidus.* Verùm non quamvis arteriæ pulſationem furorem indicare intelligimus, ſed tantùm illam quæ ità magna, velox, & vehemens eſt à nativâ conſtitutione, cui opponitur, *quandò ſenſim movetur*, ut abſque contrectatione ſit oculis conſpicua, ad iram, & furorem maximè proclives ſunt: qui verò tardum habent pulſum, torpidi ſunt, & ſtupidi. Pro cubito ſiniſtrum *Gal.* interpetratur, ſed delirat, nàm in cubito dextro, ut ex anatome patet, arteria eſt magis ampla, & vaſta, quàm in ſiniſtro. Quarè ipſe *Hip. lib. de morbo ſacro* manifeſtiſſimè ſcribit: *In parte dextrâ eſſe vaſa multò ampliora, quàm in ſiniſtrâ.* Quamobrem ubi ſanguis irà intensè fervet, ut motum oculis conſpicuum edat, jure debet potius hujuſmodi motus in dextro cubito, quàm in ſiniſtro apparere. Alterum *Sect.* 5. *aph.* 40. *Mulieribus quibuſcumque ad mammas ſanguis colligitur, inſaniam ſignificat.* Verùm in hoc aphoriſmo inſaniam ex utero intellexit Hip. quæ furor uterinus dicitur, & hoc ob magnum conſenſum ab utero ad mammas, nàm cùm menſtrua inſtant, mammæ in mulieribus tuberant: Sic liquoris genitalis abundantia, & acrimonia, eaque ſalſa, vel acida pruritum, & titillationem genitalibus uteri partibus inducat, ſanguis in utero excandeſcit, & ob conſenſum indè mammas petit, ibique colligitur, & inſaniam ex utero portendit. In hoc affectu conſiderandus eſt ſexus; viri nàmque frequentiùs inſaniunt, quàm mulieres, & id de affectu primigenio intelligendum eſt, ex utero nàmque non rarò mulieres in furorem, & inſaniam aguntur. Ætatis etiam habenda eſt ratio; frequentiùs enim juvenes maniâ exagitantur, quàm pueri, & ſenes. Tandèm anni tempus ad inſaniam multùm facit; ſæpè verno tempore, ſæpiùs æſtate, & ſæpiſſimè autumno contingit. Hæc ſigna ſunt remota, & in genere tantùm ad maniam diſpoſitiva.

Signa, quæ futuram, ſed proximè imminentem pronunciant maniam, ſunt aſſiduus capitis dolor, vigiliæ contumaces, ſomni leviſſimi, atque breviſſimi, inſomnia turbulenta, horrendas habent imagines, curæ, & ſollicitudines moleſtæ, terrores ex levi causâ, præceps, & frequens excandeſcentia ex minimâ, vel nullâ occaſione, ſplendores oculis obverſantes, oculis intuentur torvis, aurium ſonitus, proclivitas ad iram inſueta, riſus præter aſſuetudinem, & rationem, loquacitas inſueta, & ferè aſſidua, interdùm taciturnitas meditabunda.

Signa, quæ maniam factam, vel præſentem oſtendunt, ſunt ea, quæ in maniæ deſcriptione attulimus, nempè delirium ſine febre cum furore, & audaciâ. Varia tamen ſunt hujuſmodi deliria in variis ægrotantibus tùm etiam in iiſdem, diverſis pro majori, vel minori cauſæ vehementiâ. Alii namque feroci iracundiâ rapiuntur, & ferarum more furere videntur, ità ut inter maniacum, & brutum rapax nulla intercedat differentia, nàm quoſcumque indifferenter,

& imma-

& immaniter impetunt, eoſque unguibus, & morſu beſtiarum inſtar aggrediuntur, percutiunt, vulnerant, occidunt, ac ne quidèm parentibus, filiis, ac domeſticis parcunt mordendo, vel aliter lædendo, niſi vinculis coërceantur. Imò interdùm niſi defendantur, ſeipſos interimunt, aut ſuſpendunt, aut jugulum abſcindunt, idcòque omnia ferramenta, & inſtrumenta arripiendi occaſio adimatur. Prætereà commune ſymptoma omnes comitatur maniacos, putà perpetuæ vigiliæ, refert *Fernelius* quendam maniacum per 14. menſes fuiſſe inſomnem, & omnibus adeſt validiſſimum corporis robur, & vis ferè gigantea, quam quæsò, nè ſuſcites, nàm non impunis abibis; intenſiſſimum quoque frigus, famem, ſitim, verbera, vulnera, aliaque incommoda citra ſenſibilem noxam perferre poſſunt. Quidam jurant, blaſphemant, vel varios faciunt geſtus, crines ſibi ſæpè avellunt, veſtes dilaniant, feneſtras, fores, vincula, & cancellos perfringunt, ſunt enim robuſtiſſimi. De magnis, & multis rebus, contentionibus rixis, & cedibus noctesque diesque fabulantur. Indetdùm in cachinnos ſolvuntur, ſaltant, cantant, corpus mirè agitant, ſemper apparent aſpectu torvo, vultu tribunitio, intrepido, & inverecundo. Nonnunquàm integras horas continuò blaterant, ſed meras gerras, adeò ut inter mille prolata verba, ne unicum quidèm audiri queat, quod ullum ſenſum, vel intellectualem connexionem præbeat. Quandòque ità miteſcunt, & tractabiles, ac ſani videntur, ut feriò rem agant, & accedentes verberibus, morſibus, aut aliis injuriis lædant, & mores quaſi ferinos exprimant: non itáque illis mitioribus fidere tutum eſt; cupiunt quandòque feritatem exercere, alios lædendo, & ſeriis, ac blandis verbis incautos alliciunt, nec fidendum, uno enim tempore plus alio ferociunt, cùm mania per intervalla recurrit juxta mali decrementum, vel incrementum, & tunc actutùm temerarii, Iracundi clamoſi fiunt, & citra omnem expectationem notabiliter lædere poſſunt. Sunt iſti maniaci veluti canes, adulantur caudâ, & deindè mordent. Sunt feris ferociores, quia iſtæ alios impetunt, mordent, lacerant, vulnerant, occiduntque, ſed ſeipſas minimè lædunt; at maniaci in alios ſæviunt, & quandòque ſe ipſos vulnerant, ſuſpendunt, jugulant. O crudeliora feris immaniſſimis hominum genera!

Sunt nonnulli vulgares, qui maniacos cum dæmoniacis confundunt, putantque maniacos à diverſis ſpiritibus affici, & exagitari, compluresque morbos acceptos ferri ſpiritibus malignis: Sicut Lunaticus ille *Marc.* 9. caduco laborans, & ſæpè in ignem, & aquam cadens, morbum ſuum habebat à quodam ſibi inhabitante ſpiritu, quem Chriſtus vocat ſpiritum mutum, & ſurdum. Et *Luc.* 11. iterùm ſpiritum è muto ejecit. Itèm *Luc.* 13. fit mentio fæminæ per 18. annos ſpiritum infirmitatis habentis, qui ipſam fecerat inclinatam, ut ſe erigere non poſſet. Sic pari modo de maniacis, tanquàm de dæmoniacis, & contrà diſcurrunt, putantque adhuc hodiè, Deo permittente, quòd morbi quidam à diverſis ſpiritibus malignis efficiantur. Non negamus multis

morbis ſpiritus malignos immiſceri poſſe, & hos ejusdem primordii participes eſſe poſſe ex Dei permiſſione, attamen iſti morbi ſunt dæmoniaci, non autem maniaci, ut ex utriuſque ſignis, & differentiis patet: Cæterùm vulgares ſunt miſeratione digni, & excuſabiles, nàm in deliriis allucinantur, meditantes tot ſymptomata, quibus genuinam cauſam aſſignare non poſſunt, tot ineptiis credunt, ità ſunt tot protracta jejunia, contumaces vigiliæ, vires Herculeæ, tanta intenſiſſimi frigoris tolerantia, ac proinde aliquid ſupernaturalis, vel divini, in deliriis intervertſari opinantur, quia hæc ſymptomata à cauſis naturalibus vix fieri poſſe inepte arbitrantur. Si maligni ſpiritus morbis commiſcerentur, eſſent morbi diabolici, & actum eſſet de medicinâ, nàm ad hos perſanandos Chriſti virtus neceſſaria, & exorciſtis, non medicis traderentur. Hinc bardi vulgares poſt tot medicaminum lanienam ægros incuratos deſerunt, exorciſtiſque conſignant, quid divinum morbis ineſſe ſubmurmurantes, & hac impoſturâ miſellis cum vitæ clade, & æris jacturâ vale dicunt.

Diſtinguntur à dæmoniacis maniaci, nàm dæmoniaci ea, quæ humanas ſuperant vires, efficiunt, & in ſpecie, quòd ſæpiùs per vomitum ferramenta, lapides, lignorum fruſta, animalcula viva, & ſimilia inconſueta, & non ingeſta rejicere ſolent, quod ſemper à veneficiis, & incantationibus oriri ſolet.

Veterum Cauſæ.

Sicut maniæ ſigna recenſere faciliſſimum eſt, ità ejus cauſam veſtigare operoſum, hinc *Democritus* ab *Hippocrate* interrogatus, quid ageret, cùm cadavera ſecaret, reſpondit: ſe inſaniæ, & furoris hominum cauſam perveſtigare, quaſi ſapientiſſimus ille philoſophus intelligeret, non ità facile eſſe inſaniæ cauſam reperire, ac ideò ſi medici facilè ſigna deſcribunt, in cauſis tamen cæſpitant, delirant & varias effutiunt ineptias, ac proptereà Doctores vulgares inſanis litigiis obſtrepunt: Sed recenſeamus vulgarium ſynagogam.

Aëtius maniam à ſanguine puro, & copioſo fieri ſcribit. Imò ſimilem ſententiam habuiſſe videtur *Galenus* 5. *aph.* 40. ubi dicit ſanguinem excurrentem per corpus incenſum, & in caput ſublatum facere maniam: Sed uterque delirat, nam ſanguis eſt humor blandus, & naturæ amicus, & quomodocumque incaleſcat, & copiâ exuberet, nunquàm tamen tantam cerebro ruinam inducere poteſt, quantam in maniâ obſervamus, ac proptereà plethorici huic morbo tantùm eſſent obnoxii.

Galenus, & tota Galeniſtarum grex ab intemperie calidâ, & ſiccâ, ad melancholiæ differentiam, quæ fit ab intemperie frigidâ, & ſiccâ, cerebro communicatâ maniæ cauſam ſtultè provenire fatentur: Sed nos concipere non poſſumus, quo pacto hujuſmodi intemperies tantoperè cerebro ità ſit hoſtilis, ut mentem de ſuâ ſede dejicere valeat, & prædominans abſque febris accenſione in cerebro ſtabulari queat, cùm calor remiſſior non valens efficere delirium, ſaltim febrem pariat, qualis eſt ea, quæ ab inſolatu exoritur, nec valet ſubterfugium de calore fuliginoſo. Prætereà impoſſi-

impoſſibile eſt affectum tàm gravem, & diuturnum, atque in quo non ſolùm cerebrum, ſed etiam cor afficitur, à nudâ intemperie calidâ, & ſiccâ provenire: neque credibile eſt cerebrum, & cor ità à naturali ſtatu dejici poſſe, ut non ſimul humores afficiantur.

Platerus ob has, & alias rationes, Calidæ, & ſiccæ intemperiei non acquievit, ſed ei quandam malignam, & venenatam agglutinavit qualitatem, quam præcipuam maniæ cauſam eſſe dijudicavit, ſuamque indè elicuit ſententiam: Furor uterinus, maniæ ſpecies, exoritur non tantùm à ſemine corrupto, ſed à malignâ, & venenatâ ſeminis qualitate, hinc dicitur, ſemen corruptum generat venenum. Hydrophobia, quæ eſt maniæ ſpecies, & à venenato canis rabidi morſu in quocumque temperamento ſine atræ bilis concurſu inducitur. Tarantiſmus à Tarantulæ morsu exoritur, & etiam eſt maniæ ſpecies. Denique venena quædam maniam inferre poſſunt, ut de muſtelæ cerebro, & ſolano maniaco fertur. Ideò veriſimile eſt peculiare quoddam venenum in humano corpore genitum præcipuam maniæ eſſe cauſam. Platerus maniæ cauſam analogiſmo venatur, malignam, & venenatam qualitatem ſupponendo, ſed cujus conditionis iſta maligna, & venenata qualitas ſit, neſcit: profitetur ſcire, quod neſcit, probat obſcurum per obſcurius, & ignotum per ignotius; ideòque multum dicit, ſed nihil probat. Deberet primò furoris uterini, hydrophobiæ, & tarantiſmi venenum, cujus conditionis eſſet, probare, & deindè ex his maniæ venenum, ſcilicèt cauſam eli-cere, cùm omnes hi morbi maniæ ſpecies ſint.

Galenus cum diſcipulis ſuis maniam ab atrabili fieri inſinuat, quæ nihil aliud eſt niſi bilis aſſata, & aduſta, ac proindè calida, & ſicca, ità dictante *aph.* 56. *ſect.* 6. ubi dicit maniæ cauſam eſſe humorem melancholicum, non ſemper, ſed cùm ſupra modum exuſtus, aut putrefactus malignam induerit acritudinem.

Humorem iſtum atrabilarium maniam producentem in venis, & arteriis vel totius corporis, vel cerebro proprioribus, vel ipſis cerebri vaſis contineri dicunt, & ex locorum varietate ſymptomata varia, eaque graviora, vel leviora emergunt. Item idem *Gal.* 6. *aph.* 86. aſſerit maniam fieri ſemper ab humore calido, acri, & mordaci, nunquàm autem fieri à pituitâ, nunquàm etiam à melancholiâ, niſi ea ſit combuſta, & putrefacta. Statuunt Galenici maniam ab atrabile, ſive à melancholiâ, vel à pituitâ torridâ, & putrefactâ. Verùm in maniacorum diſſectione culter anatomicus nunquàm tales humores torridos, & putrefactos offendit: eſt ità que hic humor tantùm in Galeniſtarum phantaſiâ, & non in humano corpore. Hic humor ſecundum humoriſtarum ſententiam inter omnes alios eſt pertinaciſſimus, & peſſimus, ac morbos gignit curatu ferè impoſſibiles, hinc ſecundum eos fit cancer elephantiaſis, lepra, & alii, quos pro deploratis habent. Si intra venas, arterias, & in cerebri vaſis contineretur humor iſte, viſcera omnia labefactaret, corroderet, & putrefaceret, & maniâ correpti ad breve tempus viverent, quod contrà experimur, nàm ſatis vivaces ſunt in tantà mentis confuſione, & viſcera ha-

bent ſalva. Prætereà intra venas, & arterias ſanguis ab hoc humore putrefacto neceſſariò putreſceret juxta vulgatum dictum, *quod tangitur à putrido, putreſcit*: & conſequenter maniacus totus putreſceret, vel ſaltim febrem putridam excitaret lethalem quòd oppoſitum obſervatur; nàm mania eſt delirium ſine febro cum furore, & audaciâ.

Nonnulli vulgares meditantes tot ſymptomata improportionata, & tricas in maniâ, ad cauſas occultas confugiunt, tanquàm ad ſacrum ignorantiæ aſylum, & ſciunt, quod neſciunt.

Paracelſus potiſſimam maniæ cauſam quibuſdam ſpiritibus in naturâ oberrantibus, quos phantaſmata vocat, eoſque nec cœleſtes, nec infernales eſſe aſſerit, inviſibiles tamen, & prope homines libenter verſantes more canum, hominiſque nimiam in phantaſiâ ſe profundantis menti ſe ingerentes, & amentantes. Hæc cùm captum noſtrum ſuperent, in medio relinquimus, & malumus cum cæteris recentioribus genuinam inquirere cauſam, quàm ſupra vires ſcrutando, & hos ſpiritus conſultando inſaniâ periclitari.

Helmontius pro omnium deliriorum ſpecie ad fortes Ideas recurrit, quæ certè rem illuſtrant, & primâ facie maximâ probabilitate nobis imponere ſolent: ſed ſi ad rectæ rationis Trutinam revocentur, & ad primarios uſus fundamentales vera fiat inquiſitio, ſi etiam paulatim in noſmetipſos reflectamus, ut concipere poſſimus, quid, & quale ſit, & quomodò operari poſſit talis entitas Idealis ſub materiæ compage, & quomodò hæc ipſa involui, & evolui poſſit: Certi ſumus, quòd tunc omnis iſta idealis imaginatio fumi, ſeu vanæ cujusdam ideæ inſtar ſubitò ſit tranſparitura, & evanitura. Totum ideatum fundamentum deſumpſit *Helmontius* à fœtûs formatione in utero, ejuſque per imaginationem maternam transformatione; hoc ipſum tamen obſcurum per æquè obſcurum declarare nititur, obſcurum enim magis formationis, & transformationis fœtûs per maternam imaginationem eſt negotium, quàm tota ſuperſtructura idearum doctrina, adeò ut obſcuri per æquè obſcurum declaratio nobis non ſatisfacere poſſit.

Noſtra Cauſa.

Pro recentiorum maniæ causâ ſtabiliendâ, vitam incolumitate fruentem, in hoc ſtatu adeòque tranquillam, pacatam, & in omnibus motibus regulatam meditemur oportet. Hæc animi tranquillitas in blandâ ſanguinis fermentatione conſiſtit, & quamdiù hæc perſiſtit, tamdiù ſpiritus regulari motu moventur, & ſicut blandus temperatorum ſpirituum motus jucundas, lenes, & prudentes excitat cogitationes, ità ordinatas, & regulares ſuas peragit functiones, & tamdiù motus in corpore placidi, & ſine tumultu fiunt. Si vero irregularis, & impetuoſus motus ſanguini incutiatur, ſpiritus vehementiùs agitantur, & irregulariter moventur, nec ſuas rectas peragũt functiones: non aliter ac homo ſtimulis concitatus, alioqui placidus, vel injuriâ laceſſitus, vel contumeliâ affectus, in varios motus inordinatos concitatur, & furit. ac ampliùs ſuarum actionum habenas dirigere neſcit, & hinc in tot incompoſitos geſtus, clamores,

clamores, pugnas, & rixas prorumpit. Talis impetuoſus motus ſanguini incutitur à fermento ſylveſtri, ſulphureo, acido volatili, exaſperato, & æſtuoſo, realgarino, & de aquæ ſtygiæ indole, multis aculeatis conſtante particulis, quæ à ſanguine avolare neſciunt, quia craſſus, ſpiritus, & intensè calidus eſt, ità extractus per venæ ſectionem obſervatus fuit, & acer, ut atramenti ſpeciem referat, & ſi in aquam, vel terram projiciatur, ferveſcit, ebullit, ac ſpumeſcit. Hoc mediante acore volatili ſanguinis maſſa plus ſolito calorem, & deindè æſtum concipit, qui partim per pulſum, partim verò per reſpirationem manifeſtatur, & quò magis iſte acor circulatur unà cum ſanguine, eò magis volatilizatur, & majorem, ac intenſiorem adipiſcitur gradum, & hunc maniacos vinculis ferreis coërceri oportet. Tunc ſpiritus animales, qui ſanguine vehuntur, impetuoſo, & irregulari motu ciuntur, nec ſuas peragere functiones, nec vitæ ampliùs imperio auſcultare poſſunt, ſed furiali impetu in omnes corporis partes, quas irradiant, ruunt. Hinc maniaci ſunt valdè robuſti, ac jejunia, ſitim, frigus, æſtum, verbera, vulnera, aliaque incommoda, & calamitates ſine noxâ tolerant.

Hoc fermentum ſylveſtre, ſulphureum, acidum, volatile, quod nos pro maniæ causâ aſſignamus, non concordat cum Galenicorum atrabile, cùm in eorum opinamento ſit humor terreſtris, concrematus, & ferè carbonizatus; miramur ſanè dari in corpore humano tantum incendium, quod talem humorem carbonizare poſſit, & in tanto incendio, cùm ſit de naturâ ignis, non exhalet cum aliquo capitis mortui reſiduo. Aſſignare deberent ſaltim quis eſſet iſte Incendiarius, qui bilem aſſavit, incendiavit, & in carbonis formam denigravit, alioſque non conbuſſit humores?

Hic acor Sulphureus volatilis, & exaltatus in variis humani corporis latebris latere, ibi volatilizari ſanguini commiſceri, caput aſcendere, & inibi functiones depravare poteſt. Producitur acor à ſcoriis noſtri alimenti, quæ à causâ occaſionali in torridam, & igneam vertuntur naturam, & præcipuus ejus focus ſunt hypochondria, & pancreas, ubi ſuccus acidus ſuam habet ſedem.

Cauſæ occaſionales ſunt aër nimis calidus & ſiccus, ea propter plagarum calidarum, & ſiccarum incolæ, ut ſunt Æthiopes, & Nigritæ populi, ſunt ferociſſimi, crudeliſſimi, & penè de ferarum genere, quod aëris caliditati, & ſiccitati tribuendum eſt. Sic æſtatis tempore, & præcipuè diebus canicularibus multò magis hic morbus graſſatur, quàm ullâ alia tempeſtate, excepto autumno, in quo etiam mania contingit, undè *Hip. 2. epid.* inquit: *Autumnum ſuapte naturâ ferinum eſſe*, quòd crudeles, & ferini morbi in ipſo gignantur. Ad idem valet ætas juvenilis, & temperamentum aduſtum. Multoties mania poſt febres ardentes, interdùm poſt pleuritidem, quandoque poſt epilepſiam, febrem acutam, & phrenitidem ſuccedere ſolet. Cerebrum felis, vel muſtellæ comeſtum inſaniam inducere dicitur. Radix Solani furioſi vino infoſa, & vinum ſolummodò potum maniam inducit, à quâ ſe à dæmonibus vexari, à ſerpentibus, & ſatellitibus maletractari exiſtimant.

Hyoſcyami

Hyoſcyami nigri ſemen certâ doſi datum, jurgioſam, & contumelioſam efficit inſaniam. Cicuta comeſta certo certius maniam parit. Refert *Kircherus in S rutinio peſtis*, quòd duo Monachi, qui ex cicutæ eſu pro petroſelino in delirium inciderunt, ut putârint ſeſe anſeres, & anates, ac propterea in aquam ſe contulerunt, & natârunt, donec interierunt. Benè ergò obſervetur, ne cicutæ folia cum petroſelini foliis confundantur, utpotè magnam in facie ſimilitudinem habent. Radix ejuſdem cicutæ mentem turbat, & in furorem agitat illum, qui hauſerit. Ità refert *Matthiolus in lib.6. Dioſcoridis: Quippe cùm ruſticus quidam ſuas colerit vineas, ligone fortè fortuna erutis cicutæ radicibus, ſecùmque domum delatis, paſtinacæ radicis loco decoxit, comeditque in cœnâ unà cum uxore: mox ſtatim (ut ruſticorum mos eſt) ambo juêre cubatum. Mediâ autem nocte à ſomno expergefacti, omni prorsus amiſsâ ratione, huc, atque illuc per domum in tenebris vagabantur, amentiâ, & furore ducti, undè adeò caput, faciem, & oculos in parietes percuſſerunt, ut manè accurrentibus vicinis, partim percuſſionibus tumidi, partimque effuſo ſub cute ſanguine livemes, tumentibus admodùm oculorem palpebris, horrendam, ac monſtruoſam oſtenderunt faciem.* Itèm malæ inſana, aſſiduè eſa maniam inducunt, aſſiduus aromatum uſus, vina meracia potata, ſed hæc non inſaniam cauſant, ſed ebrietatem, quæ alia eſt furioſa, alia conſtans, & ſonans, alia ſomno[illegible], & eſt brevis mania; nàm mania [illegible]riè dicta eſt vehemens, & diuturnus a[illegible]ctus. Nimiæ vigiliæ, curſus, & ambu[illegible]iones frequentes ſub ſole inter extern[illegible] maniæ cauſas recenſentur. Nimia ſtudia, undè Athenienſes appellabant Paulum prædicantem maniacum ob multa ſtudia. Hùc etiam pertinent hæmorrhoidum, & menſium purgationes, & poſt partium in fœminis evacuationes retentæ. Itèm fiſtularum, & ulcerum antiquorum occluſio, varicum curatio, ut de *Mario* referunt eum evaſiſſe maniacum, poſtquàm varices in cruribus ei medici eximiſſent. Pocula amatoria idem malum excitant, ità *Lucretium*, amatorio poculo ab uxore accepto, in maniam incidiſſe ſcribunt, qui propriis dentibus carnes dilanians periit. Sic hic affectus ex conceptâ animi vindictâ oriri ſolet, & ſi poëtis fidem adhibeamus, *Oreſtes* propter interfectam matrem furioſus factus eſt, donec ad Dianæ aram ſcelus expiaret. Sic *Ajax* præ irâ in maniam incidit, & ſibiipſi manus violentas intulit. *Empedocles* propter ſuperbiam ut putaretur Deus factus, furore percitus, noctù à ſociis clàm deſcedens, in ardentem montis Ætnæ caminum ſe miſit, ſed ferreæ ejus crepidæ ex camino per flammam rejectæ rem patefecerunt, ut *Horatius* refert *in arte poëticâ*:

> *Deus immortalis haberi*
> *Dùm cupit Empedocles ardentem frigidus Ætnam*
> *Inſiluit.*

Ex malignis animi paſſionibus, ut metu, invidiâ, ambitione, irâ, deſperatione, anxietate, exclamatione, impetu, rixâ, amore, odio, temeritate, audaciâ, incontinentiâ, iniquitate mania excitari poteſt.

Variæ ſunt maniæ, & variæ earum ſpecies, hęc autem varietas non provenit ab animâ rationali, quia hæc

immor-

immortalis; immutabilis, inalterabilis, & eadem ſemper manet, nec mutari, nec ab ullâ aliâ causâ externâ lædi, & inquinari poteſt. Vitium, idque varium, & diverſum tantùm in ſpiritu hæret, qui ſecundum varias corporis conſtitutiones, diſpoſitiones, inclinationes, & cauſas occaſionales operatur. Veniat in exemplum vinum, quod ſub diverſa ebrietatis exorbitantiâ pro diverſis ſubjectis, diverſas induit manias, alius nàmque fit furioſus, alius amoroſus, alius muſicus, alius ſomnolentus, alium ſe ditiſſimum, & alium omnium ſapientiſſimum eſſe concipit: attamen unum eſt unicum, quod omnes inebriet, & omnes maniacos reddit, nihilominus pro diversâ ſubjectorum inclinatione, variâ conſtitutione, eorumque habitudine, ac ſpirituum animalium varietate diverſæ maniæ ſpecies fiunt.

Prognoſis.

Omnis mania quantùm eſt ex ſe periculi eſt expers, at vehementiſſimus eſt morbus ob divinioris partis deformationem, & ob diuturnitatem planè miſerabilis, durans per menſes, & annos, & ſæpè ægros per totam vitam uſque ad mortem comitatur, niſi ſeipſos occidant, vel in vitæ periculum ſe conjiciant. Quandoque ad tempus intermittit, & quieſcit, poſtmodùm tamen antiquâ feritate redit, quia fermentum conſumitur, non verò ità totaliter exhauritur quin reliquis in partibus ſolidis adhùc relinquantur, quæ iterùm à causâ aliquâ externâ in actum deduci poſſunt, & tùm redit mania, & ad mortem comitatur. Sed quæritur, cur mania non ſit lethalis, cùm præſertim ſit graviſſima cerebri affectio? Reſpondemus tripliciter, & primò, quòd à naturâ comparatum eſt, ut viſcerum facultates, & præſertim nobilium à ſe teterrimos ſuccos depellant, ità ut etiam ſi pravus ſuccus ſulphureus, acidus volatilis cerebrum infeſtet, tùm non diù illic permanet, cùm valida expultrix eum continuò rejiciat. Secundò, quoniam non ſolùm à cerebro ſtrenuè hujuſmodi impurus humor depellitur, verùm etiam in ullo præcipuo viſcere colligitur, & hoc ut faciliter intelligatur, dicimus naturam conſtruxiſſe ampliſſimas venas, & arterias, quæ unà cum ſanguine teterrimum ſuccum vehunt, itèm pancreas hujus humoris receptaculum, lienem, ut vulgares putant, & venarum hæmorrhoidalium germen. Tertiò, quòd eſtò aliqua hujus fermenti portio colligatur, & retineatur in cerebro, tamen ob tot maniacorum motus, vigilias, inedias, & jactationes facilè aliqua ſaltem portio conſumi poteſt. Eſto mania ex ſe lethalis non ſit inveterata tamen, & quæ altas egit radices, incurabilis eſt, ac medicamentis hactenùs notis vix ullatenùs cedit, cujus difficultas plurimùm augetur rationis defectu, quo ægri ad ſalutem ſuam cooperari, & obtemperare nec norint, velint, & medicis ſunt inimici; prætereà in tanto furore perſuaderi nequeunt, ut idonea aſſumant medicamenta. Præterea dicimus maniacos à medico non eſſe propè inviſendos: id, quod non ità pridèm expertus eſt medicus *Rhodiginus*, qui à maniaco occiſus eſt. Mania, quæ hæreditario jure paterno in proles tranſplantata fuit ſemper eſt incurabilis, undè vulgato proverbio quadrat:

Chi naſce matto, non guariſce mai.

&

Ultimus ſtultitiæ medicus mors eſt.

Appetitus proſtratus & ulcera in facie, ano, & pedibus, enata malum habent omen. Maniæ ſuperveniens dyſenteria, aut hydrops, aut tertiana, vel quartana, maniam ſolvit; verùm dyſenteria ſæpiùs eſt funeſta propter humoris acrimoniam inteſtina corrodentis. Bonum eſt, ſi alvum laxum habeant ægri; quòd ſi non, malùm. Minùs periculoſa eſt mania, quæ fit cum riſu, & mitioribus ſymptomatibus, quàm quæ cum ſtudio, & inſigni feritate, ut habetur *aph. 53. ſect. 6. Deſipientiæ, quæ cum riſu fiunt, ſecuriores: quæ verò cum ſtudio accidunt, eòque periculoſiores ſunt, quò major concurrit temeritas.* Ad ſalutem terminatur mania, ſi inſignis aliqua fiat per ſudorem, vel alvi fluxum evacuatio, aut copioſa hæmorrhagia è naribus, hæmorrhoidibus, utero varicibus, vel artis præſidiis ſpirituum ille fervor, & pravus remittatur, vel corrigatur, ſuccus, vel evacuetur. De quibus *aph. 21. ſect. 6. Inſanientibus ſi varices, vel hæmorrhoides ſupervenerint, inſaniæ ſolutio.* Solvitur enim mania, & in alium morbum mutatur, humore vitioſo ad inferiores corporis partes robore naturæ per criſin, licèt imperfectam, depulſo, & ad inteſtina miſſo, & per ea evacuato, aut eodem intra abdominis cavitatem cumulato; aut quando furioſa inſania in taciturnam deſipientiam mutatur, acrimoniâ humoris à naturâ devictâ, & caſtigatâ. Dùm natura coctos humores criticè evacuat, vehementiſſima ſymptomata antecedere ſolent ob materiæ motum, & impetum. Quandoque mania in alium morbum mutatur, & qui ſuccedit, non ita periculoſus eſt, utpotè adhuc fluens; attamen ſi mania in convulſionem, aut atrophiam tranſeat, malum; ſignificat enim ex venis, & arteriis in nervoſum genus tranſire. Ex tumultuosâ permutatio in blandam, & contrectabilem, malum, quia in habitum tranſire denotat, ut lanæ tinctæ ablui nequeunt.

Veterum Curatio.

Pro maniæ curatione Galenici materiam peccantem evacuant, revellunt, & repellunt, calidam intemperiem corrigunt, & cerebrum roborant.

Primò in viris ſanguinem mittunt (& ſi æger perſuaderi poteſt, præmittatur clyſter, vel aliud medicamentum primas vias evacuans) ex venâ brachii ſiniſtri magis conſpicuâ poſtridiè ſanguinis miſſionem reiterant ex altero brachio, & hoc remedii genus frequenter uſurpant: Deindè ex manibus ſalvatellam aperiunt, in pedibus ſaphenam, præcipuè in fœminis, ſi menſtrua ſint ſuppreſſa, vel parcè fluant. Varices quoque in cruribus, vel ubi apparent, ſecant, cùm magnam melancholici humoris copiam, ad eum locum detruſi, contineant, & non ſtatim ſanentur. Hæmorrhoides provocant, quia à maniâ præſervare ſolent, & ſponte apertæ à maniâ liberant, vel ſaltem ſedis venas, appoſitis hirudinibus, tundunt. Venas frontis in pertinaciori maniâ aperiunt, ut & narium venas, ſetis, vel millefolio, immiſſis. Adhibent poſt aures, & temporibus hirudines, & multis profuiſſe ſcribunt. Magnam ex venæ ſectione utilitatem prædicant, quia non ſolùm ſanguinem, cæteroſque humores in venis contentos evacuat, & à cerebro revellere, & derivare poteſt, ſed etiam ex accidente refrigerat. Aſſerit *Platerus* ſe longâ obſervatione com-

com-

comperiſſe innumeros ab aliis medicis derelictos, ſanguinis miſſione ſanatos fuiſſe; à quibuſdam chirurgis, vel aliis, qui ex profeſſo hiſce malis ſanandis operam dabant, qui vigeſies, & ſexagies quoque venam tundendo; inſanos penitùs ità reſtituerunt, ut poſteà incolumes adhuc longam vitam vixerint; qui in venâ certâ eligenda nihil laborârunt, ſed nunc brachii, nunc pedis, hanc, vel illam, nunc alibi ſine diſcrimine aperuerunt. Verùm venæ iſtæ non omnes ſimul, aut continuò aperiendæ, ſed per intervalla, interjectis humorum præparationibus, & evacuationibus. Maximam enim curationis ſpem in his magnis evacuationibus, ſanguinis ſcilicet, & humoris melancholici, per vices factis, reponunt. Perpendunt ſanguinem, qui effluit, ſi enim eſt nigrior, copioſiùs evacuant, ſi rubicundior, parciùs.

In nullo alio morbo vulgares tantam fœlicitatem quantam in maniâ exercent. Sæviunt in ſanguinem ſanguinarii, ſed iſte non delinquit in quantitate, & eſtò plethora adſit, cùm à morbo invaditur maniacus, tamen multò pòſt minuitur ob tot motus, jactationes, vigilias, & jejunia, & per inſenſilem tranſporationem exhauritur. Peccat itàque in qualitate, quia illi admiſta eſt atrabilis, qui eſt humor aſſatus, & aduſtus, ac in ſanguine vehitur, nec iſte humor ſanguinis miſſione educitur; nàm eſtò centies, & ultrà totum venarum genus ſecarent, & totum ſanguinem non educerent, qui remanet, eſt ejuſdem conditionis, ac eductus. Sed quis ſpondere poſſet per phlebotomiam tantùm ſanguinem aſſatum, & aduſtum educi? Impunè per omne flagitium graſſantur maniaci ob rationis depravationem, unde quotidiè *clamarunt ante thronum Dei: Vindica Domine ſanguinem, qui effuſus eſt.* Horum ſanguis eſt conſpurcatus, ut dicunt ab humore exuſto, & putrefacto, ac propteteà à pravâ qualitate expiari, non verò educi debet.

Dùm ſanguinem educunt, intercalaribus utuntur catharticis ad atrabilarium educendum humorem, ſed illum anteà præparant ſyrupis refrigerantibus, & humectantibus, ut

℞. *Syr. borag.*
nymphææ,
viol. ana ℥. ij.
aquæ pomor. redolent. ℥. vj.
m. pro tribus vicibus.

Vel

℞. *Syr. de fumar. ſimpl.*
lupulor. ana ℥. j.
m. cum aqua nymphææ ℥. iij.

Deindè purgant maniacum, & leviora cathartica ſingulis hebdomadis, fortiora ſingulis menſibus uſurpant, ut

℞. *Fol. ſen. or.*
epithymi,
polyp. ana ℥. ß.
fiat decoct. in aquâ purâ, & in ſuff. quantitate diſſ.
Syr. de fumar. mai.
roſar. ſolutivar. ana ℥. iiij.
confect. hamech. ℥:
m. f. p.

Vel in formâ pilulari, ut

℞. *Rhabarb. elect. ʒ. j.*
diagrydii gr. x.
m. cum ſyr. viol.
formentur pilulæ vj.
& deaurentur.

Vel

℞. *Rhabarb. opt.* ℈ ij.
hellebori nigri ʒ. ß.
diagryd. gr. vij.
cum cathart. roſ.
formentur pilul. v.
& deaurentur.

Vel

℞. *Pilul. de lapid. lazuli;*
de fumariâ ana ʒ. j.
m. cum catha t. roſ.
f. pilul. vij. deaurandæ.

Vel

℞. *Rament. helleb. nigr.* ℥. j.
infundantur per triduum in aqua pluvia ℥. vj. *decoquantur lento igne ad tertias. Colaturæ adde*
mell. opt. deſpumati ℥ *ij.*
miſce, capiat cochlear. j. cum juſculo pingui.

Verùm maniaci cogi nequeunt ad aſſumenda medicamenta, & eſtò aſſumantur, quia vita aliò vacat, & mens ægrotat, non actuantur, nec operationem moliuntur: Si verò medicamenta ſint vehementia, excitant furorem.

Maximoperè commendant balnea aquæ dulcis ad humorem atrabilarium refrigerandum, & humectandum: Cæterùm quia maniaci etiam mediis in aquis furere ſolent, & magnum imminet periculum, ne ſeipſos ſuffocent, Galeniſtarum ſolertia ut tantum vitaret periculum, maniacos in aquas funibus alligatos immergi, & illos cautè cuſtodiri curat. Humectant refrigerantque atrambilem aduſtam, ſed refrigera, humecta quantum vis aduſtum, ſemper erit aduſtum: ſic bilis iſta ſemper erit aduſta nec quidquam beneficiis ſentiet maniacus, niſi à corpore eliminetur.

Pertinaciſſimæ vigiliæ maniacè divexare ſolent, ac proindè per aliquot menſes non dormiſſe obſervatum eſt, undè ſomnum conciliant per intervalla tàm internis, quàm externis, dùm curatio peragitur. Interna ſunt *philonium Romanum*, *Requies Nicolai*; & cætera vulgaria officinalia ſomnifera, in quibus magnam curationis ſpem reponunt, quia *ubi ſomnus delirium ſedat, bonum.* Cæterùm aliud eſt morbum ſedare, aliud ſanare: Non quia maniacus vigilat, eſt maniacus, nàm vigilia eſt maniæ ſymptoma, nec curato ſymptomate aliquo, morbus, qui principalis eſt, curatur, quia maniæ cauſa ſemper intacta remanet, cùm multi maniaci optimè dormiant, & poſt ſomnum feraciores expergiſcuntur. Inſuper non eadem eſt ſomniferorum natura, quædam enim eſto ſomnum concilient, tamen ſpiritus magis turbant in ſomno, quàm in vigiliâ, & malum curatu difficillimum reddunt; imò maniam adaugent, vel quædam maniam inducunt oretenùs ſumpta, ità ſunt *hyoſcyamus*, *ſolanum furioſum*, *ſtramonia*, & præterea opium ipſum nec ab hac labe eſt immune, niſi ritè corrigatur. Et ſicut nemo vino, vel ebrietate, quæ etiam ſomnum inducunt, maniacos ad ſomnum deducere audet, ità quoque cùm hic non ſolùm ſomnus quietus, ſed hinc quies ſpirituum requiratur; ea itàque ſeligenda ſunt ſomnifera, quæ ſomnum inducant, & ſimul ſpiritus reddant quietos. Externa ſunt *ſuccus ſedi majoris recens expreſſus*, capiti impoſitus, vel aqua ſolani, *papaveris*, *Lactucæ* Sed furentes ſpiritus intrinſecis ſomniferis quandòque

non

non obediunt, quomodò extrinſecis acquieſcent?

Interim dùm hæc adhibent, calidam, & ſiccam corrigunt intemperiem julepis, & ſyrupis refrigerantibus, & humectantibus, *ut de ſucco boraginis, bugloſſæ, pomorum redolentium, fumariæ, cichorei, portulacæ, violarum.* Vel *conſervis roſarum, violarum, boraginis &c.* & his julepis, ſyrupis, & conſervis vario modo intermiſtis combuſtum humorem refrigerare, & humectare credunt.

Præterea omni ſtudio cerebrum refrigerant, & humectant, quadere deraſo capiti perfuſiones adhibent, quæ applicantur ſpongiis ex alto ſupra commiſſuram coronalem expreſſis, ut

℞. *Fol. Lactucæ,*
ſedi majoris,
ſolani ana m. jß.
nymphææ m. j.
cap. papav. num. x.
f. decoctio, & ex decoctione.
fiat perfuſio.

Vel capiti poſt perfuſionem inunctiones admovent, ut

℞. *Olei de nymphæâ ℥. j.*
ſucci ſedi mai.
ſolani,
lactucæ ana ℥. ß.
ol. roſ. omphacini ℥. jß.
vini opt. ℨ. iij.
cum modico ceræ,
fiat linimentum.

Refrigerant cerebrum, ſed atrambilem, & effetatos ſpiritus refrigerare non poſſunt. Vertici medentur, & radicem non attingunt.

Caput roborant lotionibus ex herbis cephalicis. Cordi proſpiciunt *ſyr. de pomis, ſpec. diamarg. frig. confect. de hyacinth. alkermes;* etenim cùm maniaci vehementer iraſcuntur, & feroces ſint, magnum æſtum circa cor eſſe certum eſt, quem etiam mitigant epithematibus in formâ, vel ſequenti modo:

℞. *Aquar. nymph.*
roſarum ana ℥. iij.
boraginis,
acetoſæ ana ℥. ij.
fol. roſ. rubr.
ſem. ocymi,
ſantal. rubri
citrin. ana ℨ. ß.
camphoræ gr. ij.

tepidè cordis regioni applicant. Cordialibus medicamentis cordi ſuccurrunt, ſed incaſsùm; nàm cor in conſenſum trahitur, compatitur, nec exoticum hoſtem intra latem ad miſſum expellunt, nec tanta vis cordialibus ineſt, ut irâ percitos lenire poſſint, conſiderate nunc an maniacos demulcere queant? Epithemata cordialia fruſtrà adhibentur, nàm peripheriam attingunt, & inquilinum hoſtem intactum relinquunt.

Tandèm cauteria extollunt; ſi fiant in nuchâ vel ſupra ſuturam coronalem, quæ aperta detineantur, quia non tantùm vapores atri, & fervidi per ea foramina exturbantur, & reſolvuntur, verùm etiam cerebrum refrigerant, & conſequenter atrabilis aſſata, & aduſta exinanitur: ſed non ſolùm unum cauterium, vel alterum in capite juvare, verùm etiam ſi fiat in ambobus brachiis, & cruribus mirificum adjumentum afferre credunt. Rarum *Gordonius cap. de maniâ* ſcribit exemplum cujuſdam maniaci, cui cùm eſſet capiti vulnus inflictum cum cranii fracturâ, quamdiù vulnus fuit apertum, tamdiù benè ſe habuit, vulnere ſanato, reverſa eſt mania. Si tantam inſanos curandi

vim haberent cauteria, qui ea geſtant, vel ad inſaniam proclives ſunt, magnum pro inſaniâ haberent præſervativum. Miramur ſanè in noſocomiis, ubi tot inſani aluntur, ut hîc in Incurabilium Valetudinario, cauteriis non uti? Bardum Galenicorum remedium pro tanto curando malo, quia ipſi bardi, quaſi humorem atrabilarium citarent, ut perſonaliter compareret, ad dicendam cauſam, quare, & eliminaretur. Dicunt atrambilem eſſe humorem aſſatum, aduſtum, & carbonizatum, & deindè imaginantur, quâ datâ portâ abſcedere, & reſolvi citra nullum capitis mortui reſiduum. *Ad Gordonei* obſervationem, ſeu fabellam dicimus, fides ſit penes authorem, & Cæcus ſit, qui huic obſervationi interfuit, ſed dato, quòd res itâ ſe habuit, reſpondemus, quòd vita, cujus eſt ſanitatem, vel morbum producere, maniacus propter majorem cauſam occaſionalem, nempè vulnus, non ampliùs occaſionalem maniæ cauſam advertit, & tunc à maniâ liber eſt, ſed tantùm vulnus animadvertit, & ſic non mirum, ſi ſtante vulneris curatione, à maniâ fuit immunis, curato demùm vulnere, tunc maniæ cauſam occaſionalem advertit, & mania rediit.

Noſtra Curatio.

Peragratâ Galeniſtarum curatione, in quâ nihil boni, niſi medicamenta, quæ vetuſtatem ſapiunt, comperimus; noſtram depromamus, neceſſe eſt, & primò ſex res non-naturales attingemus, ut curationem ex omni parte abſolvamus.

Aër itaque debet eſſe temperatus ad frigidum, & humidum vergens. Vitetur nimis calidus, & nimis frigidus, nàm in his conſtitutionibus maniæ fieri ſolent.

Cibus eſt eligendus, qui humectet, ac refrigeret, ac faciliotis coctionis, ut ſunt juſcula caponum, perdicum, gallinarum, & pullorum herbis refrigerantibus, & humectantibus infarctorum. Multùm obſunt alimenta flatuoſa, & calidiora, ut aromata, dulcia, acuta, ſinapi, & id genus alia, quia calidos generant, ſuccos, & ſpiritus animales accendunt. Carnes porcinæ, anſerinæ, & fumo induratæ valdè nocent. Cave, ne maniacos inediâ excrucies, quia eſtò aliqui dicant, quòd ſicut feræ cibi ſubtractione cicurantur, itâ maniacos inediâ manſueſcere, & ſapere, tamen hoc falſiſſimum comperuimus, cùm etiam feris oppoſitum eveniat, ut cibo privatæ magis furiant.

Potus ſit refrigerans, ut aqua hordei, decoctum anagallidis. Vinum, vini ſpiritus, & cordialia calida angue, & cane rabido pejus vitentur, nàm eſſet igni ignem addere, & vinum furioſos, vel ſtupidos facit. Verùm aſſuetis ſi concedendum, detur tenue, & dilvatur, ac temperetur *aquâ violarum, roſarum, nyphæa, vel decocto anagallidis, vel ſantalorum*, quâ in re conſuetudini aliquid dandum. Qui n. vino ſunt aſſueti, minùs eo læduntur, cùm moderatè ſumptum, & dilutum lædere neſciat, & lætificet cor hominis. Ab omni potu, qui mel, vel ſaccharum recipit, abſtineat æger.

Motus ſit moderatus, nàm nimius corporis motus magis calefiat, mentemque pluimùm agitat. *Plato lib. XI. de legibus* legem ſancivit, ne maniaci per urbes ambulare permitterentur, quæ

lex etiam medicis ſervanda eſt, ne ſcilicèt maniacos ambulare concedant, vel ligati ducantur, vel ambulant ſoluti cum illis, qui ſuper eos dominium exercent.

Quies quantùm fieri poteſt imperanda, hæc enim corpora torpida humida, & frigida reddit, quæ maximè ad curationem faciunt. Studioſè itaque procurandum eſt, ne ægri ſoli relinquantur, vel inter ignotos, vel quos odio proſequuntur. Si nimis furioſi ſint, vinculis coërceantur, & omnia circa eos ità comparentur, ut delectentur potiùs, quàm offendantur, verùm picturæ, & rerum imagines auferantur. Magnâ adſtantium prudentiâ opus eſt, ut interdùm moneantur, increpentur, vel ipſis aſſentiantur, ne ipſorum delirium confirment. Suavis muſica maniacos ſæpiſſimè demulcet, ut exemplum Saulis Iſraëlitarum regis teſtatur. Caveat ſibi medicus, ne maniacis nimiùm credat, & aliquid damni patiatur, cum ſæpè odium erga medicum blandis verbis occultent maniaci.

Somnus omnibus maniacis conſueto tempore diuturnior neceſſarius eſt, quadere omni induſtriâ, & arte conciliandus eſt tùm internis, cùm externis; quamdiù enim inſanus dormit, tamdiù ſapit, undè medici ad ſomnum inducendum etiam lectos molliſſimos, & penſiles excogitârunt.

Vigiliæ productæ maximè nocent, & inter cauſas procatarcticas maniæ recenſentur, ea propter ad ſomnum tanquàm ad unicam vigiliarum medelam confugiendum eſt.

Excernenda excernantur, & *retinenda* retineantur, itaque ſi alvus ſuum non deponat munus optimum eſt eam ad excretionem ſollicitare, & hoc non ità facilè clyſteribus peragi poteſt, ac proindè quotidianis cibis immiſcere oportet modò mannam, modò ſenam, modò polypodium, ita ut decepti furioſi hac dexteritate alvum laxam ſervent. Menſium, vel hæmorrhoidum purgationes ſuppreſſæ omni operâ, & ſtudio cieantur. Fiſtulæ, & ulcera antiqua occluſa aperiantur, ut novus concilietur fluxus.

Animi paſſiones ſint benignæ, & maniacus in tranquillitate, & amicorum ſodalitio detineatur; prohibeatur verò ignotorum admiſſio, & eorum, in quos aliquandò æger odia exercuit, vel exercet. Conferunt hiſtoriarum, & fabularum jucundæ narrationes, ac muſici concentus, quia ſic furentes ſpiritus demulcentur, & mens à perturbationibus abſtrahitur. Sint procul malignæ animi paſſiones, ut mæſtitia, metus, pudor, ſtudium, ira, anxietas, avaritia, anguſtia, exclamatio, furor, impetus, contentio, odium, rixa, invidia, deſiderium effrenatum, amor, diſplacentia, audacia, temeritas, incontinentia, importunitas, iniquitas, ambitio, diffidentia, deſperatio & id genus aliæ animi perturbationes, quæ omnia ſanguinem, & ſpiritus animales valdè commovere, accendere, & animam in furorem adigere ſolent. Non defuerunt, qui putârunt optimum remedium eſſe maniacis amorem ſuſcitare: Verùm hoc remedii genus non ſolùm difficillimum eſt in mente captis, ſed etiam pernicioſum, ſi quidèm *Ariſtoteles circa initium 7. Eth.* inquit: *Ira, & cupiditates Venereæ homines furioſos redderet*.

Præmiſſâ diæteticâ parte, ad pharmaceuticam pro maniæ ſanatione properemus opera pretium eſt, ac ſecundum

cundum noſtram indicationem à cauſis deſumptam primò acorem ſulphureum volatilem, & exaltatum eliminamus; ſecundò ſanguinis motum ad naturalem fermentationem reducimus; tertiò accenſos, & furentes ſpiritus animales coërcemus, pro quo ſcopo acorem volatilem exaltatum; & alia fermenta ſylveſtria, & realgarina in primis viis hoſpitantia eliminamus, quibus ſublatis, ſanguis expiatur, & ad ſuum naturalem circuitum redigitur, ac furentes ſpiritus animales ad placidam redeunt tranquillitatem, & unâ fideliâ non tantùm duos, ſed tres dealbamus parietes.

Pro his abigendis ſcoriis nulla alia proportionata inveniri poſſunt medicamenta, quàm quæ emetica ex antimonio parata, quod velint, nolint, & ilia crepent Galeniſtis in maniâ maximoperè ab ipſis commendatur. Totus itàque curationis cardo emeticis antimoniatis ſubſternitur, & primò ex antimonio ea recenſemus, ita eſt *Tartarus Emeticus*, *Aqua benedicta Rulandi*, *ſapa vomitoria*, *Crocus metallorum*, *flores antimonii*, *vitrum antimonii hyacinthinum*, *Mercurius vitæ*, *noſtrum Hippocras emeticum*, & id genus alia, & ſi antimonialia non ſufficiunt, infuſum in vino, vel alio liquore raſuræ unguium humanorũ eſt etiam validum, & omnia vomitoria antimonialia ſuperat. Ex mercurio multùm prodeſt *Turpetum minerale*. In delicatoribus *vitriolum album*, *vel aqua Æſculapii* exhiberi poteſt: verùm aliquot interjectis diebus emetica reiteramus, & vacuis diebus per aliquot dies anagallidis flore purpureo decoctũ capiat æger. fortiora, & validiora purgantia regulariter improbamus, quia ſanguinis, & ſpirituũ animalium motum nimis augent, eosq; cerebri poris profundiùs ingerunt.

Præſcripſimus emetica ex antimonio parata pro maniæ ſanatione, ſed prima ſedes helleboro nigro debebatur; hic nàmque ad inſaniam præſtantiſſimum eſt alexipharmacum, & omnibus purgantibus præferimus, undè dicitur, *indiget helleboro, quia inſanus eſt*, vel caput helleboro dignum ideſt inſanũ, quod corrigendum per helleborũ capiti dicatum. In maniâ decantatiſſimus eſt *helleborus niger*, quia potenter evacuat omnes acores volatiles, exaltatos, ac ſcorias ſylveſtres, & realgarinas, ac omne id alienum, & exoticum, quod ſanguini eſt permiſtum. Dicitur ſecundus Rex medicaminũ purgantium, ſicut colocynthis primus vocatur, & ſuccos mentem turbantes eliminat, undè acuit ingenium, memoriam fæcundat, ſpiritus roborat, & homines hilares reddit, præſumi ſolitus à *Carneade philoſopho*, cùm diſputaturus eſſet. Dicitur *fuga Dæmonum*, quia humores mentem confundentes exturbat, in quibus dicitur eſſe nidus diaboli, & refert *Freitag.* exemplum cujusdam curati per helleborum, qui quaſi diabolo fuit obſeſſus, ſe coactum eſſe, inquiens, ut exeat, quoniam nidus ſuus ſit deſtructus. Inquiunt Galeniſtæ diaboli nidum, ſeu domicilium, eſſe humorem atrabilarium; ſed de his ineptiis, & anilibus fabellis diffusè egimus in noſtrâ *Trutinâ Chirurgico phyſicâ libro 2. De Vulneribus ex morſu canis rabidi cap.* 30. Nonnulli reformidant hellebori uſum, quia convulſiones inducit lethales, *ut aph.* 1. *ſect.* 5. *Convulſio ex helleboro lethalis.* Verùm hîc loquitur de helleboro albo tantùm Hip. uſitato, non verò de nigro: ſed proſtant exempla de helleboro nigro. Refert

Hilda-

Hildanus, quòd quidam Princeps per extractum hellebori nigri oro purgante fuerit interfectus, & mulier cum extracto hellebori nigri purgata intra ſex horas ſit mortua. Verumenimverò id, quod refert Hildanus provenit à malâ præparatione, correctione, & indebitâ fermentatione, nàm ex eo ipſo quod eſt purgans, non caret malignitate, ac proindè helleborus niger per fermentationem alterari, malignitas, & venenum laxativum demi debet, & ſic fit magnum remedium non tantùm in maniâ ſed in quampluribus morbis, aliter eſt tanquam culter in manu furioſi.

Veteres noſtri *helleboro albo* uſi fuerunt, quo ſucceſſu neſcimus, forſan illis melior præparandi, & propinandi modus innotuit, verùm nunc receſſit ab aulâ medicorum, quia vehementiſſimum remedium eſt, quod ſæpiùs tragica ſolet excitare ſymptomata, validiſſimè nàmque per ſuperiora, & inferiora evacuat, & quidèm nos *Geigerus in Tr. microcoſmo hypochondriaco cap.* 25. terret, qui refert quendam maniacum ex hellebori albi decocti uſu convulſum interijſſe. Et *Kircher. in Muſur. cap.* 23. ſcribit maniacum convulſum ex hauſtu decocti hellebori albi. De helleboro albo inquit *Hip. Convulſio ex helleboro, lethalis. Matthiolus* refert helleborum album inter præſentanea venena, hoc enim illitæ ſagittæ in continenti feras enecat, ac proindè proſcribendus eſt ex remediorum internorum cenſu & inſerviat tantùm pro ſternutatorio & ſcabiei remedio.

Veniat tantùm in uſum *hellebori nigri radix*, quem alio nomine *Melampodium* appellant à Melampo Amythaonis filio, qui relictâ agrorum culturâ, vino elleborato Eleam, & Celenen Prœti Argivorum Regis filias bacchantes, quæ ſe boves exiſtimabant, liberâſſe traditur, ut canit *Ovidius lib.* 15. *Metamorphoſeos:*

Amythaone natus
Prætidas attonitas poſtquàm per carmen, & herbas
Eripuit furiis: purgamina mentis in illas
Miſit aquas, odiumque meri per tranſit undas.

Eſt itàque helleboris verum, propriumque alexipharmacum pro maniæ curatione, & omnia medicamenta ex eo elicita maniam, melancholiam, cæteroſque morbos, quos ex humore melancholico oriri imaginantur vulgares, curant. Cœterùm accuratâ opus eſt luſtratione, & inſpectione in radicum hellebori nigri emptione, radices Aconiti, quod eſt ſummum deleterium, pro hellebori radicibus (cùm hæ duæ radices, quo ad externam formam, ſi folia detracta, vix à ſe invicem dignoſci queant) emendo apprehendas. Multa ſunt medicamenta, & ex *helleboro, ut aqua deſtillata, vinum helleboratum, decoctum, extractum, oxymel helleboratum, ſyrupus de helleboro &c. Aqua deſtillata*, quæ eſt egregium purgans, ità fit:

℞. Radic. hellebori nigri lib j.
infunde in vini lib. iv.

cum ſeminibus fœniculi, & aniſi, ceu corrigentibus, deindè per balneum deſtilla aquam, cujus doſis cochlear unum, & ſufficienter purgat, quod admirationem affert, cùm nulla aqua ex purgantibus deſtillata corpus moveat: verùm ſal volatile acre purgans hellebori nigri adeò eſt volatile, ut per alembicum promptè aſcendat, & in magmate nullum ſal fixum remaneat; ſunt enim acriora

helleboriſolia ; quàm folia plantarum antiſcorbuticarum, pipiritidis naſturtij, cochleariæ, raphani ruſticani &c. ut ex guſtu patet. Fit *vinum helleboratum*, in quod melius adhuc infunditur, quàm in ſpiritu vini: ſic optimè infunditur radix in vinum, & fit elegantiſſimum infuſum, quod propinatur à ℈.j. ad ℥ ß. cui admiſceri poteſt aniſum, tanquàm proprium correctivum.

Extractum hellebori nigri ità paratur:

℞. *Radic. hellebori nigri mundat. lib. ij.*

conquaſſata coquantur cum. ſ. q. aquæ aniſorum deſtillatæ, repetitis vicibus affuſa & colata uſque dum vires omnes ſint evocatæ: colaturæ omnes poſt leniter in vaſe vitreo evaporent ad mellis, vel electuarii ſpiſſitudinem. Quo facto, ut præſtantius, & ſubtilius efficiatur, illud denuò cum ſuff. quantitate ſpiritûs Vini boni extrahatur, quouſque ſpiritus vini affuſus colore rubeo tingatur; proindè repetitâ etiam ſpiritûs affuſione opus eſt; videbis enim magnam prioris extracti partem fœculentam à ſpiritu vini intactam relinqui, quâ ergò abjecta, ſpiritus tincti omnes in B. M. abſtrahendo redigantur ad juſtam extracti conſiſtentiam. Hujus extracti doſis eſt ℈j. *ad* ℈ jß.

Syrupum ex helleboro nigro præparat *Ioannes Zuvelfer. in Pharmacopœjâ Regiâ*:

℞. *Fol. Hellebori nigri recent ſ. q. ex quibus inciſis, & contuſis deſtilletur aqua per balneum vaporoſum ſine additione ullâ. Hujus aquæ prolectæ libris duabus immerge ulterius fol. recent hellebori nigri inciſorum, & contuſorum libras duas, atque iterum peractâ prius maceratione per quatriduum circiter, aquoſitas per balneum vaporoſum penitùs, penituſque ad ſiccitatem foliorum proliciatur. Aquæ hujus deſtillatæ libris duabus ſem. denuò immerge fol. recent. hellebori nigri conſciſſor. libram unam, Macerentur per biduum circiter, poſt fiat colatura cum forti expreſſione, colaturæ probè clarificatæ, aut filtratæ adde*

Sacch. albiſſ. lib. iij.

ac unâ, vel alterâ ebullitione conficæ ſyrupum.

Eſt adeò *helleborus* in maniâ proficuus, ut quocumque modo propinatus magnum afferat emolumentum; undè aliqui *pomum cum helleboro* conficiunt, quod fuit *Fonſecæ* ſecretum, hic recipis pomum, imprimis dulce, cui infixit radiculas hellebori nigri, & cum illis ſub cineribus coxit, poſtmodùm radiculas extrahit, & propinavit pomum ità coctum maniacis, & melancholicis, quod ità purgavit, uti & aliis quibus opus fuit helleboriſmo. Hoc pomo utuntur exorciſtæ in à dæmone obſeſſis, illudq; propinant, & prophetizant obſeſſum neceſſariò vomere debere, non obſeſſum minimè, & ſubſequuto vomitu, in magnâ veneratione apud ſtolidum vulgus habentur. Ineptè putant Dæmones ſtabulari in humore atrabilario, quo expulſo, unà cum ſtabulo eliminari: ſed hos dæmones nunquàm expulſos per helleboratum pomum obſervavimus. Non omnes quotquot dicuntur, ſunt obſeſſi: alias tartareus carcer dæmonibus carceret; & quod mirum iſti, qui nunc dicuntur obſeſſi, vel ſunt abjecti homines, vel fæmellæ, vel homines, & fæmellæ verſuti, qui ſe obſeſſos & obſeſſorum ſpeculatores ſimulant, & hac verſutiâ honeſtè vivunt. Non ità facilè credendum eſt

ali-

aliquem à dæmone obſeſſum eſſe ſed nota habere debemus ſigna quibus obſeſſus à non obſeſſo dignoſcitur. Signa autem obſidentis dæmonis ſunt: ignota linguâ loqui, & loquentem intelligere, diſtantia, & occulta patefacere, vires ſupra ætatis, ſeu conditionis naturam oſtendere, & id genus alia, quæ cùm plurima occurrunt, majora ſunt indicia. Multi obſeſſi judicantur, ſed ineptè, quia vel maniâ, vel melancholiâ, metarchiâ, vel paſſionibus hyſtericis laborant, quos cùm non curare noverint vulgares, expilatis fortunis, exorciſtis pro reliquis conſignant.

Sed quî fit, quòd maniaci, & melancholici etiam quandòque peregrinis loquuntur linguis, & futura prædicunt? Aliqui negant maniacos, & melancholicos peregrinis linguis loqui, & futura prædicere poſſe negant; nàm cùm iſti variis cogitationibus agitentur, linguam variè movent, & ſæpè inconcinnos edunt ſermones; imperitum vulgus, cùm illos non intelligat, putat eos latinè, græcè aut hæbraicè loqui. Cæterùm multorum authorum fide dignorum adſunt hiſtoriæ, quæ rem ità ſe habere teſtantur, Refert *Guainerius tract.*15. *cap.*4. ſe ruſticum vidiſſe melancholicum, qui ſemper in novilunio carmina componebat, ſed poſt novilunium ne verbum quidèm latinè proferre poterat. *Rhaſes* narrat quoſdam melancholicos ex illiteratis literatos evaſiſſe, & ea prædixiſſe, quæ eventus comprobavit. *Eraſmus Roterodamus in Encomio medic.* narrat quendam Spoletanum idiomata locutum fuiſſe, quæ nunquàm didicerat, recuperatâ verò valetudine, & vermibus ope medicamentorum pluribus ejectis, ea loqui ampliùs non potuiſſe. *Foreſtus* refert *lib.*10. *obſerv.*19. Mulierem melancholicam cantiunculas latinas, & himnos cantâſſe, quos nunquàm didicerat. Et *ibidem in Scholio* ſe vidiſſe puerum nautæ filium, qui lapide ictus in capite incidit in delirium melancholicum, & ſemper ſyllogiſmos optimos in linguâ Germanicâ confecit, quod ipſe poſtmodùm componere neſciebat, quandò curatus fuit.

Hujus rei cauſam alii ab aſtris mendicant, Platonicas, & aſtrologias theſes meditantes, inquiunt cum *Platone* animam creari omnium rerum ſcientiâ præditam, & corpori infuſam obfuſcari, & oblivviſci: deindè per doctrinam, vel influxum, vel per planetæ impreſſionem, qui nativitati tempore infuſionis animæ præſidebat, omnium ſcientiarum recordari, ac proinde noſtrum ſcire eſſe quoddam reminiſci. Verùm hæc *Platonis* opinio eſt damnata ab Eccleſiâ. Præterquamquòd aſtra temperamenta immutare poſſunt, non tamen ſuo influxu rerum notiones excitare, vel etiam idiomata peregrina imprimere. (Si hæc poſſent aſtra ſanæ mentis homines ſine ſtudio, & labore ad tantam rerum notitiam pervenirent nec depravati ſenſus plùs conferre poſſunt ad recipiendum aſtrorum influxum quàm qui rectis callent ſenſibus, neque maniaci, & melancholici planè à ſenſibus abſtracti ſunt.

Alii humori melancholico id tribuunt, nam melancholici ſunt ingenioſi, ac propterea in artibus, ſcientiis vel in adminiſtrandis Rebuſpublicis aut aliis rebus perficiendis melancholicos præcelluiſſe obſervatum eſt, & hac ratione peregrinis linguis loquendi, & futura prædicendi faculta-

tem humori melancholico tribuunt. Verùm hæc opinio improbabilis eſt, nàm eſtò concedamus quoſdam melancholicos ingenioſos eſſe, tamen ea, quæ ſupra hominis vires ſunt, melancholia efficere non poteſt, ut ſunt peregrinis linguis loqui, & futura prædicere; & enim eſtò in homine ad omnes linguas addiſcendas ſit aptitudo, tamen temporis progreſſu, auditu, imitatione, & uſu diſcuntur. Vndè qui neminem audivit, nunquàm loquitur, & ea verba proferuntur, quæ audiuntur, nàm idiomata ſunt ad placitum, & eſtò homo ſit ingenioſiſſimus, in his, quæ ad placitum ſunt, ejus ingenij alacritas nihil conferre poteſt, non enim linguarum peritia ab ingenij acutie dependet, ſed ab auditu, uſu, imitatione, & memoria. Variis linguis loqui ſunt ſupra naturæ vires, nec ad naturam pertinet.

Quidam nullam hujus quæſiti conſentaneam rationem advenientes ad dæmones confugiunt, &

Flectere ſi nequeunt ſuperos, Acheronta movebunt.

& ſtatuunt dæmones peregrinis linguis loqui, & futura prædicere maniacis, & melancholicis ſuggerere, ac proindè dæmones horum affectuum eſſe authores, quia in his morbis dæmones ſe immiſcent, Deo permittente. Putant iſti humori atrabilario, & melancholico dæmonem ſe immiſcere, & in hoc nidificare, ceu nidificant aves, & hujus humoris eam eſſe naturam, ut varia phantaſmata, & deliria pariat, ferocitatem, & mæſtitiam, & multa alia excitet. Dæmon talem nactus occaſionem ſe huic humori immiſcet, & multa edit, quæ vulgus ſæpè morbo adſcribit, cùm tamen dæmoni ſint attribuenda. Alia nimirùm vitioſo humori, & alia dæmoni adſcribenda ſunt. A melancholiâ mæſtitia, timor, taciturnitas; ab atrabile ferocitas, iracundia; ab utrâque delirium, & vigiliæ procedant. Si verò in delirio multa miranda accidant, ſi ægri in deſperationem adigantur, ſibi ipſis, & aliis noceant, ſi ad impia ſtimulentur, aut ad maledicendum Deo incitentur, ea jàm à dæmone provenire credunt, etſi aliis indiciis ſeſe is non prodat. Si verò æger jàm linguis, quas nunquàm didicit, loquatur, futura prædicat, eo ipſo dæmon ſe manifeſtè prodit.

Optima quidem ſententia, cui *Sennertus* aſtipulatur, ſed impia, quia involuit blaſphemiam contra Deum, nàm illa opera, quæ Deo attribuenda ſunt, tribuunt Diabolo. Miramur ſanè diabolum in humore atrabilario, & melancholico habere ſedem, cùm tamen ſit Angelus ſuperbus, & ejus ſuperbia aſcendit ſemper eſtò malus, ſed non tàm turpis ut dicunt, & in hoc humore tam ſordido, tetro, & omnium peſſimo, ceu ſves volutatur in cœno, cum volutati miramur ſanè! Imò in hydrophobiâ quæ eſt maniæ ſpecies, in qua nullus atrabilarius præſupponitur humor, per canis rabidi morſum, vulneris nempè foramen dæmonem ſe inſinuare & atrabilarium perturbando humorem demorſum in caninam agere rabiem affirmant, ſed has nænias aniles proprio capite exploſimus. Si miranda eveniant ut in deſperationem agantur, ſibi vel aliis noxam inferant, ſi ad impia concitentur, & dæmone provenire dicunt ſimplicitas ſtolida eſt hominem maniacum ad hæc impelli a dæmone credere,

credere, cùm multi à miſeriis, vel aliis de cauſis, & non à dæmone in deſperationem ferantur, & præcipites ſe adigant, jugulent, vel laqueo ſe ſuſpendant, & tamen neque inſani, neque à dæmone obſeſſi. Nec Deus tantam permiſſionem dæmoni in genus humanum largitur: Unum exemplum tantùm de Iob habemus, quod ſcimus, in veteri teſtamento. Si omne malum, quod humano generi accidit, à dæmone dependere ob Dei permiſſionem dicere velimus, hoc totum eſt noſtrum præjudicium. Quomodò probant hæc à dæmone fieri, Deo permittente? Cui Deus hæc revelavit? Quis ejus conſiliarius fuit, vel a ſecretis? Multa eveniunt propter peccata adverſa, & nos noſtrorum malorum fabri ſumus, ut dicere cum *Ovidio* poſſumus:

Heu patior telis vulnera facta meis.

Et nos de more dicimus: Diabolus me obcæcavit, & diabolum accuſamus, & ipſe eſt innocens, & ſi reſpondere poſſet, utique mentiris, diceret. Penſitate, quantùm bardi ſunt vulgares; quòd longas vigilias, inedias, virium robur, & intenſiſſimi frigoris tolerantiam a dæmone, Deo permittente, fieri dicunt, quæ nos ad cauſas naturales retulimus. Non miramur maniacos, & melancholicos ad impia concitari, nàm obſervamus luſores, vel aliâ de cauſâ deſperatos, alioqui mentis compotes, nec à dæmone obſeſſos non tantum impia perpetrare, ſed etiam Deo maledicere. Si linguis loquuntur, quas non didicerunt, vel futura prædicunt maniaci vel melancholici, non per hoc dicendum his affectibus cacodæmonem ſe immiſcere; & eo ipſo ſe manifeſtò prodere, nàm hoc eſt, quod *Hippocrates* dixit: *Quid divinum in morbis.* Et hoc etiam extra morbos evenit ex Dei permiſſione, ut habetur *pſalm.80.v.6. Teſtimonium in Joſeph poſuit illud, cùm exiret de terrâ Ægypti: linguam quam non noverat, audivit.* Vel ob fidei meritum, ut in *Act. Apoſt. cap.2. v.5. Et cœperunt loqui variis linguis. Et v. 11. Audivimus eos loquentes noſtris linguis magnalia Dei. Et cap. 9. v. 6. Et cùm impoſuiſſet illis manus Paulus, venit ſpiritus ſanctus ſuper eos, & loquebantur linguis, & prophetabant.* Futura prædicere eſt ſolius Dei, aut eorum, quibus ea revelavit, nec Deus pro futuris revelandis dæmonis, mendacij patris, operâ utitur, ſed cui vult, ſpirat. Sed ad maniæ curationem noſter redeat ſermo.

Poſt purgationem, ut ſpiritus animales à ſcoriis accenſi, & ſanguinis vehemens motus ad blandum, & ordinatum redigantur motum, præſtat venæ ſectio; refert *Platerus obſ. lib.*1. de muliere maniacâ, quæ ab empirico in unâ hebdomadâ 70. vicibus repetitâ venæ ſectione fuit curata. Verùm venæ ſectio debet eſſe iterata, & magna meditatione celebrata, & non affatim, ſed ſimul, & ſemel inſtitui in morbi principio, dùm vires conſtant & ad debitam quantitatem, aliàs exanguis moritur æger, vel inducitur hydrops, ut multa extant exempla.

Sanguinem ad naturalem fermentationem reducimus, ſi ea propinemus medicamenta, quæ ipſum à ſcoriis acidis volatilibus vindicant obtundendo, vel immutando, & nimium ejus motum inhibent, cujuſmodi ſunt *lapis prunellæ, ſaccharum Saturni, magiſterium perlarum, nitrum*

antimoniatum, *lapides cancrorum fluviatilium*, *tinctura corallıorum*, omnia medicamenta vulgò aperientia dicta tùm ex chalybe, cùm ex tartaro confecta.

Ad hanc ſanguinis auctam efferveſcentiam tollendam prodeſſe poſſunt decocta ex lignis vulgaribus, quæ acores ſenſibiliter, & inſenſibiliter eliminant. Item conducit *ſerum lactis caprini, in quo ebullierit anagallis.* Appropriatiſſimum pro maniâ remedium celebrant nonnulli *Sanguinem arterioſum Aſini prope aures* verno tempore collectum linteo mundo, & nullo uſu attrito exceptum, & ità exſiccatum aſſervatur pro uſu. Ponitur in infuſione in ſufficienti quantitate aquæ anagallidis, vel florum hyperici, donec aqua tingatur, fiat potus pro aliquot doſibus, præmiſſis reliquis, & excitato ſudore, maniacos curat; quandò etiam iſtius ſanguinis pulvis ad ʒ j. uſurpatus, ſimili ſudoris effectu maniam ſanat. Sanguis iſte ſingularem habet energiam acidum illud volatile deſtruendi. Optimum quidem, & ſpecificum medicamentum ab analogiſmo mendicatum; Aſinus enim eſt animal melancholicum, & ſtolidum, cujus melancholia, & ſtoliditas in ſanguine hoſpitatur, & ejus ſanguinem ſumentes ex maniacis melancholici, & ſtolidi aſinini redduntur, & ab uno morbo in alterum transferuntur, & ex furioſis ignavi, & hebetes evadunt. Hac eâdem analogiâ *ſanguinem leporis*, *cuniculi*, imò ſimiliter *hominis meticuloſi* in maniâ convenire arbitramur, & ratio id perſuadet, ſi vera eſt analogia, quatenùs in his animalibus, dùm vena ſecatur, terror, metus, horror, & tremor concurrunt, & horum animalium ſanguini peculiaris inditur timoris idea. Hinc *Marcus Marci* inquit non parùm conferre in quâ diſpoſitione animalia moriuntur, quorum partes ad uſum medicum. Sic leporis, vel cuniculi ſanguis (poſtquàm à canibus in magnum adorſus eſt timorem) totum id in maniâ efficit, quia ſpirituum fervorem, & iracundiam ſedat, & pacat energiâ ideæ timoris à lepore, vel cuniculo in ejuſmet ſanguine impreſſâ; eſt enim lepus, & cuniculus pavidiſſimum animal, & uterque in pavore moriens ſanguini ideam timoris cudit, dùm à canibus urgebatur. Hinc quiſque diſcat omnium morborum ſanationes potiùs in vitæ ſedatione, quàm in cauſarum occaſionalium eductione conſiſtere. Sic tauri cruor potantem ſtrangulat, quia dùm occiditur ſuo cruori vindictæ ideam imprimit. Hæc medicamenta, quæ per ſolam ideam operantur, exquiſita ſunt in morbis, qui per ideam in vitam ſe inſinuant ſub materiæ compage, attamen nobis imponit hæc idea, & ceu fumus evaneſcit in auras: has itàque extravagantes ideas *Marco Marci*, & *Helmontio* reſtituimus, & per traducem Helmontianis conſignamus. Optima eſt theoria, ſed praxi non eſt conſona, nec morbi ideales per timoris ideam curantur. Unam tantùm terroris ideam ad maniacos curandos nos nacti ſumus, & ea tàm neceſſaria eſt, ut hinc illâ ſanati non poſſint: hæc eſt terroris idea, nempè minæ terribiles, vincula arcta, verbera, & alia, quæ magnam terroris, & timoris ideam incutiunt, & timorem incutientes ſunt maniacorum Dij, juxta illud: *Primus in orbe Deos fecit timor.* Et hinc

hinc maniaci citiùs per ſupplicia, & cruciatus in gurguſtio, quàm per medicamenta ſanantur. Aliam timoris ideam pro maniæ curatione, quâ plures curatos vidit, commendat *Helmontius*, & eſt, ut maniacus in aquam frigidam ſubmergatur, eodem modo ac fit in hydrophobiâ, cùm etiam ſit maniæ ſpecies: Sed toto cœlo mania ab hydrophobiâ differt, ut in proprio capite videre eſt, factâ utriuſque affectûs collatione.

Spiritus impetuoſo motu furentes, & ſanguinem inordinatè commouentes ſedandi, & coërcendi ſunt, ne microcoſmum uſtulent, & primò Palladis domus exardeat, velut Phaeton curru excuſſus paterno macrocoſmum incendio conſumpſit. Hos ſpirituum tumultus ſedant, ſanguinis turgeſcentiam leniunt, has furias demulcent, & has faces exſtingunt opiata, quæ ſunt unicum in hoc affectu ſolarium: verùm hæc in maniæ principio poſt exhibitum emeticum miracula patrant, attamen ſi diuturnior ſit affectus, minùs juvant. Propinanda itàque ſunt in formâ liquidâ, & ſi maniacus dormiat, ſalvus eſt, & in principio augenda eſt doſis, quia ſpiritus animales in alio occupati vix narcoſin advertunt, ideòque ſenſim in incrementum abeant: verùm cùm ſanguis ex productâ excandeſcentiâ, & longo furore ſpiritibus eſt exhauſtus, non exhibenda ſunt opiata, quia ſanguinis fermentationes proſternerent, & indè mors eveniret. Præbemus primò emulſionem ſomniferam n. d. & diacodium in formâ liquidâ, poſtmodùm ad efficaciora gradum facimus opiata, quæ ſunt *Tinctura anodyna Zuvelferi*, *aqua ſomnifera n. d. laudanum opiatum etiam n. d. laudanum ſine opio, theriaca Cœleſtis, Nepenthes Quercetani, Diaſcordium*: verùm in formâ liquidâ diſſoluta cum *ſyr. de nymphæâ, papavere albo, ſyr. de hyperico, tincturâ hyperici, aquâ anagallidis, ſpermatis ranarum, herbæ paridis* ut

℞ Laudani opiati gr. iij. diſſ. in ſuff. q. eſſentiæ anagallidis, & hypericonis, & cum ſyr. de nymphæâ edulcora pro una vice.

Vel

℞ Nepenth. Querc. gr. ij.
diſſ. in oleo perlarum q. ſ. pro una doſi.

Vel

℞ Aquæ ſomniferæ ℥. j.
tinct. hyperici ʒ. j ß. *m.*

Vel

℞ Laudani opiati gr. ij.
m. cum butyro camphor.
fiat pilula. j.

Multa medicamenta ex mineralibus elicita ſunt maniæ appropriata, illamque curant, nec magno morbo niſi magnum remedium convenit, & valido validius oppugnat, itá ſunt quæ ex lunâ concinantur, ut *vitriolum lunæ, tinctura lunæ, luna potabilis, ejuſque quinta eſſentia*, quæ cerebro prodeſſe fatentur Chymici. Præter lunam ex Saturno, Marte, & Iove *Petrus Iohannes Faber* miſturam potentiſſimam ad maniam elicit, ut

℞ Ol. camphoræ ʒ. ß.
eſſentiæ Saturni gutt. x.
Martis eſſentiæ gutt vj.
Jovis eſſentiæ gutt. v.

m. cum aquâ communi, ſed præſtat cum aquâ ſpermatis Ranarum, & ſingulis diebus

diebus per decem dies propina. Hoc enim medicamentum in cura maniæ eſt potentiſſimum, ſummoperè refrigerat, maniæ materiam alterat, ſpiritus illos retorridos caput, & cerebrum aſcendentes refrænat, & maniæ materiam ſpecificâ virtute eliminat.

Riverius ceu ſpecificum in illuſtri quadam familiâ ſecretum hoc dicit eſſe in ſuâ praxi, ut

℞ *Fol. meliſſæ,*
quæ minutim inciſa infundantur in
ſpiritus vini ℥.iv.
in quo diſſ. margarit. præp. ʒ ß.

Doſis eſt cochlearia duo, quotidiè repetendo.

Non tantùm in maniâ remedia intrinſeca, verùm etiam extrinſeca capiti admota proſunt, inter quæ camphora eſt egregia, & ſic *Hollerius* ad maniam præcipit temporum ablutionem hoc liquore:

℞ *Spiritûs vini* ℥ijß.
in quo diſſ. camph. ʒ.ß.
imponantur in nodulo
opij gr. iij.
moſchi gr. IV.

Hoc liquore tempora illinienda, & ſubindè nodulum odorandum ſuadet ad ſedandum furorem, & ſomnum inducendum. Sunt, & alia medicamenta extrinſecè applicanda, quæ capite de phrenitide recenſuimus.

Egimus de maniâ à cauſis internis ortâ, nunc ſequitur mania, quæ à cauſis externis occaſionalibus utplurimùm oritur, & ipſæ cauſæ externæ occaſionales ſingulari virtute adeò ſpiritus animales determinant, ut ex ijs imaginatio lædatur, & mirandæ inducantur maniæ ſpecies. Inter has eſt *Rabidi canis morſus*, & dicitur *Rabies*, ſive *Hydrophobia*, de quâ egimus in noſtrâ *Trutinâ Chirurgico-phyſicâ. De Vulneribus Cap. 30. De Vulnere ex morſu canis rabidi.* Item *Philtrum*, *Amor inſanus*, qui ſunt maniæ ſpecies. Et *Chorea Sancti Viti*, ſeu *Tarantiſſimus*, idelt *Tarantulæ Venenum.* Huc etiam ſpectat Furor uterinus, qui etiam eſt maniæ ſpecies. De Tarantulæ tripudio agimus poſt caput de melancholiâ hypochondriacâ, & de furore uterino agemus de morbis Mulierum, hîc tantùm laconicè deſcribimus

CAP. XIV.

De Philtro.

PHiltrum eſt poculum amatorium, & ab effectu, & forn à exhibendi nomen traxit, cùm hoc tale in liquidis, & potulentis faciliùs propinari poſſit. Deſcribi ſolet, quòd ſit pharmacum ad amorem conciliandum exhiberi ſolitum, eſtò ab aliquibus maleferiatis etiam quædam actiones, & ceremoniæ magicæ in eundem finem inſtitui ſolent, ut ex *Virgilij Pharmaceutriâ* apparet. Eſt obſtinatiſſima dementiæ ſpecies per totum vitæ curſum æquali furore eum, in quo radices fixit, perciens. Originem trahit à maleferiatis, & impudicis utriuſque ſexûs maſtigijs, qui ad exſatiandam ſuam luxuriem alias ſibi complacitus perſonas ſeducere, & in ſui amorem allicere conantur, & ejus rei gratiâ veneficas vetulas, aliaque ejuſdem farinæ propudia donatijs oblinita in conſilium vocant, ut ſua promant experimenta ad dictas perſonas irretiendas, quæ edocent, quo pacto hoc, vel illud clanculùm cibo, vel

potui

potui ſit immiſcendum, & furtivâ cælatione in deſiderati hominis buccam compromovendum. Quod interdùm, ut communis fert rumor, in tantum ex eorum voto ſuccedit, & per ejuſmodi media illicita vel venuſtis, vel opulentis conjugibus potiantur: ſed malis plerùmque avibus, terminante amore coacto veſano in implacabile, perpetuumque odium, lites, rixas, non rarò tamen malum ſortiuntur finem hæ artes, adeò ut procurati amoris loco omnem eis rationem ſuffurantur, quibus parantur. Per philtrum hic intelligimus clandeſtinas miſtiones rerum certarum magicarum ex herbis, radicibus, vel alijs ſuperſtitiosè, vel veneficè apparatarum, & in ferculis, vel poculis, quibus paſti non quidem lethaliter intoxicantur, attamen veneficâ qualitate procul dubio præcellunt, & hominis rationem prorsùs iuvertunt, & mentem per totum vitæ curriculum in perpetuam maniam ecſtaticam rapiunt.

Certum eſt philtra amorem conciliare poſſe, verùm quia amor eſt unionis affectus, quærimus, an philtra talem unionis affectum conciliare poſſunt? Et quidem philtra, ut concilient amorem, exhibentur: Verùm ambigimus, an is, qui amantem non redamat, philtris cogi poſſit, ut repugnans, & invitus etiam amantem redamet? Neque amor eſt ſemper mutuus, ſed ſæpè amatus ſe amari neſcit, & aliquis licèt ſe amari ſciat, amantem tamen non redamat, ut exemplum in Didone, & Æneâ habemus. Notitia rei præcedere debet amorem, & quidem ſub pulchræ rei ſpecie, hinc ignoti nullum eſt deſiderium: at ij, quibus philtra propinantur, ſæpè nullo modo cognitum habent ſe amari, neque ejus à quo amatur, notitiam habent, multo minùs ut pulchrum cognoſcant, nullo itàque modo in amorem philtris protrahi poſſunt, quæ notitiam illam conciliare non valent: oculus proindè amoris fundamenta jacit, &

Oculi ſunt in amore duces.

ex aſpectu amor naſcitur, nec ignotum amari poteſt, & tanquàm prodigij loco *Juvenalis Satyra* 4. *de amante refert.*

Qui nunquàm viſæ flagrabat amore puellæ.

Imò licèt is, à quo amoris conciliandi gratiâ philtra propinantur, notus ſit, tamen ſi idem ſit exoſus, nec placeat, philtra pro odio amorem inducere non poſſunt, cùm talia pharmaca in corpus non verò in animam agant.

Verumenimverò vera philtra talis conditionis ſunt, ut ijs verus amor, & naturalis quædam inclinatio unius perſonæ in alteram excitetur, & id medio quodam naturali interpoſito tanquàm magnete tranſplantatio perficitur, ut exindè mutuus ſequatur affectus. Quæſtio hîc primò exagitanda eſſet, An dentur talia philtra, quæ in determinatâ perſonâ amorem excitare, & conciliare valeant? Hoc quidem communiter contra experientiam negant: ſed notum eſt philtra legitimè facta, & uſurpata omninò hanc vim obtinere. De cane notum eſt, quòd ſiquis recipiat panis fruſtrum, & ſub axillis applicet, ut inſenſibili tranſpiratione, & ſudore benè imprægnetur, & poſtmodùm cani propinetur, tunc canis talem hominem nunquàm deſerit. *Hartmannus* paſſerem habuit, cui ſimiliter tale philtrum propinavit proprium ex medio vegetabili, qui paſſer eum nunquàm deſervit, ſed in muſeo ſemper adſtitit: viſitans ægros, cum eodem volavit, & nunquam eum deſervit.

Notum eſt *Helmontij* exemplum, quod refert *de magneticâ vulnerum curatione*, quòd nempè recepit herbam, quam ad tempus detinuerit in manu, & poſtmodùm pedem cujuſdam catuli ad tempus detinuit in manu iſtâ, undè factum fuit, ut poſtmodùm catulus eum ſecutus fuerit, relicto antiquo hero. Sic ſunt duæ plantæ ubique obviæ, quæ ſi in manu detineantur, quæcunque ex illis ſit, ut benè intepeſcant, (nàm hoc eſt conditio ſine qua non) & hinc manus, abjectâ herbâ, porrigatur virgini, ità ut & illius manus probè detineatur, ut ſimiliter incaleſcat, hinc amor mutuus conciliatur certus, non tamen diù durans, ſed tantùm per quatuor, aut quinque dies. His, & ſimilibus exemplis certis, nullum ambigendi locus ſupereſt, quin fieri poſſit certa amoris conciliatio. Confirmant hoc ipſum ſimilia exempla in naturâ obvia ſympathiarum mutuarum inter quædam animalia, inprimis quantùm valeant curæ magneticæ in morbis, ità ut certo experimento morbus ex uno animali in alterum transferri poſſit, ità tamen ut morbus curatur, altero affecto. Solùm in Ictero fiunt placentæ ex urinâ ægri cum farinâ, quæ placentæ propinantur cani, vel feli, & exindè ſanabitur icterus, quod veriſſimum eſt. Nihil dicimus de Atrophiæ per ovum curatione. De Podagræ per tranſplantationem in quercum &c. curatione. Hæc, & ſimilia omnia innuunt correſpondentiam totius cum partibus à toto ſecretis. Quin & nota eſt Sympathia inter conſanguineos: dùm frater in Germaniâ corripitur variolis, ſimiliter & alter frater, qui in Galliâ eſt, corripitur iiſdem: aut ſi Gemelli unus Lipſiæ, alter Wittebergæ ſimul eodem tempore variolis corripietur. Aliud exemplum de puellâ recenſet *Borellus Cent. 2. obſ.* 47. quæ nimijs torturis, & artuum lancinationibus torquebatur tunc temporis, cùm ejuſdem pater in loco ſatis diſſito totâ frangeretur. Simile exemplum habet de muliere, quæ ſenſit dolorem exquiſitum in fronte, cujus maritus ſclopeto in capite vulnus accepit. Sic ſimile recenſet exemplum *Bartholinus Cent. 6 obſ.* de marito toties, & cruciatus, & inteſtinorum tormina perferente, quoties uxor eſt in partûs labore. Hæc, & ſimilia exempla ſatis confirmant dari vera philtra, & determinata.

Signa.

Nulla certa ſigna dantur, quibus vera philtra à falſis cognoſcantur, non enim ſtatim nocumenta inferunt, ac proindè varia exhibent ſigna. Hoc unum notamus, quòd omnes circumſtantiæ morbum antecedentes rectè conſiderandæ ſunt: ſubindè etiam ægri mox poſt aſſumptionem cujuſdam vel eſculentæ, vel potulentæ materiæ malè ſe habent, quandò & ipſi interdum ſuſpicionem habent à tali, vel tali perſonâ, in cujus domo verſantur, propinatum fuiſſe philtrum, in ſpecie tamen de ſtomachi habitu peſſimo, & hinc poſtmodùm de mentis perturbatione tales conqueruntur ægri, amore inſaniunt & tandem in furorem conjiciuntur.

Cauſa.

Quomodò operentur vera philtra, *Helmontius* citato loco dicit, quòd philtra requirunt mumialem confermenta-

mentationem, ut ad certum objectum trahatur dilectio. Reddit ità rationem, quarè contactu herbæ, ejuſque benè tepentis in brutum, vel in hominem fiat amoris tranſplantatio, quia dicit, calor priùs herbam calefaciens, calor inquam, non ſolitarius, ſed effluvie quadam ſpirituum naturalium concitatus, herbam ad ſe determinat, individuatque ſibi, & aſſumpto hoc fermento per magnetiſmum alterius ſpiritum trahit, & in amorem ſubigit. In his eſt nervus omnis actionis tranſplantatoriæ, & curationis magneticæ, & etiam in his conſiſtit fundamentum philtrorum genuinum. Dicit fieri debere per confermentationem Mumiæ: per mumiam primariò intelligitur ſpiritus inſitus, idque inprimis in cadaveribus, in quibus influi evanuêre ſpiritus, ſecundariò tamen etiam in viventibus influus mumiæ ſpiritualis nomine ſubindè venit, & hic ipſe ſufficiens eſt pro tali tranſplantatione inſtituendâ, modò medio quodam tertio u. gr. planta quadam ſpiritus iſte mumialis ex uno ſubjecto hauſtus, & certo modo determinatus, conferatur in alterum ſubjectum, cujus ſpiritui mumiali tàm influo, quàm inſito arctè nubat, eique ſe conjungat, ex qua conjunctione poſtmodùm inter hæc duo ſubjecta mutua conciliatur magnetiſmo mumiali in diſtans mutuò agente. Ex hoc fonte curationes magneticæ, & ſimilia naturæ mirabilia ſunt derivanda, & deducenda.

Philtra falſa (nàm huc uſque de veris loquuti fuimus, & naturalibus) à vetulis, & mulieribus, aut etiam proſtibulis ſubindè propinantur, ſed vel ipſa ſunt præternaturalia, aut magica, aut ſi non ſunt magica, ſaltem verorum philtrorum virtute carent & ordinariò ferè ex earum ſanguine menſtruo, adjecto ſanguine leporino tanquàm animali fœcundo, & ſalaci componuntur. Alij ex parte umbilici decidui amorem conciliare intendunt. Sunt, qui ea componunt ex excrementis, aut animalibus, quæ putredo genuit; aut ſeminis humani beneficio philtra magnetica, ſeu amorem conciliare volunt: vel quale eſt illud, quod ex eo, & utero catulæ ardentis in venerem fit, cùm tamen catulus præſens, diùque coram illa detentus, ad eam non admittitur, tunc enim quaſi rabida furit. Alij teſticulis animalium ſalacium, ſudore certi hominis irrigatis homines in amorem cogere volunt. Hæc quidem non negamus Veneris ſtimulos, & Venereos affectus interdùm à talibus pharmacis induci poſſe, non tamen is appetitus ad certam, & peculiarem, quæ hîc præſupponitur, perſonam determinatur, ſed promiſcuè in obviam quamque. Verumenimverò quia hæc philtra non propinantur niſi perſonis, quibus aliqua præcedit ſpecies ex viſu, colloquijs, & conſuetudine concepta ſub pulchri imaginatione, eſtò objectum ſit turpe; amor enim vulgò cœcus dicitur, & qui amat ranam, ranam putat eſſe Dianam, ideòque talibus propinata philtra magnam vim habent ſibi prædeterminatam perſonam determinandi. Sed hæc omnia, & ſimilia philtra ſunt ludicra, & falſa, ut & magica, & præternaturalia, nàm cupidi amoris loco ſæpiſſimè in inſaniam, & dementias eos qui acceperunt, cogunt. Sunt & alia philtra, quæ non eduntur, vel bibuntur, & plerùmque à mortuorum veſtibus, candelis,

menſuris, acubus, & generaliter eorum, quæ funerum gratiâ parantur, ſumpta, & eorum, quæ conſcientiæ cauſâ ſub ſilentio involvere neceſſe eſt. Sed de philtrorum falſorum, præternaturalium, & magicorum cauſis, & circumſtantiis plura proferre noſtræ rationis non eſt, nec fieri poſſe putamus, niſi à veneficii gnaro, quod tamen nullus vir pius, & honeſtus addiſcere deſiderabit. Verùm vera philtra, cùm honeſtatis, & amoris gratiâ tantùm inſtituantur; nullo modo impedienda, imò facienda eſſe arbitramur.

Vnum tantùm de ſanguine menſtruo, quem uxores, & meretrices pro philtro uſurpant, ſed falſo, notamus, quòd ſit pernicioſus, pravus, & mortifer, nihilque magis tritum, quàm illius virulentiam decantare, non quia copioſus, ſed quia veneficus. Canes ſiquidèm in rabiem incurrunt ab ipſo deglutito menſtruo, nonne edunt ſanguinem canes? ſed nunquam inficiuntur: tunc igitur inficiuntur, non fieret à ſanguine, quia copioſo, ſed quia infenſo. Menſtruoſa mulier ſuo intuitu ſpeculum maculat, iſto enim tempore venenoſa eſt, & baſaliſci oculos habet ex venenoſi ſanguinis menſtrui cauſâ *In levitico* prohibitum eſt ad mulierem accedere menſtruantem. Vinum mutatur, lac aceſcit, ferrum rubiginem contrahit, terra, ut ab aceto fortiſſimo, abraditur, arbores, frutices, olera radicitùs exſiccantur, ſterileſcunt tactæ fruges, moriuntur inſita, hortorum germina, & arborum fructus, quibus inſident, exuruntur. Deteſtamur itàque enormem abuſum, & maledictum ritum diabolicarum uxorum, & meretricum, quæ à diabolo, humani generis hoſte, perſuaſæ menſtruum ſuum maritis, & amaſiis præbent, philtrum ad amorem conciliandum præbere putantes, quod tamen diabolicum, & flagitioſum mendacium eſt. Illud menſtruum totum venenum eſt, & præcipuè fœminarum bilioſarum, & ſterilium pernicioſius eſt, & ad inſaniam ſumentes redigit, aliarum verò fœminarum melancholiam aſininam producit, quam in multis maritis obſervavimus.

Prognoſis.

Philtra vera nullam inferunt noxam, cùm amor per talia philtra inducatur caſtus, ſyncerus, & ſociabilis, quia per licita media conciliatos; Philtra verò falſa quia amorem gignunt ſpurcum per media præternaturalia inter marem, & fœminam, nec intra honeſtatis limites coërcetur, ſemper malus eſt, & periculoſa ac crudelia infert ſymptomata, imò pro amore inſaniam, & furorem inducit, *de quo Ovidius lib. 2. de Arte amandi cecinit*:

Nec data profuerunt pallentia philtra puellis.
Philtra nocent animis; vimque furoris habent.

Inducunt philtra furioſam maniæ ſpeciem, ſed maximè diuturnam, & ad mortem uſque comitantem, & hac de causâ priſci Romani peculiares leges ſub pœnâ capitis contra exhibentes aliis pocula amatoria conſtituerunt. Refert *Plutarchus de Lucullo* Imperatore, quòd hauſto poculo amatorio in furorem inciderit, quo tandem miserè periit. *Lucretius* poëta celeberrimus cœcum expertus fuit furorē, huic uxor Lucilla nimis crudela, dum conjugē furore poëtico abſtractū extraneo amore

detes-

detentum temerè ſuſpicatur (non enim cognoſcebat uxorem), ſuum menſtruum propinat, quo ductus in rabiem, ſibi ipſi tandèm manus violatas intulit. *Sennertus* dicit: Notuſque hîc Wittebergæ fuit ante paucos annos quidam calceolarius, qui philtro accepto, multos annos inſanus vixit, & tandem in clauſtro inſanus mortuus eſt.

Curatio.

Diætetica hujus affectûs curatio eadem uſurpanda eſt; quam in maniâ recenſuimus, cum philtrum ſit maniæ ſpecies; quoad pharmaceuticam verò medicus ante omnia in cauſam materialem inveniendo ſtudere debet, quæ uſurpata fuit in philtro, & ſtatim ipſi occurrendum, ne venenum, in quod philtra degenerant, cor petat, & genitalia inficiat, hominem in furorem agat, & tandem juguler. Conſiderandum igitur, an amor inductus ſit ſolùm per media præternaturalia, aut magica illicita, ſeu ſignum magicum; an verò ſanguine menſtruo, aut ſemine, aut urinâ, aut ſudore, aut alvi excrementis, aut ſimilibus amor conciliatus fuerit. Si de priori in ſuſpicionem veniat, adhibentur remedia contra incantationem directa, aut morbis appropriata à veneficiis inductis. Sin verò de poſteriori ſuſpicio habeatur, tunc in furore ex philtris neceſſaria ſunt vomitoria, ut ſunt *aqua benedicta, mercurius vitæ tam in ſubſtantia quàm in infuſo, crocus metallorum, l*[illegible] *emeticum, tartarus emeticus,* [illegible] *antimonii, electuarium vitri* [illegible] *Crellii, aurum vitæ,* & ſimilia, quibus ſemper ſpecifica contra philtra admiſcenda ſunt, vel alexipharmaca, ut *lapis bezoar tinctura lazuli, tinctura bezoartica &c. oleum ſambuci ex arillis à* ʒ.j. *ad* ʒ.j.ß. tanquàm appropriatum vomitorium contra philtra commendatur. Ægro quidam *radicem aſari* contuſam exhibuit, quâ ſumptâ, multum evomuit, & ità priſtinæ ſanitati reſtitutus fuit, undè radix hæc philtro appropriata eſt.

A ſumpto vomitorio, ſtatim provocandus eſt ſudor cum *aquâ cardui benedicti, bardana, angelica, vel aquâ Mithridatica theriacali, ſpiritu tartari, terrâ ſigillatâ, diaphoretico in acutis, vel*

℞. *Theriacæ* ʒ jß.
pulv. viperæ ʒ.j.
aquæ card. ſancti ℥iij. *m.*

Vel ſequentibus provocandus eſt ſudor, ſed æger ſtragulis optimè tegatur.

℞. *Aquar. bardanæ,*
cardui bened. ana ℥.j.
terræ ſigill. Strigenſis ℈.j.
matris perlar. præp.
ſuccin. alb. præp. ana ℈.ß.
lapid. bezoar gr. v.
miſturæ ſimpl. ℈.ß.
aquæ theriacalis ʒ ij.
ſyr. acetoſitatis citri ℥.ß.
m. pro uno hauſtu.

Vel

℞. *Aquæ galegæ,*
card. bened. ana ℥.j.
aquæ theriacalis P. Salii ʒ.iij.
mithridatii ʒ.j.
ſtibii diaph. gr. xii.
ſalis volat. card. Mariæ gr. vj.
tincturæ hyperici ʒ.j.
ſyr. de card. ſancto ℥.j.
m. pro hauſtu.

qui per aliquot dies manè jejuno ſtomacho reiterandus, donec largus ſuc-

cedat ſudor, & aliquod juvamen ſentiat æger, ſed continuandus eſt hauſtus, & ſudor, quouſque priſtinæ reducatur ſanitati.

Præmiſſis univerſalibus, & ſudoriferis, ſiquid de veneno à philtro introducto remanſerit, ad appropriata devenimus, ità ſunt omnia medicamenta ex ſecundinâ parata, ut pulvis ſecundinæ, ut

℞. *Secundinam recentem,*
ſegrega venam umbilicalem, & cuticulam exteriorem exſicca in clibano, ut pulveriſari poſſit. Hujus pulveris patienti exhibe *à* ʒ.j.ß. *cum extracti theriacalis, vel diaphoretici in acutis* ʒ.j. cum cochleari uno, aut altero *ſucci,* vel *aqua Naſturtii*, qui contra philtra ceu conveniens eſt vehiculum. Hic ſecundinæ pulvis felici cum ſucceſſu contra philtra propinari ſolet, ſed obſervetur, quod ultra annum non durat, ſed copioſiſſimos generat vermiculos, ac ſingulis annis renovari debet Itèm *ſpiritus ſecundinæ* paratur per fermentationem, & diù durat. Summopere commendatur *ſpiritus theriacalis, extractum theriacale*, item *hypericum, anagallis*, & omnia ex hoc parata *Baccæ herbæ paridis pulveriſata ad* ʒ. j. commendantur, ut etiam *corrallia, & ex his parata tinctura.* Sic etiam calculus microſm. pulveriſatus, in aquâ Naſturtii plurimum confert. *Pravotius hederæ corymbos.* albicantes per octo dies ex vino, vel decocto cicerum exhibitos ad ʒ j.ad ſidera extollit.

Præmiſſis etiam univerſalibus, aliqui ſequens *electuarium* felici cum ſucceſſu per aliquot dies exhibent:

℞. *Succi meliſſæ,*
hyperici ana ʒ.ij.
rad.vincetox. ℥.ß.
magnetis bon.
qui ferrum trahat ʒ.ij.
mell.deſpumati q.ſ.
f.electuarium.

Doſis à ʒ.j.ad ʒ j. ß. jejuno ſtomacho aliquoties, donec remittat malum. Poteſt etiam à meridie quotidiè exhiberi aliquid de coralliorum tincturâ à guttis vj. ad x. Vel hauſtus de *emulſione cannabinâ* ſequens propinari poteſt:

℞. *Sem.cannabis* ℥.j.
vini alb.generoſi ℥.ix.
f.contundendo emulſio,
cui adde margarit.præp. ʒ.ß.
pulv.ſem hyperici ℈.j.
lapid. chriſolith.℈.ß.
bezoar gr.iij.
m.pro tribus doſibus

Si philtrum ſit factum ex ſanguine menſtruo cum ſanguine leporino, remedium ſunt margaritæ præparatæ, ut notum eſt ex *Borello Cent.1.obſ.63.* Verùm ſi philtrum fuerit tantum ex ſanguine menſtruo muliebri ſingulare, & expertum à nobis remedium ſunt trochiſci de myrrhâ in ſucco naſturtii aquatici exhibiti, ut

℞.*Succ.naſturtii aquatici* ℥.ß.
*trochiſ.de myrrh.*ʒ.j.*m.*

pro uno hauſtu, quouſq; in omnis philtri minera exhauſta fuerit, propinari debet. Relationem ab *Ettmullero* adductam adducemus,inquit:*Unum adhuc referam mihi à quodam fide digno narratum. Vir quidam loco philtri aliquid de ſanguine menſtruo accepit inſcius, undè fit, ut triduo ſpatio mirum quantùm totum corpus intumeſcat, omneſque partes inflentur mirabiliter: pro curâ propinantur illi pulvis cardui benedicti, & theriaca ana in aquâ cardui benedicti. Umbilico vero apponitur dimidium*

midium panis recentis, ſeu recenter ex furno extracti, & impleti ſimiliter theriacâ, & pulvere cardui benedicti, ſicque provocatur ſudor: Undè tumor ceſſat, & remoto pane dimidio, livido, & ſubcœruleo, ſequitur levis Diarrhœa, à qua ipſa tandem æger fuit perfectè curatus.

CAP. XV.

De Melancholiâ.

MAniam à reliquis deliriorum melancholicorum ſpeciebus in radice non differre dicimus, cùm hi duo affectus penes gradus tantummodò diſſideant; ſæpeſæpiùs melancholicos fieri, qui anteà fuerant maniaci, & maniacos fieri melancholicos obſervamus, ac proinde unus alteri, & alter uni ſuccedit morbo.

Eſt itàque Melancholia delirium ſine febre cum timore, & mœſtitiâ. Diſtinguitur à phrenitide per febris carentiam; quod intelligitur per ſe, cùm ex accidenti quodlibet febris genus melancholiâ correptis copulari poſſit, ſed non eſt de melancholiæ eſſentia, ut eſt eſſentialis in phrenitide febris. Per timorem, & mœſtitiam à mania ſecernitur, quæ cum furore, & audaciâ conjuncta eſt. Cæterùm hæc differentia minimi eſt momenti, nec propria, cùm non habeat diſtinctam, & differentem formam, à qua ſola deſumitur vera differentia: ſi diſtinguantur ergò mania, & melancholia, eſt tantùm ſecundùm magis, & minus, cùm cauſa ſit eadem, ſed fortior in unâ, quàm in alterâ.

Perperàm hic morbus melancholia vocatur, nàm melancholia apud humoriſtas eſt unus ex quatuor humoribus, & hoc nomen, melancholia, apud omnes practicos invaluit, quia à melancholico humore falsò derivari putant, nàmque affectus hic homines reddit melancholicos i. mœſtos: hoc itàque nomen antiquitatem ſapit, & apud recentiores eandem retinet nomenclaturam, quantùm poteſt antiquatum præjudicium! Verùm non ſemper cum mœrore, & triſtitiâ eſt conjuncta, ut vulgò falsò volunt; nàm etiam dantur deliria ridicula, & hoc affectu laborantes multi nimiâ hilaritate, & lætitiâ perfunduntur: alij nàmque continuò rident, alij lacrymantur, alij cantant, alij ſe ditiſſimos, alij vates, alij Reges, & Monarchas eſſe imaginantur.

In melancholiâ, ſicut in aliis deliriis, phantaſia, & ratiocinatio læditur, ſed præ omnibus phantaſia afficitur; ratiocinatio verò non ſemper multùm neque in omnibus. In melancholiâ in uno ſubjecto eſt error, conſtante judicio in reliquis; plerùmque enim cogitatio, & meditatio eſt intensè defixa, & tantùm uni hæret ſubjecto, & circa illud ſolummodò aberrat, quod verum eſſe credunt, & in reliquis judicium conſtat, & phantaſiæ depravatæ circa illud tantùm aſſentiuntur, de reliquis prudenter, & ſapienter ratiocinantur. Solent quandòque deliria melancholica ita feriare, ut recta ratio reſtituta videatur, attamen vel ſub inſignioribus tempeſtatum mutationibus, vel ex lunæ motibus, (dicuntur hoc morbo correpti vulgò lunatici) vel etiam idque ſæpiſſimè ex gravioribus animi pathematibus recurrunt, & recidivant. Sunt melancholici in uno ſubjecto defixi, in

quo

quo errant, & verum eſſe credunt, & non tantùm de reliquis, verùm etiam de illo ſubjecto, in quo errant, appoſitè, prudenter, & ſapienter ratiocinantur. Ità habemus ex *Huardi Scrutinij ingenior. cap.* 4. Puer nobilis Satrapæ cujuſdam in Hiſpaniâ pediſſequus, ſanus, ingenij ſtupidi, & pauci intellectûs poſtquàm in melancholiam incidiſſet, tàm aptè, tàm prudenter ad interrogata reſpondit, tàmque acutas, & ingenioſas edidit regulas de adminiſtrando Regno, cujus ipſe ſe dominum eſſe imaginabatur, ut prodigij inſtar videndi, audiendique ejus causâ complures confluerent. Ille ipſe, cui ſerviebat, herus rarò à lecto diſcedebat, Deum rogans, ne mentis ipſi reſtitueret medicus ſanitatem. Et cùm ipſum priſtinæ ſanitati reſtituiſſet, malè id habuit herus, doluitque ex ſapienti, & ingenioſo rursùm ſtolidum reddidiſſe. Imò ipſe puer ægrè tulit, ſe priſtinam ſanitatem recuperâſſe. Cùm enim in delirio viveret, ejus animus ſubtiliſſimis mundi cogitationibus paſcebatur, cujus Monarcham ſe eſſe imaginabatur, omneſq; Reges quaſi Vaſſallos ſe dominum agnoſcere credebat. Quòd licèt falſum eſſet, nihilominùs tantam indè delectationem habebat, ac ſi reverà talis eſſet. Sic puer lapide ictus in capite incidit in delirium melancholicum, & ſemper ſolœgiſmos in linguâ Germanicâ optimos confecit, quos ipſe poſtmodùm componere neſciebat, quàdò curatus fuit. Sic Ruſticus in novilunio carmina componebat, ſed poſt novilunium verbum quidèm latinè proferre non poterat. Memoria nec per ſe, nec per accidens læditur, quod non ſit in phreniticis, ubi imaginatrix ob immoderatum ſpirituum calorem, & veluti efferata innumeram objectorum multitudinem memoratrici offert, ſed ſine ordine, quæ proptereà citò, & facile in illâ obliterantur. Atque hinc accidit, ut propter memoriæ integritatem cùm probè ſæpè ratiocinentur melancholici, túm pleique verſuti admodùm ſint.

Datur melancholia ſine delirio, & hæc apud practicos mentis perturbatio vocatur, quæ frequens eſt, & recta ratio conſtat. Sic *Platerus* refert talem animi perturbationem in muliere, quæ ſtimulabatur, ut infantem interficeret: erat tamen adhuc rectæ rationis compos, & tali mentis perturbationi reſiſtebat. Et hæc dicitur perturbatio melancholica, non verò perfectum delirium. Et hanc animi perturbationem idem *Platerus* recenſet de quadam aliâ muliere, quæ ad Deo maledicendum impellebatur, hæc verò ſanâ ratione malis cogitationibus reſiſtebat, ac proindè erat animi perturbatio, non verò delirium melancholicum.

Variæ ſunt deliriorum melancholicorum ſpecies, & primò adjunctorum ſymptomatum varietate variis inſigniuntur nominibus, & hac de causâ melancholia alia dicitur errabunda, alia melancholia attonita, alia erotica &c. quæ omnes tamen ex eodem oriuntur fonte. Hinc etiam magna eſt melancholicorum varietas, ut omnes melancholicorum imagines abſurdæ ſint, nec facilè comprehendi poſſunt, & nihil tàm abſurdum, & ineptum ſanis contingere poteſt, quod non melancholici ſibi imaginentur, & veriſſimum eſſe pertinaciſſimè credunt. Hujus rei varia occurrunt exempla, & plura recenſet *Sennertus*, & quamplurimas obſervationes *Schenckius*, *Marcellus Donatus*,

Forestus,

Foreſtus, *Platerus*, *Hildanus*, alijque recenſent authores. Sic refert *Foreſtus* quoſdam melancholicos ſine capite imaginatos fuiſſe. Nonnulli in ſpecie pauperes, vel ſervili addictioni addicti putant ſe eſſe totius mundi monarchas, ut ex *Thonero* retulimus. Quidam butyrum comedens, ſe ex butyro totum conſtare arbitrabatur, indèq; igni accedere nolebat, ne liqueſceret. Sic ſtrenuus potator, mingere nolebat, metuens, ne quandò mingeret, mundus diluvio interiret, ut refert *Langius*. Quidam ſe ranam vivam in corpore geſtare putabat, ità referente *Platero*. Alius putabat ſe Biblia in capite geſtare, ut *Foreſtus* obſervavit. Quidam ſuum naſum pedis bubuli inſtar extare putabat, ità idem refert, & quoſdam ſe ſerpentes in corpore habere putantes obſervavit. *Rulandus* piſcatoris exemplum narrat, qui cantabat, ridebat, concionabatur, diſputabat cum adſtantibus, uno nomine ſe omnium doctiſſimum eſſe putabat. *Brendelius* concionatorem ſibi imaginatum fuiſſe, ſe audire vocem Dei, & Angelorum. Refert *Marcellus Donatus* mulierculam quandam ſe Regi deſponſatam eſſe perſuaſum habuiſſe, quæ ſi fortè in vitrorum fragmenta, aut alia lucida corpuſcula incidebat, eaque tanquàm rem cariſſimam, à ſponſo miſſam, in arcâ, quam totam ferè oppleverat, aſſervabat. Quidam in teſtam ſeſe mutatum eſſe exiſtimabat, & proindè neminem ſibi appropinquare volebat, ne frangeretur, id refert *Galenus*. *Lemnius* narrat quendam opinatum eſſe, ex vitro ſibi conflatas nates, atque ideò omnia ſua negotia ſtando expediviſſe; cùm metueret, ne ſi in ſedile ſe inclinaret, nates frangeret. Sic pro variâ humorum diſpoſitione, vitæ, conditionis, & cogitationis innumera hæc varietas occurrit, ac quidam rident, ſed hic riſus dici poteſt ſardonicus, & hilaritas eſt tranſitoria, cui facile ſuccedit mæſtitia. Quidam cum irâ, & contentione phreniticis aſſimilantur; alij neſcio, quæ ſcelera ſe commiſiſſe imaginantur, atque hinc ſupplicij metu, & mortis terrore vexantur; nonnulli ſe ad Inferos damnatos, imò gehennæ flammis cremari conqueruntur; alij ſe mortuos eſſe putant; quidam cœlum ruiturum metuunt; nonnulli ſerpentes, vel ranas in ventre geſtare perſuaſum habent; alij in bruta animalia ſe converſos credunt; aliqui lacrymantur; quidam deſperabundi mortem ſibi inferunt; alij divina affectant, & colloquia cum Deo, & Angelis ſomniant. Sed quis horum catalogum efformare poterit, cùm infinitus ſit numerus ſtultorum?

Signa.

Pathognomica melancholiæ ſigna ſunt timor, & mœror, qui in omni melancholiæ ſpecie reperiuntur, verùm hic timor, & mœtor diù perdurare, & ſine causâ manifeſtâ eſſe debet, ut habetur 6. *aph.* 23. *Si metus, atque triſtitia longo tempore perſeverant, melancholia eſt ſignum.* Siquidèm, qui inimicos timent, & propter res adverſas mœrent, non ſunt appellandi melancholici, quoniam manifeſtas, & evidentes habent cauſas. Melancholiæ ſunt obnoxii, quibus vitioſa eſt capitis conſtitutio, capilli, & vultus ſunt nigri, oculi profundi, obtutus, & oculi defixi in aliquâ parte. Verùm hæc ſigna ſunt com-

communia, peculiaria verò ſunt: Æger in ſomniis terretur, ſomnum habet turbulentum, & horrendis interruptum ſpectris. Melancholicorum inſomnia ſolent eſſe prophetica, cujus rationem affert *Ariſtoteles in lib. de divinatione per inſomnia.* Melancholicos in ſomnis divinare propter copiam commotionum, & imaginationum animi; Sicut enim jaculatores quotieſcumque frequenter jaculantur, tandèm ſcopum attingunt ex frequenti jaculatione: Sic melancholici propter frequentiſſimas imaginationes aliquandò veritatem rerum futurarum imaginantur. Vigiliis infeſtatur, præter ſolitum fit mæſtior, & triſtior, ſed invitus, aut triſtia cogitat, & metuit citra occaſionem evidentem, quovis leviſſimo ſubjecto ſubitò terretur. Hinc æger fit taciturnus, & moeſtus, hominum conſortia vitat, ſolitudinem ſectatur, terrificis, & intentis animi cogitationibus vexatur, vitæ tædio afficitur. Fit ſuſpicax, inſidias ſibi ſtrui, & decipi putat, cibum, & potum intoſſicatum reputat. Præter ſolitum inediam tolerat, & in nonnullis inediæ tolerantia tàm pertinax eſt, ut fame perire malit, quàm comedere, & vivere. Crebrò ſuſpirat, reſpiratio eſt tarda, & rara, pulſus tardus, parvus, rarus, & tandèm ubi malum augetur, illa, quæ cogitat abſurda, & inania abſque ullo ordine, & connexione profert, & agit, ut manifeſtè delirare comprehendatur: attamen illa abſurda loquitur, & agit ſine omni ſævitiâ, & furore, & hæc univerſalia ſigna ſunt.

Particularia ſigna ſunt: aliqui melancholici abſque causâ rident, & hinc dicitur: *Riſus eſt inſania ſignum*: alij lacrymantur, multi vates eſſe ſibi imaginantur, & de rebus futuris prophetant; quidam ſapientiſſimos eſſe ſe putant, aliqui eſſe potentes Reges, & Principes eſſe contendunt; alij pauperes ditiſſimos, & divites pauperrimos eſſe putant. Pars in varia animalia transformatos ſe eſſe credunt, ut in lupum, canem, felem, vulpem &c. quorum geſtus, & voces imitantur, vel in aves, ut pavonem, cuculum, gallinam, palumbum &c. quorum voces, & geſtus æmulantur, ut illius, qui ſe gallum exiſtimans, gallos cantare audiens, brachiorum plauſu latera quatiebat gallorum more pariter cantans, eorum cantum imitabatur. Quidam frumenti granum ſe eſſe imaginabatur, & ne comederetur, verebatur. Multi fictilia vaſa ſe eſſe autumant, alij corpus habere vitreum, plures vitâ defunctos putarunt, ſepulchro ſtatim inferri poſtulantes. Quidam in hac, vel illâ ollâ, aut ciſtâ diabolum ſe videre putant, ut ſæpè à diabolo obſeſſi à ſtolido vulgo putentur. Alij eſtò mortem exoptent, aliique pertimeſcant, quandòque eam ſibi inferunt. Quidam ſe capite, alij omnibus membris, pedibus, brachiis &c. deſtitui putant, & ſibi ipſis ità apparent. Aliqui cibum recuſant, nihil vitæ ſupereſſe exiſtimantes. Multi latrones, vel ſicarios eſſe rentur, timentque, ne ad carceres ducantur. Plures, ne terra dehiſcat, & eos abſorbeat, verentur. Nonnulli aut contentionibus, aut rixis, aut ſtudiis, aut precationibus, aliiſque vitæ inſtitutis, quibus addicti fuère, ſemper occupati ſunt. Sed melancholicorum deliriorum plena ſunt omnia, cùm horum infinitus ſit numerus.

Solet melancholia tùm per eſſentiam, tùm per conſenſum ortum habere, ut dicunt, verùm nos de phrenitide, & maniâ diximus hos affectus, ut

etiam melancholiam dicimus tantum per conſenſum oriri, & in capite tanquam in organo has functiones depravatas exerceri, & per conſenſum à partibus in prædictum organum influere ſpiritibus mediantibus. Hinc à toto corpore ſigna recenſemus, ſi totius corporis habitus ſit melancholicus, vel naturalis, qui ex colore nigro, hirſutie, macilentiâ, aliiſque ſignis cognoſcitur: vel aſcititius ex curis, laboribus, vigiliis, victu craſſo, & ſimilibus contractus.

Ab hypochondriis melancholiam procedere duo teſtantur ſigna, unum incipientis, alterum conſummatæ. Vbi hypochondriaca incipit, præter timorem, & mæſtitiam adſunt continuæ, & frequentes expuitiones a cibo, ructus acidi, flatus per ſuperiora, & inferiora emiſſi, ventriculi dolores, ventris rugitus, undè murmurant, & ſtrepitum edunt inteſtina. Circa hypochondria æſtus, & ſæpè palpitatio, ſive pulſus percipitur, qui oritur vel à flatibus, vel ab arteriâ magnâ quæ perreptat per dorſum in parte internâ, & quandòque adeò pulſat, ut ab ægris percipiatur. Adeſt interdùm diaphragmatis compreſſio, anxietas, æſtus in hypochondriis ſine ſiti, nauſea: appetitus interdum inſatiabilis, cordis palpitatio, aliquando tumor, & tenitentia in hypochondriis. Sunt luxurioſi propter flatus, inconſtantes, & mutabiles, modò avari, & modò liberales propter varia, & diverſa phantaſmata. Hypochondriacæ conſummatæ ſigna præter dicta ſunt alvi adſtrictio, fæcum durities, & corporum extenuatio.

Ab utero melancholiam oriri ea indicant ſigna, quæ hyſtericas produnt affectiones, ut de morbis mulierum dicemus.

Veterum Cauſæ.

Maleferiati Galenici pro melancholiæ cauſâ nudam intemperiem frigidam & ſiccam aſſignant; verùm hæc intemperies torpidas, vel abolitas, non verò depravatas, & delitas functiones efficere poteſt. Inſuper ejuſmodi intemperies frigida, & ſicca exiguo tempore duraret, vel facilè per medicamenta calida, & humida tolleretur. Prætereà *Avicennæ* authoritate *Fen.1.lib.3.tract.4.cap.18.* habetur: *Balbi ſunt plurimum diſpoſiti ad melancholiam.* Sed balbi temperamento valdè humido ſunt prædit, ut habetur *aph.3.ſect.6.Balbi ab alvi profluvio maximè capiuntur.* Et *Gal.* inquit balbos habere humidiorem temperaturam, quemadmodum & pueros, ratione cujus profluvio ſunt maximè obnoxii. Nonnulli vulgares obnegantes hanc nudam intemperiem, his qualitatibus, frigiditate nempè, & ſiccitate materiam induerunt, qui humor melancholicus dicitur, & hunc melancholiæ cauſam ſtatuerunt immediatam. Verum hic humor eſt quid terreſtre, frigidum, & ſiccum, nec functiones depravare, ſed tantum diminuere, vel abolere poteſt. Per humorem melancholicum intelligunt vulgares fæcem illam, quæ in ſanguinis generatione ſubſidet, & appellatur ſanguis melancholicus, & interdum atrabilis quam pro materiâ interdum vaporoſâ, & humoroſâ ſubſtituunt. Hunc humorem melancholicum in capite generari dicunt, aut extra; qui in cerebro, vel in venis, & arteriis, vel diffuſus in totâ cerebri ſubſtantiâ latet, & dicitur melancholia per eſſentiam; vel extra cere-

cerebrum, vel in toto corpore; vel liene, aut ventriculo, & dicitur per conſenſum. Ex hoc humore melancholico, qui naturâ ſuâ eſt craſſus, & niger, imaginantur vapores tenebricoſos picis inſtar elevari caput ſcandere, & ſpiritus animales, qui naturâ ſuâ puri tenues, & perſpicui eſſe debent ad cerebri functiones alacriter obeundas, & alacritatem, ac lætitiam inducendam à propriâ conſtitutione dejici, opacos, & tenebricoſos, imò nigros evadere, ſic denſari, & fixari, ac tandem timorem, & mæſtitiam ſpiritibus inducere & ægritudinem melancholiam dictam produci commentantur.

Ecquis agaſo non fieret medicus Galeniſta? Optimus medicus erit, qui hos quatuor humores meliori notâ combinare noverit. Hunc ſanguinem, quem melancholicum vocant, terreſtrem, frigidum, & ſiccum deſignant, deindè humoralem, & vaporoſum eſſe, & cerebrum impetere dicunt: verùm ut terreſtris ſemper fundum petit, ut frigidus non poteſt functiones depravare, ſed eas vel diminuere, vel abolere; ut ſiccus non poteſt eſſe humor, quia ſiccum idem eſt, ac exſuccum id eſt ſine ſucco, nec quid vaporare, & exhalare, ut cerebrum ſcandat, nam ſi ſiccum ut ſiccum validiſſimo urgeatur igne, nullum præbet ſuccum. Sed dato, quod cerebrum petat hic humor melancholicus ab aliis vectus humoribus, ſpiritus animales obtenebret non poteſt ipſos denſare, & fixare, ac timorem, & mæſtitiam gignere; nàm ſi ſpiritus fixarentur, vel actutùm mors eveniret, vel catalepſis vel affectus ſoporoſi ſuccederent, & non melancholicum delirium. Timorem, & mæſtitiam non aliundè proſiciſci niſi ab humoris, aut vaporis melancholici nigredine imaginantur, qui quotieſcumque circumfuſus eſt cerebri ſubſtantiæ, ſuâ nigredine animam rationalem perturbat, & conſequenter timere, & mærere facit. *Galenus* puerorum, & indoctorum hominum adfert exemplum, qui in tenebris perterrentur, & metuunt. Puerile, & bardum affert exemplum *Galenus* ille nugarum propola pro imperitis, & ſtolidis; credidit forſan delirio melancholico humanum ſanguinem eſſe atri ſanguinis ſepiæ inſtar, quæ dum ſe peti animadvertit, per aquam illud effundens atramentum piſcatoribus iter præſepit. Verumenimverò hæc humoris melancholici tenebroſitas ſpiritibus animalibus à *Galeno* aſſignata non eſt objectum viſûs, & conſequenter non poteſt agere in potentiam rationalem, juxta illud vulgatum axioma: *Nihil eſt in intellectu, quod prius fuerit in ſenſu.* Atq; ideò tenebræ interiores, ſeu color ille niger cùm oculis non offerantur à ſenſibus internis percipi non poſſunt, nec imaginationem pervertere, & conſequenter neque timorem, & mæſtitiam inducere. Præterea nullus alius morbus, neque ulla alia operatio læditur à colore, quicumque ſit: itàq; neque imaginatio à colore melancholici humoris lædi poteſt. Inſuper nigredo, ſeu obſcuritas talis humoris eſt pura privatio, quemadmodùm etiam tenebræ nihil aliud ſunt, niſi lucis privatio, privatio verò nihil operatur: obſcuritas itàque humoris melancholici imaginationem depravare non poteſt. Tandèm ſi propter nigredinem humor melancholicus timorem induceret, ſemper ubi reperiretur in cerebro, hujuſmodi timorem inducere deberet, qui cùm non inveniatur, ſequitur etiam nigre-

nigredinem non eſſe veram timoris cauſam, quod non inveniatur, id ex maniacis clarè paret, qui cùm habeant humorem atrum perpetuò in cerebro, tantùm abeſt eos quicquam timere, ut potiùs ſint audaces, temerarij, & iracundi.

Noſtra Cauſa.

Mediata delirij melancholici cauſa eſt acidum vitioſum, quod generatur in ventriculo, mox in liene, meſenterio, vel pancreate, aut in hypochondriis, ibique hoſpitatur, & augetur, ac primam vitiat coctionem, ſanguini communicatur, ac ſanguinea maſſa fit craſſior, viſcidior, cœnoſa, limoſa, & minùs ſpirituoſa. In tali conſtitutione maſſa ſanguinea, ejuſque vitalis fermentatio lentè procedit, & hinc non tantùm rarò anxietates, & cordis palpitationes oriuntur, ſed ſpiritualſcentia maſſæ ſanguineæ, ac ſpirituum volatiliſatio non convenienter perficitur.

Inter cauſas externas primum locum ſibi vendicat aër calidus, & ſiccus, ut in Æthiopiâ, ubi tradunt gentem illam mirum in modum eſſe melancholicam. Itèm aër paludoſus, & craſſus, hinc Bœoti ſub aëre craſſo habitantes, ſtupiditatis, & craſſi ingenij nomine malè audierunt, undè illud *Horatii lib. 2. epiſt.*

Bœotum in craſſo jurares aëre natum.

Inter anni tempus autumnus hujus ſanguinis craſſi eſt ferax. Similiter corporis habitus hirſutus, gracilis & niger cœnoſo ſanguine abundat. Diſpoſitio paterna inter has connumeratur cauſas; ſiquidèm melancholicorum filij neceſſariò quoque melancholici evadunt. Ad hæc eſt ætas, nàm ſenes, & ætate conſiſtentes maximè omnium afficiuntur. Cibus craſſus, ut carnes bubulæ, ſalitæ, cochlearum, piſces fumo indurati, mala Inſana, braſſicæ, legumina, præſertim fabæ, lentes, phaſeoli, & omnia quæ vulgò melancholica putantur. Sicut etiam vina craſſa, fœculenta, rubra, non ſatis cocta, aquæ lutulentæ, paludoſæ. Nimiæ exercitationes, nimiumque otium. Productus ſomnus, & productæ vigiliæ. Nimia ciborum repletio, & nimia coitûs abſtinentia. Menſtruorum, & hæmorrhoidum retentiones. Vita ſolitaria, nimia ſtudia, & vehementes animi paſſiones.

Hæ cauſæ vel ſanguinem cœnoſum producunt, vel partibus ſubtilibus, & volatilibus reſolutis, craſſus remanet, in ſuo curſu vertiginoſo moram contrahit, & hanc ob moram vitioſum acidum, & fit effœtus; undè ſpiritus animales ex hoc ſanguine geniti acetoſam ſapiunt indolem, fiunt ignavi, torpidi, deſidioſi, & pigri, hinc minùs volatiles, minùſque ſubtiles, aut minùs mobiles, quodammodò fixiores, imò minùs apti ad varias motiones, & expanſiones pro multitudine objectorum variâ in cerebro perficiendas: ſed potiùs fixiores ab uno objecto fortiùs afficiuntur, hujus potiùs, quàm aliorum impreſſiones & ſubſequentes motiones recipiunt, & ſemel in tramite incohato curſu, & recurſu continuò pergunt. Vndè animæ rationali ſubminiſtratur occaſio unum tantùm phantaſma efformandi, & ſubindè repetendi. Hinc talo continuum circa idem ſubjectum, ſive objectum delirium poſtmodùm ſupervenit: ſed circa illud objectum, & circa quod delirant, taliter Melancholici, ſubindè ſatis ſunt prudentes; nàm circa idem objectum ſemper occupatur anima rationalis, quia

tota ejus eſſentia, prout equidem à nobis cognoſcibilis eſt, conſiſtit in eo, quod ſit ſubſtantia immaterialis, quæ ſemper ratiocinatur, & aliquid cogitat. Hinc anima rationalis indefeſsè ſemper ratiocinando circa idem objectum ſubindè occupata, neceſſariò elegantes, & naturales formabit diſcurſus, quoniam à nullo alio perturbatur, & impeditur.

Hæc deliria melancholica pro phantaſmatum determinatione cauſas habent externas, ſive objectum quoddam, quod aut maximoperè placet, aut quod ſæpius occurrit, aut circa quod fixiſſima ſit reflexio: quod objectum per ſenſus externos ſpiritibus animalibus fortiſſimè impreſſum, eos ſubindè ad eoſdem motus in cerebro diſponit; ratione hujus occaſionis anima rationalis idem phantaſma ſecundum ideam, ſive conceptum, ſive ſpeciem intentionalem format, & elicit. Exemplificamus in melancholicis id, quod fit in ijs, qui gravi quodam negotio, aut curâ preſſi, eidem ſedulò incumbentes tempore nocturno ob negotium continuò mentem occupantes dormire nequeunt, aut eſtò dormiant per actionem tamen, & tractationem diurnam ſpiritus animales iiſdem aſſueti motionibus in cerebro, licèt parciùs in organa externa influant, eodem tamen modo in ſomno objectum, circa quod verſata fuit mens, repreſentant, & ità delirium melancholicum, ſive ſomnium melancholicum excitatur. Undè id, quod anxiè tractamus, continuò, & fortiter in ſomnio impreſſum habemus.

Undè etiam contingit, ut ex talibus negotijs, & curis cum ſummâ intentione tractamus, interdùm tales fiunt delirantes melancholicè, v. g. ſiquis concionibus ſedulò vacat, ut egregius evadat concionator, tandem evadit delirans, ut putet ſe ſummum eſſe concionatorem. Nàm delirium melancholicum primò, & in ſe eſt indeterminatum, ſed paulò pòſt quando objectum excellentiùs, aut graviùs in ſenſus incurrit: certo modo determinatur, & figitur, u. g. ſi melancholicus non dùm tamen delirans, ſed tantùm mæſtus, meditabundus, & moroſus; Hic ipſe tranſiens per locum, ubi videt peponem putridum, huic ſtatim ſubit cogitatio, quid ſi tu quoque putreſceres? Undè ſupervenit delirium, quod putet ſe eſſe putridum. Vel talis melancholicus audiens vitra frangi, ſtatim in mentem venire poteſt, quid ſi tu etiam tali ratione frangaris? Hinc oritur delirium, quod putet ſe eſſe vitrum, & metuat, ne frangatur. Undè in melancholico delirio circa aliquam rem imaginatio pervertitur, & hinc depravatur judicium, cùm anima putat ſe cauſas extra corpus percipere, quæ tamen intra corpus exiſtunt, u. g. cùm pauper imaginatur ſe eſſe Regem, & reverà in ſe percipit ideam Regis, ſed mala eſt applicatio, quia putat ſe Regem eſſe: quod oritur, quia cùm mente anteà benè valeret, per particularem ſpirituum motum idea Regis imprimitur, judicat; & percipit reverà ſe Regem videre, cùm jàm in ſtatu corporis morboſo etiam talis ſpirituum motus oriatur, etiam judicat ſe vel Regem videre, vel Regem eſſe, qui peculiaris ſpirituum motus poteſt fieri, cum de re aliquâ valdè ſimus ſolliciti, & eam ſemper ob oculos ponamus. Hæc fixa attentio ſingularem ſpirituum motionem

in

in cerebro excitat, quam in omnibus nervis producit; hinc ſpirituum fermentationes in ſanguine alterantur, & depravantur, ac ab iſto ſanguine ſpiritus acetoſi, & ex acetoſitate torpidi generantur, in quibus pertinaces cuduntur ideæ, & radicantur. Cùm hi ſpiritus in cerebri meatum pertingunt, ibidem propter lutuoſitatem huic inhærent, undè non facilè idea ſemel concepta deleri poteſt, ſed dies, noctesque idem objectum animo volutant ægri, nec alias res etiam majoris momenti meditantur. Si hi ſpiritus non totaliter torpidi ſint, ſed aliqualiter volatilitate fruantur, judicium valdè labefectatur; ſi ordine non moveantur, varia oriuntur deliria cum riſu, cantu, ſaltatione, Venere, alijſque blandis cogitationibus. Si verò ſpiritus animales craſſiores ſint, tunc melancholici lentè incedunt, & veſtigia ſemel cerebro impreſſa ſemper eandem retinent impreſſionem, quam menti repræſentant, & perpetuò præſentem habent. Undè melancholici ſe diabolum videre imaginantur, vel illo loco, ſi ſpiritus ſint valdè craſſi, & ſegniùs moveantur, ſi incidant in veſtigia de diabolo aliquandò impreſſa, cùm ægri eum olim pictum viderint: ſi fortis idea cuditur, perpetuò ſpiritus animales diaboli ideam menti repræſentant, & melancholici diabolum deformem, ut à pictoribus effingi ſolet, ante oculos habere imaginantur.

Si hypochondriacus in melancholiam inclinet, hic ſi murmura, & ructus in abdomine percipit, quaſi coaxationem, his ſonitibus perterritus melancholicus, & circa eoſdem fixis cogitationibus inhærens, facilè poteſt exindè in iſtud incidere delirium, quod putet ſe habere ranas viventes, ſeu ſerpentes in ventre.

Tandem ut res clarior fiat, cum *Ettmüllero*, ponamus amantem juvenem, alioqui ſaniſſimum: Hic primò admodùm ſibi placet circa amaſiæ præſentiam, poſtmodùm abſens meditatur, ejuſdem pulchritudinem, cogitat, quomodò denuò ejuſdem præſentiam acquirere poſſit: hinc meditatur confabulationes &c. Undè fit, ut in ſomno poſtmodùm amaſiæ ſpecies, & actiones cum eâdem occurrant: tandem ità determinantur ſpiritus, ut non niſi amaſiam repræſentent. Hinc tale ſequitur delirium, quod æger continuò putet ſe habere amaſiam præſentem, undè incipit cum eâdem confabulari, adulari, ridere, precari &c. utut neminem præſentem habeat, & tamen ipſe delirus amans eſt, amator, & amaſia. Hæc, & ſimilia tali modo ſe inſequuntur: Quò etiam pertinet, qui poſt terrores, triſtitiam, mœrorem, vel ſimiles animi affectus graviores ſubindè deliria melancholica ſuccedunt, quâ ratione mulier perterrita ex viro ſuſpenſo graviſſimâ melancholiâ correpta fuit, teſte *Platero*.

Hæc deliria, quæ ab externâ occaſione, vel graviori animi affectu oriuntur, quare non æquè omnes affligunt? aut quare non omnibus ex animi affectibus gravioribus oriuntur deliria melancholica? *Reſpondemus*, quòd hic conſideranda eſt ſubjecti conditio, & diſpoſitio; nàm certum eſt unum eſſe magis promptum ad delirium, alterum minùs. Cauſa hujus promptitudinis remota habitat in maſſâ ſanguineâ, proxima verò hæret in ſpiritu animali. Remota dicimus, cum eodem *Ettmüllero*, eſt in maſſâ ſanguineâ; notum eſt enim, prout maſſæ ſangui-

ſanguineæ naturalis craſis ex ſemine oriunda, etiam hinc hominum mores variare, & hinc eſt quod jam ſuo tempore ſuo idiotiſmo dixit *Galenus*, quòd animi mores ſequantur temperaturam corporis. Undè totâ die experimur quoſdam naturâ eſſe iracundos, quoſdam lætos, & hilares, alios triſtes, & meditabundos, idque pro varietate ſanguineæ craſeos, undè variæ ſpirituum animalium conſtitutiones: undè etiam iſta ingeniorum diverſitas. In his verò in quibus adſunt delitia melancholica, illi utplurimùm ſunt hypochondriaci. Uti etiam malum hypochondriacum confirmatum ſæpiſſimè delirium melancholicum poſt ſe trahit, aut ſi non ſunt hypochondriaci apertè, ſimile tamen vitium malo hypochondriaco in ſtomacho tales patiuntur: undè ſubindè acida eructant, nimium appetitum habent, alvo ſunt obſtructâ, & ſimilia. Et tale delirium, quandò non apertè fomitem in hypochondrijs habet, vulgò dicitur oriri ex conſenſu cordis, & totius.

Varia idiomatum genera de melancholicis prædicant vulgares, ſed undè oriantur, & quomodò fiant, incomprehenſibile eſſe putant. Aſtrologi omnia melancholicorum opera mirabilia ſyderum influentiæ, quæ melancholicos gubernant, tribuunt. Sed ſatis confutati ſunt Aſtrologi à *Pico Mirand.* ideòque non opus eſt adverſus hos contendere. Chriſtiani à Dæmonibus id fieri putant: ſed hoc nos Theologis catholicis relinquimus, medicus tamen cauſas naturales, & non dæmoniacas indagare debet, & miramur ſanè hæc melancholicorum varia idiomata diabolo malle tribuere, quam Deo, & magis diabolo, quàm Deo credunt, ſed nimis quàm par eſt, credulis hoc opinamentum conſignamus, nos verò quis nimis ſcrupuloſi ſumus, his bardorum nænijs fidem non adhibemus, attamen cauſas naturales veſtigamus. Melancholici varijs, & innumeris cogitationibus continuò agitantur, undè fit, ut linguas vario modo fingant, & moveant, quæ diverſæ figuræ, & motiones cùm ab auditoribus non comprehendantur propter ignorationem, evenit, ut putentur modò latinè, modò Græcè, modò Hebraicè &c. loqui. Et eò maximè in hac ſententiâ ſtabilimur, quòd nunquàm quiſquam vir cordatus Latinus, ſive Græcus, vel Hebræus varia melancholicorum idiomata intellexiſſe reperitur.

Prognoſis.

Morbus hic recens, cui nondùm confirmatum ſit delirium, facilè curatur à ſola decenti victûs ratione, ac aëris mutatione, quia naturale fermentum viſceribus reſtituitur, laudabilis, & tenuis ſanguis generatur, ac ſpiritus ſubtiliores, & volatiliores conficiuntur, & tales ægri curantur. Si verò morbus ſemel altas fixerit radices, & pertinax acceſſit delirium, chronicus, & contumaciſſimus evadit, & hinc dicitur vulgò flagellum, & opprobrium medicorum, & rarò curatur, quia remediorum energiam eludit, mitiora contemnit, & à validioribus exaſperatur, Viſcera enim utpotè fermenti conficiendi officina ob ſpirituum animalium torporem, & ignaviam ferè omni ſuo defraudantur fermento naturali, ad quod reſtituendum longum temporis ſpatium exhauritur, quod non facilè attingimus. Quantùm ex ſe eſt, hic morbus non eſt lethalis, & ad mortem comitari ſolet, niſi æger aliquandò impias ſibi manus inferat, & indè facilè mors evenire poteſt.

Quandò

Quandò delirio melancholico alia mala copulantur, & ipſum exitiale reddunt, nàm melancholia hoc proprium habet, quod ubi alteri conjungitur ægritudini, eam ſemper faciat lethalem. Melancholia, quæ poſt morbum acutum ſequitur, ut poſt febres diuturnas, aut acutas, aut poſt phrenitidem, faciliùs aliis, & ſæpè per ſolam diætam curatur. Melancholia, quæ eſt cum riſu, ſive gaudio, tutior eſt, & tractabilior, quàm illa melancholia, quæ eſt cum furore, ſtudio, & ſeria ob majorem humoris pravitatem. Faciliùs tollitur, & minus periculi habet per conſenſum, quam quæ per eſſentiam. Si imaginatio ſaltèm tollitur, levius malum; gravius, ſi ſimul ratiocinatio. In morbis melancholicis periculoſæ ſunt tempore verno humorum depoſitiones, & decubitus; quoniam permutantur frequenter vel in apoplexiam, vel in convulſionem, vel maniam, vel cæcitatem, ut inquit *Hip. 6. aph.56. Atrabilariis morbis periculoſos humorum à loco ad locum decubitus, aut ſyderationem corporis, aut convulſionem, aut inſaniam, aut cæcitatem ſignificat.* Eapropter *Ariſt. ſect.* 30. *probl.* 1. ſcribit Herculem melancholicum fuiſſe, & ſimul epilepticum, & ab illo Herculeum priſci nominavêre. Melancholia, quæ à caractere ſeminali per parentes in liberos transplantata fuit, nunquàm curatur. Si melancholicus præter ſolitum in riſum, vel fletum, vel lacrymas ſolvatur, ne in maniam tranſeat, metus eſt.

Ad ſalutem demonſtratur iter, ſi melancholiæ materia vel diſſipetur, ſi pauca fuerit, ſi mitiora ſint deliria, vel ad inferiores, & ignobiliores partes à naturâ detrudatur, Si hæmorrhoidum fluxus ſuperveniat, aut etiam uteri, ſi ſuperveniant varices, quos commendat *Hip. ſect. 6. aph. 21. Inſanientibus ſi varices, vel hæmorrhoides ſupervenerint, inſaniæ ſolutio.* Quod de melancholiâ intelligendum eſſe explicat *Galenus.* Itèm *eâdem ſect. aph.* 11. *Melancholiâ laborantibus hæmorrhoides ſupervenientes, bonum.* Item *aph.* 5. *ſect.* 7. *Ex inſaniâ dyſenteria, vel hydrops, aut mentis emotio, bonum.* Eò quia per has partes morbificus humor, qui melancholiam efficit, educitur, vel à cerebro ad infernas partes deponitur, & illæſa remanet cerebri ſubſtantia. Verùm hæmorrhoides, aut varices curationem interdùm afferunt, ſi criticè humores à naturâ ad illas partes inferiores detrudantur, non verò ſymptomaticè. Solvitur interdùm per ſcabiem, aut alios cutaneos affectus. Multò atrociùs divexantur mulieres à melancholiâ, quàm viri, & viri quidèm evadunt, quàm mulieres; ubi melancholicæ evadunt, multò pejus tractantur, quàm viri, undè multoties ſe interimunt mulieres. Hujus cauſa prima eſt corporum mulierum frigiditas, nàm affectuum diverſitates, qui in melancholicis conſpiciuntur, ex diverſitate habitûs corporum oriuntur, ità ut quandò eſt valdè frigidus, accedente humore melancholico, fiunt moleſtiæ, & anxietates, propter quas deindè ſeſe mulieres interimunt. Secunda eſt ſanguinis menſtrui impuritas, & pravitas; eſt enim hic ſanguis adeò fœdus, & hoſtilis, ut quotieſcumque humori melancholico jungitur, horribiles, & incredibiles producat effectus. Ultima ratio eſt, quoniam hic ſexus uſque adeò puſilli

animi eſt, ut ubi ſemel ab hoc humore corripitur, ſeſe totum in ipſius poteſtatem tradat. Via ad interitum in melancholiâ eſt vel per virium reſolutionem, quæ ſenſim ſuccedit, cùm ægri cibum, ac potum pertinaciter averſantur, parùm, aut nihil dormiunt, vel caloris nativi ſuppreſſione, & ſuffocatione, quod fit dùm ægri animi mœrore, vel aliis cogitationibus ſe miſerè contabeſcunt, vel per convulſionem, aut epilepſiam, materiâ ad nervorum principium, & cerebri membranas converſâ,

Veterum Curatio.

Veterum medicorum ſumma indicatio eſt humorem melancholicum evacuare, & malam cerebri, & aliarum partium intemperiem calidam, & ſiccam auferre, ac proindè ſi melancholia ſit in omnibus corporis venis, curationem à ſanguinis effuſione exordiuntur, & in quocumque corpore etiam gracili hoc magnum auxilium convenire opinantur, cùm ſanguis melancholicus ſit, & neque inediâ, neque frictionibus, neque balneo reſolvi poſſit; Undè venæ ſectione ipſum tantùm evacuare oportet. Neque dici valet melancholicos corpora habere cacochyma, quia in melancholiâ à toto, quicquid vitiatum eſt, in ſanguine reperitur, ideòque ſanguinis miſſio valdè neceſſaria eſt

De ſanguinis mittendi quantitate *Gal.* 1. *ad Glauc.* in melancholiæ curâ hanc affert regulam, ut dùm ſecta eſt vena, animadvertatur, an ſanguis fluens ſit craſſus, an tenuis, ſi tenuis, ſupprimendus eſt, & modicè evacuandus; ſin autem craſſus ſit, largiter, & opiparè fundendus.

Locus undè ſanguis mitti debet, nullam particularem venam deſtinant, cùm melancholia ſit univerſalis, ſed totum venoſum genus deſignant, ac proindè venam medianam, & quidèm ſiniſtri brachii, vel ſi lien à melancholico humore obſtructus ſit, venam inferiorem cubiti, quam lienariam vocant, aperiunt; ſi hæmorrhoides ſolemnes erant, venas hæmorrhoidales circa podicem ſecant. Ubi verò ex menſium obſtructione mulieres laborant melancholiâ, ſtatim menſes per venæ ſectionem in pede inſtitutam, & per alia medicamenta hæminagoga provocant; cerebro melancholiâ imbuto, ubi corpus maximè ſit plethoricum, venam dextri cubiti jecorariam dictam, vel cephalicam ſiniſtri cubiti incidunt.

Circa ſanguinem evacuandi modum nonnulla animadvertunt, primùm, ut barbitonſores incidendo venam, magnum faciant foramen, nàm ſanguis melancholicus eſt craſſus, & niſi amplum efficiatur foramen, ſanguis vix exire poteſt: alterum obſervandum eſt, ut in hoc caſu brachium in aquâ calidâ detineatur: ſic enim foramen magis dilatatur, & ſanguis ſubtilior, & fluxibilior redditur. Et quod eſt operis complementum, ubi ſanguis erit mittendus primùm obſervant, an alvus fluat, ſi minimè ſponte fluat, ſtatim clyſterem injiciunt, & unâ fideliâ duos dealbant parietes, nempè ſimul merdam, & ſanguinem educunt.

Venæ ſectionem in melancholiâ repudiare nobis ſupervacaneum, videtur, nàm melancholicorum ſanguis eſt craſſus, terreſtris, & fœculentus, ac proindè tantùm in quali, non verò in quanto peccat; igitur vel totus craſſus eſt, & quomodocumque educatur, qui remanet, etiam craſſus eſt, & ejuſdem conditionis, ac qui non eſt eductus;

ctus; vel cum craſſitie partes habet ſubtiles, & hæ partes in eductione primò foras erumpunt & qui remanet, craſſior,& fœculentior erit, & melancholia pejorabit: melancholicorũ itàque ſanguis nullatenùs educi debet, ſed potiùs expurgari, à craſſitie, fœculentiâ, & terreſtreitate vindicari, vel in partibus vitioſis corrigi, emendari, & temperari debet, & per convenientia cribra evacuari, id quod vitioſum eſt, donec ſanguis ad debitam fermentationem, & temperiem naturalem redigatur. Nec quia natura per hæmorrhoides, vel per uterum ſanguinem evacuat, & melancholiam curat quandò criticè. & non ſymptomaticè evacuat; ideò medicus imitari poteſt quod natura facit in ſuppreſſis hæmorrhoidibus, & retentis menſtruis in causâ melancholiæ, hæmorrhoides ſecare: & ſaphænam tundere debet: non ſemper enim ſcit medicus, an Natura id facere debeat, & non poſſit, ut ille ſuppleat.

Emiſſo ſanguine ſemel, bis, & ter à ſanguinariis, ſtatim ad purgatorium confugiunt medicamentum, ſed non niſi præparato humore melancholico *ſyrupis de ſucco boraginis, fumariæ, lupulorum, cichor. de pomis* cum appropriatis aquis, quos ſexies, vel ſepties propinant, poſt quos purgans exhibent medicamentum ad humorem melancholicum educendum, ut

℞. Flor. cord. p. j.
fol. ſen. or. ℥. ß.
f. decoct. in aquâ fumar.
& in ſuff. colat. diſſ.
Syr. ſueſſ.
de plurib. infuſ. roſ. rubr. perſ.
ana ℥. iij.
m. f. p.

Poſt aliquot dies à medicamento purgante, rurſus humorem melancholicum præparant, & ad catharticum fortiùs deveniunt, ut

℞. Flor. cord. p. j.
fol. ſen. or. ℥. ß.
polyp. querc. ℥. j.
epithym. ʒ. ij.
f. decoct. in aquâ borag.
& in ſ. q. diſſ.
ſyr. de fumar. mai.
ſueſſ. ana ℥. iij.
confect. hamech ℥. ß.
m. f. p.
adde aquæ cinnam. parum.

Si his evacuationibus univerſa materia non videatur evacuata, ſolent devenire ad nonnullos ſyrupos magiſtrales, qui per quædam intervalla exhibentur, ut

℞. Succ. utriuſque cichor.
utriuſque endiviæ ana lib. ß.
ſucc. hepaticæ,
fumariæ ana ℥. iv.
bulliant, & depurentur;
addendo fol. ſenæ,
polyp. querc. ana ℥. j.
fol. meliſſæ,
boraginis,
lupulorum,
betonicæ,
acrimoniæ,
capill. Ven. ana. p. j.
f. colat. & cum
ſacchara aromatizetur;
& f. Syr.

Doſis ℥. v pro vice.

Quandòque melancholicum in formâ boli hoc modo purgant:

℞. Confect. hamech ʒ. iij.
diacatholic. ℥. j.
agarici trochiſc. ʒ. j.
cinnam. ℈. ß.
m. f. bolus.

Vel ægrum pilulis purgant, ut ſunt *pilulæ cochiæ cum hellebro*, *pilulæ de lapide lazuli*. *Serum* pro evacuando humore melancholico maximoperè extollunt, ſed hoc modo compoſitum.

℞. *Seri caprini lib. j.*
hellebori nigri ʒ. j.
epithymi,
polypodii querc. ana ʒ. j.
ſucc. borag. ℥. j.

Infundantur omnia per noctem in ſero prædicto, dein parùm bulliant, & factâ colaturâ, capiatur manè calidum, idque non ſemel, ſed ſæpiùs; adeò enim ſeri uſum cōmendant, ut hoc ſolo præſidio multos fuiſſe liberatos ſcribunt.

Hæc purgantia; & alia pro humore melancholico expurgando non unà, ſed pluribus vicibus propinant, non enim ſemel educi poteſt., quia iſtum humorem picis liquidæ inter tenacem eſſe credunt; verumenimverò tanta eſt hujus humoris contumacia, ut non ſit ſperandum unicâ purgatione debellari poſſe, quinimmò non defuerunt, qui exiſtimârunt melancholicos affectus eſſe penè immedicabiles, ac proindè hujuſmodi melancholicos morbos ſi pharmacis ſanare tentaveris, ſi levioribus, id aggredieris, incaſsùm laborabis, miriora enim contemnunt; ſi validioribus, illos exaſperabis. Undè *Plato in Timæo* hujuſmodi morbos minimè pharmacis irritādos eſſe dicere ſolebat. Prætereà delirium melācholicum ab illius humoris redundantiâ, & novâ ejuſdem generatione vix per purgantia curari poteſt: At quia aſſiduè malum hoc augetur, & fomentum ab humoribus melancholicis, qui quotidiè ex cibo, & potu generantur, ſuſcipit, vulgares circa productum eliminandum inſiſtunt, & cauſam producentem s fermentum intactum relinquunt, ac proindè eſtò centies purgent, nunquàm malum eradicabunt, imò ægrum potiùs periment, quàm curabunt, niſi ad humoris rectificationem, & fermenti exſtirpationem confugiant.

Ad intemperiem corrigendam duo præſidia convenire fatentur, *uſus* nempè *Lactis*, niſi adſit aliquod repugnans vel *balnei aquæ dulcis uſus*, & hoc *Gal. 3 de loc. aff. cap. 7.* melancholiam ſanâſſe gloriatur. Interim ea, quæ cerebrum roborant, cor lætificant, & ſpiritus animales recreant, propinant, ità ſunt *conſervæ, vel ſyrupi flor. boraginis, bugloſſi, violarum, meliſſæ, nymphææ &c. Gallia moſchata, diambra, dianthos, electuarium de gemmis, confectio alkermes &c.* Non deſunt cucurbitulæ, frictiones, ligaturæ, cauteria, & id genus varia medicamenta, quæ recenſere vellè eſſet tempus inutiliter terere.

Tandèm his & aliis vulgaribus præſidiis ſecundum pandectas exhauſtis, ſi delirantes melancholici curati non fuerint, ad maleficiorum ſubterfugium recurrunt medentes, & tales ægrotos exorciſtis conſignant; ineptè namque cum *Valleſio*, *Ceſalpino*, *Sennerto*, & aliis credunt dæmones humana corpora ingredientes humores excitare melancholicos, & atrambilem exagitare, & hoc modo non tantùm delirium melancholicum, & maniam, verum etiam paralyſes, epilepſias, cephalalgias, cœcitates, ſurditates, phthiſes, dolores, paſſiones hypochondriacas, & cæteros morbos chronicos oriri credunt, ac proindè præſente morbo, in primis ſi quid divinum ineſt, præcipit *Hippocrates* à Diis exordiri: poſteà adhibenda remedia naturalia. Ambigendum itàque reſtat, an ægritudines à dæmone, an

à

à cauſis naturalibus geneſim agnoſcant, & ſic actum eſſet de medicinâ. Sed demus has chronicas ægritudines à dæmone oriri, ut dicunt: quorsùm tendunt tot medicamina ab hodiernis exorciſtis propinata? Certo certius ſufficient tantùm medici. Sed ſimiles medicinæ hipocritæ vel ſunt adverſus cacodæmones, vel humores, ſi in humores, naturalibus pharmacis cacodæmones non fugantur, imò educto humore melancholico, vel atrabile, alios humores degenerare in hos facient, nec obſeſſi liberantur, & erunt mala pejora prioribus; vel adverſus dæmones, nec credere poſſumus dæmones herbis, pilulis, emplaſtris, ceroris balneis, inunctionibus expelli poſſe à quibuſdam recentioribus exorciſtis. Verùm ſcimus hoc dæmoniorum genus non ejici niſi in oratione, & jejunio, & tamen aliqui reperiuntur exorciſtæ, qui Eccleſiæ Catholicæ piis, & ſanctis diſpoſitionibus abutentes, nimis credulis infirmis imponunt, & horum crumenas per illicita diſpendia exhauriunt. Vera, & ſalutaria pharmaca ſunt jejunia, & orationes, quibus humani generis hoſtis fugatur, & non herba Paris, ruta, hypericon, helleborus, & cætera ex his, vel aliis herbis medicamina compoſita. Sed has ſacrificulorum impoſturas ſub ſilentio involuamus, ne noſter ſermo prolixior reddatur, & calamus pro veritate patefaciendâ, quæ odium parit, ſatyricus habeatur.

Noſtra Curatio.

Tranſeamus itàq; ad noſtram melancholiæ curationem, quæ ut rectè peragatur primò diætam, & deindè pharmaciam inſtituere oportet, quæ niſi ambę ad curationem concurrant, nullatenus ex voto ſuccedere poteſt, & primò.

Aër debet eſſe lucidus, ſubtilis, & calidus, ut ſpiritus animales reddantur lucidi, vividi, ſubtiliores, nobiliores, & volatiliores, undè homines in tali aëre verſantes fiunt hilares. Hinc eos qui ſub aëre ſubtiliore, & calidiore degunt, raro fieri melancholicos obſervamus, adeſt enim in aëre aperto, lucido, & ventilato quædam ſubſtantia æthera, quâ vita noſtra nutritur, ſuſtentatur, vividior redditur, & pro ſpirituum materiâ ſubſtratur, quâ ſpiritus animales recreantur, & promptiores ad munus ſuum obeundum evadunt. Undè ſi homo in conclave undique optimè intercluderetur, cui recentis aëris acceſſus inhiberetur, utique ob talis ſubſtantiæ privationem ad breve tempus viveret. Similiter aër ſit odoratus, & arte paretur, ſic enim ſpiritus noſtri reficiuntur, & exhilarantur. Vitetur aër craſſus, obſcurus, humidus, & fœtidus, nàm in hoc ſpiritus animales fiunt craſſi, torpidi, obſcuri, minùſque prompti ad ſuum exequendum officium, ideòque ſuam ſibi ſervant ſedem, & ideam: ſic in aëre craſſo habitantes tardioris, & obtuſi ingenii ſunt, & melancholiæ ſunt obnoxii.

Cibus ſit optimi ſucci, concoctu facilis, temperatus, tenuis ſubſtantiæ, calefaciens, moderatè humectans, qui blando humore nutritio ſit turgidus, & imprægnatus. Exhibeatur ergò caro ex gallinis, caponibus, avibus montanis, hædina, agnina, vervecina, vitulina, ova ſorbilia, piſces ſaxatiles, & id genus alia. Laudatur ab antiquis, authore *Plinio*, caro leporina, quia in ſeptem diebus corporis gratiam, & formam concilians undè *Martialis lib. v. epigr.* ſic cecinit:

Si quandò Leporē mittis mihi Gellia, dicis,
Formoſus ſeptem Marce diebus eris.

quam tamen medici in affectibus melancholicis damnant, ſicut etiam aprorum, & capreolorum carnem damnârunt. Ex oleribus borago, bugloſſa, intybus, lactuca, & endivia laudatur. Ex fructibus, ficus, amygdalæ, pineæ, paſtinacia, uvę paſſæ commendantur. Panis ſit albus, benè, non tamen nimis fermentatus. Contrà vitandus eſt cibus durus, ſiccus, frigidus craſſus, fæculentus, flatulentus, & omnes illi, qui melancholicum generant ſuccum, ut ſunt caro bubula, ſuilla, caprina, ceruina, aprugna, hircina, leporina; ex avibus, quæ magis ambulant, quàm volant, ut anſerina, anatina, & ſimiles. Inter piſces, qui craſſam habent carnem. Abſtinendum à ſalſis, ſiccis, aceto conditis, & ſale, ac fumo induratis tàm piſcibus, quàm carnibus. Ex oleribus braſſica, & mala inſana vitentur. Inter legumina maximè fugiantur lentes, fabæ, cæteris verò ne veſcatur æger. Ex lacticiniis vitetur caſeus vetuſtus, de lacte controvertunt medici, quia facili in quemlibet permutatur humorem, & *Hip.5.aph 65.* in illis lac damnat, quorum hypochondria murmurant, cujuſmodi ſunt melancholici. Ex alterâ parte lac convenire videtur, quia humidum eſt, & moderatè calidum, imò primum hominis nutrimentum, ac proindè humori melancholico adverſum. Verumenimverò in melancholiâ hypochondriacâ neque lac, neque lacticinia conducere dicimus, eapropter ſi delirium melancholicum ortum habeat à melancholiâ hypochódriacâ, ceu utplurimùm evenire ſolet, nullatenùs convenit; in aliis verò melancholiæ ſpeciebus convenire poteſt, ſed cave, ne aceſcat, ac proindè illis regulis, quas in febre hecticâ recenſuimus, utatur melancholicus. Cibi aſſumantur câ quantitate, quæ ventriculo nullam in coctione moleſtiam pariat, nec novi ingerantur priuſquàm priores è ventriculo in ventrem deſcenderint. Vitentur tandèm hæc omnia alimenta, quia hunc morbum vel augere, vel producere poſſunt, quale nutrimentum, talis ſanguis, & tales ſpiritus: ex nutrimento ergò tali vitioſo fit ſanguis vitioſus, ac proindè fœculentior, viſcidior, & craſſior, ex quo ſanguine deindè ſpiritus animales non poſſunt generari ſatis lucidi, vividi, & ad munus ad quod deſtinati ſunt peragendum prompti, ſed torpidi, & ignavi; fiunt enim ſpiritus ex puriſſimâ, & ſubtiliſſimâ ſanguinis portione, qui ſi ſit impurus, impuros dabit ſpiritus. Sūma itàq; curationis melancholiæ ſedulitas erit victûs ratio, quoniá morbus iſte fovetur, & continuò augetur à cibo & potu, ideoq; conveniens victus pręſcribi debet; & deindè propia medicamenta, ſi aliter efficies, ab aſino lanam quæres. Eſt itaq; victûs ratio tàm neceſſaria, ut ſine ipsâ impoſſibilis ſit ſanatio, eſtò pro hoc curando morbo adhibeantur arcana, & tamen ſine medicamentis hac unâ interdùm melancholici perſanantur. Verùm cùm morbus ſit chronicus, talis victûs ratio inſtituatur, qua corporis vires, ſi ſaltem non augeantur, tamen conſerventur, non verè debilitentur, vel imminuantur.

Potus ſit vinum album, benè maturū, defœcatum, non admodùm generoſum, oligophorum, atq; etiam aquâ caſtigatum; vinum nàmque lætificat cor hominis. Vitetur craſſum, fœculentum, novum, auſterū, ponticū, & aceroſum. Si melancholicus vinū nó bibat, aquâ purâ, vel medicata ex herbis contra melácholiam per decoctionem, vel infuſionem, vel ſero lactis utatur. Fugiantur

potiones

potiones mellitæ, vel ſaccharatæ, ut ſorbet, chocolata, caffeæ &c Melancholicis vinum, & vini ſpiritum moderatè concedimus, cùm ſanguis à vino ſpirituoſus fiat, eoſque reddit hilares, ſed cùm ſpiritus abſumpti fuerint, iterùm melancholici evadunt. Aceti uſum omnino improbamus, nàm hoc humorem melancholicum dictum auget, & deteriorem reddit, ac in atrambilem dictam degenerare facit, quia melancholiæ adverſiſſimum eſt. Inſuper ſpiritus acidos, ut vitrioli vel tincturam roſarum, & violarum ſpiritu Vitrioli elicitam, vel ſyr. roſar. vitriolat. conſervam roſarum vitriolat. à melancholiâ proſcribimus; obſervavimus enim ex nimio ſpirituum acidorum uſu quoſdam melancholicos factos.

Somnus omni ſtudio concilietur, & prorogetur; ſomnus nàmque omnem triſtitiam abigit, & Turcæ ad animi anxietatem, & alacritatem inducendam opium ſumunt, verùm ne quid nimis: Somnus enim nimius ſpiritus animales profundiùs cerebri meatibus figit, & torpidiores reddit. Eadem eſt de *vigiliâ* ratio, hæc enim nimis protracta ſpiritus pauciores reſolvit, reſtantes torpidiores reddit, cerebri conſtitutionem vitiat, & eò magis delirare facit. Sint itàque ſomnus, & vigilia moderata, attamen ſomnus quàm longior fieri poteſt, dummodò ſit naturalis procurandus eſt, & ſomnum vigiliæ præferimus, tunc cùm melancholicis humectatio eſt neceſſaria, ſomnum convenientiorem putamus, & præcipuè poſt Cœnam, & tunc melancholicis eſt remedium ſupra gemmas, & lapides pretioſos æſtimandum.

Motus modum ſervet, & præſertim ante cibum, eapropter conferunt avicularum aucupationes, vel ſaltim obambulationes ſub aperto Jove magis quàm ſub porticibus, in loco aprico quàm ſub umbrâ, quod ſi incedere non poſſit æger, vehatur curru, ut corpus aliquo modo ſe exerceat. Immoderatus motus vitetur, ne ſpiritus volatiles, & mobiles abſumat. Sic *quies* moderata quammaximè neceſſaria eſt non tantùm corpori, ſed etiam animo poſt motum, & cibum; nimia verò quies, quod otium vocatur, multùm obeſt, nàm ciborum coctionem, & diſtributionem inhibet, calor naturalis exſtinguitur, & excrementorum ſaburram aggerit, ægros ignavos, & deſidioſos, ac ſpiritus animales torpidiores reddit; undè ægri profundè ſe curis immergunt, & melancholicum delirium augetur, vel ſaltim fovetur.

Excreta, & retenta ſecundum naturam incedant: Alvus in melancholiâ perpetuò lubrica ſervetur, & eò magis quia melancholici maximâ ex parte alvos adſtrictas habent, & multò acerbiùs tractantur. Undè ſi naturâ ſuum non deponat onus, clyſteribus emolienda eſt, ut

℞. *Fol. ſen.* ℥. ß.
fol. braſſic.
malvæ.
violar. ana m. ß.
f. decoct. ſ. ar. &
℞. *Dicti decoct. lib. j.*
diaphœnic. ʒ. iv.
ol. violar. ℥. v.
ſalis ʒ. j. *m.*

In melancholicis nàmque opus eſt clyſteribus paulò vehementioribus, quia ferè ſemper alvum habent adſtrictam. Quòd ſi clyſteres reſpuant, vel ſuſtinere non poſſint lubricam ſervent glandibus, vel *decocto ſenæ, vel conſervâ prunorum.*

norum Damaſcenorum, vel quod meliùs *ſyrupo ſol. ſen. or.* ex noſtrâ deſcriptione. Menſtrua, lochia, & hæmorrhoides ſollemnes naturalem curſum ſervent; hæc enim retenta quàm maximè nocent, undè ſpiritus animales valde conſpurcant, & non poteſt non fieri, quin varia, & triſtia phantaſmata in cerebro ſuſcitentur, & conſerventur.

Inter *animi pathemata* ſtudiosè vitandi ſunt in primis timor, & mæſtitia, qui melancholiam conſtituunt, item nimiæ curæ, anxietates, ſollicitudines, & nimia ſtudia proſcribantur; ac proindè animus ſuavibus amicorum colloquiis, vel muſicâ, comediis, lætis fabellis, læto nuncio, ab intentis, & mæſtis cogitationibus, & meditationibus avocandus eſt, & ad gaudium, & hilaritatem adducendus. Vel hilaritas concilietur illis, quibus maximè delectari ſanus conſuevit; vel leniter increpanda vana triſtitia, vanoſque timor, aut ſi increpationibus nihil proficiatur, acriter objurgetur, minacibus terreatur verbis, quæ ſi non proſint, verbera cum verbis miſceri poſſunt, ut à falsâ illè conceptâ imaginatione abducatur, & mens aliò vacet.

Dubitatur, an Veneris uſus in delirio melancholico conveniat? Et pro noſtrâ ſententiâ convenire, & conducere videtur, nàm hic uſus melancholicos red dit hilares, ſpiritus vivificat, paſſiones demulcet, corporis torporem proſcribit, calorem ſuſcitat, & carnes emortuas ad vitam revocat, præſertim ſi nimia coitus abſtinentia præceſſerit, vel ſi melancholia ab utero ortum ducat, ut in virginibus & viduis. Verùm oppoſitum ex alterâ parte evincere videtur, nam parentes fatui fatuitatem in filios hæreditario jure per ſemen transferunt, ſed hoc non eſt perpetuum, ſiquidèm quotidiè ex parentibus ſtupidis oriri filios ingenioſiſſimos, & contrà, ex parentibus peritis filios fatuos obſervamus, ut relatum eſt de filiis *Hippocratis*. Prætereà coitus triſtitiam parit, nàm omne animal poſt coitum mæret; præter Monachum, mulierem, & gallum, ut inquit *Ariſtoteles* verumenimverò hic mæror fœnore compenſatur, nàm relictâ poſſeſſæ Veneris ſenſatio maximum gaudium, indicibilem animi hilaritatem, blandamque elargitur voluptatem, undè facilè à delirio melancholico liberatur æger, nàm omnia vincit amor.

Poſt delineatam diætæ curam, de noſtro more pharmaciam aggredimur; ſi enim hæ duæ conſentiant, magna ſalutis ſpes affulget: pro noſtrâ itaque indicatione totus curationis cardo in ſanguinis maſſæ rectificatione, ejusdem vitiorum correctione, & regeneratione maſſæ ſâguineæ ſpirituosâ, & volatili vertitur, ſed hujusmodi morbi curatio magnâ patitur difficultatem, nàm malum eſt contumax, quia melancholici ob morbi diuturnitatem medicamenta reſpuunt, & medicis ſunt inobedientes.

Ut ergò methodo procedamus, ſi ægri phantaſticis illuſionibus ſeducti ſint, & de ſeipſis prodigioſa quædam imaginentur, & firmiter credant, ſalvâ tamen ratione mens ab iſtis per inventa artificioſa abducenda eſt, & ſtultis ſtulta interdùm conveniunt remedia, adeò ut ridicula deliria ridiculo modo fuerint curata, ut ſcilicèt impreſſum phantaſma per aliud artificioſum contrarium quaſi deleatur, & extinguatur, cujuſmodi curationum plurimos caſus, & exempla apud practicos hinc indè proſtare notamus.

Trallianus

Trallianus refert: Medicus quidam, qui ſibi caput amputatum eſſe putabat, curavit, impoſito repentè capiti ipſius plumbeo pileo, ut gravitatem ſentiens, caput ſe recepiſſe putârit, gaviſuſque ſit plurimùm, atque adeò vanâ imaginatione liberatus.

Sic & alius, qui ſe cornua geſtare putabat, capiti cervinis cornibus alligatis, ſerrâque reſectis, & oſtenſis, inſaniâ liberatus eſt.

Ut & ille, qui ſe in capite paſſares habere dicebat, medico per nates eos ſe extrahere ſimulante, & ægrotanti, quem in maniacâ abſconderat, paſſerculum monſtrante ſanatus fuit.

Marcellus Donatus notat: Senenſis quidam nullo modo perſuaderi poterat, ut urinam redderet; ajebat enim, ſi mingeret, totam urbem diluvio perituram, quem ad lotium excernendum eleganti commento perduxerunt. Nàm pulſantibus campanis, ad inſanientem accurrunt, & magno incendio urbem conflagere nunciantes, obnixèque rogantes, ut redditâ urinâ civitati ob incendium periclitanti opem ferret.

Alius, referente *Foreſto* ſuum naſum pedis bubuli inſtar extare putabat, qui curatus fuit inteſtino alicujus animalis appenſo, quod medicus abſcindebat, & itâ ſe naſum abſcidiſſe dicebat.

Idem refert, quòd quidam ſerpentes ſe in corpore habere putans, fuerit curatus, in excrementa alvina ſerpente injecto, ità ut perſuaſus fuerit æger ſe excreviſſe.

Fuit melancholicus, qui putavit ſe ſemper frigere, ſeu ſeſe ſummo frigore eſſe effectum: hic curatus fuit poſtmodùm, dùm ipſi applicata fuit veſtis pellea ſpiritu vini imbuta, quâ accensâ, æger non ampliùs ſe frigere dixit, & ità curatus fuit, ut habet *Zacutus Luſitanus.*

Tulpius refert quendam melancholicum ſe ſuris carere putaſſe, qui poſtmodùm forti ſuratum percuſſione curatus fuit.

Aretæus cujuſdam hiſtoriam narrat, qui ob amorem cùm melancholicus evaſiſſet, poſtquàm amaſiâ potitus fuit, ſtatim curatus eſt.

Si verò non tantùm imaginatio, verùm etiam ratio depravata ſit, ſeria, & appropriata conveniunt medicamenta. Undè curatio dirigenda eſt undequàque malum traxerit originem, hinc ſi hæmorrhoides ſint ſupreſſi, in ſuum naturalem reducantur fluorem, & optimū, & à nobis expertum remedium ſunt *pilulæ de aloë.* Si menſes non fluant, exhibeantur, ea, quæ in *Mantiſſâ* deſcripſimus, experta medicamenta. Si affectio hypochondriaca in causâ ſit, uſurpentur tàm digeſtiva, quàm laxativa, quibus, quæ delirium melancholicum reſpiciunt, addere oportet, & pro melancholiâ curandâ; identidèm, quæ ad affectionem hypochondriacam ſpectant, pro melancholiæ curatione admiſcenda ſunt.

Pro noſtrâ itàque melancholiæ methodo ſanguinis maſſa rectificetur, & ejusdem vitia corrigantur, iſque ſpirituoſus, ac volatilis generetur, ut ſpiritus animales volatiliores, ſubtiliores, & agiliores ex eo generentur. Rectificatur, & corrigitur ſanguinis acidum, ſi cauſa, ob quam maſſa ſanguinea generatur, & fovetur, craſſior, viſcidior, & acidior, naturale fermentum ſubeat, & viſcida, & acida ſaburra indè effluens propriis remediis à primis viis, à ventriculo nempè, liene, meſenterio, pancreate, vel hypochondriis foràs

eliminetur, ne ſanguini impertiatur. Hujuſmodi ſunt antimonialia emetica, ſed fortiora, aliàs partes ſenſiles ad talem ſpaſmodicam contractionem non irritari poſſunt; & acidum illud viſcoſum, lentaque ſaburra ventriculi parietibus adhærens meliùs excutitur, & exturbatur, ità *ſunt Tartarus emeticus Mynſicht à gr. vj. ad viij. Sapa Vomitoria Sylvii ex muſto, & mercurio vitæ, noſtrum Hippocras emeticum, crocus metallorum, infuſum mercurii vitæ, vel aqua Æſculapii.* In hoc morbo præ aliis antimonialia commendamus, nàm humores valdè diſſolvunt, & fluxiles reddunt, & curationem quaſi politicam efficiunt, quia humores valdè corrumpunt, & immutant ità, ut excreta ſub viridi colore appareant: Hinc æger illa colorata videns, credit omnem mali mineram eo tempore exturbatam eſſe, & ſic ceſſat in ægro illa phantaſia, & phantaſmata, quibus melancholici plerùmque obnoxii ſunt, planè ceſſant. Et reverà tamen in antimonio ſpecifica latet energia contra melancholiam, & nihil tàm melancholiam per ſuperiora, & inferiora purgat, quàm antimonium, ut multæ proſtant hiſtoriæ.

Verùm ſi hoc acidum viſcidum circa hypochondria, aliaſque infernas partes, ut meſenterium, lienem, pancreas &c ſtagnet, ſanguinem conſpurcando, tunc cathartica conducunt, & in primis *helleborus niger, & omnia elleborata in deliriis melancholicis primum tenent locum,* ut

℞. *Extract. rad. hellebori nigri* ℈. ij.
extract. troch ſc. Alhandal. gr. iv.
m. f. pilul. i j. deaurentur.

Vel

℞. *Extract. hellebori nigri,*
extract. diacatholic. ana ʒ. ß.
m. f. pilul. v. deaurandæ.

Ex helleboro fieri poteſt *vinum helleboratum*, ut videre eſt in *Quercetani* pharmacopœâ, quod eſt convenientiſſimum melancholicorum laxativum. Paramus nos ex hellebori nigri radicibus pulveres, eas macerando ter in vino ſublimato, quas poſt exſiccationem pulveriſamus, & ad ℈. ß. ad plures dies felicè cum ſucceſſu melancholicis exhibemus cum ſufficienti anagallidis extracti quãtitate, nec ulla ſenſibilis obſervatur evacuatio, ſed inſenſibiliter operantur. *Lapis Lazuli ſpecificum eſt medicamentum* contra deliria melancholica, cujus pilulæ nunquàm ſatis laudari poſſunt, ut

℞. *Pilul. de lapide lazuli* ʒ. j. ß.
reſinæ jalap. gr. vj.
m. f. pilul. v. & deaurentur.

Ex eodem lapide lazuli parantur *tinctura, & magiſterium*, quæ eximias in hoc debellando morbo habent vires. Similiter conducunt *Pilulæ de fumariâ, de ammoniaco, Tartareæ Quercetani*, ſed hæc medicamenta per intervalla reiterari debent. *Serum lactis caprini*, ſi ventriculo non obſit, ad plures dies copioſè ſumptum eâdem ratione acidas, ſalſas, & ſulphureas ſanguinis particulas ſolvit, educitque & præſertim ſi in eo infundatur, vel coquatur epithymum. Veruntamen verò à purgantibus melancholicos ſemper malè ſe habere, & vix aliquod juvamen percipere obſervavimus, præcipuè cùm morbus iſte in malâ cerebri conformatione conſiſtit, attamen ſanguinis, & ſpirituum dicraſis multùm conferre poſſunt, nàm acidas exturbant viſciditates, nutrimentum piant, nec nova viſciditas, & aciditas unà cum nutrimento pro ſanguinis generatione ſuppeditatur, ac interim impertita eidem ſanguini lentor, & acidi-

tas

tas per medicamenta obtunditur, dulcificatur, vel eliminatur, & optimi generatur ſpiritus pro ſuis obeundis partibus.

Ad acidum in maſsâ ſanguineâ corrigendum, vel deſtruendum mirum in modum medicamenta ex Marte, vel tartaro confecta juvant, & præſertim Martis vitriolum; ſi enim Martialia intra corpus aſſumantur, vitioſa aciditas agit in illa, & eâdem actione qua agit ſupra martis corpus fixatur, & ſic fit tertium, & acidum abſorbetur, & deſtruitur. Veniat pro praxi vitrioli Martis confectio, fit hoc ex Martis limaturâ, & ſpiritu vitrioli, qui acidiſſimus, eſt hic agendo ſupra Martis corpus, fit unum, & dulceſcit, ut guſtu quiſque percipere poteſt. Vel id planè obſervabile eſt in tartari vitriolati præparatione, qui fit ex ſpiritu vitrioli & oleo tartari p.d. attactu hæc duo agendo, magnam concipiunt ebullitionem, quâ abſolutâ, ad vitri fundum quid tertium omni aciditate deſtitutum præcipitat, quod Tartarus vitriolatus appellatur. Sic omnia medicamenta ex Marte confecta, *ut Martis vitriolum, tinctura Martis antimoniata, crocus Martis aperitivus, tinctura Martis aperitiva ex Andrea Battimelli Auctuario, eſſentia Martis* in hoc morbo ad plures dies ſumpta conducunt; ut etiam *ex Tartaro tartarus vitriolatus, cremor tartari, ſal tartari fixum, ſal tartari volatilis, tinctura tartari ex eodē Battimelli Auctuario*, & hæc diverſimodè combinata magno cum fructu exhibentur, ut & maximoperè proficua ſunt antiacida, quæ alkalia fixa, & terrea ſunt, quatenùs acidum peregrinum abſorbent, & deſtruunt, ut ſunt *lapides cancrorum, eorumque magiſterium, margarita, cornu cervi uſtum, ebur præparatum, ſal abſynthii fixum, ſal fraxini*, Vel

℞. *Tart. Vitriolati.*
vitrioli Martis,
ocul. cancror. ana ℨ. j.
margarit. ℈ ß.
m. f. pulvis,
quem in 1x *partes æquales divide*;

& ſingulis auroris ſumatur una in aquâ ſtillatitiâ anagallidis. Vel

℞. *Vitrioli Martis gr. vij.*
rhabarbari opt. ℈. ß.
Salis fraxini ℈. j.
f. pulvis.

Sumatur hæc doſis per 20. & ultra dies in rore majali ſtillatitio; advertendum tamen, quod medicamenta Martialia requirunt exercitium. Doſis vitrioli Martis quotidiè augeatur gr. j. uſque ad xx. ultrà continuanda, rhabarbari verò, & ſalis fraxini ſemper ſit eadem doſis.

℞. *Croci Martis aperitivi* ℈. ß.
ſalis tartari volatilis gr. v.
eboris præp. ℈. j. *m.*

& propina ad plures dies in *ſyrupi de fumariâ helleborati* cochleari, præmiſſâ tamen catharſi, ut in omnibus medicamentis Martialibus propinandis fieri debet; Vel

℞. *Magiſt. perlar.* ℈. ß.
C.C. ſpagyricè præp. ℨ. ß.
lapid. lazuli magiſterij ℈. ß.
magiſt. corallior. gr. x1v. *m.*

Et exhibe in tinctura hyperici.

Hæc *Tinctura hyperici* magnum eſt remedium in melancholiâ ac proindè ejus receptum ex *Hadriano à Mynſicht* huc traducere placuit:

℞. *Succ. herbæ, & flor. hyperici.*
expreſſ. & depurator. lib. ij.
anagallidis cum floribus
purpureis expreſſ. & depurat. lib. j.
ſang. aſinini ex venis poſt aures
extract. lib. ß.

 florum

florum bugloſſ.
roſar. rubr.
anthos ana ℥. vj.
confect. Alkermes,
caſſia lignea ana ℥. ß.
croci orient. ʒ. j.
Infundantur per noctem, & in B. M. deſtillentur ad ſecundum cohobium.

℞. *Hujus aqua lib. ij.*
eſſ. flor. hyperici cum ſp. V. ext. ℥. ß.
Stent in loco tepido per noctem, manè aliquoties filtrentur, donec tincturam rubicundiſſimam, rubini inſtar accipies, quæ ſacchari candi. q. ſ. edulcoranda, & ad uſum ſervanda.

Hæc tinctura non tantùm in melancholiâ, verùm etiam in maniâ, dementiis, in imminutâ, & abolitâ, ſeu depravatâ phantaſiâ, & ratione maximum eſt arcanum; imbecillitatem enim, hebitudinem, ſtupiditatem, mentis torporem, & ingenij tarditatem emendat, & quantùm per artem licet, corrigit, & omnes imaginationum affectus feliciter tollit. Doſis cochlearia iij. ad iv. bis in die, manè ſcilicet ante ſolis ortum, & veſperi eundo cubitum.

Dùm hæc propinamus medicamenta, quæ ſanguinis lentorem, & aciditatem corrigunt, abſorbent, & deſtruunt, ea exhibenda per epicraſim cenſemus, quæ ſanguinem in fermentationem adigunt, ejuſque lentas, & acidas ſordicies præcipitant, eum purgant, & ad naturalem fluorem, & dulcedinem reducunt, ac deindè per proximiora emunctoria exturbant. Ea ſpirituoſa, & volatilia eſſe debent, & huic morbo convenientia, ità ſunt *eſſentia fumariæ, ambræ, croci, anagallidis, hyperici, ſatyrij, meliſſæ, corticum citri, corticum aurantiorum, elenii, aliæque eſſentiæ. Tinctura caſtorei, cinnamomi, caryophyllorum. Spiritus tartari volatilis, ceraſorum nigrorum, ſalis armoniaci &c.*

℞. *Tinct. caſtorei ℈. ß.*
ſp. ceraſor. nigr. ʒ. ij.
eſſentia meliſſ. ℈. j.
eſſentiæ citri ʒ. j.
ſyr. flor. borag. ℥. ß.
aquæ flor. hyperici ℥. j.
m. detur parùm, & ſæpè.

Vel

℞. *Aquar. anagallidis,*
meliſſæ,
boraginis ana ℥. j.
eſſentia croci ℈. j.
eſſ. cortic. aurantior. ʒ. j. ß.
tinct. caryophyll. ʒ. ß.
ſp. ſalis armoniaci gutt. xv.
camphoræ gr. v.
elæoſacchari citri ʒ. j.
tinct. alkermes ʒ. iv.
julep. de cinnamomo ℥. ß.
m. detur parùm, & ſæpè cochleatim.

His medicamentis in naturalem temperiem, & propriam dulcedinem redacto ſanguine, ſpiritus animales volatiles, & ſubtiles generantur, ſed quia quandòque auſteram conſervant indolem, undè ignavi, lenti, & deſidioſi quodammodò remanent, nec officium ſuum appoſitè peragere poſſunt, in hunc finem volatilibus ſuprà recenſitis, ac infrà dicendis cordialibus tota res peragitur, auſterâ expoliantur indole, & ſimul confundantur, corroborantur, ſubtiliantur, volatiliſantur, hilares, & prompti redduntur, undè poſteà liberiùs expanſi totum cerebrum pro imaginationis, ratiocinationis, & alia um principum facultatum actionibus irradiant, ità ſunt *extractum granorum Kermes cum ſucco pomorum redolentium,*

tium, confectio Alkermes ratione lapidis lazuli, & ambra, tinctura ligni aloës, vel cinnamomi, julep. cinnam. vel aqua lactiginoſa, julep. caryophyllorum, julep. Vitalis n. d. elixir cordiale, elixir ſanitatis n. d. tinctura alkermes, quam ita in *Mantiſsá* paramus:

℞. Confect. Alkermes ℥. j.
aquæ ardentis,
pomor. redolent. ana lib. ß.
ſpiritûs vitrioli ʒ. j.
digere, & decanta.

Quæ cordialia variis formulis juxta medici præſcribentis arbitrium combinari, vel ſolitariè, & cochleatim per intervalla propinari poſſunt, undè pro tyronibus

℞. Julep. Vitalis compoſiti ℥. j.
extract. granor. kermes ʒ. j.
elixiris cordialis,
tinct. lign. aloës ana ʒ. ij.
tinct. alkermes. ℥. ß.
ſyr. exhilarans. Laurentii ℥. j. m.

Vel

℞. Syr. flor. borag. ℥. ij.
tinct. cinnam. ℥. ß.
elixiris ſanitatis ʒ. iij.
julep. caryophyllor. iv.
eſſentiæ aurantior. ʒ. j.
aquæ perlar. ʒ. j. ß.
ſpiritus ceraſor. nigr. ℈. iv.
aquæ meliſſæ ℥. ij. ß. m.

Cùm melancholici delirantes protractis vigiliis emaciantur, ne indecentius labantur, ſomnus reſtituatur, & conſervetur, dentur potulenta, & eſculenta, quæ blando ſucco nutritio ſunt turgida, & impragnata, & ad blandiora ſomnifera confugere oportet, ut ſunt *aqua ſtillatitia foliorum lactucæ, ſyrupus de papavere albo, emulſio ſomnifera n. d.* ſi ad opiata confugiendum ſit, hæc nunquàm ſola propinanda ſunt, nàm parùm operantur, duplicatâ tamen, & triplicatâ doſi nihil efficiunt, & ideò magis, quò diutiùs ſomnum in oculis non viderit æger, & tunc narcotica, & opiata potiùs malum aggravant, quàm leniunt, cùm talia narcotica per ſe ſomnia nonnihil turbulenta ſæpiùs, & in majori doſi inferunt: Opiata itàque ſemper appropriatis, & præcipuè humectantibus miſcenda ſunt.

Eſt & alia inſaniæ ſpecies, quæ Lycanthropia vocatur, & ad maniam reducitur ob depravatam imaginationem, & deſcribitur, quòd ſit delirium ſine febre, in quo homines imaginantur ſeſe in lupos, vel canes transformatos eſſe, quapropter ululant, latrant, noctu vagantur, ſepulchra perquirunt, & quod magis horrendum eſt, etiam cadavera corrodunt. Undè intelligere poſſumus, quid ſignificare voluerit *Plinius*, dùm *lib.* 8. *cap.* 22. narrat: Neuros Scythiæ populos quotannis per aliquot dies lupos fieri, & deindè in homines redire. Et quanquàm fabuloſum ſit homines lupos fieri, ſemper tamẽ exiſtimavimus, & alios, qui de hac re teſtati ſunt, non omninò fabulas recitâſſe, quandoquidèm accidit, ut variæ gentes Lycanthropiâ ſint tentatæ, & in omnibus lupos imitatæ, adeò ut occaſionem dederint fingendi transformationem in lupos. Et de hoc morbo intelligendus eſt *Pauſan.* cùm *lib.* 6. *Ilia.* ſcribit Demarchum quendam pugilem decem annis fuiſſe lupum, & deindè priſtinam recepiſſe formam; nàm veriſimile eſt virum illum laboràſſe quotannis Lycãthropiâ, ità, ut fuerit exiſtimatus lupus. Et non alienum à ratione cenſemus mutationem illam Nabuchodonoſor in bovem, & in feram, non aliud fuiſſe, quàm hujuſmodi ægritudinem.

Qui hoc corripiuntur morbo interdiù latent domi, & ubi tenebræ apparent, ſtatim, exeunt, & hùc illùc vagantes, clamant, ululant, fugiunt obvios, ſepulchra frequentant, cadavera corrodunt, vultûs colorem habent fœdum, linguam aridam & ſiticuloſam, & præcipuè habent crura dilacerata, vel ulcerata propter alliſiones ad lapides, & res duras, ac ob canum morſus, dùm noctù ambulant.

Hic morbus & ſi horrendus ſit, non eſt tamen exitioſus, licet pluribus menſibus duret, tamen maniæ, vel melancholiæ curatione curatur. Vulgares in hoc malo phlebotomiam ad ſydera extollunt, inquiunt enim, quòd ſi hujuſmodi dùm actù tali laborant affectione, ſi vulnerati fuerint, ſtatim convaleſcunt.

CAP. XVI.

De Catarrho.

VUlgares medici proprium vocabulum, quo catarrhi nomen exprimant non habent, cùm per catarrhum pituitæ fluxionem, & deſtillationem à capite, & præcipuè cerebro in cunctas ſubjectas corporis partes prolapſam intelligant, cui morborum myriades adſcribunt; ſic enim oculorum, aurium, linguæ, dentium, columellæ, laryngis, pectoris, lumborum & crurum defectibus accuſantur catarrhi Nullus ergò humani corporis partes infeſtans morbus progignitur, quin ſtatim à catarrho non agnoſcat originem. Itàque ſi materia non decidit, ſed in cerebro ſtagnet, adeſt ſopor, coma, cathocus, Lethargus, vertigo, memoriæ, & ſenſuum jactura. Si ad cerebri ventriculos exprimatur, & inveſtientes cerebrum membranas videlicet, epilepſiam gignit. Si ad cerebri baſim, & nervorum principium ruat, apoplexiam. Si ad ſpinalem medullam, & nervos delabatur ſtuporem, paralyſim, convulſionem, & arthritidem gignere fatentur. Si ad anteriores capitis partes delabatur, & ad nares depluat, non ſolum corizam, & odoratûs læſionem, ſed etiam ozenam, & polypum efficit. Si ad oculos, ophthalmiam, lacrymas, cœcitatem. Ad columellam, tumorem, laxitatem, ulcus. Ad laryngis muſculos, anginam. Ad fauces, aſperamque arteriam, raucedinem. Ad pectus, & pulmonem, pleuritidem, peripneumoniam, tuſſim, aſthma, ſanguinis ſputum, phthiſim. Ad cor palpitationem, & inopinam mortem. Ad ſtomachum, cruditates, vomitus cardialgias, obſtructiones, atrophias &c. Ad venas, febrem. Ad renes, & veſicam, calculos Itèmque chirurgicos defectus, apoſtematum, ulcerumque variam prolem catarrhos progignere puerorum ſimplicitate credunt. Flenda ipſis proindè humanæ vitæ conditio, quæ quotidiè capitis truculentam ſuſtinet tyrannidem, ac tot tantoſque patitur morbos à capitis vertice ad pedis calcem. O caput morborum ſentinum! Jure merito es plectendum trepano non minùs pro pure, quàm pro catarrho, ut tantorum malorum pœnam luas. Reſipiſcant tandem vulgatium ſcholæ, & diſcant, non ex uno forte, capite ſcilicet humano tot catarrhos depluere, ſed ex propria & topicâ uniuſcujuſque partis diſpoſitione morbos oriri. Derelinquant Græcorum dogmata, quæ nunquam tuta fuêre, nec in poſterùm de manu in manum ethnicorum præjudiciis, nugis pernicioſis, anilibuſque fabellis ſe ſubſcribant. Credimus equidem catarrhum eſſe humani generis hoſtis inventum, ne cognitis morbo-

morborum cauſis remedia innoteſcant.

Signa.

Catarrhum indicantia ſigna alia imminentem prænunciant, alia præſentem oſtendunt, præcedunt enim catarrhum ut plurimùm capitis gravitas, ſternutatio frequens, ſenſuum torpor, ſomni longiores, artuum laſſitudo, refrigeratio, levis dorſi horripelatio, emunctio narium, expuitio ſolito copioſior, alvi ſegnities, urina copioſior, alba, & tenuis, accedit febricula, quæ veſpertino, & nocturno exacerbatur tempore, & cum febriculâ catarrhi ſymptomata incrementum ſuſcipiunt, & catarrhum imminere perſuadent, ac corpus inſigniter incaleſcit. Præſentem dindè indicant catarrhum tuſſis, raucedo, & ſputum copioſum, ac varia excreta per os, nares, & fauces. In naribus oſſis ethmoidis foramina vel obſtruuntur, vel tenuis lympha aquæ inſtar defluit. In raucedine adeſt gutturis aſperitas, vox rauca, & ſæpiſſimè tuſſis, & cùm immodica lympha in ſuis exuberet vaſis, pars per nares, partim per palatum, interdùm per oculos excernitur. Aliquandò hæc lympha in pulmones effluit, (ſed non ex capite) & tunc tuſſis, vel aſthma exoritur; nulla enim in toto corpore humano pars immunis eſt à vaſis lymphaticis, ac proindè nulla pars ab hujus lymphæ receptione eſt immunis. Dùm hæc vaſa lymphatica nimiùm quàm par eſt repletione diſtenduntur, vel craſſeſcit, vel acceſcit, & in hæc, vel illa ſe exonerat loca, in quibus dolor, & tumor vel lateris, vel lumborum, brachiorum, ſcapularum, vel oculorum, dentium, lumborum, vel ad[illegible]num, coxendicis, vel crurum, diverſorumq; articulorum oritur.

Catarrhus externus ab interno dignoſcitur quòd in illo dolor magis externus ſit, imprimis ſub cute verticis, ubi interdùm tumor mollis percipitur; ſæpiùs verò pilorum inverſio dolorifica eſt, & ſæpè ægri humorum deſcenſum per partes exteriores cum dolore, calore, aut frigore perſentiunt. Alius catarrhus dicitur frigidus, alius calidus; frigidus à lymphâ inſipidâ, ſæpiùs ſimul præternaturaliter craſſâ oritur, calidus verò à lymphâ acri corroſivâ ob excitatam partium affectarum phlogoſim ortum habet.

Veterum Cauſæ.

Hermetici authorē, quē volunt *Hip. lib. de Glandulis* ſequuti, cui ſe ſubſcribunt *Ariſtoteles, & Avicennas*, putant ex inferioribus partibus variorum vaporum genera elevari, ac in cerebro vi frigoris denſari denſatos verò ad varias corporis partes delabi, & in illis varios præternaturam affectus progignere.

Vapores, qui ex liquoribus mercurialibus elevantur, fluxiones concitant frigidas, & contumaces; ſi hi cum terrâ damnatâ fixantur, portione aliquâ ſalis admiſtâ, & mercurius prævalet, tunc catarrhum denſiſſimarum nubium in modum in partes vitales proſcribunt, & catarrhum creant celeriter hominem de medio tollentem, quem ſuffocativum nuncupant; ſi ſalſi ſali marino analogi immiſtum aliquid habuerint, ſalſam deſtillationem efficient; ſi ſulphuris, calidam, tenuem, bilioſam à ſcholis dictam, ſi amari ſalis aliquid continent.

Non negant *Hermetici* cerebri ſolius vitio catarrhos aliquandò fieri poſſe, ſed frequentiùs volunt ex vaporibus accidere, præſertim catarrhi hi, qui maximum medico negotium faceſſunt.

Quòd ab *Hip.* aſſeritur lib. de loc. in

homine

homine, comprimi nempè à frigore carnem, & ſuccum humidum exprimere, ac fluxiones deindè generari quamplurimis medicorum arridet, ſed valdè improbabile eſt, quod ipſemet ſpongiæ exemplo affert, comprobatur; Spongia enim aquâ plena à frigore non comprimitur, nec aqua frigori expoſita exit, ſed ſi frigus magnum ſit, arctiùs retinet aquam in glaciem verſam. Neque valet effugium de ſpiritibus, qui intrò pelluntur à frigore in carnem, nàm eſtò ſpiritus calidi ſint, (quod forſan verum non eſt) & intrò compulſi carnem comprimere valeant, ſi pori carnis externi omnes à frigore clauſi ſint, per quas vias liquor expreſſus emanabit? Poteſt compreſſione emanare ſpiritus, quia tenuis eſt, & per quoſcunque poros, licèt anguſtiſſimos exire poteſt, ſed non liquores, qui dùm prope exitum ſunt, à frigore magis incraſſantur, & inepti ad eundem redduntur. Adde, quòd frigus intenſiſſimum requiritur ad ipſoſmet ſpiritus exprimendos, quale non obſervatur in noſtro corpore. Probatur, quod aſſumpſimus ex vino: ergo eo minùs liquor.

Placet etiam multis, quod idem aſſerit *Hippocrates*, caput inſtar operculi ollæ, aut cucurbitæ totam corporis humiditatem attrahere, ſed ineptum exemplum eſt; nullo enim modo militat ratio, quæ de operculo, aut cucurbitâ redditur in caput, valdè enim diſpar exemplum eſt. Si *Hippocrates* diutiùs catarrhum contemplatus fuiſſet forſan deſtillationis per alembicum artificium inveniſſet, dùm huic affectui idem nomen impoſuit.

Neque quod *Avicennas* ait de alembico, catarrhi generationem facere videtur, nàm

Primò, vapores non aſcendunt à ſtomacho, quia gula clauſa eſt, & ſi aſcenderent, bolo deglutito, vapor, qui infra eundem eſſet, à bolo depelleretur, & ſtomachum denuò peteret, & ſic excitaretur ructus, quod non accidit.

Secundò, ſi aſcenderent vapores à ſtomacho in caput, illorum continuò perciperetur ſapor, & conſequenter os à perceptis cibis continuum illorum ſaporem perciperet, & nares illorum odore afficerentur, ſed eſtò pertingerent uſque ad hos vapores, cerebrum non poſſunt petere; nàm per os, & nares diſflarent, antequam per occultas vias ad cerebrum penetrare poſſent: Sed detur, quòd aſcendant ad cerebrum, cùm in hoc non ſit ampla cavitas, quæ capitellum referat, non poſſunt vapores in guttas concreſcere, quòd ſi concreſcerent in baſi cerebri, cùm pars hæc ſit admodùm anguſta, & muco plena, ſtatim deciderent per naris tubulos ſimul cum muco, quod cerebri excrementum eſt, & ſic nullam parerent noxam, ſed reverà non decidunt ſimul cum muco, nàm ut cæteræ aquæ ſtillatitiæ, mucus ſaporem, odorem haberet aſſumptorum ciborum, quod etiam contingeret, ſi in os, & pulmonem deciderent. His omnibus adde, quod calor in noſtro corpore tantus non eſt, quamvis præter naturam augeatur, ut valeat vapores ad caput uſque tollere, quapropter vapores etſi in ſtomacho generantur, neceſſariò in ſtomachum iterùm deciderent non ſecus ac vapor ab olla collatâ in tenuiſſimo igne elevatus in ollam decidit.

Quòd ſi vapores ſaporis expertes aſcendere non poſſunt, eò minùs acidi, ac ſalſi; calor enim ad ſalſum, & acidum vaporem

vaporem elevandum, ad tantam altitudinem præſertim, debet eſſe intenſus, qui in animalibus non reperitur, nàm ſi reperiretur, non viverent. Salia enim fixa ſunt acida, & ſalſa, & quarti gradûs ignem deſiderant, ut eleventur: non benè igitur deſtillationis ſalſæ cauſa à medicis aſſignatur.

Præterea, qui calidum habent hepar, & copioſiori victu ſe reficerent, catarrho laborarent continuo. Quod aſſervant in deſtillationibus obnoxiis de ſtomacho frigido, & hepate calido, examinabimus in affectu hypochondriaco.

Galenus vult catarrhos fieri ab actione cerebri vitiatâ, & ob quam excrementa congeruntur, quæ poſteà varias in partes decidunt; vitiari autem coctionem vult ab intemperie præſertim frigidâ, ſed quicquid ſit de hoc, non videtur cauſa ſufficiens ad catarrhi generationem, in quâ materia tàm multa continuò fluit. Neque quod addit de ſanguine, vel qualitate, vel quantitate peccante, qui non poteſt concoqui, ſuppetias affert; nàm qui ſuperfluus eſt, per vaſa tranſcurrit, & ſic excernitur, non in parte validiſſimâ, & principe, ſed in ignobiliori id accidit.

Galenus admittit caput impleri calidâ, atque humidâ conſtitutione, & frigus ſuperveniens ipſum comprehendere, & premere cerebrum, veluti manus quædam extrinſeca ſpongiam exprimit, ſed hoc jam examinatum eſt, & ipſis Galenicis, *Langio, & Mercato* diſplicet.

Author lib. de flatibus vult à venis aëre repletis caput aggravari, & varias fluxionum ſpecies efficere; quod ſuâ probabilitate caret, & catarrhi generationem vix explicat.

Catarrhum excitari à frigore externo, nec non à calido quotidiè experimur, ſed quomodò hoc accidat, examinandum eſt.

Cauſa Noſtra.

Adeſt in catarrho magna excrementorum copia è cerebro defluentium hæc vel in cerebro generantur, vel aliundè ad cerebrum aſcendunt; ſi in cerebro generantur, materiam æquivalentem, ex quâ generentur, expoſtulant. Materia hæc vel à venis, vel ab arteriis, vel à nervis (probatum eſt, anteà alias non eſſe vias) miniſtratur. Arteriæ ſanguinem totum ex alimenti reſiduum in venas tranſmittunt, ſanguinis etiam vapores per poros aſſiduè pellunt, qui per tranſpirationem evacuantur. Quotieſcumque igitur à frigore pori cutis clauduntur, vapores hi remanent, & denſantur unione, quæ non ſemper à frigido fit, ſed à loci anguſtiâ, ut in deſtillatione patet.

Viæ, per quas communicant arteriæ cum venis ab his vaporibus denſatis, & forſan ipſomet frigore adjuvãte, partialiter, ſi non totaliter, obſtruuntur, quapropter ſanguis veluti percolatur, remanente craſſiori ſubſtantiâ illius, quã fibras aliqui eſſe volunt, vel pituitam, aliqui verò ſuccum alibilem, hic cum cerebri excrementis admiſcetur, & pro variâ cerebri diſpoſitione varias induit ſpecies, nàm à ſale nimio, & terrâ damnatâ, quâ cerebri excrementa aliquandò ſcatent, craſſa evadit, ab ichore admodùm ſalſo, ſalſa efficitur, à ſale amaro, amara &c. Inquæ degenerant etiam fermentatione quadam à cerebro acceptâ.

Calor nimius humores liquat, à quibus

quibus liquatis viæ etiam impediuntur.

Remanent fibræ, & nervi, qui ſuccum alibilem è ſtomacho, & ab aliis partibus ad cerebrum deferunt, à quo poſteà diſtribuitur, cùm ſuccus iſte vel nimius eſt, vel ſic diſpoſitus, ut in cerebro craſſeſcat, catarrhi etiam materia eſſe poteſt.

Conferunt etiam ad vias obſtruendas narcotica, & hoc pacto vinum catarrhos generare valet.

Quæres undè eveniat catarrhus à mutatione ſubitâ vel veſtium &c. vel à calido ad frigidum, vel è converſo?

Reſpondetur, quòd ut obſervat *Sanctorius libello de Statica Medicinâ à Petro Suavio* inventâ, & ipſi communicata, evacuationes inſenſiles, quæ perſpiratione fiunt, eſſe longè pleniores omnibus ſenſibilibus ſimul unitis. Obſervavit ipſe cibi, & potûs unius diei octo librarum pondere, tranſpirationem inſenſilem aſcendere ad libras quinque, quæ quidèm tranſpiratio longior eſt in calidis temporibus, & in iis, qui veſtibus denſioribus utuntur. Quapropter in his ceſſat, vel minuitur, ut meliùs dicamus, omnis alia evacuatio. Cùm repentè igitur ob mutationem veſtium, vel aëris, pori clauduntur, retinentur vapores, & cùm aliæ viæ minùs pateant ob interpolatum uſum, catarrhi generantur.

Ex his collige catarrhum excitari poſſe quandòque à ſtomacho, fibris, nervis, & arteriis mediantibus, & ſic quandoque omnes alios capitis affectus: coctio enim cibi, & diſtributio non fit (ut communiter volunt) octo horarum ſpatio, ſed immediatè ac alimentum in ſtomachum immittitur, coqui incipit, ut fuſiùs dicemus. Vino epoto, pars ejus ſpirituoſa, in quâ vis narcotica ineſt, & fixativa vel per fibras, vel per nervos ſtatim cerebrum petit, eo modo forſan ac per ellychnium aqua è puteo aſcendit, vel per lacteas venas (ſi verum eſt, quod recentiores aſſerunt, ut rigorosè examinabimus), vel per ipſaſmet arterias immediatè, & ſic quoque omnia alia, quæ in ſtomacho ſunt, in cerebro varios affectus excitare poſſunt, adjuvante fermentatrice vi, quæ ſemper in ſtomacho reperitur, & ſic fit ſomnus ab aſſumptis narcoticis, ſic excitatur apoplexia, ſic quoque forſan de utero philoſophari licet.

Multoties flatus, vel aliquid aliud ſpiritus nervorum movet, vel inficit, & deindè cerebrum, & ſic dolor excitatur à flatu in capite, exiſtente in ventriculo, qui motu ceſſat. Multoties tenditur à flatu nervus, & ſic dolor & in cerebro, & in ſtomacho excitatur.

Advertendum, quòd maxima eſt cum cerebro communicatio aliarum partium, & præcipuè plantarum pedum, ab quarum vel refrigerationem, vel humectationem catarrhus oritur. Aliqui dicunt refrigerari nervos, & ab his cerebrum, & conſequenter catarrhos fieri, ſed refrigeratio antequàm ad cerebrum deveniat, in aliis corporis partibus deprehenditur, nec tanta eſſe poteſt, ut catarrhum gignere valeat, qui vult cauſam inquirat. Ex his deducimus medicamenta varia pedibus applicata in catarrho tollendo adjuvare poſſe.

Catarrhi cauſa, quam recenſuimus, licèt aliquam habeat probabilitatem, non multum à vulgarium diſſidet ſententia, ideòque veritati non accidere. Supponit quoque catarrhum à capite

excitari,

excitari, & tanquàm ex cœlo microcoſmico in partes inferiores ſua demittat excrementa, cùm à natura emunctoria deſignata & idonea ad illa excrementa recipienda, & foràs deturbanda habeat. Temerè igitur finxerunt ſcholæ catarrhum, cùm in rerum naturâ non detur: Si tamen quid eſt in naribus, dentibus, faucibus, gutture, pulmone &c. noxium, & morboſum, non per deſtillationem, & fluxionem in illas depluit partes; ſed ſiquid nares, dentes, fauces, guttur, pulmo, & cæteræ partes inferiores patiantur, ab aëris u. g. injuria calida, vel frigida non dependet, vel ex fluxione, & catarrho, ſed à ſpiritu harum partium inſito, & innato, quia laceſſitus linquit, & interturbat proprium cujuſcumque partis munus coctionis, & digeſtionis, ut à vi ſe tueatur, unde partium nutrimentum degener evadit, & per partium poros tanquàm excrementum foràs deturbat. Falsò itaque tot fictitios humores, & fluxionum decubitus, ab unico mendicant cerebro ſcholæ, quaſi horum cerebrum collegium, & unica eſſet cloaca. Non ad partes inferiores defluunt humores, ſed quoties influus ſpiritus deturpatus ad loca tranſit, primus qui eò accedit communi eluendi ſtudio, eſt latex; ſpiritus enim depravatus exotico contagio per nervos, arterias imò per ipſum corporis habitum defertur, indè cerebri arcem petit, & ægri velut humoris defluì decubitum percipiunt, quia latex per venas eò deputatur, non ut mali cauſa, (eſtò quandóque malum foveat) ſed in ſuppetias, & ablutionem: ideò credulæ ſcholæ à partibus inferioribus vitioſos humores, ſive eorum vapores inter carnem, & cutem per muſculos, venas, & arterias cerebrum aſcendere, & eâdem viâ deſcendere crediderunt. Diſcant eſſe malum topicum, non autem, à ventriculo, hepate, liene, meſenterio, inteſtinis, utero, & capite impertitum, ut fabulantur.

Cauſæ occaſionales catarrhi ſunt, repentina caloris, & frigoris alternatio, aër nocturnus, & aura paluſtris Conſtitutio auſtrina, & pluvioſa. Vita crapulis dedita, & ſedentaria. Comeſſationes, & ebrietates, vigiliæ, & lucubrationes immodicæ, & intempeſtivæ. Victus frigidus, & humidus. Somni diuturni, vel diurni, capitis calefactiones &c. ex quibus ſæpè cerebri, vel pulmonum nutrimentum unico inſultu degener redditur, & pro variis excrementis deinceps fit officina. Hinc copiosâ ſupellectili ſuſcitatâ, ſæpiùs ibidem ſpiritui inſito impreſſionem characterizat in vitam durabili ſtigmate.

Poſt tot defluxionum genera in ſubjectas partes à capite depluentium, tres catarrhi ſpecies vulgares juxta hos verſiculos aſſignant:

Si fluit ad pectus rheuma, tunc dico catarrhum;

Ad fauces brenchos, ad nares dico coryzam.

Præcipuè catarrhi differentiæ ſunt, ut alius dicatur ferinus, qui ab exotico ſale pulmonem exulcerante, & tabem inducente fit; alius ſuffocativus, qui fit à degeneris nutrimenti magnâ copiâ pulmonum bronchia infarciente cum ſuffocationis diſcrimine; alius verò epidemicus, qui fit ab inſpirato gas, aut minerali, aut quomodocumque putrido malignitatem vehemente, & populariter graſſatur.

Prognoſis.

Vulgares in excrementorum ablationes,& non in cauſam incumbētes vulgo dicendi anſam præbuerunt: catarrhum ſine remediis triginta novem,ſine, quadraginta dierum ſpatio perdurare.

Catarrhus eſtò levis, non ſemper contemnendus eſt, præſertim in iis,qui variis pectoris affectibus tentantur, & imprimis qui ad phthiſim proclives ſunt.Coryza tutior eſt, bronchos pejor, quia ſuffocationem minatur ob impeditam ſanguinis circulationem; ſi verò pulmo afficiatur, peſſimus ob exulcerationis periculum. Catarrhus ſenibus familiaris eſſe ſolet; & in valdè ſenibus coctionem non admittit, ut *aph.* 40. *ſect.* 2. *Raucedines, & gravedines in valdè ſenibus coctionem non admittunt.* Tùm ob imbecillem calorem,tùm quia pulmo membrum eſt primum ſeneſcens,atque moriens, ut per ſenum tuſſim, & morientium ſtertores patet.

Veterum Curatio.

Pro catarrhi curatione Galeni ſectatores in principio ad materiam fluxuram evitandam, ſicut etiam pariter ad fluentem repellentia adhibent, ac proindè ſi catarrhus ſit levis, victûs rationi, & naturæ, ſi verò gravis, præter victum medicamentis ſanationem committunt Undè in omni catarrho, leni clyſtere primùm inteſtina ab excrementorum ſarcinâ liberant. Ubi magna humorum copia redundat, & ea à plethorâ, vel cacochymiâ eſt, tunc periculoſius inducitur catarrhus, & verentur, nè copioſus humor affatim irruens, ſuffocationem, vel aliquod aliud damnum inferat, & ſic catarrhi duplicem inſtituunt curationem, unam quæ frigidum, alteram, quæ calidum reſpicit catarrhum.

Si materia ſit calida, ſtatim ad ſanguinis miſſionem deveniunt, ſi calida ſit intemperies, & fortè febris adjuncta, totius corporis plenitudine exiſtente ſanguinis, utique mittendum putant, non ratione catarrhi, ſed ratione illorum, quæ cum catarrho adjunguntur; quippè cùm in ſanguinis abundantiâ ſemper adeſt vaporum copia, quæ catarrhi generationem auget, eumque mitiori educunt phlebotomo, quæ evacuatio potiùs reiteratur, quàm ſemel multam ſanguinis quantitatem extrahunt, venam humerariam, aut medianam ſecando. Cæterùm in catarrho ſanguinis miſſione calor, qui deſtillationem côquoquere debet,hebetatur,& catarrhus incrudatur, undè majora emergunt, & pejora ſymptoma, & ſi febris adſit, malignitatem acquirit, quæ omnia mortem intentant, ut multi funeſti eventus teſtantur eorum, qui, educto ſanguine, perierunt, & adeò nunc angue, & rabido cane pejus phlebotomia in catarrho pertiſmeſcetur, ut qui phlebotomandi ſunt aliquâ de cauſa, quibus eductio aliquo modo competit, primùm interrogantur, an catarrho laborent, & ſanguinis miſſio nunc in catarrho eſt contraindicans, ſive ſanguinis plenitudo, ſive febris, calida intemperies adſit, ſive hepar calidum ut dicunt. Quòd ſi vulgares aliquod eam prohibens reperiant, ſaltim cucurbitulas ſcarificant, quas in magnis deſtillationibus utiliſſimas eſſe arbitrantur.

Poſtmodùm redundantes humores catarrhales *ſyr. de roſis recentibus, viol. de Betonicâ &c. cum aquis hordei, betonicæ, ſampſuci &c.* præparant, quibus præparatis, ad purgatorium medicamentum recurrunt, ut

Ut ♃. *Mannæ elect.* ℥.*iij.*
diſſ. in ſ. q. decoct.com.ſolut.
ut f. p.

Vel *eadem mannæ doſis diſſolvi poterit in ſufficiente quantitate potione chocolatis, & propinetur, eritque blandum purgans, & æthereum Nectar.*

Vel ♃. *Sen. or.* ℥. ß.
tart. vin. alb.
polyp. querc. ana. ℥. j.
f. decoct. in aquâ betonicæ,
& in ſ. q. diſſ.
Syr. roſ. perſic. ℥. *ij.*
fumar. mai. ℥. *iij.*
elect. de ſucc. roſ. ʒ. *ij.* ß.
m f. p

Vel in formâ boli, ut
♃. *Caſſ. recenter extract.* ℥. *ij.*
elect. lenit. ʒ. vj.
m. f. bolus.

Si catarrhi cauſa ſit frigida, purgetur ſequenti medicamento:
♃. *Syr. Su ſſ.* ℥. iv.
diaphœnic. ℥. ß.
diſſ. in decoct. pectorali
q. ſ. & f. p.

Vel in formâ pilulari:
♃. *Agarici trochiſc.* ʒ. j.
pilular. cochiar.
aurear. ana ℈. ij.
m. & cum. mell. roſ.
f. pilulæ vij.
& deaurentur.

Si operata, & ſufficiens evacuatio non ſuccedat ex voto, apozema propinant, Verùm à validis purgantibus abſtinere volunt ne materiam magis ad fluxum irritent.

Verùm ſi catarrhus admodùm contumax fuerit, ad vomitoria confugiunt, quæ illius materiam potenter eradicant. *Colocynthidem* ad cerebrum expurgandum efficaciſſimam cenſent, ſed ob ſummum amarorem multùm infenſa, & vehemens eſt ejus operatio, ac inteſtina corrodit, & tormina, ac dyſenterias gignit; ac propterea eam infuſione in urinâ corrigunt, & ſic omnem deponit amaritiem, & inſipida evadit, & ita illius infringitur vehementia, ut ad ʒ j. tutò exhiberi valeat, & excellens ſit ad omnes capitis effectus à cauſâ frigidâ ortos medicamentum.

Demùm caput purgant errhinis, apophlegmatiſmis, ſternutatoriis, cauterio actuali, & potentiali anteriori capitis parti admoto, & ſic catarrhum derivare, & deducere tentant.

Si catarrhi vehementia ſuffocationis periculum impendeat, vel tenuitate ſuâ, & acrimoniâ in pulmones irruat cum periculo eroſionis, catarrhum incraſſantibus ſiſtunt, & acrimoniam temperant, quæ ſunt *diacodium ſimplex, vel compoſitum, ſpecies diapapaveris, diatragacantum* frigidum, ſi catarrhus ſit calidus. ſi frigidus, calidum, & ſic contraria contrariis curanda eſſe acriter contendunt, *looch de caulibus, de papavere, ſuccus glycyrrhizæ, violarum &c.*

Interim cerebrum catarrhi cloacam roborant *diamoſcho dulci, ſpeciebus aromatici roſati, diambrâ, Mithridatio, galliâ moſchatâ; vel conſervâ ſalviæ, roris marini, betonicæ; vel ſyrupis de ſtœcade, betonicâ, de roſis ſiccis, de pœoniâ &c.*

♃. *Syr. de Stœcade* ℥. *ij.*
diambræ ʒ. j. ß.
ſpecier. aromatici roſati ℈. *ij.*
looch de papavere ℥:
aquæ betonicæ ℥. *v. m.*

ſumatur parùm & ſæpe horâ ſomni. Vel in ore detineatur *conſerva florum anthos vel diacodium in tabellis.* Sed nè tempus in his Galeniſtarum inſulſitatibus

bus teramus, ad meliorem redeamus frugem, quæ eſt

Noſtra Curatio.

Quia catarrhus levis tantùm diætâ curatur, gravis verò pharmacis, & diætâ quoque, ac proindè primò de victûs ratione agamus oportet, quæ in ſex rebus non-naturalibus conſiſtit, quarum prima eſt

Aër qui moderatus neque calidus nimis, neque frigidus eſſe debet; nimiùm nàmque frigidus admodùm nocet, & catarrhi in causâ eſt, cùm indè tranſpiratio tàm neceſſaria impediatur, ſerum coaguletur, in motu ſiſtatur, & cutis glandulæ obſtruantur: & maximè nocet frigus illud quod ſubitò poſt magnum calorem accidit, & quod cum humido conjunctum eſt. Vitent itaque catarrhis obnoxii flatus auſtrales, & boreales, ac pluvias; vitẽt quoq, ſolis, & lunæ radios.

In cibis parſimonia ſervari debet, & catarrhoſos jejunare oportet, concoctu faciles ſint, & non multi nutrimenti, ità ſunt ova ſorbilia, carnes gallinarum, pullorum, caponum, vitulinæ, avium montanarum, quæ potiùs ſint aſſatæ, quàm elixæ, attamen quantitas ab avarâ ſuppeditetur manu, & *Celſus* dimidiũ de conſenſu cibo adimi præſcribit. Vitentur cibi craſſi, viſcidi, & humidi concoctu difficiles, vaporoſi, acres, acidi, & excrementitii. Exulent etiam omnes carnes vetuſtæ, ſalitæ, infumatæ; omnes piſces, præſertim lacuſtre, paluſtres, & oſtreæ, legumina, herbæ, lacticinia. Inter fructus commendantur, qui ſunt pectori amici, ut nuclei pinei, amygdalæ, piſtachia, paſſulæ. Inter lacticinia butyrum laudatur, quia pectori eſt amicum, & Aëtius caſeum tenerum, & recentem commendat.

Vulgares medici digladiantur, an in catarrhi curatione prandium, an cœna parcior eſſe debeat? Aliqui, & præ cæteris *Matthæus Curtius* cænam lautiorem prandio eſſe debere demonſtrat more veterum, quas omni tempore lautiùs veſpere, quàm manè edere conſueviſſe conſtat, & reverà feliciùs noctu cibi concoquuntur non ſolùm in ſtomacho, ſed etiam in corporis habitu. Undè tanto copioſior cibus capi debet, quanto meliùs coctio conficitur, ac proindè ſi minimè concoquatur, præter alias noxas, illa quoq; contingit, ut excrementa in toto corpore, & præcipuè in cerebro congeruntur. Prætereà productius horarum ſpatium eſt à cœnâ ad prandium, quàm à prandio ad cænam, ideòq; in cæna major ciborum copia concoquitur. Sed his non obſtantibus rationibus, contrariam nos ſequimur ſententiam; nàm in methodicâ catarrhi curatione non ſolùm ſtudere, ut catarrhi materia exhauriatur ſed etiam, nè nova gignatur proſpicere debemus, cùm verò cœna ſit parcior, quę cęnula vocatur, maximum commodum præſtat: nàm noctù ſi nativus calor circa cibi coctionem non occupatur, certiſſimum eſt materiam catarrhalem valentiùs conſumere, & exſiccare, vel ſaltim minuere, cùm noſtri corporis humores ex cibis, & potubus generentur, ſi itaq; cæna ſit lautior, major fiet humorum congeries, & catarrhus intenditur. Nec valet hanc novam magis in lauto prandio evenire poſſe, nam die noſtra corpora variis agitantur motibus, & meatus aperiuntur, & ſi copioſi vapores generentur, tùm per varios motus tùm per meatus exhalantur, quod de nocte non contingit, quo tempore noſtri corporis meatus clauduntur, & corpora non moventur, unde fit, ut majores ex alimen-

to

to vapores gignantur, nec reſolvuntur. Nec cæterum conſuetudo quicquàm ſuffragatur, cùm apud recentiores aliter obſervetur ad tuendam incolumitatem, & ad placidam, ac tranquillam noctem tranſigendam. Imò aliqui noſtri Itali incœnati eunt cubitum, & incolumem, ac diuturnam degunt vitam. Nec major horarum numerus à cœnà ad prandium prodeſt, quia non horarum numerus, ſed virtutis concoctricis actio eſt illa, quæ concoquit, & hæc manè mediante ſomno magis valida invenitur, & in die langueſcit, ideòque lautius prandium, & parcior cæna convenit, quia

Ex magnâ cœnâ ſtomacho fit maxima pœna,
Ut ſis nocte levis, ſit tibi cœna brevis.
&
Cœna levis, vel cœna brevis fit rarò moleſta;
Magna nocet, medicina docet, res eſt manifeſta.

Verùm pro hac quæſtione enodandâ uniuſcujuſq conſuetudo ſpectanda eſt, cùm nil ſit cõſuetudine majus; attamẽ illis, qui morbis nocturnis, vel phlegmaticis, vel catarrhis, & deſtillationibus vulgò dictis ſunt obnoxii, ſemper cæna parcior eſt laudabilior, & utilior.

Potus ſit moderatus, nàm immoderatus copioſum auget ſerum. Vulgares hordei aquam præſcribunt, quàm nos noxiam cenſemus, ventriculo enim laborem facit, frigidos lentos, & craſſos generat, humores, lympham vitiat: pro potu ordinario magnæ energiæ eſt aqua ſaſſafras tàm per infuſionem, quàm per decoctionem parata; lignum nàmque ſaſſafras nobiliſſimum eſt præ omnibus ad catarrhos remedium & catarrhorum alexipharmacum vocatur, odorem, & ſaporem habet aromaticum, ac propterea lymphæ acrimoniam tàm acidam, quàm ſalſam corrigendi, & alterandi vim habet, & eandem per urinam, vel ſudorem exterminat, undè catarrhos ſiſtit, & curat. Vel ex hoc ligno parari poteſt *Tinctura ſaſſafras* juxta *Hadriani à Mynſicht* deſcriptionem ut

℞. *Aquæ fontana bene coct. & ſummè calida lib.* viij.
ligni ſaſſafras in taleoles tenues incis. ℥ ij.
ſtet in infuſione in per noctẽ in ollâ novâ vitreatâ, & benè coopertâ, donec per ſe refrigeſcant: Manè per chartam filtrentur, & colatura clara cum tincturâ caſſia lignea parùm aromatizetur; & ad uſum pro potu quotidiano ſervetur. Itèm ſummo cum fructu catarrhoſis *chinæ decoctum* pro potu ordinario præſcribitur, & etiam in affectibus catarrhalibus ſingulare remedium eſt aqua Serpilli, quia corrigit ſtomachum, & antecedentes removet cauſas. Decoctum ligni lentiſcini; ex quo deſtillat maſtiche ſingulare eſt anti-catarrhale, cum ipſa maſtice pro catarrho ſit ſummum medicamentum; hæ namque aquæ, & decocta ventriculo ſuccurrunt, ſanguinem emendant, & lympham craſſam, ac viſcidam incidunt ſubtiliant, ejuſq; acrimoniam corrigunt obtundunt, reſolvuntque, ac per urinam aliaq; emunctoria deturbant; vel ad expectorationem diſponunt. Sed meliori ſydere convenit vinum medicatum *Paracelſi*, quod pro baſi radicem caryophyllatæ, & acori âquatici admittit: cujus deſcriptionem aliter tradit *Hartmannus in praxi chimiatriâ cap.* 18. *de Cathar. hæc*:

℞. *Rad. caryophyllata* ℥ vj.
acori ℥ iij.
pulv. flor. ſambuci m. ß.
fol. majerana m. j.

Vini

Vini ℥. xvi.

Exhibeatur pro potu communi. Hoc vinum medicatum eſt ſingulare non tantùm catarrhum, verùm etiam contra omnes fluxiones præcavendas, & tollendas, eſtò alias deſcriptiones hujus vini medicati, unam pro hyeme alteram pro æſtate tradat; Verùm vini doſis augeri debet. In catarrhi declinatione convenit vinum mediocre, ſubdulce, non verò adſtringens, nec potus ſit actù frigidus.

Somnus, & vigilia ſint moderata, nec eorum conſilium audiendum eſt, qui dicunt vigilias maximè eſſe catarrhoſis ſalutares, eiſque vigilias præcipiunt; ſiquidèm vigiliæ inter cœteras cruditatum cauſas maximam habent partem: debent itaque ægri moderatè dormire, ſed nunquàm à cibo, niſi duabus, vel tribus horis tranſactis, nec ſomnus ſit diurnus, niſi quis forſan ſomno diurno ſit aſſuetus, aut noctù non dormierit. Caput tegatur, nè a frigore lædatur. De ſitu inter dormiendum certam vulgares, & catarrhoſos elevato capite ſemper dormire præcipiunt, & hujus decubitûs rationem ab *Ariſtotele* 10. *Problem.* 2. *&* 53. *Hieronymus Mercurialis cap.* 27. *De Catarrho* mendicavit; putavit enim ille bruta multo minus, quàm homines catarrhis, & deſtillationibus tentari, & inter bruta maximè omnium aves, quia homines, & aves ſemper caput habent elevatum, cùm cœtera animalia ſemper capite prono terram ſpectent: Sed Ariſtotelis, & mancipiorum pace, hæc ratio non ſatis eſt valida, nàm humores, & præſertim lymphatici naturâ ſuâ ſunt graves, ac difficillimè in erectâ figurâ quàm declivi caput ſcandunt, ſed potiùs gravitate ſuâ ad inferiores, & debiliores partes, tùm in caput geniti, tùm aliundè tranſmiſſi procumbunt. In ſecundis menſis ad vapores reprimendos utilem cenſent vulgares cydoniorum carnem aſſumi debere, quia hæc eſt veluti ſuperioris orificii ſigillum nè vapores caput aſcendant.

Motus magis convenit, attamen moderatus, nec excedat; Vitetur deſidioſa *Quies*, & vita otioſa, nam hæc crudis, & copioſis humoribus vaſa lymphatica replet. Laborandum moderatè ante cibum, nunquàm à cibo, & qui catarrhis ac deſtillationibus laborant, caveant nè ſtudeant, ſcribant, vel depingant pectore tabulis innixo, cùm experientiâ compertum ſit compluribus ſtudioſis deſtillationes in pectora, & ſtomachos præcipitari, & inſignes afferre noxas.

Alvus, & veſica lubrica ſerventur.

Animi paſſiones maligæ penitùs exulent, ut metus, mœror, deſperatio &c. quatenus ſub his ſanguinis, & ſpiritus motus tardiores fiunt, & indè plurimæ ſeroſitates cumulantur; ſtudendum tantùm hilaritati, aliiſque benignis ſpeculationibus, & meditationibus. *De Veneris uſu* multùm ambigetere poſſumus, an corpora deſtillationibus obnoxia Venere uti poſſint? Ex unâ parte ſtat *Epicuri* ſententia, qui Veneris uſum omninò tanquàm noxium tàm pro ægrotantibus, quam pro ſanis univerſaliter interdicit, quia ſummum bonum in rectâ corporis valetudine collocat, (& hæc ab illo voluptas appellatur) utpotè quæ valetudinis commodum lædit. Ex alterâ parte affirmativa ſtat *Hippocratis* ſententia, qui *Epid. Sect.* 5. inquit *Coitus morbis ex pituita commodus eſt.* Cùm itaq; deſtillatio ſit affectus p.n. à pituitâ ortus, dicimus in catarrhis Venerem juvare. Et idem 5. *Epid.* 27. narrat:

Time-

Timotheri hyeme deſtillatio, maximè in nares: Cùm Venere uſus eſſet, reſiccata ſunt omnia. Hinc in deſtillationis curatione Veneris uſum convenire colligimus Verùm ut Venus proſit, debet eſſe moderata in deſtillationis principio, vel declinatione, attamen immoderata neque in principio, neque in declinatione catarrhi utilis eſſe poteſt.

Curationis ſcopus ad partium mundificationem, & roborationẽ dirigitur.

Catarrhus à materiâ merè mercuriali ſalis, & ſulphuris experte, tamen terram damnatam comitem habente, & à ſale aliquo inſipido fixatâ, expoſtulat, ſi nimia non eſt, calefacientia, & attenuantia, qualia ſunt *aqua ſtillatitia hyſſopi, roris marini Iulep. Vitalis ſimplex, vel compoſitus elicitus cum betonicâ, rore marino, ſalviâ, nepetâ, origano. Vini ſpiritus, vel tinctura, cum eodem ex iiſdem herbis, cinnamom. addito extracta.*

Si nimia, expoſtulat remedia, quæ medio modo ſe habent, conducunt, præſertim in principio, nè materia nimiùm quàm par eſt liquata à medicaminibus valentioribus in partes aliquas nobiliores ruat, ibique excitet p. n. affectus difficiles curatu procedendum eſt igitur in hoc caſu medicaminibus medio modo ſe habentibus. Purgantia, ſi competunt, adhibeantur non valentiora, præſertim in principio confert *agarici extractum a'oẽs, hyera ſimplicis* &c.

Hertina conferunt, ſi ſint ex *ſemine nigellæ pulveriſata, aqua ſtillatitiâ ſampſuci admiſtâ.* Vel prodeſt *gumm. guajaci* pulveretenus. Inungantur etiam pedes remediis appropriatis, ut oleis calidis.

Catarrhus, qui à materiâ tenui, & aquosâ, ex mercurio ſcilicèt, & phlegmate, minimâ, vel nullâ ſalis portione comitante, tractandus eſt cùm moderatè incraſſantibus, *Tincturis* ſcilicèt *maſtichis, nucis myriſtica, thuris &c.*

Quòd ſi latex comitem habuerit ſalem marinum, ſalſedo compeſcenda eſt *Tincturâ papaveris, magiſteriis ex ſemine ejuſdem, & amygdalarum recentium, ſeminum milonum &c.*

Purgatio eſt adminiſtranda medicamentis lenientibus *tincturâ ſenæ, mannâ ſimplici, vel potabili, ſaccharo roſarum perſicarum, tincturâ roſarum pallidarum.*

Exſiccatur materia rotulis *ex floribus ſulphuris, oleo ſuccini.* quo nares, & tempora illinantur, *ſuccino pulveriſato clauſo in ſacculo ſpiritu malvatico aſperſo, additis olei ſuccini guttis aliquot*, vertici applicato. *Extracto radicis chinæ, ſalſæ, ſaſſafras, ſantalorum rubrorum, & citrinorum.*

Cùm materia catarrhi ſubtilis eſt, & mordax incraſſari debet, & tunc inungi debent pedes *oleo violarum, nenupheris cum opio, vel camphorâ miſtis*; cùm verò materia tenax eſt *oleis reſolventibus ſpiritus vini vigoratis, & eſſentiis herbarum cephalicarum ſalviæ, roris marini &c.*

Si materia calorem excitet, & actù calida deprehendatur exire, compeſcenda eſt tincturis roſarum rubearum, violarum, & ſantalorum, & evacuanda lenientibus præſidiis, tempore quo lenientia conveniunt.

Catarrhus, qui cum impetu magno ruit, præter diverſiones, & alia etiam impoſita, ſolet ſiſti, & incraſſari *Laudano opiato*, in cujus defectu exhiberi poteſt *theriaca recens*, & præ omnibus aliis *pilula de Cynogloſſo, vel trochiſci de papavere ab Hadriano à Mynſicht deſcripti.*

Advertendum ſemper, ne nimiùm quàm par eſt, materia agitetur à medicamentis. Iuvat maximè ferè in omnibus catarrhis *ſuccini gummi anima, & ambræ ſuffitus*, qui, & alias in aſthmate vitandus eſt, nàm movet materiam, & aliquando aſthmaticos excitat inſultus.

Vtuntur aliqui, ut caput roborent, ℥.j. *extracti myrobalanorum, præcipuè chebulorum*.

Cum catarrhus, vel à ventriculo, vel aliis partibus, ut dicunt, ortum habet, ad illas reſpiciendum eſt, maximòperè juvat ſingulis hebdomadis maximè in iis, qui ſtrictiori aluo ſunt prædi:i primas vias lenienti aliquo medicamento expurgare, & maximè conducit *Diatartarus, & aloë roſata*, habitâ ratione ad ægrotantis naturam:

℞. *Cremoris tartari, vel*
tart. ſimpl. pulveriſati,
pulv. ſenæ ana ℥.j.ß.
ſacch. rubr.
Mannæ montis Gargani ana ℥.j.
radicis aſari,
zinziberis,
aniſorum,
cinnamomi,
galang. min. ana ℨ.ij.
ſyrupi, vel
mell. roſ ſolut. ℥.v.
fiat electuarium.

Doſis ℥.j. uſque ad ℥ij. extendi poteſt ante cibum.

℞. *Aloës roſatæ* ℨ.j.
extract. myrob. ℈. ij
formentur pilulæ.

& ſerò ante cibum exibeantur.

In catarrho ſuffocativo exibentur vomitoria:

℞. *Oximell. Scillit.* ℥. j.
S. lis vitrioli ℈. j. m.

Quod ſi vomitoria, non conveniant opportunum remedium erit elixir proprietatis per infuſionem, vel deſtillationem cochleatim per intervalla ſumptum.

Interdùm tamen quia vomitoria non juvant, cum materia ſcilicet impacta eſt ſolent ſanguinem mittere, nè affluentia cruoris, & laticis ſpiritus pulmonarius ſuffocetur, à quo affluxu deonerata ægrotantis natura facilius reſpiret; ſed in cachecticis corporibus periculoſa eſt venæ ſectio, ægri enim citiùs pereunt, quapropter qui curationem hanc per venæ ſectionem tentant, periclitantur, nàm ex hac manifeſta partium vitalium læſio oritur: multa igitur circumſpectione opus eſt in hoc maledicto remedii genere.

Aliqui ſuturæ coronali imponunt veſicatorium, jubent fricari ſcapulas, collum, & brachia. Si ſputum eſt craſſum jubent *loch de ſcillà cum oximellite ſcillit. & ammoniaco.* Cum ſputum eſt tenue; exibemus *pilulas de cynogloſſâ.* Plura remedia dabimus capite de aſthmate.

CAP. XVII.

De Anginâ.

Illud malum examinandum aggredimur, quod præceps ad finem properat, & periculo non caret, vel proindè ægros veluti per carnificis laqueum ſuffocat, & jugulat. Non idcircò princeps afficitur pars, ſed ea ſine qua cor nobiliſſimum membrum ſaluum eſſe nequit ob neceſſariam reſpirationem, & deglutitionem, ſine quibus nullatenùs homo vitam traducere poteſt. Hoc lethiferum malum Anginam vocàrunt medentes à verbo ἄγχω, quod Græcè

Græcè ſuffoco, & ſtrangulo ſignificat.

Quatuor anginæ ſpecies ab authoribus aſſignãtur. Prima dicitur κυνάγχος, & eſt, ubi muſculi laryngis, ſeu gutturis interni inflammantur, & omni tumore, & rubore carere videntur, ægri tamen per æſtum canum ſitientium more biante ore reſpirare coguntur. Secunda παρακυνάγχη, ubi exteriores laryngis muſculi cum aliquali, ſed parvo tumore conſpicuo ſunt inflammati. Tertia Συνάγχος, ubi internus adeſt tumor, & inflammatio interiores pharyngis, ſeu faucium muſculos invadens. Quarta παρασυνάγχην ſi exteriores faucium muſculos cum tumore, & rubore affligat. Itàq; in paraſynanche, ſynanche, & paracynanche apparet tumor, non verò in cynanche.

Rurſus angina duplex ſtatuitur, una exquiſita, & altera notha; exquiſita eſt illa, quæ vehementem ſummarum gulæ, & gutturis partium inflammationem, & febrem habet comitem; notha verò, quæ febre, rubore, & dolore caret, quia a viſcido excitatur phlegmate, attamen horrore, & inæquali non carebit calore.

Partes in hoc morbo affectæ ſunt tonſillæ, faves, uvula, muſculi laryngis, pharingis, & œſophagi, imò ipſum palatum.

Signa.

Angina, cùm morbus periculoſus, & peracutus ſit, qui celeri ſuo curſu omnem medici doctrinam, & ſolertiam eludit, operæ pretium erit imminentis ſigna primò deſcribere, ut omni meliori modo præcogniti morbi augmentum præcaveatur; Imminentis igitur anginæ ſigna ſunt: patiens collum more ſolito non movere, difficiliùs reſpirare citra aliquod thoracis, vel pulmonis vitium, nec aptè deglutire poteſt, ardorem, & dolorem ſentit in faucibus, ac proindè crebriùs ſalivam deglutit, ſperans ſimul noxium cum eâ deorsùm lapſurum, undè frequenti deglutione malum deterius fit, quæ omnia brevi temporis curriculo ità augentur, donec præſens angina jam ſe pandat, cujus diagnoſtica ſigna ſunt: Reſpiratio tàm difficilis, ut ſuffocationi proxima videatur, & aperto ore ſpiritum ducere cogatur æger. Deglutitio ſic impedita, ut nè potus, & liquida omnia per fauces deſcendere queant, ſed per nares reſiliant. Febris acuta æſtuat cum dolore, & ingenti anguſtiâ, facies rubet, lingua areſcit, vox languet, & quandoque in collo tumor apparet.

Angina notha dignoſcitur ex febris, ruboris, & doloris carentiâ, & viſcido phegmate ad os confluente, verùm non carebit horrore, & inæquali calore.

Veterum Cauſæ.

Hippocrates ineptè aſſerit humanum caput inſtar cucurbitulæ totam corporis humiditatem attrahere. *Avicennas* alembico caput comparat; alij ollæ operculo; aliqui ſpongiæ corporis humiditatem attrahenti; nonnulli cœlo microcoſmico. Deindè credunt ab inferioribus partibus humores evaporare, ſursùmque ferri in frigidum cerebrum, tanquàm in partem elatiorem, & veluti nubes in aëre condenſari, & denuò per incaleſcentiam liquari, & in modum pluviæ rursùs in ſubjectas depluere partes, deorsùmq; deſtillare. Hoc ferè modo omnes morbos, quos fluxiones, deſtillationes, deſcenſus appellitãt: à plantâ pedis ad verticem capitis progigni

 caiſti-

exiſtimant, ut fusiùs capite de catarrho diximus.

Hinc vulgares medici cum *Hippocrate*, *Galeno*, & cæteris anginam fieri credunt, cùm multa fluxio & viſcoſa ad jugulares defluxerit venas, tàm ſi humorum copia in toto redundârit corpore, quàm in capite, idque evenire raró per paulatinam congeſtionem, ſed ut plurimùm per viam fluxionis, tunc cùm ſanguinis vel purus, vel biblioſus, pituitoſus, vel melancholicus eſt in capite, vel ad illud ex toto transfertur, ſi cerebrum adeò fuerit robuſtum, ut ab eo reſpuatur, & inferiores partes debiles, laxæ, aut ad ſuſcipiendam fluxionem idoneæ, ſtatim in jugulares detruſus, venas anginam efficit.

Hæc anginæ geneſis omnibus vulgaribus medicis, & ſtupido arridet vulgo, ſed valdè improbabilem aſſignant cauſam; nàm angina eſt tumor calidus, & à ſanguine ortum habet, imò nonnulli faucium eryſipelas eſſe fatentur, at hoc falſum eſt, nàm ſi ſuppuraretur, maximum medico negotium faceſſeret, quia *Ab eryſipelate ſuppuratio malum. Et Hip.* 4. *de rat. vict. in acut. tex.* 30. *Anginam, inquit, fieri dum hyeme, & vere fluxio multa, & viſcoſa ad jugulares defluxerit venas; cùm autem frigida, & glutinoſa fuerit, ſpiritûs obſtruit permeationes.* Nec Hip. dicta de anginâ notha intelligi poſſunt, quia hæc periculo vacat.

Præterea omnis angina eſt anguſtia ſummarum gulæ, & gutturis partium, ſeu faucium ab inflammatione earundem ortum habens, undè in cynanche muſculi laryngis interni inflammantur, & omni tumore carere videntur, in paracynanche exteriores laryngis muſculi cum parvo tumore inflammantur, in cynanche interiores pharyngis muſculi cum tumore interno inflammantur, & in paracynanche exteriores faucium muſculi cum tumore: igitur omnis angina exquiſita eſt inflammatio, & à ſanguine tantùm oritur, à cæteris verò dictis humoribus alij à ſanguine oriuntur tumores.

Aſſignant ſanguinem vel purum, vel bilioſum, vel melancholicum, qui cùm in fauces, laryngis muſculos &c. diffunditur ex venis, hujus, vel illius humoris participem excitat anginam. Certum eſt, cùm à ſanguine fit, vel in reſolutionem, vel in ſuppurationem abit; Verùm in anginâ perpetuò magna viſcidæ, & glutinoſæ materiæ copia expuitur: Numquid eſt pituita à ſanguine ſecreta? Quis eſt iſte internus ſeparator, qui tantùm pituitam extrudit abſque aliquâ ſanguinis tincturâ? Deberet potiùs bilis excerni, quia volatilior, & non viſcidus, & glutinoſus humor. Cur non excernitur melancholia, quæ etiam eſt humor [illegible], & fæculentus?

Dicunt præcelſo calore, exercitatione, vel motu plus ſolito; pituitam viſcidam, ſolvi liquidioremque reddi, & ab aëre frigido &c. ambiente, vel ore hauſto coagulari. Sed cur tantùm pituita ſolvitur, & coagulatur, & non cæteri humores, vellem mihi rationem aſſignarent?

Apud vulgares cerebrum pituitæ metropolis ſtatuitur, imò cloaca, ſed docere tenentur, in qua cellula habitet, & cubet illa pituita, non [illegible] ſubſtantiâ, nàm paucas, & exiles [illegible] venas per ſuum corpus diſſeminatas, quibus nutritur; non extra venas, quia collectio in imperceptibilibus, ac minimis partibus ſingulis cerebri plurimas.

rimas poſt ſe relinquet obſtructiones &c. quæ nunquam obviam veniunt. Nec cerebri arcem ab aliis ſubjectis partibus petere poteſt, quia ductus, vel canales, quibus hic humor tranatur, demonſtrare coguntur, & capſam in quam ſe recipiat. Nullum planum adhuc per anatomen repertum fuit, in cujus cavo hoſpitetur.

Hanc pituitam in cerebro collectam aſſerunt non omnem per nares, & palatum evacuari, ſed præcipuè eà parte ubi venæ, & arteriæ primùm in ejus ſubſtantiam inſeruntur, in vaſa regurgitare, atque hinc per jugulares ad faucium, & gutturis venas anginam excitare, unde non tantùm per nares, & palatum fluit ſola pituita, ſed etiam cum aliis humoribus, qui in fauces ruunt, & quia per venas feruntur, ſanguinem pro vehiculo habent, inflammatio excitatur hujus, vel illius humoris particeps.

Nunquid venæ aperta habent oſcilla, ut pituitam intra ſuos trahant tubulos? forſan calor ità pituitam ſubtiliat, ut per oſculorum venarum poros permeet argenti vivi more, quod corio incluſum, & compreſſum corii poros abſque diſruptione extendit, & permeat? Si a calore liquatur, & a frigore condenſatur, cur acutiſſima febris iterùm eam non liquat, & inferiores diminit partes? Pituita liquata, adveniente frigore, iterùm coagulatur, & ad ſuam redit temperiem, vel ſaltim aſſignare debent venarum poros, per quos egreditur, & egreſſa, adveniente frigore, quam extra venas reperitur, coagulatur, & non quæ intra. Præterquamquòd in falſo verſantur ſuppoſito, nàm venæ, & arteriæ ſurſùm ſcandunt, & non deorſum, ut phantaſiæ ductu imaginantur. Venæ jugulares ſunt propagines venæ cavæ aſcendentis, & à jugulo ad colli latera aſcendunt, & interiores (ſunt quoque exteriores) adeunt muſculos oris, faucium, hyoidis &c. quarum aliquæ craſſæ meningis ſinum ſubeunt, aliquæ verò per tenues meninges, & cerebri ſubſtantiam in capillares diſperguntur. Arteriæ carotides originem habent à trunco arteriæ magnæ aſcendente, & ubi fauces deveniunt, dant ramulos laryngi, linguæ, faucibus &c. antequàm cranium ingrediantur, deindè ad cerebrum diſſeminantur ſuprà, infravè.

Non igitur angina fit ex humorum defluxione, deſtillatione, vel deſcenſu à cerebro in partes ſubjectas, veluti in deſtillatione, quàm chymici per deſcenſum appellant, quia meritò inferiores dolerent partes ſe cerebrum habere vicinum, & tyrannum ſuperiorem, & fortem qui in debiliores perpetuò onus ſuperfluum deponeret, veluti Principes, & Magnates gravia deponunt onera in miſeram plebem, ceu debiliorem.

Blaterent noſtri barbati Galeniſtæ contra innoxium caput, inſimulent intemperatum, compluvio tecto comparent, quod imbrem adminiſtrat. Velint nolint hoc vitii genus eſt partium continentium, non verò liquorum contentorum. Eſt malum topicum, non autem ſympathicum à capitis deuteropathiâ. Eſt ſua cujuſque partis debilitas, acquiſita, ſive innata cum vegetantis fermenti diminutione, atque hinc hujuſmodi partium omnia profluunt excrementa.

Noſtra Cauſa.

Anginæ geneſim à cauſis occaſiona-

libus timemur oportet, quæ ſunt nimia corporis commotio, excalefactio per exercitia, iracundiam, curſum, luctam, ſaltationem, Veneris palæſtram &c. Præcipuè ſi ſtatim à percalefactione perfrigeratio ſequatur, vel frigidus hauſtus potetur. Sic quoque æſtus à ſole, aëre ambiente, frigus ambientis, boreæ flatus. Tùm etiam capitis, & colli nudatio nocturno tempore, vel nimia eorundem obtectio. Sic etiam multa compotatio, & crebræ crapulæ. Tandem externa violentia, ut caſus, concuſſio, urentium rerum deglutitio, ut eſt piper Indicum, vel aculeatarum rerum, uti ſunt piſciculorum ſpinæ, quæ dùm incautè degluttiuntur, faucibus inhærent. His poſitis

Sciendum, quòd unica in vivente eſt natura, vita, ſivè ſpiritus, quem *Hip.* impetum faciens appellavit, quæ illud regit, conſervat, & movet, diverſa tamen illa nobis videtur ex functionum diverſitate: Oculus enim videt, & non audit, auris audit, & non videt, verùm iſta functionum diverſitas non pendet à diverſis naturis intra vivens latentibus, ſed ab ipsâ organorum diverſitate. Cùm igitur una natura in ſingulis corporis particulis vigeat, ſintque in vivente corpore aliqua membra, quibus ob functionum præſtantiam ipſam naturam veluti præſidere cognoſcamus, non erit à re alienum nobis ſuadere id, quod à magis viris fuit ſancitum, naturam ſcilicet viventium, licèt unam ob diverſa munia in influam, & inſitam, ſivè in ſpiritum influum, & inſitum dividi, influum quidem in principalioribus membris, inſitum verò in totius corporis particulis.

Spiritus hic inſitus (quem cuſtodem vocamus) ſingulis totius corporis partibus præſidet, cujus peculiare munus eſt quarumcumque partium alimentum ſibi demandatum coquere, digerere, & juxta partium exigentiam convertere ut ſingulæ nutriantur partes, quòd ſi à ſubitaneâ aëris injuriâ calidâ, vel frigidâ, ut accidit in nimiâ corporis motione, frigidiſſimo hauſtu, boreæ flatu &c. tonſillæ, fauces uvula &c. afficiantur, & illius frigoris, alteriuſvè injuriæ impreſſum ſtigma cuſtos ſentiat, ſtatim læditur, & laceſſitur in ſui coctione à tàm crudeli, & moleſto hoſte; quapropter impatiens, ut partem defendat, & obliniat proximam ſubſtantiam ſui alimenti degeneratam ob partis alendæ indiſpoſitionem per poros profundit, eâq; ſub formâ muci affectas partes munit pro tunicâ, & quia partium ſtigma eluere nequit, locale fermentum interturbat, & proximum alimentum ſucceſſivè arceſſit, & ſic ſemper nova ſuſcitantur excrementa. Nec tot nutrimenti degenerationes ad ſordem eluendam ſufficiunt, undè ſpiritus exotico deturpatus contagio per nervos, venas, arterias, imò per ipſum corporis habitum defertur, deindè cerebrum petit, laticemque in ſublamen, & ablutionem deſumit, quia latex ad partium eluendas ſordes fuit deſtinatus, per venas eò deputatur, & quia depravato inficitur fermento, quod in parte contraxit, primùm in mucidam ſalivam, deindè in mucilaginem fætentem tranſmutatur, qui utplurimum cùm ſit ſalſus, in his partibus excoriationem & exulcerationem inducit, & hac de causâ ægri humoris deflui decubitum ſentiunt.

Neque hujuſmodi latices ob proniorem ſitum, vel viarum facilitatem procumbunt, quaſi caput horum eſſet collegium, ſiquidem in cadavere non ſunt

hujuſmodi

hujuſmodi defectus, ſed in vivis dumtaxat: Itàque quicquid horum ſit, ab impetum faciente ſpiritu procedit, in cujus œconomiâ non eſt difficilior aſcenſus ſuperus, quàm deſcenſus inferus, cùm nil horum in vivis fluctuet ſuo gravitatis motu, ſed dirigatur miſſum ad certos ſui terminos.

Hinc conſiderandum eſt quodlibet membrum malè affectum, nè dùm plurimum excrementi ſui, ſed etiam adverſi fabricare. Sic oculo diverſimodè affecto, plurima ſanies, & lacryma acris emanat, imò feſtuca in oculo continuas proritat invito lacrymas. Os ethmoides oppilatum muco, continuum in coryza provocat laticem, & mucum profundit. Sic in dentibus, dyſenteriâ, gonorrhœâ, albo mulierum fluxu, lithiaſi veſicæ excrementa proprio fiunt errore. Angina quoque mucum, & mucidam eructat ſalivam, non quidem à cerebro, ſed ex degenerato partium nutrimento, & corrupto latice, qui copioſiùs ex ore profluit, & hac de cauſâ in anginâ alvus redditur ſiccior, & urina parcior. Sic etiam mercurius foris illitus, tùm in ſuffimigij formâ intra corpus admiſſus fauces, linguam, dentes &c. adicit; ſiquidem cùm hic deturpatus ſpiritus ad ſuæ miſſionis locum devenerit, illicò partis nutrimentum ſuo fermento imbuit, tranſplantat, atque traducit juxta ſeminis ideam, illudque ſucceſſivis hauſtis, afflatibus peregrinis, diſpoſitionibus digeſtionum & nutritionum munia interturbat, laticemque advocat, & demùm copioſam ſuſcitat ſupellectilem.

Exquiſita angina perpetuò comitem habet inflammationem quæ fit, cùm ſanguis è venarum jugularium ramis à cauſis occaſionalibus ſuprà allatis, egreſſus in faucium muſculos &c. effunditur, undè fit inſolens, & hoſtilis, & ſpiritus irritatus excandeſcit, & furit, hinc febrem, dolorem, tumorem, & ruborem provocat.

Dantur anginæ epidemicæ, quæ nonnunquàm publicè graſſantur, ſed à quibus cauſis, & quomodò hæ fiant, titubant vulgarium ſcholæ, & quia extra caloris, & frigoris nænias nunquàm caput extulerunt, à manifeſtis aëris alterationibus frigiditatis, caliditatis, & humiditatis exceſſu provenire crediderunt, & occultum morbum à manifeſtis deducunt cauſis.

Alij hiſce non contenti cauſis ad occultas qualitates ab aſtrorum influxu mendicatas, tanquàm ad ſacrum ignorantiæ aſylum recurrunt. Miror ſané has occultas, quas vocant qualitates, multis ab hinc ſæculis ſub alto præteriiſſe ſilentio, & per traditionem profeſſoribus non divulgaſſe; ſed impoſterùm has occultas qualitates occultiſſimas habebunt, dùm nec ipſi quid dicunt, ſciunt, & neſciunt, quod dicunt.

Cauſas anginarum epidemicarum juxta noſtra principia perquiremus, pro quibus aërem cauſam occaſionalem remotam aſſignabimus; quapropter noſtratis aëris natura conſideranda eſt, qui non ſimplex, & uniuſmodi eſt, ſed ex pluribus diſſimilibus ſubſtantijs compoſitus, quemadmodùm facilè intelliget is, qui animadverterit magnum rerum proventum jugiter accedere aëri: quippè ea omnia, quæ ſolis, vel ignis ardore diſſipantur, & conſumantur, in aërem abeunt, imò maxima eorum pars, quibus animâ extenuata, & in halitum inſenſibilem verſa per corporis meatus perſpirat, & in ſpiritum mutata evaneſcit.

Hæc verò ità intelligenda ſunt, ut minimè illorum excludatur opinio, qui dicunt:

dicunt noſtro huic aëri impuro vaporibus ab aquis, exhalationibuſque à terrâ prodeuntibus permiſto ſuperſtare alium hoc puriorem, cujus ſumma ſit tenuitas, & perſpicuitas; quâ de re aëris impuritas major eſt circa terram, quàm in regione ſuperna à terrâ longè diſſitâ: Nequeunt enim vapores, halituſque craſſiores propter gravitatem ſurſùm efferri in altiſſimam aëris regionem. Hinc liquet cauſa, cur in excelſis montium cacuminibus homines non aliter vitæ munia obire potuerunt, quàm per ſpongiam humore imbutam ſpiritum haurientes, quia in reſpiratione requiritur aër notabiliter craſſus, & multa vaporum, exhalationumque copiâ refertus; hi autem nequaquàm ità elevari poſſunt, ut inſignis eorum copia ad altiſſimorum montium cacumina pertingat.

Eſt autem aëris plurima ſanè pars in afficiendis noſtris corporibus; multis enim in locis ubi tetri, & venenati halitus, vaporeſque aëri commiſcentur, homines ſtatim intereunt, aut in graviſſimos incidunt morbos. Ubi verò eſt procul à fæce, & ab omni inquinamento remotus, purus, ſerenus, & omninò utilis aër invenitur, ut in montibus, ibi homines diutiſſimam ætatem attingere obſervantur, quia aëris puriſſimi eſt potatio, & expeditiſſima cæleſtium irradiatio.

An aëreum orbem excipiat igneus orbis ſphæræ lunaris ambitu circumcluſus, à nonnullis in controverſiam citari ſolet, ſed recentiores Aſtronomi conſiderantes phœnomina, quæ in cœlo tubi dioptrici ope obſervantur, conſueverunt è rerum naturâ eliminandos eſſe multiplices illos orbes, quos antiquiores ad determinandum ſtellarum motus imaginati ſunt, & eundem locum ſtatuerunt per lucidam, & ſummè tenuem ſubſtantiam, quam aëris nomine nuncupatur. Verùm aëris nomine vocatur hic orbis opaco-pellucidus, qui telluris globum circuit, & à multis græco nomine Atmoſphera nuncupatur. Componitur autem atmoſphera ex æthere, aqueis vaporibus, & terreſtribus expirationibus permiſto.

Hic aër opaco-pellucidus eſt ità ad vitam conſervandum neceſſarius pro reſpiratione, ut ſine eâ vix ad paucula momenta vitam prorogare poſſimus: non ità de cibo, & potu par eſt neceſſitas, quia ſine eo diutulè vivere poſſumus, novimus enim homines, qui plurium annorum ſpatio à potu abſtinuerunt, & itidem admirandæ memorantur de longiſſimis inedijs obſervationes; idcircò manifeſtum eſſe poteſt multò majorem eſſe inſpirati aëris neceſſitatem, quàm alimenti, & potûs. Eorum, quæ intra corpus aſſumuntur, maxima pars eſt aer, ut per experimentum *Cardanus* octaginta aëris amphoras unius diei naturalis ſpatio ab homine hauriri ſcribit: Sed quemadmodùm non omnes, nec ſemper eadem cibi, & potûs menſurâ utimur, ità nec aëris; nàm febricitantes, qui currunt, vel corpus utcumque immoderatè agitant, qui calidiores, & agiliores ſunt plerùmque majorem aëris quantitatem expirant.

Volitant in atmoſpherâ varia ſalium genera, quæ ex aquis, terra, fodinis &c. jugi fermentatione elevantur, ut ſunt vitriolata, nitroſa, gemmea, armoniaca, aluminoſa, arſenicalia, realgarina, ſeptica &c. quibus etiam addimus ſulphurum genera, quæ furtivo quodam modo inſpirata, diverſimodè noſtra afficerent corpora, ni amicarum rerum effluvia miſcerentur, quarè quæ hoſtilia ſunt ab amicis

ab amicis caſtigantur. Quæ caſtigatio niſi intercedat, graviſſimi ſubſequuntur morbi, & ſi vitam non tollunt, ſaltim breviant, eamque variis ſubijciunt cladibus. Sic quotidiè ſpagyrici ſylveſtre, & perniciosum gas è carbonibus, aquis ſtygijs, & mineralium fuſionibus potant. Item qui cinnabari, arſenico, auripigmento, ſublimatis, & Stibio laborant; quivè minium, ceruſſam, viride æs parant; ſic qui deaurant plumbum, cuprum, argentum &c. Item foſſores, ſeparatores, & coctores mineralium, qui non ſibi cavere poſſunt, indeſinenter eorum halitum introhauriunt, qui proditoriè, atque inſenſibiliter vitam turbat, donec inſpirati juxta indolem infirmetur, & tandem obruta malis concidere neceſſe ſit.

Verumtamen in morbis epidemicis, qui à causâ quidem communi originem habent, & per aliquod ſaltem temporis ſpatium in civitate, vel provinciâ &c. graſſantur, non peculiarem, ſed communiſſimam unà cum aëre cauſam aſſignare neceſſe eſt. Talis erit id, quod foriniſecus in nos intrat cum aëre, in quo continuò degimus, quem potamus, ſine quo nè breviſſimo quidem tempore vivere poſſumus, & quidem quatenus inſpiratione attrahitur, non prout noſtrum ambit corpus, illudque undique cingit, ut perperàm *Galenus* 1. *de diff. febr. cap.* 4. docet ob ſubſtantiæ tenuitatem in ejus profunditatem per poros penetrare, atque etiam arteriarum dilatatione attrahi. Iſte aër inquinatur, varijs ſalium generibus, quæ ex voraginibus, ſpecubus, cavernis, paludibus, aut cadaveribus animalium, aliarumvè rerum putridarum erumpunt. Ineſt enim his magna ſalium ætherogeneitas, quæ invicem agendo fermentationem concipiunt, & mediante fermentationis calore hæc ſalina effluvia juxta matricis conditionem in auras abeunt, & ventorum vi non ſolùm incumbunt in propinquos pagos, urbes, provincias &c. ſed etiam in remotiores deferri, & propagari poſſunt. Id teſtatur *Tucydides*, & *Lucretius* accidiſſe in illâ lue Atticâ, quæ ex Æthiopiâ uſque Athenas pervenit. Non negârim tamen, quòd ubicumque epidemicum aliquod natale habuerit ſolum tranſeundo demiſſius non inquinârit ſucceſſivè regiones; attamen quandòque accidit, ut non prope terram, ſed altiùs ventorum vi tradetur, & alibi ſuas exerat actiones, ceu nubes longo tractu, altiuſque transferri videmus, quæ halitus, & vapores ſunt, abſque eo quod in aëre ſolvantur, id ingenioſè expreſſit idem *Lucretius* philoſophando his carminibus:

Proindè ubi ſe Cœlum, quod nobis forte alienum eſt,
Commovet, atque aër inimicus ſerpere cœpit,
Vt nebula, ac nubes paulatim repit, & omne
Quà graditur, conturbat, & immutare coactat,
Fit quoque, ut in noſtrum cùm venit denique Cœlum,
Corrumpat, reddatque ſui ſimili, atque alienum.

Varia ſalium genera in voraginibus, antris, fodinis &c. quandoque fermentationem arripiunt interno, vel externo calorè adjuvante, & mediante fermentationis calore in atmoſphæram elevantur, & juxta ventorum excurſum incumbunt in pago, oppida, provincias &c. quæ proditoriè, & inſenſibiliter vitam afficiunt noſtram juxta inſpirati conditionem. Non totus aër eſt inquinatus,

aliàs enim quiſpiam immunis in eo degere non poſſet: ſed ſufficit, ſi ſalinis illis effluvijs hinc indè ſit conſpurcatus. Quod tamen ubi evenit longè perniciosum eſt in tali aëre verſari, & epidemicæ conſtitutiones, ubi totus aër eſt inquinatus, ſunt longè graviſſimæ, & latè in obvios quoſque ob communis aëris vitium graſſantur.

Epidemicam conſtitutionem, quæ noſtram roborat ſententiam apud *Hip. 6. epid. ſect. 7. t.* 1. legimus, in quâ anginæ, tuſſes, & peripneumoniæ graſſabantur, & paucas fœminas ægrotaſſe affirmat. Hujus rei non aliam adducit cauſam, niſi quòd minùs in publicum prodibant, quam viri, & ità aëris externi injurijs ſeſe non objicicbant.

Quotieſcumque ſale ſeptico, & arſenicali, ideſt nimis exaltato aër ex fodinarum, antrorum, voraginum &c. eruptione inquinatur, & inquinatus in laryngis ductum inſpiratur, qui ſtrictior eſt, intra aëris poros arſenicale ſal magis condenſatur, & in agendo activius redditur, laryngis, & gutturis partes afficit, digeſtionis munus turbat, latex ad eluendum impreſſum ſtigma advocatur, & varia generantur excrementa, quæ partem ſarcinant, fit vomica ad eſcaram vergens, anthracem, & carbunculum, ubi eſt ſummus ardor, & dolor; fit angina epidemica, quæ malignam, & peſtilentem comitem habet febrem, tertio, vel quarto die reſpirationis via omninò occluditur, & anginoſus veluti laqueo ſuffocatus vitam finit, ut multoties autopſia nos docuit.

Eodem ferè modo aliæ epidemicæ fiunt conſtitutiones, ſed juxta exaltationum differentias, ità ophthalmiæ à ſale acri, & mordaci: pleuritides à ſale acido; diarrhϾæ colliquativæ, & dyſenteriæ à ſale ſeptico, & arſenicali, juxta partes, in quibus eminet, & aëris inclementiam. Ens epidemicum noxium, vel ſaltim moleſtum partium digeſtiones turbat, digeſtionem errores vix producto morbifico carere poſſunt, quia digeſtioni proprium eſt digerendo aliquid producere juxta inſpirati indolem. Nec mirum ſit in piratum modò hunc, modò illum excitare morbum, nàm in hoc multùm confert inſpirati indoles, exaltatio, & partium conditio; nàmque in lue Venereâ obſervamus modò caries, puſtulas, & ulcera, modò gonorrhœam, & bubonem, ſalvis reliquis partibus. Subterranea inſpirata ſunt longè conſtantioſa, quamquod noſtro obediant calori, domentur, vel expellantur: multoſque minus ut in alimentum tranſeant ideòque vegetabilia reſpuunt medicamenta. Eodem ferè modo febrium malignarum geneſim eſſe dicimus, cum hac tamen differentiâ, quòd hæ cauſam occaſionalem ab intrà cognoſcunt, illæ, ut epidemicæ, endemicæ, caſtrenſes, alijque morbi populariter infeſtantes, ab extrà. Eſſet hic agendum de febre, quæ ex aëris mutatione contingit in aliquibus noſtræ Italiæ regionibus, ſed quia *libro de Pyretologiâ cap.* 28. egimus, meritò omittimus.

Non tantùm aër ſupra enarratis inquinamentis eſt obnoxius, verùm etiam victus, potus, imò nedùm mare ut ſalſum à tantis malis eſt immune. Id per ſcorbutum incolæ littoris maris Baltici teſtantur, familiaris bronchocele Alpinarum regionum incolis putatur Itàpliea Sarmaticis, & Polonis eſt familiaris. Itàque interiùs, exteriùſque patimur, & quæ nobis ſunt amica, inſenſa ut plurimùm vitæ noſtræ experimur. Cavendum igitur ab ijs, quæ maximè diligimus,

mus; quia ſi quandòque hoſtilia evadunt vitam ſurfurantur. Neceſſe eſt alia ab aëre, alia à terrâ, alia ab aquâ, & alia ab hominibus pati, & quia tandem in cunctis poſt primi parentis lapſum deliquimus, à cunctis ferimur.

Prognoſis.

Angina exquiſita eſt morbus acutiſſimus, & valdè periculoſiſſimus; quia duæ læduntur actiones maximè ad vitam requiſitæ, reſpiratio ſcilicet, & deglutitio, ideòque nulla angina tuta, ſed periculoſior erit illa, quæ majorem habet reſpirandi difficultatem, quæ à faucium, & gutturis anguſtiâ contingit, & præſertim ſi febris præcedat acuta, ac proindè cynanche eſt omnium periculoſiſſima, quia muſculorum internorum laryngis inflammatio meatum magis præcludit, & intra unum diem, & plerùmque intra quartum jugulat, & de hac *Hip. ſect. 4. aph. 34.* inquit: *Si febrem habenti ſuffocatio repentè ſuperveniat, nullo in faucibus apparente tumore, lethale.* Et *lib. 3 præſag 18. Angina periculoſiſſima eſt, celeriterque necat, ſi neque in faucibus, neque in cervice quicquam appareat, ſi dolor vehemens, ſi vix ſpiritus trahitur: etenim eodem die jugulat, licet interdum uſque ad ſecundum, aut tertium, aut etiam quartum protrahatur.* Et *ſect. 7. aph. 60. Si febre correpto tumore non existente in faucibus ſuffocatio repentè ſuperveniat, & non poſſit devorare, niſi vix: lethale.* Si verò reſpiratio, & deglutitio non valdè lædatur, neque vehemens adſit dolor, mali parvitas ſignificatur, & ad nonum protrahitur diem.

Paracynanche etſi admodùm periculoſa ſit, tamen paulò minùs lethalis eſt, quàm Cynanche, quia muſculorum laryngis externorum inflammatio non tàm citò conſtrictionem facit, & diutiùs protrahi poteſt, de quâ *Hip. lib. 3. præſag. 19.* inquit: *Quæ verò in reliquis quidem non minore dolore afficit, in faucibus verò tumorem, ruboremque excitat, ſuperioris non minùs periculoſa eſt, ſed longius ſpatium habebit, præcipuè ſi vehemens fuerit rubor.* Solet in cynanchem quandoque tranſire.

Synanche eſt minùs periculoſa, quia in eà minùs reſpiratio, quàm deglutitio læditur à muſculorum faucium internorum inflammatione. Deglutitionis læſio non ità periculoſa eſt: homo enim ſine cibo, & potu diutulè vivere poteſt, non verò ſine reſpiratione, præcipuè ſi febris acutior conjuncta eſt.

Paraſynanche eſt omnium leviſſima, & minimè periculoſa, quia inflammatio longiùs à gutture abeſt, & de hac *Hip. ſect. 6. aph. 37.* inquit: *Angina correpto, ſi tumor in collo fiat, bonum.* Foras enim morbus deducitur. Et *ſect. 7. aph. 49. Ab anginâ detento tumor, & rubor in pectore ſuperveniens, bonum; foràs enim morbus vergit.* Et *lib. 3. præſag. 20. Tumor, & rubor foràs converſi, ſignum tutiſſimum.* Si anginâ, tumore, & rubore foris apparente, iſta ſubitò intrò evanuerit, malum, quia materia ad interiora recurrens ſuffocationem parit. *Tumores faucium repentè diſparentes, lethales. In anginâ linguæ tumores abſque ullâ ſignificatione evaneſcentes periculum denunciant. Cùm etiam dolores citra evidentem cauſam diſparentes perniciem oſtentant. Coac.* Niſi hoc fiat, materiâ criticè diſcuſsâ, aut aliò depulsâ, atque æger meliùs ſe habeat.

Si anginæ materia ad pulmonem tranſeat, vel ægri moriuntur, vel in deſipientiam aguntur, vel empyici fiunt,

ut *ſect.*5. *aph.*10. *liberatio ab anginâ ad pulmonem tranſiens necat in ſeptem diebus; diutius viventes fiunt empyici.* Et *lib.* 3. *præſag.* 22. *Angina converſa ad pulmonem dementiam excitat, plerùmque autem ſuppurationem.*

Anginâ laborantes, niſi celeriter cocta expuant, ſed pauca viſcida craſſa reddant ſputa lethaliter ſe habent. *Anginoſi, qui non celeriter cocta expuunt, ſed pauca, viſcida, craſſa ſputa reddunt, malè, & lethaliter habent. in Coac. Anginâ laborantibus, ſubarida ſputa, gracileſcentibus faucibus, malum prænunciant. Ibidem.* Talis enim angina eſt periculoſa ſine tumore in collo, & faucibus, quod utplurimùm anginoſi ſuffocantur, ſputaque ſubarida maximum febrilem indicant calorem.

Quandò in anginâ difficilis eſt reſpiratio, & ſpuma in ore appareat, omnis ſalutis ſpes aufertur ex *ſect.* 2. *aph.* 41. *Strangulatio, quæ fit cum ſpumâ circa os, omnem ſpem recollectionis adimit.* Extremam enim cordis anguſtiam ſignificat, fervoremque ſummum, à quo propria pulmonis humiditas exprimitur, & in ſpumæ formam in os tranſmittitur. Ceu ſi etiam anginoſo febris invaleſcat, facies vireſcat, & oculorum ſinus denigretur, extrema frigeſcant, & lingua nigra, & craſſa cernatur, lethale, quia in forti febre multâ opus eſt reſpiratione, quam angina negat.

In anginâ ſine ullâ ſignificatione dolores in caput converſi cum febre, periculum indicant. In coac. Malum enim diffundi, & cerebro propagari ſignificant, ſi ſine criſi fiat, manente eâdem anguſtiâ, & reſpiratione difficili. Propagatur quandòque anginæ materia ad cerebrum, ubi ſtatim gravis capitis dolor, delitia, & phrenitis ſequuntur, vel ad pulmonem, & pleuram, undè pectoris dolor, tuſſis anhelitûs difficultas oritur; vel ad alvum, & purulentas facit dejectiones, vel ad cor, & ejus tremor, ſyncope, & pulſus obſcuritas excitatur.

Si febre detento repentè collum intorqueatur, ac vix deglutire queat, nullo tamen tumore intus, vel foris apparente, lethale. ſect. 4. *aph* 35. Ob vertebrarum luxationem in anticam, vel poſticam partem.

Angina vel reſolvitur, vel ſuppuratur, quòd ſi tumor remanet qui nec naturæ, nec artis beneficio reſolvi, vel ſuppurari queat, vel mortem, vel ricidivam minatur, vel in ſcirrhum degenerat.

Veterum Curatio.

Anginæ curationem vulgares medici iiſdem perficiunt indicationibus, quas in inflammationis curatione obſervant. Sic humorem ad partem affluentem revellunt, & repellunt, fluxum derivant, & reſolvunt, quòd ſi reſolvi nequeat, concoquunt, & ſuppurant, quæ omnia ſequentibus perficiunt medicamentis, &

Primò victûs rationem inſtituunt tenuiſſimam, refrigerantem, & humectantem ex herbis refrigerantibus dictis, pullorum, aut caponum juſculis, & alijs hujuſmodi. Quòd ſi æger ob œſophagi anguſtiam deglutire nequeat, ut indè virium jacturam reparent, & mortis periculum avertant, ab eo eripiunt, immiſſo in œſophagum cathetere, cui ſyringam adaptant, per quam juſculum in ventriculum immittunt. Alij per fiſtulam faucibus inſertam, & veſicam ſuillam alimentum injiciunt liquidum. Practici clyſteres

uſurpant nutrientes, quibus aliquid nutrimenti ad hepar per venas meſeraicas ineptè transferri credunt. O' intolerandæ ſtupiditatis argumentum, & anile figmentum! Quis unquàm per podicem nutritus fuit? Clyſter quocumque injectus titulo, naturaliter eſt inteſtino peregrinus, & non poteſt illi non eſſe moleſtus, & ingratus, nec unquàm propter valvulam ad ileon inteſtinum aſcendit. Injecti liquores primùm ſe commiſcent ſtercori ibidèm reperto, deindè partibus infunduntur, quibus proprium eſt cuncta in ſtercus mutare. Quòd ſi poſt bihorium reijciantur, non ſolùm redolent ſtercus, verùm etiam cadaver, ideòque nullatenùs in alimentum tranſire poſſunt, niſi in ſtomacho primam ſuſceperint digeſtionem, quæ alibi non reperitur.

Quia angina morbus eſt acutiſſimus, & quandòque unius diei ſpatio ſolet hominem de viventium numero tollere, magna expoſtulat remedia; ideòque quacumque diei horâ medicus vocatus fuerit, cenſent illicò ſanguinem detrahendum è directo partis magis affectæ, à venâ cephalicâ, vel medianâ, vel raninâ ad libram unam, vel duas, & quantùm vires ferre poſſunt. In hac prodigâ ſanguinis miſſione omnem ſalutis ſpem collocant, putantque optimum, præſentaneum, & compendiarium in hoc morbo eſſe remedium. Sunt nonnulli, qui uſque ad ſyncopen ſanguinem judicant evacuandum, *Galeni* ſententiâ perſuaſi, qui 1. *aph.* 23. ſcribit: *In ardentiſſimis febribus, & maximis inflammationibus, & vehementiſſimis doloribus uſque ad animi deliquium ſanguinem detrahendum eſſe.* Aliqui tamen non unâ vice detrahunt, nè in deliquium, & ſuffocationem æger præcipitetur, ſed partitis vicibus, & per aliqua intervalla, tertiâ ſcilicèt, aut quartâ quaque horâ. Tantoperè hoc remedij genus neceſſarium in hoc affectu dijudicant, ut poſthabitis contra indicantibus, imò clyſtere, celebrent in gravidis quocumque geſtationis menſe, menſibus ſuppreſſis, proximè fluxuris, & fluentibus, aut lochiis, quacumque ætate &c. Altero die ad purgans deveniunt medicamentum etiam non præmiſsâ humorum præparatione, vel coctione juxta *Hippocratis* præceptum: *In valdè acutis medicandum eſt eodem die, omnis enim tardatio periculoſa eſt*, quaſi Hip. de purgante tantùm loqueretur medicamento & phlebotomiâ, nec alia adeſſent. Quòd ſi morbus admodùm urgeat, pluries celebratâ phlebotomiâ, eodem die lenioribus purgandum putant. Purgatio, & phlebotomia ſunt duæ firmiſſimæ columnæ, quibus tota vulgarium medicina nititur, has omnibus morbis, & affectionibus adhibent, quibus ſemotis, tota quanta eſt ruit. Sunt vulgares agyrtarum inſtar, qui oleum, vel emplaſtrum nacti: illud ad omnes prorsùs efferunt morbos, atque alias inſuper quamplurimos valere.

Non hæc eſt vulgarium medicina, ſed carnificina, imò ſanguificina. Revulſione innocentem detrahunt ſanguinem, nè ad partem affluat affectam, ac ſi ibi effunderet ſe, & concreſceret. Reſpiciunt ad poſterius, id, quod futurum erit, ex falsâ eorum ſuppoſitione præcavere ſtudent, & noxium in radice non attingunt. Angina vel reſolvitur, vel ſuppuratur, detrahendo ſanguinem, à quo omnis noſter eſt calor, refrigerant, & reſolutio vel ſuppuratio impeditur, vel in longum protrahitur tempus.

Arginoſi per ſanguinis miſſionem curati ægrè convaleſcunt, & anginæ redduntur obnoxij.

Quatuor de cauſis ſanguinem evacuandum eſſe jubet medicorum grex. Prima quotieſcumque quantitate, ſeu copiâ peccat. Secunda, revulſionis, aut derivationis gratiâ, ut ab alio devolutionibus, vel percuſſionibus. Tertia, in morbis vehementibus, & potiſſimum qui inflammationem habent conjunctam, ut in anginâ, pleuritide, peripneumoniâ, & ſimiliter morbis acutis. Quarta, in febribus refrigerationis, aut ventilationis gratiâ, & *Galenus ſaluberrimum* ſcripſit *eſſe in omnibus febribus ſanguinem mittere*: his igitur de cauſis authores ſanguinem mittendum volunt.

Si copiâ, ſeu quantitate peccat ſanguis, libenter phlebotomiam concedimus, præcipuè ubi neceſſitas urget, malum inducias non dat, & ex magno ſanguinis affluxu ſuffocationis periculum impendet; quotieſcumque verò ſanguinem minuere expedit, nec interea à præcipitantiâ cogimur, poſſumus multò tutiùs, atque commodiùs rem per inediam abſolvere, nàm inedia eſt aſſidua phlebotomia. Revulſio, & derivatio penitùs ab Arveano ſanguinis motu evertitur, nàm cum ſanguis in orbem a venâ cavâ in cor, è corde in arterias, ex arteriis in venas, à quibus iterùm in cor, & arterias deferatur, manifeſtum eſt quamcumque ſanguinis miſſionem non ad peculiarem quandam partem, ſed ad univerſum corpus pertinere. In morbis vehementioribus, inflammationem conjunctam habentibus, ut angina, pleuritide &c. ſanguinem mittendum non concedimus, niſi plethora adſit, ex qua ſuffocationis evidens immineat periculum, ſanguinem mittendum ultrò fatemur; in pleuritide verò, & peripneumoniâ hoc remedij genus tanquàm maledictum improbamus, ut ſuo loco ſatis dicetur. Cæterùm nos ſic ſtatu mus non frequenter uſurpandum hoc remedij genus, nàm aliquandò licèt convenire illud videatur ut e ex. in imminente apoplexia ex plethora, attamen hactenus non rectè cognoſcitur, quandò id facere expediat. Noſtrates barbati, ut indiſcriminatim in omnibus morbis ſanguificinam exerceant, ventilationem commentati ſunt, cùm unam, vel ſaltim duas ſanguinis uncias evacuandas jubent, ſic enim ſanguis reſpirabit. Sed quænàm ventilatio, ſanguine è venis prodeunte, contingere poteſt, cùm nihil aëris in venas ſubingredi poſſit? Quis unquàm agnovit ſanguinem reſpiratione, & ventilatione indigere? Profectò enim natura ſanguinem in propriis conceptabulis, id eſt venis, arteriiſque conclusit, ubi nullus patet aëris additus. Verùm fortaſsè minùs damnanda erit ejuſmodi phlebotomia, quæ pauciſſimum evacuat ſanguinem, cùm minimum noxæ, aut periculi poſſit inferre.

Aliqui vulgares ſanguinatij poſt irritam phlebotomiæ lenienam, in anginâ deſperata venas jugulares ſecare audent: ſed vanidem, & periculo plenum eſt remedium ob ſanguinis fluxum, qui difficilè cohiberi poteſt, attamen morbi radicem non attingunt, & anginoſum pro angina jugulant.

Tandèm, vani ij ſanguificina, aliqui ſecarii in angina deplorata, in qua omnimodi ægri ſuffocatio præfocibus adeſt, ut anginoſo mortem accelerent, aſpe-

aſperam incidunt arteriam, per quam in pulmonem aëri detur ingreſſus. Hoc remedii genus evidentiſſimum mortis periculum habet conjunctum, quod ſi angina quandòque non necat, neceſſariò ex trajecto gutture irreparabile lethum ſubſequitur, quia aſperæ arteriæ vulnera ſunt inſanabilia, & pulmonis trachea coaleſcere nequit, cùm oſſibus, & cartinaginibus conſtet, ut *ſect.7. aph.19. Cùm diſciſſum fuerit os, aut cartilago &c. neque augetur, neque coaleſcit.* Præctereà ſanguis ex vulnere effluens in pulmones ruere, & ægrum ſuffocare poteſt, quarè non ità rectè laryngotomia celebrari poteſt, quin ſanguis in pulmones ruat, quicquid dicat noſter *Marcus Aurelius Severinus de efficaci medicinâ.* Itàque nullo prorſus modo hæc operatio in uſum revocari debet, tùm certiſſimum mortis periculum, tùm ob medici infamiam (quamvis omnis medicus eſt infamis cùm nunquam moriatur æger abſque medici infamiâ;) tum quia mors potius operationi, quàm morbo tribuitur, eſtò adverſus calumniam præmiſſo ſeſe prognoſtico munierit medicus. His addimus in anginâ conclamatâ ſemper pulmones affectos eſſe, & multis repletos humoribus, undè irreparabilis ſuffocatio contingit.

Id quod de medicamento purgante dicunt vulgares, non omninò improbandum cenſemus, nàm ſi cacochymia, ſcilicet pravorum humorum colluvies in corpore luxuriet, non eſt dubium, quin purgatio in principio conveniat non obſtante humorum cruditate, ſi nihil aliud prohibeat. Cœterum ea, quæ per alvi dejectionem operantur, ad inteſtina referri videntur; nàm ductus per quos humores ex univerſo corpore per alvum purgantur, duo ad finem duodeni inteſtini viſuntur, quorum unus ex cyſtico; & hepatico conſtituitur ductu, alter verò per longitudinem pancreatis rectâ protenditur. Per hos inquam, ductus humorum illuvies ex univerſo corporis habitu ad inteſtina fluit. Hæc eſt via, quâ nimius latex, qui in corpore redundat, & ad affectam accurrit partem & magna nutrimenti degenerati copia evacuatur, undè morbi imminutio, vel reſolutio oritur: ſed quia verentur, nè vehementiùs commoveant, & ad partem irruant affectam, nihil boni moliuntur, cùm purgans ex blandioribus præſcribant, quod primas tantùm vias ſubducit.

Contingit plerùmque deglutitionem impediri, & fruſtrà præſcribunt purgantia, quæ æger deglutire non poteſt; tunc noſtrates medici, clyſteribus per anum injectis, gulæ morbum abſolvere conantur, quaſi ani ſtercus anginam cuderet. Tota vulgaris medicinæ eſt ridicula, nec mirum, ſi ridiculos ſe exibent, quia facta eſt fabula vulgi non aliter ac ille medicus *Magiſter Gryllus* nomine qui vocatus filiæ Regis clyſterem præſcripſit, ut eam de ſpinâ gulæ infixâ curaret, quod ineptum medicamentum ità in actu, injectionis eam concuſſit cachinno, ut ſpinam è gulâ eructaſſe fabula narret.

Pro revulſione etiam cucurbitulas ſcarificatas cervici, & ſcapulis admovent, frictiones, & ligaturas inferiorum partium, & pedum lotiones ex aquâ calidâ celebrant. Veſicatorium poſteriori cervicis parti applicant ad humores à capite defluentes revellendum. Sunt medicamenta, quæ peri-

phetiam

pheriam diſcruciant, & centrum, ubi inquilinus hoſpitatur hoſtis non attingunt.

Reuulſionibus nihil proficientibus ad derivantia deveniunt, quibus humorem parti impactum evacuare credunt, ac primum venas ſublinguales, raninas dictas, ex *Hippocratis*, *& Galeni* præcepto aperiendas præcipiunt. Cucurbitulam ſub mento ſcarificatam applicant, vel ſub maxilis, & ſupra collum profundiores infligendo plagas. Per hæc vulnera ſanguinem inflammationem proximè efficientem educere imaginantur. Quaſi ob loci viciniam ad locum affectum devenirent. In magno verſantur errore nàm ſanguis extra venas effuſus per hanc lanienam nequit intra venas relabi. Imò majorem ſanguinis affluxum ad partem affectam concitare, & ſuffocationem accelerare poſſunt; Nec non pars affecta magis debilitatur, & ad ipſam humores facilius decumbunt: Sunt igitur hujuſmodi derivantia, dura, & periculo plena.

Ex derivantibus ad repellentia, dùm prædicta uſurpant remedia, recurrunt, & his topicis frigidis remediis gutturis, & faucium inflammationem oppugnare intendunt, quia pro inflammationis curatione inflammatæ partis refrigerationem exiſtimant, & ea in principio ante corporis depletionem adhibent ad gargariſmatis formam redacta, ut partem immediatè attingant. Ea parant ex *ſolano, lactucâ, plantagine, acetosâ, ſambuco, fol. roſ. ſucc. & cortic. granat. aceto roſaceo, ſyr. ex inſuſ. roſ. portulacæ, myrtillorum, de moris, violarum*, ex quibus varias gargariſmatum concinnant formulas. Ex adhibitis repellentibus magnum non tantùm percipitur damnum, verùm etiam malum iis augetur, & in lethale degenerat; nullo prorsùs modo adhibenda ſunt ob infelicem ſucceſſum, quia humor ad alias corporis partes repercuſſus majora inferre poteſt incommoda. Sunt repellentia frigida, & humida, quadcrè denſantia, & adſtringentia potiùs, quàm repellentia appellari debent, quia partem, ejuſque vaſa comprimunt, & contrahunt, (calor vaſa ampliat, contrà frigus conſtringit) humoreſque in iis exiſtentes repellunt, & retrocedere faciunt. Adhiberi non debent, quia angina morbus eſt partibus nobilioribus vicinus, nè humor repulſus ad internas, principes, nobilioreſque remeet partes: nàm ſi ad cerebrum repellatur, delirium, & phrenitis oboritur; Si ad pulmonem deſipientia, vel in ſeptem diebus enecat, & ſi ad longum protrahitur tempus, fit empyema; ſi ad cor, ejuſque tremor, & ſyncope excitatur. Si præſertim angina fuerit maligna, vel epidemica, ea repellentibus minimè tractari debet, nè ad interiora regreſſa hominem illicò juguler. Nimio repellentium uſu humor ex partibus ſuperjacentibus intropellitur, & in affectam partem cogitur, impigiturque, & fruſtrà adhibentur, cùm humor parti jam impactus eſt, quia repelli nequit.

Vbi angina ad augmentum pervenit, gargariſmis utuntur diſcutientibus *ex decocto hyſſopi, betonicæ, glycyrrhizæ, origani, calaminthæ, chamomillæ, meliloto, ſemine lini, fænugraco, althæâ, hordeo, paſſulis &c.*

Dùm hæc in gargariſmi formam adhibent, inflammationem ad exteriora trahere, & diſcutere tentant *oleo amygdalarum dulcium, chamomillæ; anethi,*

anethi, *violarum*, quorum aliqua cum lanâ ſuccida applicant. *Axungia capi, porci, gallinarum. Emplaſtro de meliloto*, *mucilagine. Vnguento de althæâ, nido*, *& ſtercore hirudinum*, *ſtercore canis, medullæ caſſiæ*, ex quibus diverſa unguenta, cataplaſmata, & emplaſtra concinnant, & calida ad anteriorem colli partem applicant.

Si tandèm tumor diſcuti nequeat, & ad ſuppurationem vergat, ad emollientia, & ſuppurantia deveniunt, eam promovent tùm internis, tum externis. Internè *caſſiæ medullam* in ore teneri jubent, ut pedetentim liqueſcens per gulam deſcendat. Gargariſmos, & collutiones formant *ex decocto radic. lilior. albor. alth. malvæ*, *ſem. lini, fœnugræc. caricar. ping. jujub. paſſular. &c.* quibus addunt *ſapam*. Externè ſuprà dicta cataplaſmata, & emplaſtra continuant. Quòd ſi abſceſſus ſponte non rumpatur, nonnulli jubent, ut æger ſpongiolam filo alligatam, vel ſemicoctæ carnis ſalſæ fruſtulum deglutiat, ut filo attracto vomica rumpatur. Alij panis cruſtam deglutire præcipiunt: Sed cùm vix liquidum alimentum deglutiri poſſit, multò minùs ſolida deglutientur. Plerique cultro ligneo acuto aperiri ſuadent. Abſceſſum ruptum collutione, vel gargariſmo cum *hydromellite*, *& aqua ſaccharatâ extergunt.*

Noſtra Curatio.

Noſtram de anginâ curationem à ſex rebus non-naturalibus auſpicamur, attamen dicta pharmaciæ non quadrat, cùm ſit morbus acutiſſimus, præceps & celerrimè ægrum jugulat; ideòque citam, & præſentaneam expoſcit curationem, nec de diætâ habenda eſt ratio cùm æger diutulè ſine cibo, & potu vivere poſſit: ea propter medicus vocatus quam celerrimè remediorum applicationi vacare debet, ſed ùt noſtro procedemus ritu

Aër ſit temperatus, quem erecto corpore hauriat æger, pluvioſus, & fumoſus, & frigidus vitetur.

Cibus ſeu victûs inveſtigatio non requiritur diligens, ſiquidèm opus habet tenuiſſimo admodùm victu, cum ſit affectus acutiſſimus, undè cibus tenuis, parcus, & liquidus eſſe debet; liquida enim facilè in ſtomachum deſcendunt, ac proindè jus pulli, vel carnis, vel ova ſorbilia proſunt, ſi vires requirunt, aliter viribus conſtantibus, exactiſſima diæta imperanda: æger nàmque ad duos, vel tres dies, & & ultra ſine cibo, & potu vivere poteſt, & acutie morbi tranſactâ, deperditæ reficiuntur vires. Quod ſi æger deglutire planè non valeat, ſint procul ab ægroto veſicæ, fiſtulæ, ut clyſteres nutrientes à Galenicis præſcripti; plures nàmque novimus, qui per octo, & novem dies deglutire non potuerunt, nec tamen fame periêre, ſed priſtinam recuperârunt ſanitatem.

Potus ſit hordei decoctum cum ſcorzonerâ, & cornu cervi, edulcoratum cum ſyrupo de papavere rhœados, vel de ſucco violarum. Vinum perpetuò interdicatur.

Somnus emulſione ſomniferâ conciliandus eſt, ut Vigilia ſit moderata, nàm utraque mala, ſi modum excedant.

Motus exulet, nè ſucci nimis agitentur, & ad affectam accurrentes partem, malum pejorent. *Quies* neceſſaria eſt, & æger ſilentia ſervet.

Excernenda excernantur, undè quotidiè tàm per alvum, quàm veſicam in ſuo

ſuo naturali ritu ſervetur conſuetudo; verùm ſuppreſſæ evacuationes, ut menſium, vel hæmorrhoidum nullo ſollicitentur ſtimulo, eſtò acidum ob ſtagnationem acquirant, nàm morbus celerrimus, & præceps eſt, nec pro his evacuationibus provitandis tempus ſuppetit, unum tamen notamus, quòd tranſpiratio ſit liberrima.

Animi paſſiones malignæ, ut ira, deſperatio, odium, furor &c. prorsùs exulent, nè ſpiritus animales, & ſubtiles ſucci concitentur, & impetuoſiùs effervescentiam capiant. Benignæ paſſiones eligendæ ſunt, quibus animus demulceatur, ut gaudium, ſi gaudio frui poteſt laqueo proximè ſuffocandus, ſpes tamen potior eſt, quia ſaltim afflictorum medicina eſt, & ſicut in ſecundis rebus animus non extra modum ſe extollere debet, ità in adverſis non deficere, ut ingenioſè expreſſit *Horatius lib. 2. carm. ode* 10.

Rebus adverſis animoſus, atque
Fortis appare: ſapienter idem
Contrahes vento nimiùm ſecundo
turgida vela.

Et eodem lib. ode 3.

Æquam memento rebus in arduis
Servare mentem; non ſecùs in bonis
Ab inſolenti temperatam
Lætitiâ.

Diverſæ ſunt anginæ ſpecies, ideòque juxta ejus diverſitatem curatio variari debet: ſi itàque angina fuerit epidemica, maligna, vel quomodolibet, nihil attendendum priùs, quàm ut malignitas alexipharmacis diſcutiatur, & eliminetur; ſi verò febrium malignarum ſymptomatica fuerit, curato morbo, ſymptoma facilè evaneſcit.

In hac anginæ ſpecie venæ ſectio nullatenùs convenire, imò obeſſe, & ſanguinis miſſione multos de medio fuiſſe ſublatos experientiâ nobis compertum eſt. Nec medicamentum purgans, niſi in principio principij, antequàm malignitas debacchari incipiat, convenit; non enim malignitas venæſectione, vel medicamento purgatorio tollitur: inſiſtendum itàque potiùs ſolis ſudoriferis, & alexipharmacis, quibus febrilis ſedatur æſtus, & malignitas abigitur. Caveat ſibi medicus ab habitu tali anginâ correptorum ægrorum, ne ipſe ſimiliter hac corripiatur malignitate.

Anginam epidemicam & malignam incipientem inſigniter vomitoria tollunt, antequàm viginti horæ prærerlabantur, poſteà verò nullatenus convenire poſſunt ob ſuffocationis periculum, quod ſi abſit, altero die tutò adminiſtrari queunt. Vomitoria commendat *L. Riverius cent. 2. obſ. 10. & eadem cent. obſ. 24. cent. 4. obſ.* 60. & in multis aliis locis. Hæc eadem commendat *Iohann. Hartman. cap. de Anginâ.* Item *Martinus Rulandus in ſuis centuriis* vomitoriis uſus fuit, laudantque *Aquam Benedictam ad* ℥.ij. Sed vix inveniri poſſe putamus excellentius medicamen in toto naturæ orbe vomitorium noſtro *Hippocras emetico*, ſi ſub primam morbi inceptionem decenti doſi hauriendum exhibeatur, quia primo ſtatim die propinatum morbum mirabiliter expugnat, degeneratumque nutrimentum in gutturis abſceſſum coiturum proſcribit, & intra bihorium ægrum ab omni abſolvit periculo.

Vulgares medici vomitoria improbant, quia non tutò exhibentur ob ſuffocationem, quam minari poſſunt. Exemplum pro ratione ex *Trincavello lib. 5. cap. 7. de rat. curand. part. corp. hum. affect.* adducunt, qui quandam fœminam,

minam, ſumpto medicamento ex caſſiâ, excitato vomitu, ſtragulatam interjiſſe refert: ſed non animadvertunt vulgares hanc fœminam ſumpſiſſe medicamentum purgans, illudque vomitum conciliâſſe, tranſacto primo, ſecundo, & tertio die, ut ex ejuſdem *Trincavelli* verbis colligitur. Idem igitur ſuffocationis periculum ex medicamento purgante imminere conijcimus, quotieſcumque magna humorum colluvies ventriculum gravat, & vomitum concitat, præſertim primo tranſacto die.

Non negamus vomitoria vel laudem, vel vituperium medico conciliare, eſt enim medicamentum periculo plenum, quod ſi non juvat, ſuffocare poteſt, magna igitur meditatione propinandum eſt, & ut ſalutariter præbeatur, tempora obſervanda ſunt, aut primum principium, aut periculoſiſſimus ſtatus; in principio nàmque tantùm eorum conducit uſus, & multùm proficua ſunt, quia interdùm cauſa occaſionalis remota in ſtomacho, primiſq; viis ſtagnat, quæ in ſpecie eſt humor, quem vulgares medici bilem appellant æruginoſam, in quâ uti notum eſt, peccat imprimis acidum. Quandò itàq; teſtantur ægri ſe in primo principio vitioſos humores in linguâ, acres, rancidos, ac quandam titillationem, & quaſi eroſionem percipere, quod ſæpiſſimè in anginæ principio evenit, tunc protinùs vomitorio danda eſt opera, nec meliùs inſtituitur, quàm per *Aquam Benedictam Rulandi, vel Hippocras emeticum,* quę non tantùm quoſcumque vitioſos humores ex ventriculo exturbat, verùm etiam ſeceſſus, & ſudores movet. Prætereà angina maligna, & epidemica per contagium afficit ęgrum, & illud contagium non minus eſt quàm peſtis, & febrium ex aëris mutatione, quod per aëris attractionem introhauritur, & in tranſitu tonſillas, fauces uvulam, laryngis, pharyngis, & œſophagi muſculos, ac ipſum palatum contaminat: cùm igitur venęnata aura in aëre deliteſcat, optimum conſilium eſt in tali anginâ mox in principij principio vomitorium ſuppeditare, & horum vomitorium uſus eſt maximè neceſſarius, utpotè auram venenatam potentiſſimè evocant.

Gargariſmata repellentia omninò rejecimus in vulgarium curatione, cùm anginam in ipſorum ſententiâ eryſipelas eſſe fateantur, quod frigidis cum vitæ periculo intropellitur, cùm foràs potiùs converti debeat.

Quòd ſi prima tranſacta fuerit dies, vel vomitoria locum habere nequeant, ad ea ſpecifica recurrendum eſt, quæ etiam poſt vomitum locum habere poſſunt: hujuſmodi ſunt *ſtibium diaphoreticum, ſanguis hirci ad pleuritidem paratus, bezoarticum minerale, decoctum contrayervæ in aquâ rutæ capraríæ, ſal volatile viperarum in aquâ juglandium, vel ſequens electuarium,* cujus ſæpiùs nucis moſchatæ quantitas lambatur, ut

℞. *Mellis roſ.* ℥ij. *diamori* ℥. j. ß. *albi græci* ℥. ß. *m.*

Vel ſequens:

℞. *Dianuc.* ℥. j. *nitri ſtibiati* ʒ. ij. *cinis hirundin.* ʒij ß. *mell. roſ. q. ſ. f. elect. molle,*

cujus fabæ quantitas in ore detineatur, ut ſenſim deglutiatur.

Poſt primum principium, etiam in ſtatu periculoſo vomitoria conveniunt quando facta eſt ſuppuratio, & propter loci anguſtiam, & ineptitudinem ſuppuratus abſceſſus apperiri non poteſt, quin potiùs ex tumore ſuffocatio im-

mineat, vel ſi ſpontè aperiatur, metus eſt, ne in pulmones labatur, & ægrum ſuffocet, aut in ſtomachum ruat, & eundem inſigniter vitiet. Talibus in anguſtiis collocatus anginoſus deploratam, & quaſi conclamatam vitæ ſpem habet, & cum Charonte de naulo paciſcitur, quia auxilia in arcto poſita ſunt, unum tantùm reſtat, ut abſceſſus aperiatur, & extremum aſylum eſt vomitus, qui potenter abſceſſum concutit illumque maturatum rumpit, eoque rupto, pus per ſuperiora evacuat. Periculoſum quidèm remedium, ſed extremum, & neceſſarium, cum aliud non ſuggeratur, & eſtò vomitoria deglutiri non poſſint propter ferè omnimodam anguſtiam, nihilominùs *plumâ oleo illicitâ* fauces titillandæ ſunt, vel liquor vomitorius iiſdem faucibus inſtillandus, vel *mercurius vitæ melle exceptus* faucibus illiniatur, vel lingua tangatur *ſpumâ venenatâ duorum draconum*, vel *noſtrum Hippocras emeticum* fauces diluat, & irritet: Sic enim fauces, & œſophagus irritatus ad ſpaſmodicum motum ſtomachum provocat, gula concutitur, & abſceſſus per ſuperiora rumpitur, & pus per os rejicitur.

In anginâ, non epidemicâ, nec malignâ; cùm etiam ſit morbus acutiſſimus, quia ſomnum ſuffocationis periculum imminet, non cunctandum; in valdè enim acutis eodem die medicandum, nàm omnis cunctatio periculoſa eſt; cauſa itàque morbifica extirpanda eſt, & eâ ablatâ morbus, & ſymptomata, tanquam effectus deſinunt. Cùm igitur anginæ cauſa ſit degeneratum partium nutrimentum, latex partibus arctiùs inhærens, & ſanguis è venarum jugularium ramis à cauſis occaſionalibus in muſculos expreſſus, curationis ordo in ſubſtantiam alimenti degeneratam abſtergendo, laticem eluendo, & ſanguinem intra muſculos vel reſolvendo, vel ſuppurando cōſiſtit.

Id quod magis in anginâ præſertim exquiſita negotium faceſſit, quandòque eſt metuendum ſuffocationis periculum, & reverà in tanto miſerabili mortis diſcrimine vena ſecanda foret, ſed nos ipſam non eſſe neceſſariam fatemur; nàm ſanguis intra muſculos diffuſus nullatenùs eliminari, nec nutrimentum degeneratum, nec lympha adhærens per venæ ſectionem educi poſſunt. Nos, & alii multos abſque venæ ſectione anginoſos curatos fuiſſe novimus: ſed nè barbatorum ſynagoga, & bardum vulgus calumniandi, & blaterandi anſam arripiant, quandoque in cynanche ad uncias tres in eorum gratiam educi poteſt, ut aliquantulùm ſanguinis copiâ diminutâ major ſanguinis circa venas non fiat affluxus, & congeries: verum ſanguis alios ductus, per quos permeare poteſt, habet, ut in arteriis, veniſque ſectis patet. Ex hac phlebotomiâ magnam adipiſcitur famam medicus, ſi æger convaleſcat; ſi verò moriatur, inquiunt vulgares, & ſtolidum vulgus canonicè periiſſe. Conducit quandòque phlebotomiam ob politicam celebrare, eſtò in recentiorum opinamento non conveniat, nàm in his caſibus medicum magis politicum, quàm doctum eſſe oportet; quia ſi æger purgatus, & optimè phlebotomatus pereat, juxta Galeniſtarum pandectas, hebraicè curatus fuit, & chriſtianè mortuus.

Ea conveniunt in anginâ medicamenta, quæ in omni inflammatione, & præſertim in pleuritide ſunt in uſu, ut *ſanguis hirci, ſtibium diaphoreticum, raſura dentis apri, lapides cancrorum*

fluviatilium, lapis prunellæ, Syrupus de papavere rhœados, aqua cardui ſancti, decoctum cornu cervi &c. hæc enim præſtantia ſunt non aliter ac in pleuritide, ſanguinem reſolvunt, blando ſudore ventilant, febris effervescentiam temperant, & inflammationem tollunt.

℞. *Syr. de papav. errat.* ℥.j.
ſang. hirci ʒ.j.
ſtibii diaphoretici gr. xii.
lapid. cancror. fluv ℈ j.
aquæ card. ſancti ℥.iv. *m.*

Vel ℞. *Syr. de carduo ſancto* ℥.j.
raſura dentis apri ʒ j.
decoct. corn. cerv. ℥ iij *m.*

In anginâ ſemper unà lymphæ habenda eſt ratio, quæ nimis craſſa, interdùm ſimul acida, aut alio modo vitiata per medicamenta interna anti-catarrhalia, ſuccinata; vel myrrhata, & ſimilia corrigenda, & emendanda eſt.

Maximoperè inter interna gargariſmata commendantur, quæ quaſi ad partem affectam manu ducuntur, ac lympham craſſam, & vitiatam incidunt, ſubtiliant, & educunt; nutrimentum degeneratum abſtergunt; & ſanguinem inter fibras expreſſum ad reſolutionem, vel ſuppurationem ſollicitant. Verum gargariſmata ſuſpecta eſſe poſſunt, quia partes exagitant inflammatas, quæ tamen potius quietem expoſtulant. Undè in anginoſis præſtat nullam inſtituere gargariſationem, quam partem affectam vexare; tùm propter aëris luctam cum aquâ gargariſata in faucium anguſtiis & propter laborem motus, & exagitatio fit, & inflammatio augetur: cap. opiet quidam omninò gargariſationem prohibent quin potius tantummodò de gargariſmo quantum [illegible] in ore tenere, ac ità ſenſim ad fauces depellere, atque pauliſper ſine inſigni agitatione retinere jubent, ac ſic poſtmodùm per cavum oris refundere, quod eò melius fit, ſi æger reſupino corpore jaceat: ſic námque faciliùs ad faucium poſteriora delabitur gargariſmus.

In principio adhibenda ſunt *gargariſmata*, quæ leniter, & blàdè adſtringũt, ut

℞. *Cortic. juglandium*
fol. rubi,
flor. malvæ arboreæ,
roſar. rubr. ana p. j.
bulliant in aquâ plantag.
vel ferrarior. in cujus
colaturæ lib. ij.
diſſ. ſyr. granator.
de roſis ſiccis,
de ſucc. cydonior. ana ℥.jß.
albi græci ʒ ij.
dianuc. ℥.j.
lapid. prunell. ʒ.jß.
m. pro gargariſmo.

Vel ſequens, ut

℞. *Aq. flor. ſambuci,*
fol. quercus,
roſar. rubr. ana ℥. ij.
rob. ſambuci,
dianuc.
diamori ana ʒ ij.
ſucc. taraxici expreſſ. ℥ ß.
Spiritûs vini rectificati ʒ.vj.
lapidis prunell. ʒ. j.
ſacch. ſaturni ℈.ß.
m. f. gargariſ.

Verùm gargariſmata adſtringentia cautè adhibeantur, ut præſertim in anginâ epidemicâ & malignâ, nè materia peccans adſtricta intropellatur, & tunc faciliùs ad cor propelli poteſt, & syncopen, vel ad pulmonem, & ſuffocationem, vel cerebrum ob vicinitatem, & c[illegible]ſiam, vel maniam excitare.

In inflãmationibus præſtat reſolutio, quàm ſuppuratio, dummodò malignitas

deſideretur; ideòque omni conamine reſolutionem tentare debemus, pro quâ gargariſmata reſolventia adhibenda ſunt, ut

℞ *Aquæ plantag.* ℔.ß.
pulegij ℥.ij.
ſyr. de hyſſopo,
betonicæ ana ℥.j.
dianuc. ℥.jß.
ſpiritus vini ʒ.iv. *m.*

Vel

℞ *Fol. veronicæ,*
ſcabioſæ,
ſucciſæ,
meliloti ana m. j.
prunellæ,
*origani ana p.*ß.
albi græci ℥.ß.
nidi hirundinum ℥.ij.
bull. in aquâ com. &
in colatura ℔.ij.
ſalis armoniaci ʒjß.
ſyr. jujubini,
de altheâ Fernel. ana ℥ij.
aceti ſambucini ℥jß. *m.*

Sequens gargariſma mirabiliter degenerati nutrimenti eductionem ſollicitat, & reſolvit, ut

℞ *Fol. ligni Braſiliani* ʒ.ij.
aquæ fontis ℔.ij.

bulliant ſimul parùm, deindè aquam è foliis ſepara, & multoties in die utatur æger. Vel

℞ *Aquæ ſedi majoris,*
prunellæ ana ℔.j.
ſalis armoniaci ʒij.
m. f. gargariſma.

Accidit quandòque, ut ſuppuratio incepta fuerit, & tunc nullo modo reſolvi poteſt, ſed tantùm ſuppuratio gargariſmis ſuppurantibus acceleranda eſt, & ea conveniunt medicamenta quæ emolliunt, & gutturis apoſtemationem rumpunt, quæ pleriùmque quarto, vel quinto die contingere poteſt, quòd ſi animadvertatur, tùm internis, tum externis adjuvanda eſt medicamentis, ut

℞ *Radic. altheæ,*
lilior. albor. ana m. j.
fol. malvæ, viol. meliloti,
chamomill. ana m. ß.
nidi hirundin. ℥.j.
caricar ping. num. v.
dactylor. paria iij.
paſſular. exacinatar.
ſemin. fœnugræci ana ℥.ß.
ſemin. lini ʒ.ij.
coque, & in
colatura ℥xv.
diſſ. ſapæ,
ſyr. de altheâ ana ℥.ij.
f. gargariſmus.

Utile quoque eſt caſſiæ medullam in ore detinere, ut ſenſim liqueſcens per gulam deſcendat. Sic etiam *colluſiones ex lacte tepido cum ſacchare* commendamus. Optimè præſtat *naſturtij hortenſis, vel aquatici ſuccus expreſſus mixtus cum aceti vini quartâ parte, & olei olivæ, & ſalis communis tantillo*, cujus miſturæ ſæpiùs unum, vel alterum cochlear ſorbeatur.

Exteriùs circa guttur, & præcipuè ſi in collo tumor appareat, ſequens cataplaſma applicari poterit:

℞ *Mell. ad ſpiſſitudinem cocti* ℥.v.
mell. roſ. ℥.ij.
albi græci ſubtiliſſimè pulver. q. ſ.
m ad cataplaſmatis conſiſtentiam.

Vel etiam applicetur ſequens *ex nidis hirundinum, & albo græco ana aquâ ferrariorum coctum* calidè.

Conferunt anginæ ea, in quibus ſal nitroſum armoniacum deliteſcit, ut eſt *ſtercus canis* oſſa rodentis, quod Chymici *Album græcum* appellant, in aquâ probè coctum,

coctum, & cum melle exhibitum. Undè *Galenus* Merdæ propheta hiſtoriam narrat de anginâ à ſe curatâ, quòd cum alijs deſtitueretur remedijs, reperit pueri ſtercus (ſtercus humanũ Zibettum occidentale vocant chymici) & exſiccavit, idque cum melle commiſcuerit, & prædivitis cujuſdam fauces anginâ laborantis illiniſſe, & intra unius horæ ſpatium tumorem ruptum fuiſſe, hominemque ſanitati reſtituiſſe. Abundant ſtercora ſulphure volatili fœtido, & plurimo ſale fixiori nitroſo, ſed humanum ſtercus eſt profectò indignum, ut à quopiam medico in uſum advocetur.

Appropriatum cataplaſma eſt, quod fit ex hirundinum nido, (quò plus ſtercoris nidus habet, eò melior eſt, quia majorem ſalis nitroſi, & armoniaci quantitatem continet, & præſertim in anginæ curatione convenit) *nidus unà cum ſtercore piſtetur, & incorporetur cum melle axungiâ ſuillâ, & albo græco, & fiat cataplaſma.* Ante cataplaſmatis applicationem partes externæ illiniantur unguento de althæâ, & tunc applicetur, quod toties reiterandum, quoties ſiccetur, ſiccum enim nullius eſt uſûs.

Factus jàm abſceſſus, & ad maturationem perductus neceſſe eſt, ut aperiatur, ſi ſpontè non eveniat, ſcalpello attingi debet, vel *cinere noctuæ combuſtæ cum melle* illiniatur, & propè rumpitur. Ruptum abſceſſum ſpontè, vel arte mundificat, & conſolidat ſequens collutio, ut

℞ *Aqua hordei* ℔ ij.
mell. roſ. ſimpl. ℥ iv.
radic. alth. ℥ j.

Bulliant ad tertiæ partis conſumptionem, & coletur.

Diximus in anginâ vinum nullatenùs exhibendum, ac proindè pro potu diſſolve nitrum præparatum, vel ſal prunellæ in aquâ fontanâ. Sal prunellæ, quod anodynum minerale vocant chymici, inſignis eſt virtutis ad drachmam unam in aliquâ aquâ appropriatâ ſolutum, & gargariſatum anginæ unicè medetur. Verùm ut in officinis paratur, ob fuſionem exaltatur, igneum, & mordax evadit, licèt aliqui frigidum exiſtiment, quia in corpore humano frigidas exerit operationes calorem ſcilicèt fugando, vel alliciendo: nos tamen in noſtrâ *Pyrotechniâ Sophicâ* calidum dijudicavimus, quia eſt ſal ſulphureum, inflammabile, quod non ſolùm operationes edit igneas in chymiâ, ſed omnes commotiones, & meteorologicas impreſſiones tàm ſubtus terram, quàm ſupra aërem gignit. Præſtat itàque nitrum, quod ſolvitur in aquâ communi, pluviatili ſtillatitiâ, vel aliquâ aliâ deſtillatâ refrigerante dictâ, & odore fragrante, ut roſatum, violatum, liliorum convallium &c. Copia aquarum debet eſſe ad ſolam nitri diſſolutionem, & cum prædictis aquis nitrum eſt ſolvendum, per filtrum purificandum, & aliquali aquoſitatis exhalatione denuò cryſtalliſandum in leni calore, nè fragrantia, & magis ſpirituoſæ aquarum partes in diutina coctione exhalent, ſed potiùs cum nitro unitæ permaneant, illudque in virtutibus ſuis nobilitent, & intendant. Multùm confert, ſi ſali prunellæ ità parato ſacchari candi tantundem, vel etiam plus addas, & utrumque pulveriſatum in aquâ roſarum ſufficienti quantitate coquas, donec gutta lamellæ ſtamneæ ſuperfuſa conſiſtentiam habeat, effunde in concham, & repone, relinquendo, donec lapidis inſtar induruerit, tandem exime, & in particulas diffringe, vel etiam in pulverem redige, quo ſæpiùs utatur anginoſus. Vel ſal prunellæ

cum æquali ſacchari portione junctum in pulverem reducitur, & ſæpiùs deglutiatur.

Potioris notæ quàm ipſum *ſal prunellæ* ſunt in anginâ *flores nitri*, quorum deſcriptionem *Hadrianus à Mynſicht* tradit, ut.

Solve nitrum præparatum in aquâ roſarum, poſteà inde ollæ novæ non vitriatæ, & pone in loco frigido per aliquot dies, donec flores nitri pertranſeant, & parietibus ollæ externis adhæreant; qui deindè pede leporino diligenter abſterganiur, & ad uſum ſine ulteriori præparatione ſerventur.

Si dolor ſit vehementior, ea conveniunt medicamenta, quæ dolorem leniendi vim habent, & præſervant, nè fauces exaſperantur. In hunc uſum convenit lac recens caprinum cum ſaccharo dulcificatum ob anodynam, quam habet partem. Item ſerum lactis pro gargariſmo, nàm tàm lac, quàm ſerum potenter detergunt, & dolores demulcent. Conducunt etiam emulſiones quatuor ſeminum, & mucilagines.

Sed ni primò ſpiritûs inſiti, ſive cuſtodis ſedetur agitatio, & furor, deindè pori aperiantur ante inceptam ſuppurationem incaſſum laborabis, imò anginam in pejus convertes, furioſo exiſtente ſpiritu, & inceptâ ſuppuratione in abſceſſum abire neceſſe eſt, nàm ſanguis effuſus, & coagulatus in naturæ gratiam redire non poteſt, vel reſolvi, vel in pus abire debet. Si ſpiritûs agitationem ſedaveris, faciliter & ſanguis reſolvitur, & pori aperiuntur. Igitur ante ſuppurationem ſpiritûs furorem; & agitationem ſedabis ſulphure anodyno vitrioli, vel ejus phlegmate, vel aquâ ex noſtrâ deſcriptione; magna enim vitriolo vis anodyna ineſt ſpiritum ſedans, non autem refrigerans materiam coagulatam, ut medicorum vulgus hactenùs credit: ſed in his conficiendis, & adminiſtrandis optimi ſpagyrici requiritur ſolertia. Non ſunt medicamina per vulgarium manus tractanda, quia facilè noxa ſuboriri poteſt. Præbeant tantùm vulgares ea, quæ gulæ oblectamenta ſunt, non quæ morbi indicationem reſpiciunt. Oportet igitur, ut hæc noſtra medicamina ſint optimè cicurata, ne gulæ, aſperæ arteriæ, & ventriculo noxam inferant, ut *Gal 6.de comp. med.ſec.loc.cap.*1. refert de quodam medico, qui cùm gargariſma ex atramento ſutorio conſtans adhibuiſſet, magnum gulæ, aſperæ arteriæ extremitati, ac ventriculo, & pulmoni intulit damnum.

De Affectibus Oculorum.

CAP. XVIII.

De Ophthalmiâ.

CApitis morbis exactis, ad oculorum morbos gradum facimus; ſiquidem oculi, cùm ſint nobiliores, magis apti ſunt ad ſuſcipienda, ut dicunt, ex cerebro mala, quàm aures, nares &c. Meritò priùs de visûs ſenſu, quàm de ceteris ſermonem inſtituamus oportet, aſt quia propemodùm innumeri ſunt oculorum morbi, adeò ut apud Priſcos medici ocularij reperirentur, qui non niſi oculos curabant, & ocularij dicebantur, ſicut alij naſarij, qui naribus curationem adminiſtrabant: at nunc medentes omnibus humani corporis morbis medentur, ſed quâ ſcientiâ, dicant languentium in medicos ejulatus, detractiones, & convicia.

Summam oculi partem natura tunicâ induit quadam, quæ adnata ab anatomicis

anatomicis appellatur, à quibusdam etiam conjuncta, quæ eſtò totum circumveſtiat oculum ad circulum iridis deſinit, & quâ pupilla eſt, non ambit, ab *Hippocrate*, & *Galeno* album oculi appellatur, & hæc tunica, quia magis externis patet injuriis, ideò plurimos ſuſtinet affectus, ut vulnera, exulcerationem, puſtulas, tumores, &c. Verùm inter hos præcipuus, & frequentiſſimus eſt ὀφθαλμία à nomine ὀφθαλμός [oculus,] & ſub hoc nomine plures ferè oculorum affectiones priſci comprehenderunt authores, & indè magna orta fuit confuſio: Verùm uſus obtinuit, ut per eam nunc ſtinctè ab omnibus exterioris tunicæ inflammatio, quæ eam adnatam vocant, intelligatur. Nonnulli modò dolorem, modò inflammationem oculorum, & modò lippitudinem pro ophthalmiâ accipiunt: Sed lippos dicimus illos, qui oculos habent lacrymoſos ſine inflammatione, & hanc lippitudinem patiebatur *Horatius*, *ut ſatyrâ 5. innuit:*

Hic oculis ego nigra meis collyria lippus
Illinire.

Et *virgilio* diſpnœâ laborante, dùm Cæſar inter hos ſedebat, dicere ſolitus erat, ſe inter lacrymas, & ſuſpiria verſari:

Hinc inter lacrymas ſedet, & ſuſpiria Cæſar.

Eſt itaque ophthalmia inflammatio tunicæ adnatæ oculi cum rubore, dolore, & illacrymatione, ejuſque ſubjectum primarium eſt tunica adnata album oculi conſtituens. In hac oculorum affectione tenues oculorum venæ adeò turgent, ut quæ in albo oculi inconſpicuæ erant, dùm membrana benè ſe habebat, fiant viſibiles, & conſpicuæ, plerùmque quicquid album eſt in oculo, rubeſcit, ſummus dolor, & ardor ineſt, qui lacrymas acres, & mordaces accerſit.

Signa.

Concurrit oculi tumor, dolor gravans, rubor, & ardor. Lacrymæ affluenter ex oculo decidunt plus minus pro cauſarum conditione, & vehementiâ, adeſt imminuta videndi actio, ægris enim oculus connivet, nec ipſi lucem aſpicere poſſunt, imò illam vitare coguntur. Sæpè ità tumet lacrymatur, & dolet, ut ſuo munere neutiquàm fungi poſſit, & quandòque ità in tumorem elevatur, ut tunica, necnon partes, quæ in vicinis ſunt, admodùm intenduntur, & ipſe oculus ad malas uſque intumeſcit. Lacrymæ etiam fœcundæ ex oculo decidunt à vehementi dolore accerſitæ; tanta n. aliquandò oculi punctio concurrit, ut acu, vel alio corpore pungenti ſimulari videatur. In morbi principio tenues exiſtant humores, & hinc craſſæ ſordes, quæ lippæ vocantur, & lippitudinis affectui nomen indiderunt, copioſè ſequuntur, quæ in majoribus oculorum angulis adhæreſcunt, & incrementi ſunt teſtes. Senſim hæ humiditates ità craſſeſcunt, ut palpebras in ſomno invicem conglutinent; & quaſi ipſæ coaleſcant, & mali ſtatum adeſſe ſignificant. Lacrymæ tenues quandòque ità ſunt ſalſæ, vel acidæ volatilibus particulis imbutæ, ut defluentes palpebras, & ipſas genas exulcerant, & excorient, & harum illapſu oculi quaſi uri videantur. Sæpè etiam ſomnum non concedit, ſed omnium dolorum

lorum more moleſtas inducit vigilias. Quandòque viſus depravatur, objectis rubeis, & flammeis apparentibus. Sæpè non ſolùm tunica adnata inflammata eſt, ſed etiam totius oculi bulbus, ejuſque muſculi & palpebræ. In hoc malo quoque arteriæ circumſitæ valdè pulſant. Interdùm capitis dolores conjunguntur, interdùm febris, & ſuppuratio, niſi præcaveatur, ſuccedit.

Hæc prædicta ſigna prout intenſa, & magna, ità etiam affectus magnus eſt, & prout ſunt mitia, ita etiam affectus levis eſt, ac proindè non ſemper eâdem vehementiâ affligit, in nonnullis mitiùs in aliis acerbiùs, undè triplicē conſtituunt diſtentionem. Levem inflammationem cum mediocri dolore, exiguoque rubore conjunctam τάραξιν, ſive conturbationem vocant medici. Majorem verò æſtuationem cum manifeſtâ intumeſcentiâ, ac dolorificâ rubedine complicatam ab internis cauſis provenientem, veram ὀφθαλμιαμ vocant. Ferventiſſimam autem doloroſitatem cum ingenti rubore & tumore diſcruciantem χήμωσιν vocant, quâ nimirùm ſuperiores palpebræ adeò intumeſcunt ut verſus frontem retrahantur atque utraque planè invertatur, itàut oculi eis obtegi nequeant, in hac quoque oculorum album altiùs aſſurgit, & rubor majorem in partem iridem occupat, totuſque oculus deformem admodùm obinet aſpectum.

Hinc tres ophthalmiæ differentiæ emergunt juxta gradus, ſic ſubjecti ratione quandòque oculus alteratur, interdùm ambo afficiuntur; ſic interdùm ſola tunica adnata; aliquandò etiam vicinæ partes in conſenſum trahuntur; alia eſt à cauſis internis, alia ab externis, Alia dicitur benigna, alia maligna. & cōtagioſa, ut ſiquis ophthalmicos, iſtos intuetur, ſimul quoque eodem malo corripitur; alia epidemica, alia ſparadica; quædam à motu eſt periodica, & per intervalla repetit.

Veterum Cauſæ.

Pro ophthalmiæ causâ efficienti aſſignant vulgares fluxionem à capitis venis, & arteriis, ut plurimùm ab intemperie capitis frigidâ, vel humidâ, rariùs à calida, & ſicca, cui humores calidos, & vitioſos ſanguini permiſtos in tunicam adnatam defluentes à vaſis capitis vicinis, eamque tunicam diſtendentes connectunt. Sic non ſolùm plethoram, ſed etiam cacochimiam, humoreſque vitioſos in corpore genitos, & tranſmiſſos, ſeu attractos per venas in pericranium, & vicinos muſculos diſperſos aſſignant, & hinc in innatam oculi tunicam propagantur, & in hæc loca effunduntur, id accidit nonnunqnàm nullâ causâ externâ accedente, ſed ſolùm natura quantitate ſanguinis, vel humorum copiâ irritata ad has partes ſanguinem cum vitioſis humoribus tranſmittit. Externæ cauſæ ſunt, quæ fluxionem in capite irritare poſſunt, ità ſunt frigida aëris conſtitutio, pluvialis, auſtralis, fumi acres, pulvis, aliæque res in oculos illapſæ; itèm oleum, acetum, vel aliûs acris liquor infuſus; contactus à plantis acribus, ut eſulâ, urtica. Solis ardor, balnei calor, ignis immodicus, vini potentioris uſus, ictus, caſus, & quæcumque caput, & oculum debilitare poſſunt.

Ridicula prorsùs pro ophthalmiâ eſt Galeniſtarum cauſa; nàm caput excrementa

excrementa per fluxiones non in oculos deponit, ſed ſua habet emunctoria à naturâ illi aſſignata, perquæ ſuis innatis ſe exonerat excrementis: oculi autem non ſunt emunctoria, ſed quicquid patiuntur, à ſuis excrementis non aliundè ſcatentibus, & ad illos fluentibus patiuntur, & has fluxionum nænias in omnibus oculorum morbis, quas ubertim capite de Catarrho repudiavimus, repetunt.

Noſtra Cauſa.

Ophthalmiæ cauſa eſt ſanguis in venulis tunicæ adnatæ ſtagnans, ideòque eſt tumor à ſanguine genitus ſuo circulo deſtituto, nec ulla ophthalmia ſine ſanguine contingere poteſt, ut ipſe oculi rubicundus color ſatis ſanguinem arguit, indèque ſanguis in ſuis conceptabulis omnem dat inflammationem. Fit igitur ophthalmia, cùm ſanguis intra tunicam adnatam cauſarum occaſionalium ope in venis ſtagnat, & ſuâ copiâ aggeſtus venas capillares turgeſcere facit, fibras dilatando, & coagulatur, ſpirituoſis particulis avolantibus, aciditatem, & ſalſedinem nanciſcitur, & novo ſanguine concurrente, major fit vaſorum diſtenſio, tumor ſuccedit, & quia venæ ob earum viciniratem una alii adhæret, quædam maſſa ſanguinea in oculo conſpicitur. Sanguis ſtagnans fit inſolens, & hoſtilis, & acrimoniâ ſuâ, ſuiſque ſpiculis irritat vitam partis, quæ tunc furit, excandeſcit, calorem, dolorem, & alia provocat accidentia. In hoc morbo ſanguis non diffunditur per venarum ſolutionem à ſuis vaſculis, & intra tunicæ adnatæ fibras non extravenatur, quia ſic non eſſet ophthalmia, ſed ſugillatio, alia morbi oculorum ſpecies ab ophthalmiâ. Illacrymant oculi, quia lympha lacrymalis, quam ad palpebrarum, & oculorum lubricationem ob continuum motum efficiendum natura demittit per punctum lacrymale, acrior ſoluto ſalſior, & quaſi corroſiva redditur, imò magnus fit lacrymarum effluxus, quia natura tanquàm pia mater affluenter lympham ad abluendum, & abſtergendum impreſſum ſtygma in tunicâ adnatâ demittit. Cauſæ occaſionales, quæ corpus calefaciunt, quod ſi ſtatim refrigeretur, inflammationem pariunt, ità ſunt vehemens exercitium, excandeſcentia, Veneris lucta, ebrietas, crapula, aëris calidi in frigidum mutatio, ventus auſtralis, & præſertim aquilonius irruens; frigus n. eſt oculis inimiciſſimum, ut & aliis partibus nerveis, & membraneis, quia maximè humores coagulat. Notandum, quòd oculus ſemel ophthalmiâ correptus ex quacumque causâ ſæpiùs poſtmodùm de novo inflammatur, idque evenit propter partis robur tunc læſum, ſeu propter ejuſdem tonum laxatum, ut in pleuritide, eryſipelate, & aliis obſervamus. Sic, cùm variolæ oculis ſint infeſtæ, ſæpiſſimè ophthalmias recurrentes poſt ſe relinquunt.

Prognoſis.

Ophthalmia nullum vitæ periculum minatur, ſi verò diù protrahatur, ut veteret, magnam noxam infert, & ægrè curatur. ταραξις minus periculoſa eſt χήμωσι, ſeu ophthalmiâ per-

fectâ. Hæc affectio in pueris, ſi cætera paria ſint, difficiliùs curatur, quia commodè tractari nequit, & pueri plurimis ſcatent excrementis, ſicut & ſenes. Si in uno oculo incipiat, non rarò ad alterum etiam tranſire conſuevit. Eſt ophthalmia quandòque inficiens, ac eorum oculos, qui optimâ fruuntur ſanitate, probamque obſervant diætam, ſolâ inſpectione, quandò nempè interni oculi ſanos alterius inpiciunt, ad conſimilem paſſionem inficere poſſunt. Ophthalmia per conſenſum à cerebri membranis periculoſiora habet ſymptomata, & difficiliùs curatur quàm ea, quæ eſt per eſſentiam, affecto oculo. Ophthalmia diutiùs durans exulcerationem, vel ſuppurationem minatur, cùm lacryma ſalſa fluit, multùmque calida, exulcerationis pupillæ periculum impendet. Si pus ex oculo effluit poſt ophthalmiam, tunc actum eſt de oculo; ſuppuratio n. ob acrimoniam oculis ferè ſemper funeſta eſt. Dolor diù perſeverans in ophthalmiâ peſſimum eſt indicium; materiam enim aut corrodentem, aut vehementer diſtendentem, aut ſuppurantem arguit: periculum igitur eſt, nè vel exeſis, vel ruptis tunicis, atque corneâ in primis exulceratâ, cæcitas ſequatur, aut quod mitius malum eſt, ſuffuſio expectanda erit, craſſo humore circa pupillam creſcente. Aliquandò perfectè medicamentis ſolvitur, aliquandò naturæ ope, & quandòque per alvi profluvium, ut *aph.* 17. *ſect. 6. Alvi fluxus ophthalmia ſuperveniens bonus.* Quia humorum abundantia evacuatur, & ad inferiora trahitur. Quandòque poſt ſe relinquit ungulam, nebulam, ulcuſculum in corneâ anguſtiam pupillæ, vel obſcuritatem, imò aliquandò fiſtulam lacrymalem.

Veterum Curatio.

Curant vulgares ophthalmiam tenui inſtituto victu, & remotis cauſis; his n non ſublatis, fruſtaneum eſt medici ſtudium: ſed iſti ſæpè malè torquent oculos, partem nimirum noſtri corporis pretioſiſſimam, quæ lucis uſu mortem à vitâ diſtinguit. Procedunt in ophthalmiâ ſicut in cæteris corporis inflammationibus, ſanguinem puta detrahendo, undè ſtatim in morbi principio venam ſecant, ſed præmiſſo clyſtere, eamque è directo partis affectæ aperiunt quam ſæpè reiterant, donec ſufficiens evacuatio, & revulſio facta fuerit. *Avicennas* docet in verâ ophthalmiâ ſanguinem mittendum eſſe uſque ad lipothymiam, & *Galenus in lib. de curat. per ſangu. miſſ. cap.* 17. cujusdam economi hiſtoriam refert, qui à graviſſimâ ophthalmiâ liberatus eſt ſanguine detracto, primùm ad libras tres, deinde verò poſt quatuor horas ad libram unam, & cap. 16, ejusdem libri teſtatur ophthalmias, ſæpè ſolâ phlebotomiâ intra unam horam fuiſſe curatas. Sed hæc ſanguificina nunc ab aulâ medicorum receſſit ſicut tota medicina *Galeni*, non n. phlebotomia ſanguinem in tunicæ adnatæ venis ſtagnantem auferre poteſt, in quo ophthalmiæ ratio conſiſtit, ſed tantùm majorem affluxum in proximas venas extra tunicam adnatam ſanguinis copiâ inhibere valet, præſentem affectionem intactam relinquunt, & futuram præcavent, prævident futura,

cura, & præſentia non curant: tota ophthalmiæ curatio verſatur circa ſanguinis ſtagnationem in tunicæ adnatæ venis reſolvendum, quam utique topicis medicamentis aſſequimur, & novam ſanguinis generationem exactiſſima diæta prohibet, nàm hujuſmodi diæta phlebotomiæ vicem ſupplet. Si ſanguis in toto corpore redundet, primùm, baſilicam, vel medianam aperiunt, deindè cephalicam. In his, quibus aliqua ſanguinis evacuatio conſueta ſuppreſſa eſt per menſes, aut hæmorrohides, venas inferiores aperiunt, aut hirudines venis ſedis affigunt. Poſt ſufficientem ſanguinis eductionem ulteriùs revulſionem moliuntur per cucurbitulas ſcapulis, & dorſo affixas, tùm ſiccas, tùm ſcarificatas. Ad eandem revulſionem conferre credunt frictiones, & ligaturæ in partibus inferioribus celebratæ. Revulſionibus prædictis adjungunt derivationes, quæ fiunt per venarum frontis, & temporum ſectionem, quibus addunt venarum apertionem, quæ ſunt in angulo oculi. Alii temporibus hirudines admovent, alii pone aures. *Galenus* 13. *Meth. cap.* 22. laudat arteriotomiam in temporum arteriis celebratam. Eſt oculus totius corporis reſpectu minima pars, & dùm inflammatur, à plantâ pedis ad verticem capitis uſque omnes incidunt venas, non ſic *Annæus Seneca*, diſſectis venis Neronis juſſu occubuit, ac ophthalmia correptus vulgarium ſanguificina perit.

Veſicatoria quoque in hoc affectu utiliſſima dijudicant, tùm poſteriori cervicis parti, tùm pone aures admota. Si prædictis malum non vincatur, ſetaceum, ſeu funiculus ex ſerico filo multiplicatus in poſteriori capitis parte, in initio cervicis ex oppoſito oculorum ità trahiciatur, ut hinc indè traduci poſſit, id fit apprehensâ digitis cute cum carne: ſed hæc remedia barbara ſunt, quia ipſi barbari.

Sanguine ſufficienter effuso, purgans medicamentum propinant ad humores bilioſos, qui ſanguini fervorem conciliant, evacuandos, juxta *Hippocratis doctrinam aph.* 17. *ſect.* 6. *Alvi fluxus ophthalmia ſuperveniens, bonus.* Verùm hic alvi fluxus fit à naturâ rectè operante, nec in hoc medicus ſcit, an natura id facere debeat, & non poſſit, ut ipſe ſuppleat, & ſic ars perperàm naturam imitatur, ophthalmiâ correptum purgans. Prætereà cavendum à ſolutivis etiam lenibus, nè humores commoti magis ad partem irruant affectam. Sed his non obſtantibus, præparatâ materiâ, cum *ſyr. de infuſ. roſ. de ſucco cichor. & de endiviâ*, medicamentum caſſiâ propinant, ut

℞. *Caſſiæ recèns extractæ* ℥j ß.
Diacatholicon. ʒiij.
rhabarbari pulv. ʒj.
cum ſaccharo f. bolus.

Vel purgans in formâ potûs ex ſyr. de roſ. ſolut. vel de cichor. cum rhab. exhibet. Neque unica ſufficit purgatio, ſi præcipue morbus diù afflixerit, ſed eam per intervalla celebrant, & interim julepis refrigerantibus humorum effervescentiam temperant.

Præmiſſis univerſalibus, ſanguinis nempe eductione, & purganti medicamento, ad topica deveniunt juxta

aph. 31. ſect. 6. Dolores oculorum meri potio, aut balneum, aut fomentum, aut venæ ſectio, aut medicamentum epotum ſolvit. Et ſecundum *Hippocratis* mentem ſanè curationem his quinque abſolvunt. Sed meri potus in hoc affectu omninò interdicitur à noſtratis vulgaribus, ſicut in omni aliâ inflammatione: Igitur perperàm vinum commendat *Hippocrates*, & multos vini potu mâlè ceſſiſſe legimus Refert *Zuvinger. in theatro* P. Ramum Lutetiæ à nimiis vigiliis ophthalmiâ correptum, quem cùm *I. Sylvius* vinum bibere juſſiſſet juxta Hip. aphoriſmum, vehementer malum crevit, ut cæcus ferè fieret.

Balnei uſum prorsùs improbamus, nàm fieri non debet, niſi corpus ſit optimè purgatum, quia, impuro corpore, periculum eſt, nè materia diffusa ad oculos ruat; deindè ut materia ſit diffusa ad oculum, non autem adhuc in motu; poſtmodùm ut adhibeatur, ubi humor eſt craſſus, quia à balneo attenuantur humores; & tandèm ut ophthalmia ſit in declinatione. Cæterùm cùm morbus eſt in declinatione, jam judicatus eſt, & à naturâ ſuperatus, nec remediis indiget.

Fomentum non admittimus, nàm oculos exaſperat, & dolorem adauget.

His ſic ſtantibus, ad topica deveniunt, & circa primum ad fluxionem cohibendam applicant fronti, & temporibus cataplaſma ex *ſucco urticæ, & farinâ tritici*; urticæ nàmque ſuccus ſpecificâ vi omnem ſanguinis fluxum cohibet.

In principio multa medicamenta præſcribunt, verumtamen omnes medici uno ore monent, nè topica in principio applicentur; multi n. cæci facti ſunt medicamentorum copiâ in principio adhibitâ. Si dolor valdè urgeat, ad anodyna medicamenta oculo admovenda recurrunt, inter quæ primum tenet locum *lac mulieris.* Verùm peſſimo conſilio, lac enim oculis inſtillatum corrumpitur, aceſcit, & unctuoſitate ſua oculos incruſtat, & quaſi ſordibus inficit, undè impeditâ inſenſili tranſpiratione ejus, tunc maximè inflammationem adauget, & ſic oculo infenſiſſimum eſt. *Ovi albumen* diù agitatum, & in aquam converſum, maximè à *Galeno* commendatur, quia dolorem lenit, & fluxionem leniter cohibet, ſed hoc oculos ità conglutinat, ut nec facilè aperiri poſſint.

Vel

℞. *Medull. pomi dulc. ſub cinerib. cocti* ℥. j.
mucilaginis ſem. pſyllii,
cydoniorum cum aq. roſ. extract. an. ʒ. vj.
liquoris album. ovor. recent.
lactis muliebris ana ℥. j.
f. cataplaſma oculo applicandum.

Vel

℞. *Pulpæ pomi cocti,*
micæ panis albiſſ. ana ℥. ß.
lactis muliebris ʒij.
ovum num. j.
m. f. cataplaſma.

Sed facilè acorem concipiunt. Si dolor vehementiſſimus ſit, & penè intolerabilis, ad narcotica confugiunt, & inter narcotica ocularia primas tenent *trochiſci albi Rhaſis cum opio*, ut

℞. *Aq. roſ.* ℥. ij.

liquor.

liquor. album. ovi fortiter agita-
ti ℥. j.
trochiſc. alb. Rhaſis cum opio
ʒ. j.
f. collyrium in oculo inſtillandum

Verùm opiata applicata nocentiſſima ſunt, quia ſic neceſſariò cœcitas oritur; nàm opium dolorem quidem demulcet, & gangrænam infert; ideòque ut plurimùm ſaltim ſpiritus opticos condenſat, humores, & tunicas incraſſat, & viſum hebetat, & ſic vel ex lacte, vel opio nunquàm felicem ſucceſſum obſervare potuimus. In principio itàque nunquàm localibus utendum, quia inflammati oculi, ità ſensûs acumine pollent, ut qualiber attrectatione offendantur, & malum intenderetur, ut millies nos expertiſſimus.

Sedato dolore, ad repellentia recurrunt, ſed hæc partes contrahunt, materiam intropellunt, tunicas inſpiſſant, reſolutionem prohibent, & dolorem adaugent:

Tandèm inflammationem reſolventia adhibent cum variis aquis ophthalmicis, ut *ros. albar. fœniculi, euphragiæ; chelidoniæ, verbenæ, rutæ, &c.* ut

℞. *Caryophyllor. num. iij.*
tutiæ prep. ʒ ß.
viridis æris gr. xv.
contundantur omnia craſſo modo, & indantur linteo, ac f. nodulus, qui in vini cyatho imponatur. Uſus tempore nodulus exprimendus, & gutta j. oculo inſtillanda.

Vel

℞. *Vitriol. albi* ℈j.
tutiæ preparat. ʒj.
camphor. ℈ß.
pulveriſata ſubtiliſſimè infundantur in aquâ ros. alb. pro collyrio.

Vel

℞. *Tutiæ preparat.* ʒij.
aloes lotæ ʒj.
ſacchari ℈ij.
Tria infundantur in aqua fœniculi, euphragiæ, verbenæ; rutæ ana ℥j.

Poſteà colentur, & ad uſum ſerventur.

Tandèm, ſi ophthalmia diutiùs protrahatur, ad fonticulos in brachiis recurrunt, vel aures perforant.

Noſtra Curatio.

Antequàm noſtram de ophthalmiâ curationem aggrediamur, omnes cauſas occaſionales ſubmovendas expedit, quas his verſibus *ſchola Salernitana* recenſet.

Balnea, Vina, Venus, piper, allia, fumus,
Porrum cum cœpis, faba, lens, fletuſque, ſinapi,
Sol, coitusque, ignis, labor, ictus, acumina, pulvis,
Iſta nocent oculis, ſed vigilare magis.

Ex quibus diætæ regimen educimus.

Aer itàque eligatur temperatus, & purus; vitet æger pulverem, ventum auſtrinum, & præſertim aquiloniam conſtitutionem, nàm humores movendo, oculos lacrymis ſuffundit, & malum adauget. In paulò obſcuriori, & tenebricoſiori conclave degat æger, in quo curationi ſe ſubmittat. Oculus laborans panno ſerico viridi tangatur, & obtegatur; color nàmque iſte oculis

eſt

eſt gratiſſimus, quia blandè lucis radios moderatur. Intuitus rerum rubrarum, rutilantium, aut fulgientium prorsùs declinetur, quia lucem intendunt, & improportionatam reddunt, debilibus exiſtentibus ſpiritibus in oculis, undè aſpectus rerum lucidarum omninò vitetur. Itèm ignis, ſolis radii, fulgur, & fumus exhalans ex mineralibus, & hinc aurifabri ob gas venenoſum acre, quod in fumo continetur, aliiſque, quæ tractant, fetè ſemper ophthalmiâ corripiuntur. Itèm exhalationes ex ſemi mineralibus, ut in confectione cinnabaris, præcipitatione, & ſublimatione mercurii, antimonii præparationibus, & aquarum fortium deſtillatione. Tabaci fumus per cannulam ſumptus multùm juvat illis, quibus eſt uſus. Prætereà pulveres adurentes caſu quandòque, aut datâ operâ, ut ex vindictâ ab iratis in oculos inſperſi, cineres, arena, terra, &c. Teneat æger non ſolùm oculum laborantem, ſed etiam ſanum, clauſum, vel tectum; cùm unius motus alterùm etiam inquietum reddat.

Cibus ſit parcus, tenuis, & parùm nutriens, & exigua primis diebus quantitas offeratur, donec ophthalmia conſiſtat, ut panatella, & deindè epulæ ex eudiviâ, boragine, cichoreo in jure carnium, ſorbilibus potiùs, quàm ſolidis, elixis, quàm aſſis, mollibus, quàm duris; opèroſa n. dentium commanſio oculos acerbè exagitat. Vitentur vaporoſa, & acria, quæ caput, & oculos feriunt, ut cæpæ, ſinapi, raphanus allia, porrum, eruca; inter legumina fabæ, lentes, cicercula, phaſeoli; piſa, &c. Itèm ſalsa, acida, aromatica calidiora, omnia dulcia, lac, mel, ſaccharum, & quæ cum aceto parantur.

Potus ſit decoctum hordei, vel herbæ theæ, vel lignorum, vel radicum. Vinum exulet, nec prorsùs in ophthalmicorum menſâ nominetur, quicquid dicat *Hippocrates aph. 31. ſect. 6. Quia metuendum, nè major humorum affluxus ad oculos concitetur. Celſus* vult vinum bibendum eſſe ad ſomni conciliationem ſed non ſunt facienda bona, ut indè eveniant mala, poteſt ſomnus conciliari aliis medicamentis à vino; in declinatione tamen concedi poteſt. Vel medicatum euphragiâ, betonicâ, fœniculo, verbenâ, fragariâ, meliſsâ, vel aliis herbis appropriatis.

Motus omnis corporis vitandus partium ſuperiorum, & præſertim oculorum commoties vitantur. Lucubrationes ad multam noctem protractæ quietis, & ſomni nocturni ſunt fures, & oculorum inflammationem parere, vel præſentem augere poſſunt, & candelæ lumen maximè lædir ophthalmiæ obnoxios; Caput non abluendum, imò nec pectendum, nè major augeatur inflammatio. Capilli, ſi multi ſint, & caput gravare videantur, & illud calidum ſit, minuendi; ſecus autem ſi multi non ſint, nec caput gravent.

Quies ità neceſſaria eſt, ut *Celſus* primo die à ſermone quoque abſtinere jubeat, nè motu materia ad caput attrahatur. Oculi detineantur clauſi, vel quæ aſpiciuntur ſint viridia, vel cerulea, vel nigra, in quâ re etiam nonnihil diſcriminis eſt, quia ſi viſus non ſit adeò diſgregatus, potiùs viridia, & cerulea conveniunt: Si multùm diſgregati ſpiritus, nigra.

Somnus valdè conducit, quia in ſomno oculi non moventur, nec lumen admittunt,

admittunt,atque ità humores ad ſe non attrahuntur; Præterea per ſomnum materia, quæ in oculos confluxit, concoquitur. Dolorem etiam, qui valde attrahit, ſomnus ſopit. Æger non dormiat in latere, cujus oculus afficitur, ut elevato capite cubat, & ſupinè, vel fugiendi ſunt ſomni graves, & multi.

Vigilia nimia prorsùs vitanda, accendit nempè humores, ſpiritus reſolvit, caput vaporibus replet, & oculi malè affecti intuendo, ac nictitando defatigantur.

Excernenda, & retinenda excernantur, vel retineantur, juxta naturæ exigentiam, aliter humores ſtagnantes facilè ad oculos confluunt, & ibidem inflammationem vel pejorant: ſic ophthalmiam ex menſibus retentis, & hæmorrhoidibus ſuppreſſis obſervavimus. Alvus quotidiè ſcybala deponat. Venus prorsùs fugienda venit, & ex nimio Veneris uſu hunc morbum obſervavimus, nàm ſicut oculi ſunt in amore duces, ità in coitu laborant, invertuntur, & in tàm vehementi motu epileptico micant, rubeſcunt, inflammantur.

Animi pathemata tranquillentur, & ipſe animus liber à motibus vehementibus conſervetur, ab excandeſcentiâ n. conturbatione, & triſtitiâ lympha plus juſto ſalina, vel acris redditur, & in tantâ animi perturbatione lacrymarum profuſio ſuccedit, undè oculi ordinariè rubeſcunt, ut experientiâ patet, quia lympha per glandulas, accerſitis ſalibus liquatis, in lacrymas prorumpit, & ophthalmiam vel augent, vel progignunt, hinc flendi occaſio maximoperè vitetur.

Semotis cauſis occaſionalibus, & optimâ victûs ratione per ſex res nonnaturales inſtitutâ, ad ophthalmiæ curationem progredimur, ideòque ſanguis in oculo ſtagnans vel reſolvendus eſt, vel in circulum redigendus, & eò reſpiciendum eſt, ut unà ſymptomata maximè urgentia mitigentur. Vbi inflammatio eſt parva, & periculum non imminet, ut in rubore, aut moderato dolore, externa tantùm ſufficiunt remedia: Vbi verò magna eſt inflammatio, tumor, dolor, aliaque ſymptomata internis, & externis ſubveniendum eſt.

De venæ ſectione in noſtra curatione non loquitur, nàm eam in veterum curâ repudiavimus atqui ut maledictis Galenicis, qui velut hirudines humano gaudent ſanguine, minùs reddatur exoſi, quandòque, ſed magnâ cautione, & ſedulitate in eorum gratiâ admittimus; non n. ſanguinem ſtagnantem ex adnatæ tunicæ venulis educimus ideòque avarâ manu mittendus, ut niſi juvemus, ſaltim non noceamus.

Medicamentum purgans in Galeniſtarum curatione rejicimus, illud in principio exhibitum, quia humores commovet, & ophthalmiam adauget; attamen in ophthalmiâ contumaciori, aut ſæpiùs recidiuante utique admittimus catharticum, quod lymphæ diſcraſiam educit, ut erit *conſerva florum perſicorum, vel ſyrupus, vel jalap. ejuſque reſina.* Imò in his caſibus libenter utimur *decoctis lignorum juniperi, ſaſſafras, guajaci, vel radicum* ad ſudorem excitandum, præcedente medicamento in formâ pilulari, leniter purganti, nè humorum commotiones in corpore excitentur. Si ophthalmiæ pertinacitas, & diuturnitas à lue Venereâ ortum ducat, mercurii ope, vel decoctis lignorum vel aquâ auri venereâ curatur.

Inter omnia medicamenta topica ea commendamus, quæ ſtagnantem ſanguinem

guinem reſolvunt, vel in circulationem redigunt: verùm non ſtatim à principio uſurpanda veniunt, nàm oculi inflammati exquiſitiſſimo pollent ſenſu, ideóque tangi nolunt. Imò vulgus ob infelices ſucceſſus in ophthalmiâ obſervatos dicit oculos inflammatos cubitu tangendos eſſe, quia qualibet levi attractatione læduntur, exaſperantur, in pejus ruunt, & in æternâ nocte quandoq; clauduntur: ideóque, quantum fieri poteſt, topicis non tangantur, & levis ophthalmiæ curatio naturæ relinquatur, & non niſi neceſſitate coacti in diuturnâ, & pertinaci localibus utimur.

Aſſolet ut plurimùm inſolens ſymptoma, putà dolor, tanquàm aſſiduus comes ophthalmiam comitari, qui ni ſi demulceatur, inflammationem adimere impoſſibile arbitramur; ſedato nàmque ſpiritûs furore, & agitatione, faciliter ſanguinis concretio reſolvitur, vel ad circulum redit, aliter furioſo exiſtente ſpiritu, incaſsùm curationem tentabis, & inflammationem in pejus convertes.

Ad oculorum dolores in ophthalmiâ pro veterum curatione lac muliebre pro collyrio commendari diximus, & optimo conſilio rejecimus ob charitatem erga opthalmicos, & hoc idem iterùm inſectamur; omne nàmque tàm mulieris, quàm aliûs animalis lac oculis applicitum fit infenſiſſimus, ex eo quod quandò refrixerit, aceſcere, & leviter coagulari incipit, & quia oculi exquiſitiſſimæ ſunt ſenſationis, fit, ut partim ex peregrino acido ſubtili, partim ex exotico coagulo, quo ſe obducunt, partimque ex acidâ lymphâ irritentur, & ex tali irritatione dolores, ſanguinis affluxus, vel ſimilia multùm augentur, adeò ut plus damni, quàm utilitatis ex mulieri lacte expectandum venit.

Aliqui commendant pro dolore ſedando cataplaſma ex micâ panis albi cum lacte, ſed propter lactis vitia dedecet, atqui potiùs maceretur in aquâ tepidâ ophthalmicâ, & interdùm mucilagines miſceantur, ut

℞ *Medullæ panis albi in aq. euphragiæ coctæ* ℥ij.
mucilaginum ſem. pſyllij,
cydoniorum cum eadem aquâ extract. ana ℥ij.
m. f. cataplaſma.

Maximoperè juvant hæ mucilagines, quia acorem, & acrimoniam peregrinam temperant, & abſorbent. Ad talem ſedandum dolorem proſunt quoque ſub formâ cataplaſmatis collyria, poma ſub cineribus cocta, & per ſetam trajecta: coquuntur ſub cineribus, nàm quidam coqui volunt in lacte, quod non conducit, ut de lacte diximus.

Reprobavimus opii uſum pro dolore ophthalmiæ demulcendo, ob rationes, quas attulimus de trochiſcis alb. Rhaſis cum opio; attamen ſi dolor valdè urgeat, ut vigilias doloroſas inducat, ad opiata recurrimus, ut ſunt *pilulæ de cynogloſſâ*, *laudanum ſine opio*, *laudanum opiatum*, *nepenthes Quercetani*, ſed in parva doſi, vel conducit *emulſio ſomnifera noſtra deſcriptionis.* Si autem ophthalmia fit maligna, & epidemica cum oculorum dolore, præſtat *diaſcordium Fracaſtorii*, ſed hæc in parvâ doſi propinanda ſunt, vel cochleatim. Conducit in oculorum doloribus ab ophthalmiâ *fruſtulum carnis crudæ vitulinæ*, *bovinæ*, *vel vervicinæ re-*

cens

cens in ſtata thaleri magnitudine, & craſſitie ſub introitum lecti, & à quibuſdam pro magno habetur arcano, ſed cave, nè putreſcat, ac ſubindè manè removeatur. *Unguentum nihili* cujus compoſitio extat apud *Joannem Zuvölferum*, eſt egregium in rubedine, & dolore oculorum, ſi externè palpebris inungatur. Vel dolori urgenti ſequens collyrium applicari poteſt, ut

℞. Aquarum ſperm. ranar.
ſolani,
roſ. albarum ana ℥j.
tutiæ præparatæ ʒj.
vitrioli albi ℈j.
ſacchari Saturni ℈ß.
camphoræ gr. iij. m.

Stent in loco calido. & poſtmodum per chartam emporeticam filtra, & utere. Vel ubi dolor intenſiſſimus eſt, cum fructu applicari poteſt ſacculus *floribus euphragiæ, cyani, chamomillæ, ſummitate anethi refertus, & ſpiritu vini madidus.* Vel petia infuſa in *decocto chamomillæ, meliloti, ſemin. fænigræci, & lini ex aquâ ſpermatis* ranarum humectari poteſt ad doloris lenimen, cui decocto infundi poteſt *tutia*; hæc nàmque à vulgaribus *oculi anima* dicitur, & inter oculitia primatum obtinet, quæ eſt favilla quaſi quædam ex ære, quæ promptè in ſe abſorbet quodcumque ſubtiliſſimum acidum excedens, lymphæ lacrymalis acrimoniam corrigit, detergit, abſumit, quæcumque peregrina reſolvit, & eliminat.

Admonitos volumus vulgares, ut medicamenta omnia oculis, tanquàm partibus nervoſis, tepidè applicentur, & urgente inflammatione magis temperandum, nec ſint acria, vel lenta, nàm triſtem induunt ſenſationem, & magis irritant, vel oculos obviſcant, nec medicus, vel ægrotus hujuſmodi oculis curandis pertinaciter inſiſtat, ſæpè namque nimiâ medicamentorum copiâ cœcitatem inductam fuiſſe obſervavimus; Item acida, & frigida ſuſpecta ſunt, cùm humores, & ſpiritus oculis inhabitantes ab iis incraſſantur, qui volatiles ſemper eſſe debent.

Sedato dolore, ad diaphoretica blandiora deveniendum eſt; ut n. diaphoretica omnium inflammationum ſunt remedia, ità in hoc affectu maximè juvant, quia ſerum vitioſum particulis acidis, & hoſtilibus imbutum eliminatur, ità ſunt *ebur, & cornu cervi præparata, bezoartic. minerale, ſtibium diaphoreticum, lapis bezoar, &c.* Conducunt etiam diuretica, quæ ſerum vitioſum cum particulis acidis, & ſalinis educunt.

Interim ad topica, quæ ſanguinem concretum reſolvunt, vel ad circulationem diſponunt, devenire oportet, quæ oculis inſtillamus in ophthalmiâ; verùm has uſurpandi aquas ophthalmicas modus ſervandus eſt, quo rectè applicari debeant: æger ſupinus decumbat, & guttam unam, vel duas immittat oculis apertis, in majorem oculi canthum, & clauſis palpebris, oculum hinc indè vertat, ſic 'n gutta una plùs prodeſt, quàm centum, ægro ſtante, aut cum goſſipio applicatæ: hæc applicatio reiteranda eſt ſingulis tribus horis pro ratione affectûs. Hòc medicamenti genus, quod oculis adhibetur, collyrium dicitur, & alia ſunt in formâ liquidâ, alia unctuoſa, & alia deniquè ſicca, & hæc ſunt pulveres pro oculorum morbis,

qui ſubtiliſſimi, ab Arabibus Sief appellantur, & tali nomine etiam proſtant in officinis pro oculorum uſibus. Hi pulveres fiunt ex tutiâ, tanquàm baſi principali, cui quandóque modò Saccharum Saturni, modò camphora, modo vitriolum album in minimâ quantitate, pulvis oculorum cancrorum, vel oſſis ſepiæ. Alia collyria ſunt vaporoſa quandò ſcilicet vapor ex medicamentis excitatus oculis excipitur pro oculorum affectibus.

Crollius ſummis laudibus effert *ſal Saturni in aquâ roſarum albarum diſſolutum. Quercetanus, & Martinus Rulandus* commendant infuſionem *croci metallorum in aquâ euphragiæ, & fœniculi.* Inter medicamenta valdè efficax eſt *tutia*, ſeu pompholix, quæ ſine morſu reſolvit, ut

℞. *Tutiæ præparatæ* ʒij.
aloës lotæ ʒj.
ſacchari ℈ij.
Trita infundantur in
aqua fœniculi,
euphragiæ,
verbenæ,
rutæ ana ʒj.
colentur, & ad uſum ſerventur.

Vel

℞. *Vitrioli albi,*
tutiæ præparatæ ana ʒj.
camphoræ ℈j.
pulveriſata ſubtiliter infundantur in aquâ roſarum albarum pro collyrio.

Vel

℞. *Aquarum roſ. alb.*
euphragiæ,
verbenæ ana ℥j.
tutiæ præparatæ ʒj.
matris perlarum ſubtiliſſimè pulveriſatæ ʒij.
m. in oculum inſtillando.

Vel

℞. *Aquarum fœniculi,*
euphragiæ,
cyani ana ℥j.
vitrioli albi grana viij.
f. vitrioli in aquâ ſolutio,
filtretur per chartam emporeticam, addatur
ſacchari Jovialis ℈j.
f. collyrium.

Vitriolum album eſt ſummum remedium in ophthalmiâ, nàm continet ſulphur anodynum.

Vel

℞. *Aquar. ſperm. ranarum,*
fragorum ana ʒij.
ſolani ʒj.
vitrioli albi ℈j.
ſolutioni filtratæ adde
tutiæ præparatæ ℈ij.

Alij infundunt vitrum antimonij in aquam ophthalmicam appropriatam, ut

℞. *Vitri antimonii pulv.* ℈ß.
infunde in aquâ flor. cyani,
euphragiæ,
fœniculi ana ℥j.
Stent in loco calido per noctem, mane filtretur.

In rubedine, dolore, tumore, & inflammatione oculorum prodeſt *aqua fragorum ex baccis deſtillata*, & multùm commendatur *aqua ſpermatis ranarum.* Item *ros majalis* collectus in plantis ophthalmicis, ut *euphragiâ, fœniculo*, vires harum herbarum ſecum rapit, & vires habet. Tandem *aqua ſapphirea in Pyrotechniâ* deſcripta multùm valet in ophthalmiâ, & aliis oculorum affectibus, & ſummam laudem meretur.

tur ſpiritus vini cum aquâ euphragiæ, chelidonii, vel roſar. albar.

CAP. XIX.

De Sugillatione.

Eſt ſugillatio oculorum affectus, in quo maculæ rubræ, ſeu ſanguinea puncta quæ in quadam parte laborantis oculi conſpiciuntur, puta in tunicis exterioribus ſcilicet adnata, vel corneâ, vel utrâque. Græcis dicitur ὑπώπιον, & ὑποσφάγμα & eſt ex effuſionum genere quæ διαπήδησιν vel ἀναστόμωσιν appellantur, & à quibuſdam macula rubea, ſeu ſanguinea. Fit hæc effuſio lentè per διαπήδησιν, vel ἀναστόμωσιν è minoribus vaſis ſpecie tranſudationis, ubi temporis progreſſu liveſcit, & nigreſcit. Eſt itàque oculi ſugillatio ſanguinis ex ictu, lapſu, aut contuſis vaſis, vel alio modo apertis, in oculorum tunicis adnata, vel corneâ in eaſdem diffuſio colore primùm rubeo, poſteà livido, & tandem nigro, quem ſanguinem mortuum appellant.

Signa.

Sugillatio viſu deprehenditur ex macula rubra, ſeu livida à ſanguine ex venis apertis effuſo. Si à cauſa fiat externâ, ægro hæc innoteſcit; ſi ab internâ, externa abeſt. A ſanguinis copia maculæ color erit rubens; à fervore, ad citrinum verget Si cornea à ſanguine magis diffuſa eſt, ægris cuncta objecta rubicunda videntur; nàm ad corneam venulæ porriguntur e. parte, quæ ſidem ſpectat, & ex vicinis vaſis ſanguis in eam partem diffundi poteſt.

Cauſa.

Cauſa interna, & immediata eſt vaſorum ruptio, vel apertio, nimirùm venulſtum, vel arteriolarum per exteriores oculorum tunicas extenſarum, contingens vel ex nimia vaſorum repletione, ſanguinis copiâ, ut effuſio fiat; aut à ſanguinis ebullitione, à fervore, vel acrimonia, vel incaleſcentiâ corporis excedente oriunda, & per vaſorum ἀναστόμωσιν ita excidit, ut inter tunicam adnatam; aut corneam effuſus ſtagnet. Externa, & mediata cauſa eſt violentus ictus, vel plaga, vel contuſio oculorum, vel intenſa aſperitas, vel ambientis aëris frigiditas, clamor vehemens, excandeſcentia, vel tubarum inflatio, &c. obquæ venulæ tenſæ modò in adnatâ tantùm, modò in corneâ, & quandóque in utrâque tunicâ aperiri poſſunt. Internas cauſas ſcrutinante rationis conjecturâ aſſequi poſſumus; externæ verò ex ægri relatione percipiuntur. Hujus mali differentiæ ſunt, quòd ſugillatio alia eſt recens, quæ rubro colore apparet, alia antiqua, quæ livido, fuſco, vel nigro. Sanguis n. extra ſua conceptabula effuſus, & proprio calore, & ſpiritu orbatus primò liveſcit, deindè grumeſcit, & tandem planè emoriens nigreſcit.

Prognoſis.

Sugillationi ſtatim ſuccurrendum eſt, nàm dùm recens eſt, non difficulter curatur, cùm ſit exiguum in oculo vitium, & niſi confeſtim ad curationem properet, deindè curam non ſuſcipit, ſi n. ſanguis nigreſcit, & grumeſcit, malum eſt, & difficilè

poſtmodùm diſcutitur, cùm ſit extravaſatus, & hinc viſum oppidò obſcurat, & alia graviora parit ſymptomata. Hic ſanguis non rarò quoque ſuppuratur, & præcipuè ſi aliquantulùm copioſior ſit ſubeffuſus, & hinc curatio difficillima redditur, & non rarò in ulcus, & fiſtulam degenerat cum omnimodâ viſûs abolitione.

Curatio.

Indicatio ſugillationis curativa eſt, ut ſanguis evaſatus, & ſtagnans vel fluxilis reddatur, vel reſolvatur, ac diſcutiatur, & dum malum recens eſt, inter initia medicamenta leniora eſſe debent, & cum curâ Ecchymoſeos convenit, ideóque pars affecta *decocto malvarum*, *vel florum chamomillæ*, *ſeminum fœniculi*, *fœnigræci* calidè foveatur. Vulgò *ſanguinem papionis* collectum ab extractis eorum pennis tenellis in extremitate ſanguine plenis expreſſum calidè oculo inungunt. Alii applicant *caſeum recentem*, nonnulli commendant *aquam vitis*, quæ verno tempore ex palmitibus præciſis extillat. *Galenus* ex Archigene *hyſſopi comam tritam*, & nodulo alligatam in ferventem aquam demittat, nodulumque poſteà oculo tepidè admovet; ità n ciuor eli.i:ur, adeò ut linteolo adhæreat: idque etiam verum eſſe, ſe expertum ſcribit *Joannes Riolanus.*

Si verò ſanguis effuſus in grumum converſus eſt, ad validiora confugiendum eſt, atqui in eorum uſu cave, nè acrimoniâ ſuâ apertis venarum oſculis, majori copiâ proliciant: tunc *Hartmannus* commendat ovum ad duritiem coctum, per medium diſſectum, & oculo per noctem calidè appoſitum: Sed optimum remedium eſt cum felici ſucceſſu *ſpiritus vini camphoratus* cum linteis tepidis applicatus, vel *ſola aqua Reginæ Hungariæ*, *vel ſpir. vini ſimplex.*

Si malum ſit inveteratum, & nigreſcens, fortiora expoſtulat remedia, ut *radix ſigilli Salomonis* conquaſſata oculo, ac partibus vicinis in formà cataplaſmatis appoſita. Item ſuccus *radicis raphani*, vel ſacculus ex *hyſſopo*, *chærefolio*, *raſurâ bryoniæ*, *floribus ſambuci coctis in aquâ ſimplici*, *vel decoctum radicis ſymphyti*; *vel herbæ bellidis.* Similiter *decoctum radicis bryoniæ in aquâ hyſſopi.*

Tandèm, ut ſanguis fluxilis reddatur, & corruptus removeatur, ſalia volatilia, & diaphoretica internè commendamus, quibus pori aperiuntur, & ſanguis coagulatus ſubtilior redditur, & per eoſdem exhalat, hujuſmodi ſunt *ſperma ceti*, *mumia*, *oculi cancrorum*, *ſtibium diaphoreticum*, *ceruſſa antimonii cum extracto bellidis*, *&c.*

CAP. XX.

De Suffuſione, ſeu Cataractâ.

Morbum, qui Græcis dicitur ὑπόχυμα, vel ὑπόχυσις, Latini ſuffuſionem appellant, quæ eſt concretio humoris lenti ad modum veli, vel nebulæ, vel pelliculæ ſub corneâ ante pupillæ foramen ſubſiſtens, quæ viſum vel maximè minuit ſemper cum ejus depravatione, nàm quandóque materia

ria eſt minor,& tunc non omni ex parte viſio aufertur, & interdùm tanta eſt, ut totam occupet pupillam, & tunc viſio totaliter tollitur, quia radiorum viſibilium ingreſſus in cryſtallinum abarcetur. Vulgus cum Barbaris hunc morbum cataractam appellant, tanquàm aquæ decubitum ad pupillam, eſt n. cataracta locus abruptus. & præceps in flumine, undè aqua ruit potiùs, quàm fluit, undè etiam aquam ſimpliciter, & aquæ deſcenſum nominant. Hoc itàque malum incipiens Græcis ὑπόχυμα, latinis ſuffuſio, conſummatum verò cataracta vocatur. Putant aliqui ſuffuſionem diverſos habere gradus, quorum cuilibet diverſa denominatio competat, & cum in finem diverſa excogitàrunt nomina, ſed cum his non altercabimur, facit n. hoc ad meliorem diſtinctionem, ſi diverſis affectûs gradibus diverſa nomina imponantur. Incipientem primum gradum visûs aciem jàm leviter obſcurantem, & varias imagines oculis objicientem ſuffuſionem appellant. Augmentum verò, in quo quippiam in pupilla collectum apparet, aquam nominant. Cùm omninò fuerit confirmata, manifeſtè pupillam obducens, tùm cataractam vocant: eſt itàque ſuffuſio hujus affectûs nomen generale, ſive incipiat, ſive in ſtatu exiſtat, utrumquè, vel ambos invadat oculos, uti veræ ſuffuſioni ſolemne eſt.

Præter hanc ſuffuſionem altera eſt, putà ſpuria, quæ ſemper ambos oculos ſimul afficit & eodem modo imagines, muſcas, culices, flam[illegible]a, aliàque velut in aëre volitantia [illegible] puſcula oculis objicit, ut in ver[illegible] differt tamen à verâ, quòd obverſationes ejuſmodi oculorum in falsâ obtingant ſemper utrique oculo, ac interdùm remittat, in verâ autem hoc non ſemper fit utrique oculo, ſed crebriùs alterutri, & ſi affectus oculus claudatur, tunc alter oculus, niſi unà laboret, ejuſmodi imagines non videt, & qui eas cernit, ſine intermiſſione ità pergit, indieſque deteriùs afficitur, donec patiens confirmato affectu deniquè viſu iſtius affecti oculi privetur.

Suffuſionis differentiæ à prædicamentis ſumuntur, à ſubſtantia primò, quia alia eſt tenuis, quæ non in toto viſum aufert: alia craſſa, quæ ex toto viſum tollit. Secunda, à quantitate, aliæ n ſunt magnæ, ità ut totam obnubilent pupillam; aliæ parvæ, vel in medio, atque omnia feneſtrata apparere faciunt, aut ſunt à latere, aut ſursùm, aut deorsùm, & quia parvæ ſunt, faciunt ut res non videantur. Tertia, à qualitate, quia aliæ ſunt nigricantes, aliæ albicantes: nigricantium aliæ plumbeæ, aliæ violaceæ, albicantium aliæ cinereæ. aliæ aëreæ, aliæ gypſeæ, aliæ argenteæ, ſeu ut græci dicunt, aliæ aërea, aliæ vitrum referunt, aliæ ceruleum, aliæ glaucum colorem. Quarta, à ſitu, quia aliæ ſunt intimiores, & in ipſo humore albugineo fiunt, qui eſt intimior, aliæ extimæ, quæ poſitæ ſunt inter uveam, & corneam. Quinta, ab habitu quia aliæ curabiles, aliæ incurabiles dicuntur. Sexta, à tempore, quia dicimus alias eſſe recentes, alias verò antiquas, & contumaces.

Signa.

Suffuſionis ſigna alia futuram, alia præſentem indicant, quæ futuram ſuffuſionem, ſunt corpuſcula varia obvoli-

volitantia, & colorata hoc, vel illo colore ſpecie muſcarum, culicum, formicarum, filamentorum, lineolarum, pilorum, lanarum, telarum aranearum, nebularum, aliarumque rerum fuſcarum, vel atrarum, interdùm etiam ſubſplendidarum, nonnunquàm etiam aſpicientibus lucernas halones circa eas videntur, & non ſunt. Signa, quæ præſentem indicant ſuffuſionem, ſunt apparitiones veluti veli, turbatio oculi, humor ſuffuſionem gignens craſſeſcit. & viſus magis magiſque deficit, ſpecies viſibiles incipiunt ex parte ipſum effugere, vel alieno colore ipſi apparere, donec viſio planè diſpereat, manente pupillà albà, vel alio imbutà colore.

Veterum Cauſæ.

Suffuſionis cauſam ſtatuunt vulgares Galenici pupillæ obſtructionem, ob quam ſpiritus tranſire nequeunt, factam ab humoribus pituitoſis, à cerebro in oculos, tanquàm partes debiles, decumbentibus, qui ibidem concreſcunt, & craſſeſcunt. Vel eſt frigida, & humida oculorum intemperies. Hæc oculorum debilitas in quibuſdam eſt nativa, ut oculi humidiores, prominentes, clauci, cæſii; vel adventitia, quæ fit à cauſis externis, ità ſunt confuſio, ictus, balneum, pluvioſa conſtitutio, fumi, venti in primis auſtrini, habitatio in locis oliginoſis, & ſubterraneis, involatio rerum acrium, & mordacium, admotio cæparum, porrorum, & conſimilium oculis inimicorum, inſolatio lucubrationes, lectiones, vel ſcriptiones ad lucernam, nimia in Veneris palæſtrà exercitatio. Vel eſt ſuffuſio ſpuria, quæ fit vaporibus à capite, ventriculo, aliiſque partibus ad oculos translatis, ut ſunt crapulæ, ebrietates, &c. Hæ omnes cauſæ humorum fluxionem ad oculos commovere, ac proindè ſuffuſionem producere poſſunt.

Viæ per quas humores, aut vapores à cerebro ad oculos fluunt, ſunt nervi optici per tunicam retiformem, & araneam ad cryſtallinum derivantur, & materia ſuffuſionis cryſtallini ſuperficiei adhæret. Vel ſunt venæ, per quas humores ad oculos deferri poſſunt, & hæ ſunt, vel quæ deferuntur à cranio ad conjunctivam tunicam, deindè ad corneam, & uveam, vel à cerebri meningibus à quibus rami ad oculi membranas derivantur.

Delirant humoriſtæ in ſuffuſionis causâ veſtigandâ, aſſignantes humores pituitoſos à cerebro in oculos decumbentes, ibique in pelliculam concreſcentes; habet cerebrum ſua excrementa, ſed illi à naturâ data fuêre emunctoria, ut nares, os, aures, per quæ illis ſe exonerat. Nec per nervos opticos hi pituitoſi humores ad oculos deferuntur, quia in ipſis nervis obſtructionem parerent, & guttam ſerenam producerent. Non per venas, quia non ſe in cryſtallinum diffundere poſſunt, ſed in ipſis unà cum ſanguine circulare debent. Nec ſuffuſio fieri poteſt propter vapores à capite, ventriculo, aliiſque partibus ad oculos translatos, quia viæ aſſignari non poſſunt. Præterquam quòd vapores ad aliquam convexitatem translati, in cryſtallinum concreſcunt humorem, ut in deſtillatione patet, nàm vapores ad capitellum evecti in aquam limpidam cogùntur.

Noſtra Cauſa.

Non fit ſuffuſio per conſenſum, ſed tantùm per eſſentiam, oculo primariò affecto, vitio putà humoris aquei, vel cryſtallini, quod ex alimento oculi non benè cocto, & converſo adnaſcitur, & ſenſim cumulatur, undè ægri ſibi videre videntur modò pilos, modò aranearum telas, modò circa candelam circulos, modò aliud, quod in aëre volitat. Sunt variæ imagines oculis obverſantes, prout varia eſt circa pupillam humoris conſiſtentis figura; non n. quod videtur ſuffuſis, eſt objectum externum, ſed excrementum in oculo variâ configuratione cumulatum ante pupillam. Hoc tandem ipſius oculi calore in pelliculam illam tenuem, quæ pupillæ apponitur concreſcit, craſſeſcit, & viſionem abolet.

Remotiores ſuffuſionis cauſæ ſunt aër frigidus, humidus, & craſſus, oculorum percuſſiones, prominentia, magnitudo, & aliæ, quas in vulgatium cauſis enumeravimus. Et reverà oculi ferè omnibus cœli, & terræ tàm internis, quàm externis injuriis ſunt obnoxij, à quibus præſervari quaſi impoſſibile eſt, ſicut cœteræ corporis partes, quas contra omnes injurias munimus. Imò totum non ſemper ſe movet, vel aliæ partes non ſemper ſuas exercent functiones, ſed utplurimùm ociantur, at nobis vigilantibus, ſemper, & neceſſariò oculi viſionis munere funguntur, & inceſſanti ſemper motu agitantur, laxantur, & hinc innumeris propemodum affligitantur morbis, & quò magis totius corporis reſpectu ſit tantula pars, eò magis aſcititiam nanciſcitur debilitatem, excrementum hoc in humore aqueo, vel vitreo non benè coctum, & p. n. factum particulas habet craſſiores humoribus ſupradictas innatantes, undè varia corpuſcula apparent, quæ non ſunt extra oculum; poſtmodùm ſibi invicem adhærentes quandam maſſulam tenuem efformant, unde viſio depravari incipit, corneæ adhæret, & per partis ad partem additionem concreſcit, craſſeſcit, & viſum magis arcet, aucta tamen fit pellicula penitùs opaca, & hinc totalis inducitur cæcitas. Nativa debilitas maximè ad ſuffuſionem pertinet, ut eſt oculorum prominentia, vel eorum magnitudo, undè, qui hujuſmodi habent oculos, ſuffuſioni ſunt obnoxij. Aliqui dicunt, qui prominentes, & magnos habent oculos, eſſe melancholicos propter ſpirituum craſſitiem, & ſemper ad oculorum extuberantiam ſequi ſpiritus craſſos, & ubi ſunt ſpiritus craſſi propter humores ſpiritibus admiſtos, difficile non eſſe dari occaſionem gignendis ſuffuſionibus: ſæd hæc ratio eſt nimis ruſtica. Vera ratio eſt, qui habent oculos magnos, vel prominentes, debilem habent viſum, quia in magno ſpatio virtus diffuſa ſit infirmior. Præterea, qui magnos, vel prominentes habent oculos à conformatione, facilè tùm internis, tùm externis exponuntur injurijs, adeòque non ægrè in oculis læduntur.

Prognoſis.

Spuria ſuffuſio non ſolum periculo vacat, ſed etiam facilè, præcedente evacuatione univerſali, curari poteſt. Vera verò difficulter, & alia quidem medicamentis foris, & intra adhibitis, alia verò acu punctione curatur. Undè curationis ſpes ſemper affulget dummodò æger

planè cæcus non ſit, & cum pupilla dilatari, & conſtringi poteſt; tunc n. oculi partes ſunt mobiles, quod ſemper bonum ſignum eſt Suffuſio, in quâ ægri objecta communia, ideſt magnitudines, figuras, numeros, & motus adhuc diſcernere poſſunt, vel ea per nebulam conſpicere videntur, curabilis eſt, modò æger in florenti ſit conſtiturus ætate; in ſenibus n. hic affectus, & in ijs, quibus oculi ex nativâ conſtitutione debiles ſunt, incurabilis eſt. Ubi diutiùs conſtiterit, & craſſior aliquantùm facta eſt, chirurgicam operam requirit, ſed quandóq; reverti ſolet. Quæ ſuffuſio nigra eſt, obſcura, gypſea, plumbea, vel multùm citrina, viridis, vel dura, & quæcumque ſplendoris, & nitoris omnis expers eſt, nullo modo neque medicamentis, neque acu curari poteſt. Suffuſio nimiùm inveterata, vel congelata ægritudine ad ſummum prorogatâ, ægrum excæcat, & pupillam ad candidum colorem ſine ullo penitùs ſplendore mutat.

Veterum Curatio.

In ſuffuſionis curatione vulgares Galenici omne adhibent ſtudium, dùm in principio eſt, nè incrementum ſumat, ac proindè, præmiſſo clyſtere, venam ſecant in cubito, vel etiam in fronte, vel naribus, vel poſt aures, vel aliâ parte oculis vicinâ, vel tandem in hæmorrhoidibus. Verùm ſuffuſio fit ab humore frigido, & craſſo, & venæ ſectio locum non habet, quia ſanguinis, & ſpirituum evacuatione cerebrum magis refrigerantur, & humor craſſior redditur.

Deindè ſtatim ad medicamentum purgans deveniunt, præparatis primò humoribus cum *ſyrupis de ſtæcade, betonicâ, & rhodomellite ſaccharino cum aquâ betonicæ, vel meliſſæ.* Cæterùm purgationem inſtituunt non medicamentis lenibus, ſed gravioribus, quibus medicamenta oculos purgantia ſemper admiſcent, ut

℞ *Pulver. hieræ picræ* ℈ij.
diacolocynthidos ℈j.
cum ſ. q. ſucci fœniculi f. pilulæ, quas capiat ſuffuſus horâ ſomni, & decimo quarto quoque die repetat.

Vel

℞ *Agarici trochiſcati cum rhodo.* ʒj.
pilul. lucis majoris,
Arabicarum ana ʒß.
aggregativarum ʒj.
cum cathartico roſ. formetur pilulæ,
quæ ſingulis ſeptimanis uſurpentur: ſed hæc purgantia obſeſſos non adeunt oculos, & tantùm totum reſpiciunt.

Purgato corpore, ad medicamenta extenuantia recurrunt, ut ſunt decocta *ſalſæ, vel ligni guajaci, vel ſaſſafras*, ut

℞ *Salſæ parillæ minut. inciſæ* ℥iij.
aquarum chelidonij,
euphragiæ,
fœniculi ana ℔.jß.
Macerentur per 12. horas deindè bulliant ad duarum librarum remanentiam, & in fine adde
ſemin. fœniculi,
rutæ ana ʒß.
Deindè coletur, & ſervetur, cujus capiantur mane ℥vj. *totidemque veſperi, & more ſolito ad ſudandum æger ſe componat.* Interim utatur pane cum fœniculis, & carnibus avium aſſatis. Hoc decoctum ſecundo quoque die recens fiat, quo per viginti, vel viginti quinque dies utatur, intra quos aliquod intermiſcent purgans. Cæterùm his purgantibus, & decoctis ambigimus, quin

ex humorum agitatione malum augeatur, vel ſaltim ſubtiliori parte reſolutâ, reliqua eò magis craſſeſcat, indureſcat, & reſolutioni reddatur inepta, & ſi malum inveteratum fuerit, ab his abſtinendum arbitramur, nàm potiùs incommodum, quàm commodum faciunt, & æger fruſtrà torquetur, & prohibent etiam quò minùs perfectè, & commodè deponi poſſit.

Interim ſemel in hebdomadâ exhibent *theriacæ, vel mithridatij* ℈j. *vel* ʒß. *in conſervâ betonicæ, anthos, aut ſimili.* Quandòque caput abluunt lixivio, in quo ebulliunt herbas cephalicas, & ophthalmicas.

Occipitio revulſionis gratia cucurbitulas, vel veſicatorium, aut quod efficaciùs putant, ſetaceum applicant, & id diù apertum aſſervari jubent, ad minimùm ſex menſes. Item veſicatorium ſæpiùs repetunt poſt aures. Similiter cauteria brachijs applicant: verùm hæc remedia caput debilitant, & tàm per viam fluxionis, quàm congeſtionis malum adaugent.

Ad ſuffuſionis materiam reſolvendam à mitioribus reſolventibus exordiuntur, & emollientia admiſcent, ut reſolutio faciliùs perficiatur, & ejus induratio inhibeatur, & in hunc finem ſequentem uſurpant fotum, ut

℞ *Fol. rutæ,*
fœniculi,
euphragiæ,
chelidoniæ majoris an. m. j.
ſemin. fœnigræci ℥j.
flor. chamomillæ,
meliloti ana p. j.

Coquantur in tribus partibus aquæ fontis, & unâ vini ſub finem additi. Colaturâ foveantur oculi manè, & ſerò cum ſpongiâ molli. In morbi progreſſu non parùm commendant pueri halitum manè oculis exceptum, ſi priùs aliquandiù puer fœniculi ſemen maſticaverit.

Multa adhibent collyria in ſuffuſione, & forſitan ea, quæ in ophthalmiâ adhibere ſolent, ſed magnum verſatur diſcrimen inter ophthalmiam, & ſuffuſionem; in illâ nàmque medicamentum immediatè parti affectæ admovetur, in hac verò nequaquàm.

℞ *Aqua fœniculi* ℥ij.
chelidoniæ,
euphragiæ ana ℥jß.
pompholyg. ʒß. *m.*

Vel

℞ *Mellis optimi* ℔. ij.
radic. fœniculi,
ariſtolochiæ longæ, & rotundæ ana ℔. j.
fol. rutæ,
euphragiæ,
chelidoniæ majoris,
ſummit. fœniculi ana m. vj.
centaur. min. m. iij.
roſar. recentium p. iv.
urinæ pueris impubis ℔. ij.

Miſceantur omnia ſimul in vaſe vitreo, & deſtillentur in B. M. Hæc aqua inſtilletur in oculos frequenter.

Vel

℞ *Virid. æris,*
vitrioli,
ſalis ammoniaci,
æris uſti ana ℈j.
fellis hirci ℈ij.

Terantur omnia in pulverem ſubtiliſſimum, & cum ſucco ſampſuci, aut aquâ mellis deſtillatâ f. collyrium, ſed hoc validiùs, & acre eſt, & inflammationis, ac doloris periculum impendet, ac proindè tanto cum periculo non eſt uſurpandum.

Optima ſunt vulgarium collyria, ſed non adhibenda; nàm ſuperficiem ſanam attingunt, & centrum intactum relinquunt, ac proindè inquit *Galenus* 4. *de compoſ. ſec. loc.* 4. *Medicamenta localia pro ſuffuſionibus multa quidem bona polliceri, ſed vel exigua, vel nulla auxilia præſtare*: tota n. eorum virtus in corneâ tunicâ ferè abſumitur, neque poteſt ad interiores partes penetrare, niſi ea inſigni acrimoniâ prædita ſint, quâ dolores in oculis excitantur, & fluxio ad illos magis promovetur, undè non pauci immodico eorum uſu, ex leviori affectu, in omnimodam cæcitatem perducti ſunt.

Deſperatâ ſuffuſionis confirmatæ curatione, ad chirurgicam operationem confugiunt; quâ acu in oculum immiſsâ, pellicula illa ad inferiores oculi partes detruditur, & veluti apertâ feneſtrâ cæcitatis tenebræ fugantur: ſed hæc operatio infelici ſuccedit eventu, ità ut ex eâ multi imperpetuum viſum recuperandi omnem ſpem amiſerunt; ideòque propter incertum eventum à chirurgis ordinarijs non exercetur, ſed tantùm à quibuſdam chirurgis, qui non certas incolunt ſedes, & per varias vagantur urbes, & hac mediante operatione ſuffuſos excæcant, & omni recuperandæ viſionis ſpe, quæ alit afflictos, deſtitutos relinquunt.

Noſtra Curatio.

In ſuffuſione incipienti multùm diæta conducit, imò *Avicennas* ait ſe noviſſe ſapientes aliquos, qui ſolâ victûs ratione, & nonnullis medicamentis viſum penè amiſſum recuperârunt, ac proindè huic maximoperè incumbendum eſt, & per ſex res non-naturales inquiramus oportet.

Aër igitur ſit temperatus, calidus, & ſiccus, non nebuloſus, humidus, frigidus, & craſſus, vitetur nimium lumen, & omnia, quæ viſum diſgregare poſſunt.

Cibus ſit facilis coctu, carnes avium aſſatæ, & præcipuè montanarum, vel pullorum conducunt. Inter olera conducit fœniculum, quod Italicè dicitur *Finocchio*, & latinè *Fini-culum*, quaſi redderet *finum*, ideſt *clarum culum*, ſed hæc dicta ſint ex joco. Nimis frigida cibaria non tantùm ſunt fugienda, ſed etiam acida. Similiter piſces paluſtres, aves aquatiles, legumina omnia, lagana, & quæ craſſum generant ſuccum, allium, cæpæ, ſinapi, & quæ vaporibus caput replent. Cibi condiantur herbis, ſeminibus, & aromaticis, quæ oculis, proſunt. Panis debet eſſe fermentatus, & conditus ſemine aniſi, vel fœniculi. Poſt cibum ſumatur cydonium, coriandrum, & quæ ſimul coctionem adjuvant, & vaporum ad caput aſcenſum inhibent, & ſuffuſus parciùs cœnet.

Potus ſit ſaltem marathrites, vel vinum album, & pauciferum, cui immacerata ſit herba, vel ſemen, vel radix ex ophthalmicis, ſed præſtat decoctum ſaſſafras ob fœniculi odorem, & ſaporem, vel decoctum herbæ theæ.

Motus vehemens ablegandus eſt, moderatæ exercitationes conducunt, & præſertim partium inferiorum. Abſtineat æger à clamore, & vitet omnia, quæ caput, & oculos commovere poſſunt, ut & ſcriptiones, & lucubrationes.

Quies multùm conducit, ſed non tranſeat in deſidiam, in lecto corpore ſupino, & capite clariori cubat ſuffuſus.

Somnus ſit moderatus, quantùm ad ſanitatem conducit; nimius nàmque craſſarum.

craſſarum particularum proventu caput replet, & noxam ei infert.

Vigilia producta oculos fatigat, ſpiritus reſolvit, & particulas, & lympham minus temperatam efficit.

Excreta, *& Retenta*, ſi naturæ leges non ſervent, arte regantur, undè alvus lubrica ſervetur. Menſes, & hæmorrhoides ſuppreſſi ad debitum reducantur fluorem, & hi, ſi nimium quàm par eſt, fluant, debitis adhibitis remediis coërceantur.

Animi pathemata maligna rationis moderamine regantur, ac proindè vitetur triſtitia, mœror, & lacrymarum profuſio, quia ſpiritus, & ſuccos incraſſando, eoſdem ad motum reddunt ineptos. Exulet excandeſcentia, exclamatio, deſperatio, quia nimio motu ſpiritus animales in furorem adiguntur & diſperduntur, ac ſuffuſionem intendere poſſunt ſola ſpes ſuffuſum ſoletur. Fugienda Venus, nàm hæc non ſolum mentis lucem obtenebrat, ſed etiam corporis omnes ſenſus, & præcipuè viſum obcæcat.

Victûs ratione inſtitutâ ſuffuſionis curationem tantùm incipientis aggredimur, nàm ſuffuſio facta, & confirmata ſolius oculiſtæ chirurgi ope curari quandòque poteſt. Suffuſionis itàque incipientis curationis ſcopus in hoc conſiſtit, ut ejus generatio ulterior inhibeatur, & quæ jàm genita eſt, incidatur, attenuetur, diſcutiatur, opportuniſque medicamentis reſolvatur. Vtilia ſunt primò medicamenta purgantia inter quæ primum tenet locum ſequens, ut

℞. *Extracti Catholici* ʒ. ß. *pilul. ſine quibus eſſe nolo Nicolai* ʒj. *m. cum cathartico ros. & formentur pilul. vij, & deaurentur.*

Hæc nàmque omnes humores partium ſuperiorum purgant, quo nomine ſuffuſionibus oculorum caliginibus, & & viſioni conferunt, & ità præbeantur nè magna humorum in corpore agitatio ſuccedat; deindè aliquot exactis diebus bis, vel ter *pilula cephalica Fernelii propinentur, & tandem bis in hebdomadâ pilula lucis majoris, ſeu optica Meſue.*

Conducunt quammaximè decocta *ligni guajaci, ſaſſafras, radic. ſalſa parilla, ſemin. fœniculi, fol. euphragia, &c.* ut

℞. *Salſa parilla* ℥j. ß.
cortic. ligni ſaſſafras ℥ij. ß.
guajaci ℥j.

Infunduntur per 24. horas in aquæ fontis lib. iij. Deindè coque ad medietatis conſumptionem, & ſub finem inde
fol. euphragia
verbena ana m. j.
ſemin. aniſor. ʒ.
coriandror. praparat. ʒij.
flor. anthos m. j.
& f. colatura,

Cujus doſis ſit lib. ß *roborata aquâ ſeciali, propinetur tempore matutino; & ſuffuſus ſtragulis benè tectus ſudores expectet.* exiberi poſſunt hæc decocta ad dies 15. vel 20. nàm ſuffuſionis materiam attenuant; & ſenſim ac inſenſibiliter reſolvunt, cùm corpus totum ſit perſpirabile & quarto, vel quinto quoque die interponendæ ſunt pilulæ opticæ cum decocti intermiſſione. Hinc etiam eâdem praxi diaphoretica commendamus.

Prætereà ſuffuſionibus materiam attenuamus, & reſolvimus medicamentis ſale volatili prædiris, & præſertim ex herbis ophthalmicis, ut *fœniculi, euphragia, ruta, chelidonia, verbena, vel ſuccini*, & pilulæ formari poſſunt, ut

℞. *Extracti euphragiæ* ℈ß.
ſal. volatilis ſuccini,
chelido ꝛii,
verbenæ ana gr.vj.
m.cum oleo Fœniculi ſtillat:
& fiant pilul.v.deaurandæ.

Propinentur in aurorâ jejuno ſtomacho, in lecto cubando.

Hæc eâdem ſal a volatilia cum aquis ophthalmicis, ſi oculi pluries in die abluatur, quia votilia ſunt, ſe in oculos inſinuant, illoſque pervadunt, excrementa illud inſenſibiliter diſperdunt, reſolvuntque; ut etiam ſpiritus ſeu eſſentiæ ex ophthalmicis herbis eliciti cum eiſdem aquis debitâ quantitate diluti oculis appliciti, illos clarificant.

Quandòque his promittimus fotum ex decocto quarundam herbarum ſpecificarum, ut *chelidoniæ*, *rutæ euphragiæ*, *fœniculi*, *cherefolii*, *flor.meliloti*, *chamomillæ verbenæ*, *anagallidis*, *valerianæ &c. ſpiritu vini roborato*, nàm magnam penetrandi, & diſcutiendi vim habet. Vel

℞. *Herbar. euphragiæ*,
fœniculi,
flor.chamomillæ,
meliloti ana m.j.
ſambuci,
valerians,
verbenæ ana m.ß.

Decoque in vino & vapor ex ferventi hoc decocto in oculos excipiatur, & cum jàm deferbuerit ſub formâ fotûs adhibeatur. Vel ante collyriorum uſum non inutile erit oculos fovere ſequenti ſacculo in aquam calidam immerſo,ut

℞. *Fœnigræci aq.frigidâ loti* ℥.ß.*ſemin.lini* ℥ß.*malvæ, althææ ana* ℨij. *Terantur, & pannis lineis includantur, & inſinuantur.* Tum ſuffuſio diſcutienda ſucco fœniculi, chelidonii, verbenæ ſpiritu vini, aqua cancror. mellis, fellibus variorum animalium de quibus extrahatur tinctura vini ſpiritu, & omnibus collyriis in ophthalmiâ deſcriptis. Præſtat quotidiè pluries oculos abluere aquâ ſociali, vel ejus guttulas immittere. Vel collyrium hoc oculo affecto aliquoties mediante linteo aliquo puro applicetur, quod magnatum eſt vitium, ut

℞. *Aquæ fœniculi* ℥ij.
ſp.armoniaci gutt.x.
aquæ Reginæ Hungariæ ℥j.
m.f.collyrium.

Verùm inter collyria ad ſuffuſionem præcipuus eſt ſpiritus vini ità per ſe linteolis duplicatis, dietim,bis,ter vè, vel quater oculo ſuffuſo impoſitus,continuato ejus uſu per integrum menſem, indubiè n.ſuffuſionem detergit, abſumit, & reſolvit.

Internè ſpirituoſa penetrantia, & ſimiliter diſcutientia adhibenda ſunt, ut *ſpiritus euphragiæ*, *rutæ*, *ſalis armoniaci ſuccinati*, *eſſentia valerianæ*, *chelidoniæ*, *roris marini*; *conſervæ ſambuci*, *roris marini*, *& ſalia volatilia.*

At ubi ſuffuſionis præcautio intermiſſa fuerit,vel ejus generatio ulterior non inhibita,vel eadem nullo modo ità impediri valuerit, ut totam pupillam occupârit, & omnimodam viſionis ablationem, & cæcitatem induxerit: tunc cataractæ induratio, ſeu maturatio patienter expectanda eſt, & opportunâ, ſoliditate obtentâ, purgato corpore, & tenui indictâ diæta, acu argenteâ, rotundâ in oculum miſſa in parte exteriori fiat perforatio, & pellicula illa, ſeu cataracta, quæ pupillam totaliter tegit, ab uveâ ſeparanda, & deorsûm depellenda-

lenda, donec lumen, & objecta externa ab ægro dignoſci poſſint, cui perforationi applicetur ovi albumen aquâ roſaceâ ſubactum, delicatulâ ſtupâ exceptum, & devinciatur, & æger per aliquot dies in dorſo quietus decumbat, ut ſubſidens cataracta non elevetur denuò, & viſum impediat.

Nonnulli conantur cataractam, ſeu pelliculam ab oculis detrahere, ſed hæc operatio impoſſibilis, & pernicioſiſſima eſt, ſi fiat, quia ſi extrahenda eſſet materia congregata, & conſiſtens, neceſſariò foramen fieret latius ab acu, & cum cataractâ ſimul humor albugineus exiret, quare meliùs eſt, ut acu ipſa deponatur, à loco pupillæ ad locum inferiorem.

CAP. XXI.

De Viſûs debilitate, Guttâ Serenâ, & Cæcitate.

IN hominis opificio natura maximam adhibuit ſedulitatem, ut ex omni parte omnibus numeris abſolutum conſpiceretur, & quò pluribus cumulavit muniis, eò pluribus inſignivit inſtrumentis. Hinc oculos & aures ſummo elaboratos artificio appoſuit, quibus duos collocavit, inter alios maximos, viſum nempè, & auditum & hi duo ad prudentiam, diſciplinas, & felicitatem maximè conferunt; ſi his orbaremur, quantâ rerum notione deſtitueremur, quas intellectui ſuppeditant, cùm nihil ſit in intellectu, quin prius fuerit ſub ſenſu? Sed præter aures oculos in editiori capitis parte, in hac ſpeculâ, tanquàm ſpeculatores, ut hominem ab injuriis tuerentur, collocavit, & hos quam maximè cuſtodiendos arbitramur: Sed alia eſt eximia oculorum utilitas, ut quemadmodùm oculi valeant, ità & totum corpus, cùm ex ipſis ſtatum conijcere liceat; Sunt oculi pars corporis pretioſiſſima, & qui, teſte *Plinio*, in eis uſu vitam diſtinguunt à morte, & reverà vita eſt de lucis naturâ ut habetur *Io: Et vita erat lux.* Et nos alibi hanc vitam de naturâ lucis in oculis reſidere diximus, & hinc totum pro vitalitate corpus irradiant, ut habetur *Luc. cap. 11. verſ. 34. Lucerna corporis tui eſt oculus tuus. Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit: Si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebroſum erit. Vide ergò, nè lumẽ quod in te eſt, tenebræ ſint. Si ergò corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, lucidum erit totum, & ſicut lucerna fulgoris illuminabit te.* Si itaque oculi lucis uſu vitam à morte diſtinguunt, vita eſt de lucis naturâ, & lucerna corporis ſunt oculi, cæci verè mortui credendi ſunt, eſtò vitâ in actu primo fruantur, cùm ſit intercepta, vitam miſerrimam ſub perpetuâ nocte trahunt: præſtat ergò ſemel mori, quàm diu vivere cæcus. Agimus in hoc capite de viſûs debilitate, quæ temporis progreſſu in cæcitatem tranſit; de guttâ ſerenâ, quæ genuina eſt cæcitas, & nihil vitij advertitur in oculis, & ægri oculis apertis, & ſerenis cæci ſunt; & tandèm de cæcitate, quæ eſt ablata viſio, ut apparet in cæcis vel à nativitate, qui prorsùs organa in formatione non obtinuerunt, vel ab accidente, quia ſcilicèt ex aliquâ occaſione organum viſionis eſt deperditum, & de his tanquàm incurabilibus non loquimur, ſed ſolùm de cæcis illis, qui licèt omninò habeant ablatam viſionem, non tamen ablatum orga-

organum, itá ut oculus appareat illæſus, nulloque pacto mutatus, & ablata eſt viſio, quam affectionem medici guttam ſerenam appellare ſolent.

Viſûs debilitas, & imminutio eſt, quandò ægri parùm vident, imminuitur viſus in nonnullis, quandò res non videntur debito tempore, vel debito ſpatio. Si res clarè non videntur, fit viſio impedita, ſi verò non debito ſpatio, aut quia res propiùs admoventur, ut videri poſſint, aut quia removentur longiùs, ut conſpici poſſint; ſi verò non debito tempore, vel quia magis videntur interdiù, quàm veſperi, vel è converſo, quia magis videntur nocte, quàm interdiù, idque plerùmque, nullâ quoq; causâ in oculis ſe offerente, contingit, hinc tres debilitatis usûs differentiæ emergunt Μυωπία, Νυκταλωπία, Αμβλυωπία.

Μυωπία eſt visûs imbecillitas, quæ multis accidit, quia à nativitate ità oculos habent conformatos, ut puſilla propè admota optimè conſpiciant, procul verò magna conſpicere nequeant, & legendis, ac ſcribendis literis oculos propinquiſſimè adhibere opus habent, & latini lucioſos appellant. Hujus debilitatis cauſa adſcribitur raritati tunicarum oculi, vel humoris tenuitati, & ſi exactè hujuſmodi oculi introſpiciantur, deprehenduntur amplæ pupillæ; quibus etiam adduntur ſpiritus viſorij, qui pauci ſunt, & ſubtiles, ac propterea cum pauci ſint, longiùs ad operationem progredi non poſſunt: cùm verò ſint tenues, facilè propinqua intuentur, undè, qui vident ſolùm propinqua, non immeritò ſolent oculos conſtringere, ut ſpiritus, qui alioqui pauci ſunt, congregentur, non autem diſſipentur latitudine meatuum, propter quod *Ariſtoteles ſect. 31. probl. 8.* ait: *Myopes characteres breves, & parvos ſcribere, eò quod cùm in anguſtum locum ſint collecti ſpiritus pauci, neceſſariò ipſis res magnæ parvæ videntur* Non pauci myopes iuveniuntur, qui in juventute eminùs probè, ac rectè cuncta proſpiciunt, ſtudiis verò incumbentes, ac nimis crebrò lucubrantes, atque ad lucernas multùm minutis literis ſcribentes, cum tempore ità mutantur, ut non niſi propè admota oculis debitè cernant, ex eo quod multâ nocturnâ lectione, & exaratione pupilla valdè dilatatur, quæ myopiæ vera cauſa exiſtit, ac medicamentis ſanari nequit, conſpicillis tamen ocularibus concavis adeò ſublevantur myopes, ut eorum interventu etiam procul exactiſſimè cernant, literaſque impreſſas, vel ſcriptas, quas aliàs vix ſpithamæ unius diſtantiâ diſtinguere valebant, per talia conſpicilla etiam ad pedes poſitas erecti legere queant.

Νυκταλωπία eſt altera visûs debilitas, ſive nocturna cæcitas, quâ affecti per diem rectè vident, ſole autem occiduo, eorum oculi ſimul occidunt, ut parùm tempore noctis nihil omninò vident gallinarum more; paulò tamen meliùs vident tempore novilunij, quàm plenilunij, cujus cauſa eſt tunicarum craſſities, vel humorum multitudo, & ſpiritus ipſorum quidèm multi ſunt, & valdè debiles, ſed tenebricoſi, & obſcuri, propter quod à luce diurnâ coadjuvantur, & vident, ubi verò hac luce privantur, aut nihil, aut obſcuriſſimè vident. Videtur tamen in hoc concurrere atrabilis, quæ calorem nativum debilitat, & magis noctu dominatur; ſunt n. hujuſmodi patientes melancholici, & juxta lunæ phaſes graviùs vel leviùs afficiũtur, ità ut hinc cõjecturabile ſit ob

dominium

dominium melancholiæ, & lunaticam frigefactionem ſpiritus eorum viſivos poſt ſolis occaſum torpeſcere. Contrà ſunt, qui noctù magis vident minùs autem in die (quos *Hip.* 3. *Prorrector.* Nyctalopes etiam vocavit,) & ratio eſt quia ſpiritus ipſorum valdè ſubtiles ſunt, ità ut à luce diurnâ diſſipentur, atque minuantur, nocte verò collecti magis operari poſſunt.

Ἀμβλυωπία eſt, quandò viſus ità debilitatur, ut unicum objectum intuenti ſuo appareant, cujus cauſa putatur nimia humiditas oculorum ſpiritui viſorio reflexionem faciens, ut pro uno duo cernat. Poteſt etiam fieri ab impetu humorum tunicas tantillùm ſaltem à ſitu ſuo detorquentium, vel elevantium, ità ut uterque oculus uno intuitu non faciat exactam harmoniam, ſed quilibet peculiariter videat, undè neceſſariò viſio duplicatur, alterutro autem oculo clauſo, alter oculus apertus manens, rectè cernit. Id clarè patet in ebriis, quibus omnia ferè gemina videntur objecta, & ratio eſt, quia viſus, fit in eâ nervorum opticorum incruciatione, ubi cùm pertingat plurimi vapores, ſpiritus ab iiſdem diſcinduntur, & diſciſſi in duas faciunt partes, ut in duo loca unius rei ſpecies feratur, & proptereà una res gemina videatur. Luculentiſſimum hujus rei exemplum habemus, quòd ſi aqua, in quâ ſolis imago appareat, baculo in duas partes diſcindatur, duæ apparebunt ſolis imagines: ſic ubi ſpiritus illi in ebriis à vaporibus diſciſſi ſunt, una res gemina hoc pacto apparet.

Gutta ſerena, græcè dicitur *ἀμαύρωσις*, eſt, quandò viſus eſt abolitus propter nervorum opticorum obſtructionem, vel anguſtiam, & nihil vitij in oculis animadvertitur, & ægri oculis apertis, & ſerenis cæci ſunt. Quandò aboletur viſio, ut omni tẽpore, & ſemper nihil videant ægri, cæcitas dicitur.

Signa.

Viſûs debilitas ſignis non indiget, quia ęgri relatione facilè accipi poteſt, ut & gutta ſerena ęquè ex relatione, ut ex ipſius aſpectu patet, in quâ nullum planè oculorum vitium cognoſcitur, ut ſic æger oculis apertis, & ſerenis cæcus eſt. Verùm ſigna, quibus cauſę viſionem lędẽtes majori inquiſitione opus habent, ſed ſigna eorum vitiorũ, quæ non à nativitate, ſed à morbo oriuntur, ſolùm inquirenda ſunt. Si itàque viſionis vitia à cerebro ortum ſumpſerint, hæc erunt ſigna, quod capitis dolor, vel gravitas, aut præceſſit, præſens eſt; adſunt, & alia ſigna, quæ aliquas capitis ægritudines declarare poſſunt. Si à nervis opticis obſtructis, vel alio modò læſis, hoc eſt præcipuum ſignum, quod dolor, & gravitas, in profundâ oculorum parte ſentiuntur; malum ſubitò fit, ità ut neceſſarium ferè argumẽtum ſit malum eſſe in nervis opticis, ubi videndi obtuſio, aut cęcitas ſtatim fiat, ità ut nulla alia cauſa adeſſe appareat. Cæterùm ubi videndi obtuſiones, vel cæcitates paulatim fiunt, dicendum ſit vel à ſiccitate, vel ab aliâ causâ ſpiritus exinaniente eveniſſe. Si ab intẽperie, ut Galeniſtæ volunt, non ſubitò fit, ſed paulatim, nàm noxæ quæ ab intemperie fiunt, paulatim fiunt. Si à ſpiritibus & præſertim ob eorum paucitatem, quam habent myopes, nàm magis propinqua, quàm remota vident, & ut melius videãt, oculos conſtringunt.

planè cæcus non ſit, & cum pupilla dilatari, & conſtringi poteſt; tunc n. oculi partes ſunt mobiles, quod ſemper bonum ſignum eſt Suffuſio, in quâ ægri objecta communia, ideſt magnitudines, figuras, numeros, & motus adhuc diſcernere poſſunt, vel ea per nebulam conſpicere videntur, curabilis eſt, modò æger in florenti ſit conſtitutus ætate; in ſenibus n. hic affectus, & in ijs, quibus oculi ex nativâ conſtitutione debiles ſunt, incurabilis eſt. Ubi diutiùs conſtiterit, & craſſior aliquantùm facta eſt, chirurgicam operam requirit, ſed quandoq; reverti ſolet. Quæ ſuffuſio nigra eſt, obſcura, gypſea, plumbea, vel multùm citrina, viridis, vel dura, & quæcumque ſplendoris, & nitoris omnis expers eſt, nullo modo neque medicamentis, neque acu curari poteſt. Suffuſio nimiùm inveterata, vel congelata ægritudine ad ſummum protogatâ, ægrum excæcat, & pupillam ad candidum colorem ſine ullo penitùs ſplendore mutat.

Veterum Curatio.

In ſuffuſionis curatione vulgares Galenici omne adhibent ſtudium, dùm in principio eſt, nè incrementum ſumat, ac proindè, præmiſſo clyſtere, venam ſecant in cubito, vel etiam in fronte, vel naribus, vel poſt aures, vel aliâ parte oculis vicinâ, vel tandem in hæmorrhoidibus. Verùm ſuffuſio fit ab humore frigido, & craſſo, & venæ ſectio locum non habet, quia ſanguinis, & ſpirituum evacuatione cerebrum magis refrigerantur, & humor craſſior redditur.

Deindè ſtatim ad medicamentum purgans deveniunt, præparatis primò humoribus cum *ſyrupis de ſtœcade, betonicâ, & rhodomellite ſaccharino cum aquâ betonicæ, vel meliſſæ.* Cœterùm purgationem inſtituunt non medicamentis lenibus, ſed gravioribus, quibus medicamenta oculos purgantia ſemper admiſcent, ut

℞ *Pulver. hieræ picræ* ℈ij.
diacolocynthidos ℈j.
cum ſ. q ſucci fœniculi f. pilulæ, quas capiat ſuffuſus horâ ſomni, & decimo quarto quoque die repetat.

Vel

℞ *Agarici trochiſcati cum rhodo.* ʒj.
pilul lucis majoris,
Arabicarum ana ʒß.
aggregativarum ℈j.
cum cathartico roſ. formetur pilulæ, quæ ſingulis ſeptimanis uſurpentur: ſed hæc purgantia obſeſſos non adeunt oculos, & tantùm totum reſpiciunt.

Purgato corpore, ad medicamenta extenuantia recurrunt, ut ſunt decocta *ſalſæ, vel ligni guajaci, vel ſaſſafras,* ut

℞ *Salſæ parillæ minut inciſæ* ℥iij.
aquarum chelidonij,
euphragiæ,
fœniculi ana ℔.jß.
Macerentur per 12. horas deindè bulliant ad duarum librarum remanentiam, & in fine adde
ſemin. fœniculi,
rutæ ana ʒß.
Deindè coletur, & ſervetur, cujus capiantur mane ℥vj. *totidemque veſperi. & more ſolito ad ſudandum æger ſe componat.* Interim utatur pane cum fœniculis, & carnibus avium aſſatis. Hoc decoctum ſecundo quoque die recens fiat, quo per viginti, vel viginti quinque dies utatur, intra quos aliquod intermiſcent purgans. Cœterùm his purgantibus, & decoctis ambigimus, quin

ex humorum agitatione malum augeatur, vel ſaltim ſubtiliori parte reſolutâ, reliqua eò magis craſſeſcat, indureſcat, & reſolutioni reddatur inepta, & ſi malum inveteratum fuerit, ab his abſtinendum arbitramur, nàm potiùs incommodum, quàm commodum faciunt, & æger fruſtrà torquetur, & prohibent etiam quò minùs perfectè, & commodè deponi poſſit.

Interim ſemel in hebdomadâ exhibent *theriacæ, vel mithridatij* ℈j. *vel* ʒß. *in conſervâ betonicæ, anthos, aut ſimili.* Quandòque caput abluunt lixivio, in quo ebulliunt herbas cephalicas, & ophthalmicas.

Occipitio revulſionis gratia cucurbitulas, vel veſicatorium, aut quod efficaciùs putant, ſetaceum applicant, & id diù apertum aſſervari jubent, ad minimùm ſex menſes. Item veſicatorium ſæpiùs repetunt poſt aures. Similiter cauteria brachijs applicant; verùm hæc remedia caput debilitant, & tàm per viam fluxionis, quàm congeſtionis malum adaugent.

Ad ſuffuſionis materiam reſolvendam à mitioribus reſolventibus exordiuntur, & emollientia admiſcent, ut reſolutio faciliùs perficiatur, & ejus induratio inhibeatur, & in hunc finem ſequentem uſurpant fotum, ut

℞ *Fol. rutæ,*
fœniculi,
euphragiæ,
chelidoniæ majoris an. m. j.
ſemin. fœnigræci ℥j.
flor. chamomillæ,
melilot. ana p. j.

Coquantur in tribus partibus aquæ fontis, & unâ vini ſub finem additi. Colaturâ foveantur oculi manè, & ſerò cum ſpongiâ molli. In morbi progreſſu non parùm commendant pueri halitum manè oculis exceptum, ſi priùs aliquandiù puer fœniculi ſemen maſticaverit.

Multa adhibent collyria in ſuffuſione, & forſitan ea, quæ in ophthalmiâ adhibere ſolent, ſed magnum verſatur diſcrimen inter ophthalmiam, & ſuffuſionem; in illâ nàmque medicamentum immediatè parti affectæ admovetur, in hac verò nequaquàm.

℞ *Aquæ fœniculi* ℥ij.
chelidoniæ,
euphragiæ ana ℥jß.
pompholyg. ʒß. *m.*

Vel

℞ *Mellis optimi* ℔.ij.
radic. fœniculi,
ariſtolochiæ longæ, & rotundæ ana ℔. j.
fol. rutæ,
euphragiæ,
chelidoniæ majoris,
ſummit. fœniculi ana m. vj.
centaur. min. m. iij.
roſar. recentium p. iv.
urinæ pueris impubis ℔. ij.

Miſceantur omnia ſimul in vaſe vitreo, & deſtillentur in B. M. Hæc aqua inſtilletur in oculos frequenter.

Vel

℞ *Virid. æris,*
vitrioli,
ſalis ammoniaci,
æris uſti ana ℈j.
fellis hirci ℈ij.

Terantur omnia in pulverem ſubtiliſſimum, & cum ſucco ſampſuci, aut aquâ mellis deſtillatâ f. collyrium, ſed hoc validiùs, & acre eſt, & inflammationis, ac doloris periculum impendet, ac proindè tanto cum periculo non eſt uſurpandum.

Optima ſunt vulgarium collyria, ſed non adhibenda; nàm ſuperficiem ſanam attingunt, & centrum intactum relinquunt, ac proindè inquit *Galenus* 4. *de compoſ. ſec. loc.* 4. *Medicamenta localia pro ſuffuſionibus multa quidem bona polliceri, ſed vel exigua, vel nulla auxilia præſtare*: tota n. eorum virtus in corneâ tunicâ ferè abſumitur, neque poteſt ad interiores partes penetrare, niſi ea inſigni acrimoniâ prædita ſint, quâ dolores in oculis excitantur, & fluxio ad illos magis promovetur, undè non pauci immodico eorum uſu, ex leviori affectu, in omnimodam cæcitatem perducti ſunt.

Deſperatâ ſuffuſionis confirmatæ curatione, ad chirurgicam operationem confugiunt; quâ acu in oculum immiſſâ, pellicula illa ad inferiores oculi partes detruditur, & veluti aper â feneſtrâ cæcitatis tenebræ fugantur: ſed hæc operatio infelici ſuccedit eventu, ità ut ex eâ multi imperpetuum viſum recuperandi omnem ſpem amiſerunt; idèòque propter incertum eventum à chirurgis ordinarijs non exercetur, ſed tantùm à quibuſdam chirurgis, qui non certas incolunt ſedes, & per varias vagantur urbes, & hac mediante operatione ſuffuſos excæcant, & omni recuperandæ viſionis ſpe, quæ alit afflictos, deſtitutos relinquunt.

Noſtra Curatio.

In ſuffuſione incipienti multùm diæta conducit, imò *Avicennas* ait ſe noviſſe ſapientes aliquos, qui ſolâ victûs ratione, & nonnullis medicamentis viſum penè amiſſum recuperârunt, ac proindè huic maximoperè incumbendum eſt, & per ſex res non-naturales inquiramus oportet.

Aer igitur ſit temperatus, calidus, & ſiccus, non nebuloſus, humidus, frigidus, & craſſus, vitetur nimium lumen, & omnia, quæ viſum diſgregare poſſunt.

Cibus ſit facilis coctu, carnes avium aſſatæ, & præcipuè montanarum, vel pullorum conducunt. Inter olera conducit fœniculum, quod Italicè dicitur *Finocchio*, & latinè *Feni-culum*, quaſi redderet *finum*, ideſt *clarum culum*, ſed hæc dicta ſint ex joco. Nimis frigida cibaria non tantùm ſunt fugienda, ſed etiam acida. Similiter piſces paluſtres, aves aquatiles, legumina omnia, lagana, & quæ craſſum generant ſuccum, allium, cæpæ, ſinapi, & quæ vaporibus caput replent. Cibi condiantur herbis, ſeminibus, & aromaticis, quæ oculis proſunt. Panis debet eſſe fermentatus, & conditus ſemine aniſi, vel fœniculi. Poſt cibum ſumatur cydonium, coriandrum, & quæ ſimul coctionem adjuvant, & vaporum ad caput aſcenſum inhibent, & ſuffuſus parciùs cœnet.

Potus ſit ſaltem marathrites, vel vinum album, & pauciferum, cui immacerata ſit herba, vel ſemen, vel radix ex ophthalmicis, ſed præſtat decoctum ſaſſafras ob fœniculi odorem, & ſaporem, vel decoctum herbæ theæ.

Motus vehemens ablegandus eſt, moderatæ exercitationes conducunt, & præſertim partium inferiorum. Abſtineat æger à clamore, & vitet omnia, quæ caput, & oculos commovere poſſunt, ut & ſcriptiones, & lucubrationes.

Quies multùm conducit, ſed non tranſeat in deſidiam, in lecto corpore ſupino, & capite clariori cubat ſuffuſus.

Somnus ſit moderatus, quantùm ad ſanitatem conducit; nimius nàmque

craſſarum

craſſatum particularum proventu caput replet, & noxam ei infert.

Vigilia producta oculos fatigat, ſpiritus reſolvit, & particulas, & lympham minus temperatam efficit.

Excreta, & Retenta, ſi naturæ leges non ſervent, arte regantur, undè alvus lubrica ſervetur. Menſes, & hæmorrhoides ſuppreſſi ad debitum reducantur fluorem, & hi, ſi nimium quàm par eſt, fluant, debitis adhibitis remediis coërceantur.

Animi pathemata maligna rationis moderamine regantur, ac proindè vitetur triſtitia, mœror, & lacrymarum profuſio, quia ſpiritus, & ſuccos incraſſando, eoſdem ad motum reddunt ineptos. Exulet excandeſcentia, exclamatio, deſperatio, quia nimio motu ſpiritus animales in furorem adiguntur & diſperduntur, ac ſuffuſionem intendere poſſunt ſola ſpes ſuffuſum ſoletur. Fugienda Venus, nàm hæc non ſolum mentis lucem obtenebrat, ſed etiam corporis omnes ſenſus, & præcipuè viſum obcæcat.

Victûs ratione inſtitutâ ſuffuſionis curationem tantùm incipientis aggredimur, nàm ſuffuſio facta, & confirmata ſolius oculiſtæ chirurgi ope curari quandòque poteſt. Suffuſionis itàque incipientis curationis ſcopus in hoc conſiſtit, ut ejus generatio ulterior inhibeatur, & quæ jàm genita eſt, incidatur, attenuetur, diſcutiatur, opportuniſque medicamentis reſolvatur. Utilia ſunt primò medicamenta purgantia, inter quæ primum tenet locum ſequens, ut

℞. *Extracti Catholici* ℥. ß. *pilul. ſine quibus eſſe nolo Nicolai* ℈j. *m. cum cathartico roſ. & formentur pilul. vij, & deaurentur.*

Hæc nàmque omnes humores partium ſuperiorum purgant, quo nomine ſuffuſionibus oculorum caliginibus, & & viſioni conferunt, & ità præbeantur nè magna humorum in corpore agitatio ſuccedat; deindè aliquot exactis diebus bis, vel ter *pilulæ cephalicæ Fernelii propinentur, & tandem bis in hebdomadâ pilulæ lucis majoris, ſeu opticæ Meſuæ.*

Conducunt quammaximè decocta *ligni guajaci, ſaſſafras, radic. ſalſæ parillæ, ſemin. fœniculi, fol. euphragiæ, &c.* ut

℞. *Salſæ parillæ* ℥j.ß.
cortic. ligni ſaſſafras ℥ij.ß.
guajaci ℥j.

Infunduntur per 24. horas in aquæ fontis lib. ij. Deindè coque ad medietatis conſumptionem, & ſub finem inde
fol. euphragiæ
verbenæ ana m. j.
ſemin. aniſor. ʒ.
coriandror. præparat. ʒij.
flor. anthos m. j.
& f. colatura.

Cujus doſis ſit lib. ß roborata aquâ ſociali, propinetur tempore matutino; & ſuffuſus ſtragulis benè tectus ſudores expectet. exiberi poſſunt hæc decocta ad dies 15. vel 20. nàm ſuffuſionis materiam attenuant; & ſenſim ac inſenſibiliter reſolvunt, cùm corpus totum fit perſpirabile & quarto, vel quinto quoque die interponendæ ſunt pilulæ opticæ cum decocti intermiſſione. Hinc etiam eâdem praxi diaphoretica commendamus.

Prætereà ſuffuſionibus materiam attenuamus, & reſolvimus medicamentis ſale volatili præditis, & præſertim ex herbis ophthalmicis, ut *fœniculi, euphragiæ, rutæ, chelidoniæ, verbenæ, vel ſuccini,* & pilulæ formari poſſunt, ut

℞. *Extracti euphragiæ* ʒß.
ſal. volatilis ſuccini,
chelidonii,
verbenæ ana gr.vj.
m.cum oleo Fœniculi ſtillat.
& fiant pilul.v.deaurandæ.

Propinentur in aurorâ jejuno ſtomacho, in lecto cubando.

Hæc eâdem ſal a volatilia cum aquis ophthalmicis, ſi oculi pluries in die abluatur, quia votilia ſunt, ſe in oculos inſinuant, illoſque pervadunt, excrements illud inſenſibiliter diſperdunt, reſolvuntque; ut etiam ſpiritus ſeu eſſentiæ ex ophthalmicis herbis eliciti cum eiſdem aquis debitâ quantitate diluti oculis appliciti, illos clarificant.

Quandòque his promittimus fotum ex decocto quarundam herbarum ſpecificatum, ut *chelidoniæ, rutæ euphragiæ, fœniculi, cherefolii, flor.meliloti, chamomillæ verbenæ, anagallidis, valerianæ &c. ſpiritu vini roborato,* nàm magnam penetrandi, & diſcutiendi vim habet. Vel

℞. *Herbar. euphragiæ,*
fœniculi,
flor.chamomillæ,
meliloti ana m.j.
ſambuci,
valerianæ,
verbenæ ana m.ß.

Decoque in vino & vapor ex ferventi hoc decocto in oculos excipiatur, & cum jàm deferbuerit ſub formâ fotûs adhibeatur. Vel ante collyriorum uſum non inutile erit oculos fovere ſequenti ſacculo in aquam calidam immerſo, ut

℞. *Fœnigraci aq.frigidâ loti* ℥.ß.*ſemin.lini* ʒß.*malvæ, altheæ ana* ʒij.
Terantur, & pannis lineis includantur, & inſinuantur. Tum ſuffuſio diſcutienda ſucco fœniculi, chelidonii, verbenæ ſpiritu vini, aqua cancror. mellis, fellibus variorum animalium de quibus extrahatur tinctura vini ſpiritu, & omnibus collyriis in ophthalmiâ deſcriptis. Præſtat quotidiè pluries oculos abluere aquâ ſociali, vel ejus guttulas immittere. Vel collyrium hoc oculo affecto aliquoties mediante linteo aliquo puro applicetur, quod magnatum eſt vitium, ut

℞. *Aquæ fœniculi* ℥ij.
ſp.armoniaci gutt.x.
aquæ Reginæ Hungariæ ℥j.
m.f.collyrium.

Verùm inter collyria ad ſuffuſionem præcipuus eſt ſpiritus vini ità per ſe linteolis duplicatis, dietetim, bis, tervè, vel quater oculo ſuffuſo impoſitus, continuato ejus uſu per integrum menſem, indubiè n.ſuffuſionem detergit, abſumit, & reſolvit.

Internè ſpirituoſa penetrantia, & ſimiliter diſcutientia adhibenda ſunt, ut *ſpiritus euphragiæ, rutæ, ſalis armoniaci ſuccinati, eſſentia valerianæ, chelidoniæ, roris marini; conſervæ ſambuci, roris marini, & ſalia volatilia.*

At ubi ſuffuſionis præcautio intermiſſa fuerit, vel ejus generatio ulterior non inhibita, vel eadem nullo modo ità impediri valuerit, ut totam pupillam occupârit, & omnimodam viſionis ablationem, & cæcitatem induxerit: tunc cataractæ induratio, ſeu maturatio patienter expectanda eſt, & oppotunâ, ſoliditate obtentâ, purgato corpore, & tenui indictâ diæta, acu argenteâ, rotundâ in oculum miſſa in parte exteriori fiat perforatio, & pellicula illa, ſeu cataracta, quæ pupillam totaliter tegit, ab uveâ ſeparanda, & deorsùm depellenda-

lenda, donec lumen, & objecta externa ab ægro dignoſci poſſint, cui perforationi applicetur ovi albumen aquâ roſaceâ ſubactum, delicatulâ ſtupâ exceptum, & devinciatur, & æger per aliquot dies in dorſo quietus decumbat, ut ſubſidens cataracta non elevetur denuò, & viſum impediat.

Nonnulli conantur cataractam, ſeu pelliculam ab oculis detrahere, ſed hæc operatio impoſſibilis, & pernicioſiſſima eſt, ſi fiat, quia ſi extrahenda eſſet materia congregata, & conſiſtens, neceſſariò foramen fieret latius ab acu, & cum cataractâ ſimul humor albugineus exiret, quare meliùs eſt, ut acu ipſa deponatur, à loco pupillæ ad locum inferiorem.

Cap. XXI.

De Viſûs debilitate, Guttâ Serenâ, & Cæcitate.

IN hominis opificio natura maximam adhibuit ſedulitatem, ut ex omni parte omnibus numeris abſolutum conſpiceretur, & quò pluribus cumulavit muniis, eò pluribus inſignivit inſtrumentis. Hinc oculos & aures ſummo elaboratos artificio appoſuit, quibus duos collocavit, inter alios maximos, viſum nempè, & auditum & hi duo ad prudentiam, diſciplinas, & felicitatem maximè conferunt; ſi his orbaremur quantâ rerum notione deſtitueremur, quas intellectui ſuppeditant, cùm nihil ſit in intellectu, quin priùs fuerit ſub ſenſu? Sed præter aures oculos in editiori capitis parte, in hac ſpeculâ, tanquàm ſpeculatores, ut hominem ab injuriis tuerentur, collocavit, & hos quam maximè cuſtodiendos arbitramur: Sed alia eſt eximia oculorum utilitas, ut quemadmodùm oculi valeant, ità & totum corpus, cùm ex ipſis ſtatum conijcere liceat; Sunt oculi pars corporis pretioſiſſima, & qui, teſte *Plinio*, lucis uſu vitam diſtingunt à morte, & reverà vita eſt de lucis naturâ ut habetur *Io: Et vita erat lux.* Et nos alibi hanc vitam de naturâ lucis in oculis reſidere diximus, & hinc totum pro vitalitate corpus irradiant, ut habetur *Luc. cap. 11. verſ. 34. Lucerna corporis tui eſt oculus tuus. Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit: Si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebroſum erit. Vide ergò, nè lumẽ quod in te eſt, tenebræ ſint. Si ergò corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, lucidum erit totum, & ſicut lucerna fulgoris illuminabit te.* Si itàque oculi lucis uſu vitam à morte diſtingunt, vita eſt de lucis naturà. & lucerna corporis ſunt oculi, cæci verè mortui credendi ſunt, eſtò vità in actu primo fruantur, cùm ſit intercepta, vitam miſerrimam ſub perpetuâ nocte trahunt: præſtat ergò ſemel mori, quàm diu vivere cæcus. Agimus in hoc capite de viſus debilitate, quæ temporis progreſſu in cæcitatem tranſit; de guttâ ſerenâ, quæ genuina eſt cæcitas, & nihil vitij advertitur in oculis, & ægri oculis apertis, & ſerenis cæci ſunt; & tandèm de cæcitate, quæ eſt ablata viſio, ut apparet in cæcis vel à nativitate, qui prorsùs organa in formatione non obtinuerunt, vel ab accidente, quia ſcilicèt ex aliquâ occaſione organum viſionis eſt deperditum, & de his tanquàm incurabilibus non loquimur, ſed ſolùm de cæcis illis, qui licèt omninò habeant ablatam viſionem, non tamen ablatum

orga-

organum, ità ut oculus appareat illæſus, nulloque pacto mutatus, & ablata eſt viſio, quam affectionem medici guttam ſerenam appellare ſolent.

Viſûs debilitas, & imminutio eſt, quandò ægri parùm vident, imminuitur viſus in nonnullis, quandò res non videntur debito tempore, vel debito ſpatio. Si res clarè non videntur, fit viſio impedita, ſi verò non debito ſpatio, aut quia res propiùs admoventur, ut videri poſſint, aut quia removentur longiùs, ut conſpici poſſint; ſi verò non debito tempore, vel quia magis videntur interdiù, quàm veſperi, vel è converſo, quia magis videntur nocte, quàm interdiù, idque plerùmque, nullâ quoq; causâ in oculis ſe offerente, contingit, hinc tres debilitatis usûs differentiæ emergunt Μυωπία, Νυκταλωπία, Αμβλωπία.

Μυωπία eſt viſûs imbecillitas, quæ multis accidit, quia à nativitate ità oculos habent conformatos, ut puſilla propè admota optimè conſpiciant, procul verò magna conſpicere nequeant, & legendis, ac ſcribendis literis oculos propinquiſſimè adhibere opus habent, & latini lucioſos appellant. Hujus debilitatis cauſa adſcribitur raritati tunicarum oculi, vel humoris tenuitati, & ſi exactè hujuſmodi oculi introſpiciantur, deprehenduntur amplæ pupillæ; quibus etiam adduntur ſpiritus viſorij, qui pauci ſunt, & ſubtiles, ac propterea cum pauci ſint, longiùs ad operationem progredi non poſſunt: cùm verò ſint tenues, facilè propinqua intuentur, undè, qui vident ſolùm propinqua, non immeritò ſolent oculos conſtringere, ut ſpiritus, qui alioqui pauci ſunt, congregentur, non autem diſſipentur latitudine meatuum, propter quod *Ariſtoteles ſect.31. probl.8.* ait: *Myopes characteres breves, & parvos ſcribere, eò quod cùm in anguſtum locum ſint collecti ſpiritus pauci, neceſſariò ipſis res magnæ parvæ videntur* Non pauci myopes inveniuntur, qui in juventute eminùs probè, ac rectè cuncta proſpiciunt, ſtudiis verò incumbentes, ac nimis crebrò lucubrantes, atque ad lucernas multùm minutis literis ſcribentes, cum tempore ità mutantur, ut non niſi propè admota oculis debitè cernant, ex eo quod multâ nocturnâ lectione, & exaratione pupilla valdè dilatatur, quæ myopiæ vera cauſa exiſtit, ac medicamentis ſanari nequit, conſpicillis tamen ocularibus concavis adeò ſublevantur myopes, ut eorum interventu etiam procul exactiſſimè cernant, literaſque impreſſas, vel ſcriptas, quas aliàs vix ſpithamæ unius diſtantiâ diſtinguere valebant, per talia conſpicilla etiam ad pedes poſitas exactè legere queant.

Νυκταλωπία eſt altera viſûs debilitas, ſive nocturna cæcitas, quâ affecti per diem rectè vident, ſole autem occiduo, eorum oculi ſimul occidunt, ut parùm tempore noctis nihil omninò vident gallinarum more; paulò tamen meliùs vident tempore novilunij, quàm plenilunij, cujus cauſa eſt tunicarum craſſities, vel humorum multitudo, & ſpiritus ipſorum quidèm multi ſunt, & valdè debiles, ſed tenebricoſi, & obſcuri, propter quod à luce diurnâ coadjuvantur, & vident, ubi verò hac luce privantur, aut nihil, aut obſcuriſſimè vident. Videtur tamen in hoc concurrere atrabilis, quæ calorem nativum debilitat, & magis noctu dominatur; ſunt n. hujuſmodi patientes melancholici, & juxta lunæ phaſes graviùs vel leviùs afficiũtur, ità ut hinc cõjecturabile ſit ob

dominium

dominium melancholiæ, & lunaticam frigefactionem ſpiritus eorum viſivos poſt ſolis occaſum torpeſcere. Contrà ſunt, qui noctù magis vident minùs autem in die (quos *Hip.* 3. *Prorrector.* Nyctalopes etiam vocavit,) & ratio eſt quia ſpiritus ipſorum valdè ſubtiles ſunt, ità ut à luce diurnâ diſſipentur, atque minuantur, nocte verò collecti magis operari poſſunt.

Αμβλυωπία eſt, quandò viſus ità debilitatur, ut unicum objectum intuenti ſuo appareant, cujus cauſa putatur nimia humiditas oculorum ſpiritui viſorio reflexionem faciens, ut pro uno duo cernat. Poteſt etiam fieri ab impetu humorum tunicas tantillùm ſaltem à ſitu ſuo detorquentium, vel elevantium, ità ut uterque oculus uno intuitu non faciat exactam harmoniam, ſed quilibet peculiariter videat, undè neceſſariò viſio duplicatur, alterutro autem oculo clauſo, alter oculus apertus manens, rectè cernit. Id clarè patet in ebriis, quibus omnia ferè gemina videntur objecta, & ratio eſt, quia viſus, fit in eâ nervorum opticorum incruciatione, ubi cùm pertingat plurimi vapores, ſpiritus ab iiſdem diſcinduntur, & diſciſſi in duas faciunt partes, ut in duo loca unius rei ſpecies feratur, & propterea una res gemina videatur. Luculentiſſimum hujus rei exemplum habemus, quòd ſi aqua, in quâ ſolis imago appareat, baculo in duas partes diſcindatur, duæ apparebunt ſolis imagines: ſic ubi ſpiritus illi in ebriis à vaporibus diſciſſi ſunt, una res gemina hoc pacto apparet.

Gutta ſerena, græcè dicitur ἀμαύρωσις, eſt, quandò viſus eſt abolitus propter nervorum opticorum obſtructionem, vel anguſtiam, & nihil vitij in oculis animadvertitur, & ægri oculis apertis, & ſerenis cæci ſunt. Quandò abolerur viſio, ut omni tēpore, & ſemper nihil videant ægri, cæcitas dicitur.

Signa.

Viſûs debilitas ſignis non indiget, quia ęgri relatione facilè accipi poteſt, ut & gutta ſerena ęquè ex relatione, ut ex ipſius aſpectu patet, in quâ nullum planè oculorum vitium cognoſcitur, ut ſic æger oculis apertis, & ſerenis cæcus eſt. Verùm ſigna, quibus cauſę viſionem lędētes majori inquiſitione opus habent, ſed ſigna eorum vitiorū, quæ non à nativitate, ſed à morbo oriuntur, ſolùm inquirenda ſunt. Si itàque viſionis vitia à cerebro ortum ſumpſerint, hæc erunt ſigna, quod capitis dolor, vel gravitas, aut præceſſit, præſens eſt; adſunt, & alia ſigna, quæ aliquas capitis ægritudines declarare poſſunt. Si à nervis opticis obſtructis, vel alio modò læſis, hoc eſt præcipuum ſignum, quod dolor, & gravitas, in profundâ oculorum parte ſentiuntur; malum ſubitò fit, ità ut neceſſarium ferè argumētum ſit malum eſſe in nervis opticis, ubi videndi obtuſio, aut cęcitas ſtatim fiat, ità ut nulla alia cauſa adeſſe appareat. Cæterùm ubi videndi obtuſiones, vel cæcitates paulatim fiunt, dicendum ſit vel à ſiccitate, vel ab aliâ causâ ſpiritus exinaniente eveniſſe. Si ab intēperie, ut Galeniſtæ volunt, non ſubitò fit, ſed paulatim, nàm noxæ quæ ab intemperie fiunt, paulatim fiunt. Si à ſpiritibus & præſertim ob eorum paucitatem, quam habent myopes, nàm magis propinqua, quàm remota vident, & ut melius videāt, oculos conſtringunt.

volitantia, & colorata hoc, vel illo colore ſpecie muſcarum, culicum, formicarum, filamentorum, lineolarum, pilorum, lanarum, telarum aranearum, nebularum, aliarumque rerum fuſcarum, vel atrarum, interdùm etiam ſubſplendidarum, nonnunquàm etiam aſpicientibus lucernas halones circa eas videntur, & non ſunt. Signa, quæ præſentem indicant ſuffuſionem, ſunt apparitiones veluti veli, turbatio oculi, humor ſuffuſionem gignens craſſeſcit, & viſus magis magiſque deficit, ſpecies viſibiles incipiunt ex parte ipſum effugere, vel alieno colore ipſi apparere, donec viſio planè diſpereat, manente pupillà albà, vel alio imbutà colore.

Veterum Cauſæ.

Suffuſionis cauſam ſtatuunt vulgares Galenici pupillæ obſtructionem, ob quam ſpiritus tranſire nequeunt, factam ab humoribus pituitoſis, à cerebro in oculos, tanquàm partes debiles, decumbentibus, qui ibidem concreſcunt, & craſſeſcunt. Vel eſt frigida, & humida oculorum intemperies. Hæc oculorum debilitas in quibuſdam eſt nativa, ut oculi humidiores, prominentes, clauci, cæſii; vel adventitia, quæ fit à cauſis externis, ità ſunt confuſio, ictus, balneum, pluvioſa conſtitutio, fumi, venti in primis auſtrini, habitatio in locis oliginoſis, & ſubterraneis, involatio rerum acrium, & mordacium, admotio cæparum, porrorum, & conſimilium oculis inimicorum, inſolatio lucubrationes, lectiones, vel ſcriptiones ad lucernam, nimia in Veneris palæſtrà exercitatio. Vel eſt ſuffuſio ſpuria, quæ fit vaporibus à capite, ventriculo, aliiſque partibus ad oculos tranſlatis, ut ſunt crapulæ, ebrietates, &c. Hæ omnes cauſæ humorum fluxionem ad oculos commovere, ac proindè ſuffuſionem producere poſſunt.

Viæ per quas humores, aut vapores à cerebro ad oculos fluunt, ſunt nervi optici per tunicam retiformem, & araneam ad cryſtallinum derivantur, & materia ſuffuſionis cryſtallini ſuperficiei adhæret. Vel ſunt venæ, per quas humores ad oculos deferri poſſunt, & hæ ſunt, vel quæ deferuntur à cranio ad conjunctivam tunicam, deindè ad corneam, & uveam, vel à cerebri meningibus à quibus rami ad oculi membranas derivantur.

Delirant humoriſtæ in ſuffuſionis causà veſtigandà, aſſignantes humores pituitoſos à cerebro in oculos decumbentes, ibique in pelliculam concreſcentes; habet cerebrum ſua excrementa, ſed illi à naturà data fuère emunctoria, ut nares, os, aures, per quæ illis ſe exonerat. Nec per nervos opticos hi pituitoſi humores ad oculos deferuntur, quia in ipſis nervis obſtructionem parerent, & guttam ſerenam producerent. Non per venas, quia non ſe in cryſtallinum diffundere poſſunt, ſed in ipſis unà cum ſanguine circulare debent. Nec ſuffuſio fieri poteſt propter vapores à capite, ventriculo, aliiſque partibus ad oculos tranſlatos, quia viæ aſſignati non poſſunt. Præterquam quòd vapores ad aliquam convexitatem tranſlati, in cryſtallinum concreſcunt humorem, ut in deſtillatione patet, nàm vapores ad capitellum evecti in aquam limpidam cogantur.

Noſtra

Noſtra Cauſa.

Non fit ſuffuſio per conſenſum, ſed tantùm per eſſentiam, oculo primariò affecto, vitio putà humoris aquei, vel cryſtallini, quod ex alimento oculi non benè cocto, & converſo adnaſcitur, & ſenſim cumulatur, undè ægri ſibi videre videntur modò pilos, modò aranearum telas, modò circa candelam circulos, modò aliud, quod in aëre volitat. Sunt variæ imagines oculis obverſantes, prout varia eſt circa pupillam humoris conſiſtentis figura; non n. quod videtur ſuffuſis, eſt objectum externum, ſed excrementum in oculo variâ configuratione cumulatum ante pupillam. Hoc tandem ipſius oculi calore in pelliculam illam tenuem, quæ pupillæ apponitur concreſcit, craſſeſcit, & viſionem abolet.

Remoriores ſuffuſionis cauſæ ſunt aër frigidus, humidus, & craſſus, oculorum percuſſiones, prominentia, magnitudo, & aliæ, quas in vulgarium cautis enumeravimus. Et reverà oculi ferè omnibus cœli, & terræ tàm internis, quàm externis injuriis ſunt obnoxij, à quibus præſervari quaſi impoſſibile eſt, ſicut cæteræ corporis partes, quas contra omnes injurias munimus. Imò totum non ſemper ſe movet, vel aliæ partes non ſemper ſuas exercent functiones, ſed utplurimùm ociantur, at nobis vigilantibus, ſemper, & neceſſariò oculi viſionis munere funguntur, & inceſſanti ſemper motu agitantur, laxantur, & hinc innumeris propemodum afflictantur morbis, & quò magis totius corporis reſpectu ſit rantula pars, eò magis aſcititiam nanciſcitur debilitatem, excrementum hoc in humore aqueo, vel vitreo non benè coctum, & p. n. factum particulas habet craſſiores humoribus ſupradictas innatantes, undè varia corpuſcula apparent, quæ non ſunt extra oculum; poſtmodùm ſibi invicem adhærentes quandam maſſulam tenuem efformant, undè viſio depravari incipit, corneæ adhæret, & per partis ad partem additionem concreſcit, craſſeſcit, & viſum magis arcet, aucta tamen fit pellicula penitùs opaca, & hinc totalis inducitur cæcitas. Nativa debilitas maximè ad ſuffuſionem pertinet, ut eſt oculorum prominentia, vel eorum magnitudo, undè, qui hujuſmodi habent oculos, ſuffuſioni ſunt obnoxij. Aliqui dicunt, qui prominentes, & magnos habent oculos, eſſe melancholicos propter ſpirituum craſſitiem, & ſemper ad oculorum extuberantiam ſequi ſpiritus craſſos, & ubi ſunt ſpiritus craſſi propter humores ſpiritibus admiſtos, difficile non eſſe dari occaſionem gignendis ſuffuſionibus: ſæd hæc ratio eſt nimis ruſtica. Vera ratio eſt, qui habent oculos magnos, vel prominentes, debilem habent viſum, quia in magno ſpatio virtus diffuſa ſit infirmior. Præterea, qui magnos, vel prominentes habent oculos à conformatione, facilè tùm internis, tùm externis exponuntur injurijs, adeòque non ægrè in oculis læduntur.

Prognoſis.

Spuria ſuffuſio non ſolum periculo vacat, ſed etiam facilè, præcedente evacuatione univerſali, curari poteſt. Vera verò difficulter, & alia quidem medicamentis foris, & intra adhibitis, alia verò acu punctione curatur. Undè curationis ſpes ſemper affulget dummodò æger

planè cæcus non ſit, & cum pupilla dilatari, & conſtringi poteſt; tunc n. oculi partes ſunt mobiles, quod ſemper bonum ſignum eſt Suffuſio, in quâ ægri objecta communia, ideſt magnitudines, figuras, numeros, & motus adhuc diſcernere poſſunt, vel ea per nebulam conſpicere videntur, curabilis eſt, modò æger in florenti ſit conſtitutus ætate; in ſenibus n. hic affectus, & in ijs, quibus oculi ex nativâ conſtitutione debiles ſunt, incurabilis eſt. Ubi diutiùs conſtiterit, & craſſior aliquantùm facta eſt, chirurgicam operam requirit, ſed quandòq; reverti ſolet. Quæ ſuffuſio nigra eſt, obſcura, gypſea, plumbea, vel multùm citrina, viridis, vel dura, & quæcumque ſplendoris, & nitoris omnis expers eſt, nullo modo neque medicamentis, neque acu curari poteſt. Suffuſio nimiùm inveterata, vel congelata ægritudine ad ſummum prorogatâ, ægrum excæcat, & pupillam ad candidum colorem ſine ullo penitùs ſplendore mutat.

Veterum Curatio.

In ſuffuſionis curatione vulgares Galenici omne adhibent ſtudium, dùm in principio eſt, nè incrementum ſumat, ac proindè, præmiſſo clyſtere, venam ſecant in cubito, vel etiam in fronte, vel naribus, vel poſt aures; vel aliâ parte oculis vicinâ, vel tandem in hæmorrhoidibus. Verùm ſuffuſio fit ab humore frigido, & craſſo, & venæ ſectio locum non habet, quia ſanguinis, & ſpirituum evacuatione cerebrum magis refrigerantur, & humor craſſior redditur.

Deindè ſtatim ad medicamentum purgans deveniunt, præparatis primò humoribus cum *ſyrupis de ſtœcade, betonicâ, & rhodomellite ſaccharino cum aquâ betonicæ, vel meliſſæ.* Cœterùm purgationem inſtituunt non medicamentis lenibus, ſed gravioribus, quibus medicamenta oculos purgantia ſemper admiſcent, ut

℞ *Pulver. hieræ picræ* ℈ij.
diacolocynthidos ℈j.
cum ſ. q ſucci fœniculi f. pilulæ,
quas capiat ſuffuſus horâ ſomni, & decimo quarto quoque die repetat.

Vel

℞ *Agarici trochiſcati cum rhodo.* ʒj.
pilul lucis majoris,
Arabicarum ana ʒß.
aggregativarum ʒj.
cum cathartico roſ. formētur pilulæ,
quæ ſingulis ſeptimanis uſurpentur: ſed hæc purgantia obſeſſos non adeunt oculos, & tantùm totum reſpiciunt.

Purgato corpore, ad medicamenta extenuantia recurrunt, ut ſunt decocta *ſalſæ, vel ligni guajaci, vel ſaſſafras,* ut

℞ *Salſæ parillæ minut inciſæ* ℥iij.
aquarum chelidonij,
euphragiæ,
fœniculi ana ℔.jß.
Macerentur per 12. horas deindè bulliant ad duarum librarum remanentiam, & in fine adde
ſemin. fœniculi,
rutæ ana ℥ß.
Deindè coletur, & ſervetur, cujus capiantur mane ℥vj. *totidemque veſperi. & more ſolito ad ſudandum æger ſe componat.* Interim utatur pane cum fœniculis, & carnibus avium aſſatis. Hoc decoctum ſecundo quoque die recens fiat, quo per viginti, vel viginti quinque dies utatur, intra quos aliquod intermiſcent purgans. Cœterùm his purgantibus, & decoctis ambigimus, quin

ex

ex humorum agitatione malum augeatur, vel ſaltim ſubtiliori parte reſolutâ, reliqua eò magis craſſeſcat, indureſcat, & reſolutioni reddatur inepta, & ſi malum inveteratum fuerit, ab his abſtinendum arbitramur, nàm potiùs incommodum, quàm commodum faciunt, & æger fruſtrà torquetur, & prohibent etiam quò minùs perfectè, & commodè deponi poſſit.

Interim ſemel in hebdomadâ exhibent *theriacæ, vel mithridatij* ℈j. *vel* ʒß. *in conſervâ betonicæ, anthos, aut ſimili.* Quandòque caput abluunt lixivio, in quo ebulliunt herbas cephalicas, & ophthalmicas.

Occipitio revulſionis gratia cucurbitulas, vel veſicatorium, aut quod efficaciùs putant, ſetaceum applicant, & id diù apertum aſſervari jubent, ad minimùm ſex menſes. Item veſicatorium ſæpiùs repetunt poſt aures. Similiter cauteria brachijs applicant: verùm hæc remedia caput debilitant, & tàm per viam fluxionis, quàm congeſtionis malum adaugent.

Ad ſuffuſionis materiam reſolvendam à mitioribus reſolventibus exordiuntur, & emollientia admiſcent, ut reſolutio faciliùs perficiatur, & ejus induratio inhibeatur, & in hunc finem ſequentem uſurpant fotum, ut

℞ *Fol. rutæ,*
fœniculi,
euphragiæ,
chelidoniæ majoris an. m. j.
ſemin. fœnigræci ℥j.
flor. chamomillæ,
meliloti ana p. j.

Coquantur in tribus partibus aquæ fontis, & unâ vini ſub finem additi. Colaturâ foveantur oculi manè, & ſerò cum ſpongiâ molli. In morbi progreſſu non parùm commendant pueri halitum manè oculis exceptum, ſi priùs aliquandiù puer fœniculi ſemen maſticaverit.

Multa adhibent collyria in ſuffuſione, & forſitan ea, quæ in ophthalmiâ adhibere ſolent, ſed magnum verſatur diſcrimen inter ophthalmiam, & ſuffuſionem; in illâ nàmque medicamentum immediatè parti affectæ admovetur, in hac verò nequaquàm.

℞ *Aquæ fœniculi* ℥ij.
chelidoniæ,
euphragiæ ana ℥jß.
pompholyg. ʒß. *m.*

Vel

℞ *Mellis optimi* ℔.ij.
radic. fœniculi,
ariſtolochiæ longæ, & rotundæ ana ℔. j.
fol. rutæ,
euphragiæ,
chelidoniæ majoris;
ſummit. fœniculi ana m. vj.
centaur. min. m. iij.
roſar. recentium p. iv.
urinæ pueris impubis ℔. *ij.*

Miſceantur omnia ſimul in vaſe vitreo, & deſtillentur in B. M. Hæc aqua inſtilletur in oculos frequenter.

Vel

℞ *Virid. æris,*
vitrioli,
ſalis ammoniaci,
æris uſti ana ℈j.
fellis hirci ℈ij.

Terantur omnia in pulverem ſubtiliſſimum, & cum ſucco ſampſuci, aut aquâ mellis deſtillatâ f. collyrium, ſed hoc validiùs, & acre eſt, & inflammationis, ac doloris periculum impendet, ac proindè rarò cum periculo non eſt uſurpandum.

Optima ſunt vulgarium collyria, ſed non adhibenda; nàm ſuperficiem ſanam attingunt, & centrum intactum relinquunt, ac proindè inquit *Galenus* 4. *de compoſ. ſec. loc.* 4. *Medicamenta localia pro ſuffuſionibus multa quidem bona polliceri, ſed vel exigua, vel nulla auxilia præſtare:* tota n. eorum virtus in corneâ tunicâ ferè abſumitur, neque poteſt ad interiores partes penetrare, niſi ea inſigni acrimoniâ prædita ſint, quâ dolores in oculis excitantur, & fluxio ad illos magis promovetur, undè non pauci immodico eorum uſu, ex leviori affectu, in omnimodam cæcitatem perducti ſunt.

Diſperatâ ſuffuſionis confirmatæ curatione, ad chirurgicam operationem confugiunt; quâ acu in oculum immiſsâ, pellicula illa ad inferiores oculi partes detruditur, & veluti apertâ feneſtrâ cæcitatis tenebræ fugantur: ſed hæc operatio infelici ſuccedit eventu, ità ut ex eâ multi imperpetuum viſum recuperandi omnem ſpem amiſerunt; ideòque propter incertum eventum à chirurgis ordinarijs non exercetur, ſed tantùm à quibuſdam chirurgis, qui non certas incolunt ſedes, & per varias vagantur urbes, & hac mediante operatione ſuffuſos excæcant, & omni recuperandæ viſionis ſpe, quæ alit afflictos, deſtitutos relinquunt.

Noſtra Curatio.

In ſuffuſione incipienti multùm diæta conducit, imò *Avicennas* ait ſe noviſſe ſapientes aliquos, qui ſolâ victûs ratione, & nonnullis medicamentis viſum penè amiſſum recuperârunt, ac proindè huic maximoperè incumbendum eſt, & per ſex res non-naturales inquiramus oportet.

Aer igitur ſit temperatus, calidus, & ſiccus, non nebuloſus, humidus, frigidus, & craſſus, vitetur nimium lumen, & omnia, quæ viſum diſgregare poſſunt.

Cibus ſit facilis coctu, carnes avium aſſatæ, & præcipuè montanarum, vel pullorum conducunt. Inter olera conducit fœniculum, quod Italicè dicitur *Finocchio*, & latinè *Fini-culum*, quaſi redderet *finum*, ideſt *clarum culum*, ſed hæc dicta ſint ex joco. Nimis frigida cibaria non tantùm ſunt fugienda, ſed etiam acida. Similiter piſces paluſtres, aves aquatiles, legumina omnia, lagana, & quæ craſſum generant ſuccum; allium, cæpæ, ſinapi, & quæ vaporibus caput replent. Cibi condiantur herbis, ſeminibus, & aromaticis, quæ oculis, proſunt. Panis debet eſſe fermentatus, & conditus ſemine aniſi, vel fœniculi. Poſt cibum ſumatur cydonium, coriandrum, & quæ ſimul coctionem adjuvant, & vaporum ad caput aſcenſum inhibent, & ſuffuſus parciùs cœnet.

Potus ſit ſaltem marathrites, vel vinum album, & pauciferum, cui immacerata ſit herba, vel ſemen, vel radix ex ophthalmicis, ſed præſtat decoctum ſaſſafras ob fœniculi odorem, & ſaporem, vel decoctum herbæ theæ.

Motus vehemens ablegandus eſt, moderatæ exercitationes conducunt, & præſertim partium inferiorum. Abſtineat æger à clamore, & vitet omnia, quæ caput, & oculos commovere poſſunt, ut & ſcriptiones, & lucubrationes.

Quies multùm conducit, ſed non tranſeat in deſidiam, in lecto corpore ſupino, & capite clariori cubat ſuffuſus.

Somnus ſit moderatus, quantùm ad ſanitatem conducit; nimius nàmque

craſſarum

craſſarum particularum proventu caput replet, & noxam ei infert.

Vigilia producta oculos fatigat, ſpiritus reſolvit, & particulas, & lympham minus temperatam efficit.

Excreta, & Retenta, ſi naturæ leges non ſervent, arte regantur, undè alvus lubrica ſervetur. Menſes, & hæmorrhoides ſuppreſſi ad debitum reducantur fluorem, & hi, ſi nimium quàm par eſt, fluant, debitis adhibitis remediis coërceantur.

Animi pathemata maligna rationis moderamine regantur, ac proindè vitetur triſtitia, mœror, & lacrymarum profuſio, quia ſpiritus, & ſuccos incraſſando, eoſdem ad motum reddunt ineptos. Exulet excandeſcentia, exclamatio, deſperatio, quia nimio motu ſpiritus animales in furorem adiguntur & diſperduntur, ac ſuffuſionem intendere poſſunt ſola ſpes ſuffuſum ſoletur. Fugienda Venus, nàm hæc non ſolum mentis lucem obtenebrat, ſed etiam corporis omnes ſenſus, & præcipuè viſum obcæcat.

Victûs ratione inſtitutâ ſuffuſionis curationem tantùm incipientis aggredimur, nàm ſuffuſio facta, & confirmata ſolius oculiſtæ chirurgi ope curari quandòque poteſt. Suffuſionis itaque incipientis curationis ſcopus in hoc conſiſtit, ut ejus generatio ulterior inhibeatur, & quæ jàm genita eſt, incidatur, attenuetur, diſcutiatur, opportuniſque medicamentis reſolvatur. Vtilia ſunt primò medicamenta purgantia inter quæ primum tenet locum ſequens, ut

℞. *Extracti Catholici* ʒ. ß. *pilul. ſine quibus eſſe nolo Nicolai* ʒj. *m. cum cathartico roſ. & formentur pilul.vij, & deaurentur.*

Hæc nàmque omnes humores partium ſuperiorum purgant, quo nomine ſuffuſionibus oculorum caliginibus, & & viſioni conferunt, & ità præbeantur nè magna humorum in corpore agitatio ſuccedat; deindè aliquot exactis diebus bis, vel ter *pilulæ cephalicæ Fernelii propinentur, & tandem bis in hebdomadâ pilulæ lucis majoris, ſeu opticæ Meſue.*

Conducunt quammaximè decocta *ligni guajaci, ſaſſafras, radic. ſalſæ parillæ, ſemin. fœniculi, fol. euphragiæ, &c.* ut

℞. *Salſæparillæ* ℥j.ß.
cortic. ligni ſaſſafras ʒij.ß.
guajaci ℥j.

Infunduntur per 24. horas in aquæ fontis lib.ij Deindè coque ad medietatis conſumptionem, & ſub finem inde
fol. euphragiæ
verbenæ ana m.j.
ſemin. aniſor. ʒ.
coriandror. præparat. ʒij.
flor. anthos m.j.
& f. colatura,

Cujus doſis ſit lib. ß *roborata aquâ ſociali, propinetur tempore matutino; & ſuffuſus ſtragulis benè tectus ſudores expectet.* exiberi poſſunt hæc decocta ad dies 15. vel 20. nàm ſuffuſionis materiam attenuant; & ſenſim ac inſenſibiliter reſolvunt, cùm corpus totum ſit perſpirabile & quarto, vel quinto quoque die interponendæ ſunt pilulæ opticæ cum decocti intermiſſione. Hinc etiam eâdem praxi diaphoretica commendamus.

Prætereà ſuffuſionibus materiam attenuamus, & reſolvimus medicamentis ſale volatili præditis, & præſertim ex herbis ophthalmicis, ut *fœniculi, euphragiæ, rutæ, chelidoniæ, verbenæ, vel ſuccini*, & pilulæ formari poſſunt, ut

℞. *Extracti euphragiæ* ʒß.
ſal. volatilis ſuccini,
chelidonii,
verbenæ ana gr.vj.
m.cum oleo Fœniculi ſtillat:
& fiant pilul.v.deauranda.

Propinentur in aurorâ jejuno ſtomacho, in lecto cubando.

Hæc eâdem ſal a volatilia cum aquis ophthalmicis, ſi oculi pluries in die abluatur, quia votilia ſunt, ſe in oculos inſinuant, illoſque pervadunt, excrementa illud inſenſibiliter diſperdunt, reſolvuntque; ut etiam ſpiritus ſeu eſſentiæ ex ophthalmicis herbis eliciti cum eiſdem aquis debitâ quantitate diluti oculis appliciti, illos clarificant.

Quandòque his promittimus fotum ex decocto quarundam herbarum ſpecificarum, ut *chelidoniæ, rutæ euphragiæ, fœniculi, chærefolii, flor.meliloti, chamomillæ verbenæ, anagallidis, valerianæ &c. ſpiritu vini roborato*, nàm magnam penetrandi, & diſcutiendi vim habet. Vel

℞. *Herbar. euphragiæ,*
fœniculi,
flor.chamomillæ,
meliloti ana m.j.
ſambuci,
valerianæ,
verbenæ ana m.ß.

Decoque in vino & vapor ex ferventi hoc decocto in oculos excipiatur, & cum jàm deferbuerit ſub formâ fotûs adhibeatur. Vel ante collyriorum uſum non inutile erit oculos fovere ſequenti ſacculo in aquam calidam immerſo, ut

℞. *Fœnigræci aq.frigidâ loti* ℥.ß.*ſemin.lini* ℥ß.*malvæ, althææ ana* ʒij.
Terantur, & pannis lineis includantur, & inſinuantur. Tum ſuffuſio diſcutienda ſucco fœniculi, chelidonii, verbenæ ſpiritu vini, aqua cancror. mellis, fellibus variorum animalium de quibus extrahatur tinctura vini ſpiritu, & omnibus collyriis in ophthalmiâ deſcriptis. Præſtat quotidiè pluries oculos abluere aquâ ſociali, vel ejus guttulas immittere. Vel collyrium hoc oculo affecto aliquoties mediante linteo aliquo puro applicetur, quod magnarum eſt virium, ut

℞. *Aquæ fœniculi* ℥ij.
ſp.armoniaci gutt.x.
aqua Reginæ Hungariæ ℥j.
m.f.collyrium.

Verùm inter collyria ad ſuffuſionem præcipuus eſt ſpiritus vini ità per ſe linteolis duplicatis dietetim, bis, tervè, vel quater oculo ſuffuſo impoſitus, continuato ejus uſu per integrum menſem, indubiè n.ſuffuſionem detergit, abſumit, & reſolvit.

Internè ſpirituoſa penetrantia, & ſimiliter diſcutientia adhibenda ſunt, ut *ſpiritus euphragiæ, rutæ, ſalis armoniaci ſuccinati, eſſentia valerianæ, chelidoniæ, roris marini; conſerva ſambuci, roris marini, & ſalia volatilia.*

At ubi ſuffuſionis præcautio intermiſſa fuerit, vel ejus generatio ulterior non inhibita, vel eadem nullo modo ità impediri valuerit, ut totam pupillam occupârit, & omnimodam viſionis ablationem, & cæcitatem induxerit: tunc cataractæ induratio, ſeu maturatio patienter expectanda eſt, & opportunâ, ſoliditate obtentâ, purgato corpore, & tenui indictâ diæta, acu argenteâ, rotundâ in oculum miſſa in parte exteriori fiat perforatio, & pellicula illa, ſeu cataracta, quæ pupillam totaliter tegit, ab uveâ ſeparanda, & deorsùm depellenda.

lenda, donec lumen, & objecta externa ab ægro dignoſci poſſint, cui perforationi applicetur ovi albumen aquâ roſaceâ ſubactum, delicatulâ ſtupâ exceptum, & devinciatur, & æger per aliquot dies in dorſo quietus decumbat, ut ſubſidens cataracta non elevetur denuò, & viſum impediat.

Nonnulli conantur cataractam, ſeu pelliculam ab oculis detrahere, ſed hæc operatio impoſſibilis, & pernicioſiſſima eſt, ſi fiat, quia ſi extrahenda eſſet materia congregata, & conſiſtens, neceſſariò foramen fieret latius ab acu, & cum cataractâ ſimul humor albugineus exiret, quare meliùs eſt, ut acu ipſa deponatur, à loco pupillæ ad locum inferiorem.

Cap. XXI.

De Viſûs debilitate, Guttâ Serenâ, & Cæcitate.

IN hominis opificio natura maximam adhibuit ſedulitatem, ut ex omni parte omnibus numeris abſolutum conſpiceretur, & quò pluribus cumulavit muniis, eò pluribus inſignivit inſtrumentis. Hinc oculos & aures ſummo elaboratos artificio appoſuit, quibus duos collocavit, inter alios maximos, viſum nempè, & auditum & hi duo ad prudentiam, diſciplinas, & felicitatem maximè conferunt; ſi his orbaremur quantâ rerum notione deſtitueremur, quas intellectui ſuppeditant, cùm nihil ſit in intellectu, quin prius fuerit ſub ſenſu? Sed præter aures oculos in editiori capitis parte, in hac ſpeculâ, tanquàm ſpeculatores, ut hominem ab injuriis tuerentur, collocavit, & hos quam maximè cuſtodiendos arbitramur: Sed alia eſt eximia oculorum utilitas, ut quemadmodùm oculi valeant, ità & totum corpus, cùm ex ipſis ſtatum conijcere liceat; Sunt oculi pars corporis precioſiſſima, & qui, teſte *Plinio*, lucis uſu vitam diſtinguunt à morte, & reverà vita eſt de lucis naturâ ut habetur *Io: Et vita erat lux.* Et nos alibi hanc vitam de naturâ lucis in oculis reſidere diximus, & hinc totum pro vitalitate corpus irradiant, ut habetur *Luc. cap. 11. verſ. 34. Lucerna corporis tui eſt oculus tuus. Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit: Si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebroſum erit. Vide ergò, nè lumẽ quod in te eſt, tenebræ ſint. Si ergò corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, lucidum erit totum, & ſicut lucerna fulgoris illuminabit te.* Si itàque oculi lucis uſu vitam à morte diſtingunt, vita eſt de lucis naturâ & lucerna corporis ſunt oculi, cæci verè mortui credendi ſunt, eſtò vitâ in actu primo fruantur, cùm ſit intercepta, vitam miſerrimam ſub perpetuâ nocte trahunt: præſtat ergò ſemel mori, quàm diu vivere cæcus. Agimus in hoc capite de viſûs debilitate, quæ temporis progreſſu in cæcitatem tranſit; de guttâ ſerenâ, quæ genuina eſt cæcitas, & nihil vitij advertitur in oculis, & ægri oculis apertis, & ſerenis cæci ſunt; & tandèm de cæcitate, quæ eſt ablata viſio, ut apparet in cæcis vel à nativitate, qui prorsùs organa in formatione non obtinuerunt, vel ab accidente, quia ſcilicèt ex aliquâ occaſione organum viſionis eſt deperditum, & de his tanquàm incurabilibus non loquimur, ſed ſolùm de cæcis illis, qui licèt omninò habeant ablatam viſionem, non tamen ablatum orga-

orga-

dominium melancholiæ, & lunaticam frigefactionem ſpiritus eorum viſivos poſt ſolis occaſum torpeſcere. Contrà ſunt, qui noctù magis vident minùs autem in die (quos *Hip.* 3. *Prorrhetor.* Nyctalopes etiam vocavit,) & ratio eſt quia ſpiritus ipſorum valdè ſubtiles ſunt, ità ut à luce diurnâ diſſipentur, atque minuantur, nocte verò collecti magis operari poſſunt.

Αμβλυωπία eſt, quandò viſus ità debilitatur, ut unicum objectum intuenti ſuo appareant, cujus cauſa putatur nimia humiditas oculorum ſpiritui viſorio reflexionem faciens, ut pro uno duo cernat. Poteſt etiam fieri ab impetu humorum tunicas tantillùm ſaltem à ſitu ſuo detorquentium, vel elevantium, ità ut uterque oculus uno intuitu non faciat exactam harmoniam, ſed quilibet peculiariter videat, undè neceſſariò viſio duplicatur, alterutro autem oculo clauſo, alter oculus apertus manens, rectè cernit. Id clarè patet in ebriis, quibus omnia ferè gemina videntur objecta, & ratio eſt, quia viſus, fit in eâ nervorum opticorum incruciatione, ubi cùm pertingat plurimi vapores, ſpiritus ab iiſdem diſcinduntur, & diſciſſi in duas faciunt partes, ut in duo loca unius rei ſpecies feratur, & propterea una res gemina videatur. Luculentiſſimum hujus rei exemplum habemus, quòd ſi aqua, in quâ ſolis imago appareat, baculo in duas partes diſcindatur, duæ apparebunt ſolis imagines: ſic ubi ſpiritus illi in ebriis à vaporibus diſciſſi ſunt, una res gemina hoc pacto apparet.

Gutta ſerena, græcè dicitur αμαύρωσις, eſt, quandò viſus eſt abolitus propter nervorum opticorum obſtructionem, vel anguſtiam, & nihil vitij in oculis animadvertitur, & ægri oculis apertis, & ſerenis cæci ſunt. Quandò aboletur viſio, ut omni tēpore, & ſemper nihil videant ægri, cæcitas dicitur.

Signa.

Viſûs debilitas ſignis non indiget, quia ęgri relatione facilè accipi poteſt, ut & gutta ſerena ęquè ex relatione, ut ex ipſius aſpectu patet, in quâ nullum planè oculorum vitium cognoſcitur, ut ſic æger oculis apertis, & ſerenis cæcus eſt. Verùm ſigna, quibus cauſę viſionem lędētes majori inquiſitione opus habent, ſed ſigna eorum vitiorū, quæ non à nativitate, ſed à morbo oriuntur, ſolùm inquirenda ſunt. Si itáque viſionis vitia à cerebro ortum ſumpſerint, hæc erunt ſigna, quod capitis dolor, vel gravitas, aut præceſſit, præſens eſt; adſunt, & alia ſigna, quæ aliquas capitis ægritudines declarare poſſunt. Si à nervis opticis obſtructis, vel alio modò læſis, hoc eſt præcipuum ſignum, quod dolor, & gravitas, in profundâ oculorum parte ſentiuntur; malum ſubitò fit, ità ut neceſſarium ferè argumētum ſit malum eſſe in nervis opticis, ubi videndi obtuſio, aut cęcitas ſtatim fiat, ità ut nulla alia cauſa adeſſe appareat. Cæterùm ubi videndi obtuſiones, vel cæcitates paulatim fiunt, dicendum ſit vel à ſiccitate, vel ab aliâ causâ ſpiritus exinaniente eveniſſe. Si ab intēperie, ut Galeniſtæ volunt, non ſubitò fit, ſed paulatim, nàm noxæ quæ ab intemperie fiunt, paulatim fiunt. Si à ſpiritibus & præſertim ob eorum paucitatem, quam habent myopes, nàm magis propinqua, quàm remota vident, & ut melius videāt, oculos conſtringunt.

Prætereà quod diù, & ſæpè aliquã rem intueri non poſſunt. Inſuper oculi in [illegible] s magis ſubſident, nàm ſpiritus, ubi ſ[illegible]nt copioſi, oculos turgidos reddunt, obeuntibus verò ſpiritibus, oculi ſubſidẽt, quapropter qui aliquo premuntur angore, oculos magis cavos, & ſubſidentes habere obſervamus. Si à ſpirituum craſſitie, iſti oculos habent prę-minentes, longinqua, & remota meliùs, quàm propinqua vident.

Pars affecta in genere eſt totus oculus, in ſpecie verò nervi optici, oculorum tunicæ, eorumdemque humores circulares. Inter viſûs debilitatem, & cæcitatem hæc eſt differentia, ſi cauſa ſit minor, viſûs debilitas introducitur, ſi major, cæcitas.

Cauſæ.

Viſûs debilitatis cauſa proxima eſt ſpirituũ animaliũ defectus, vel craſſities, ità ut minùs agiles tunicæ retinæ fibras ſegniùs, aut non ſufficiẽti copiâ trãſcurrẽres ſpecies viſibiles, & radios lucis tard[illegible]ùs, & debiliùs ad commune deferunt ſenſoriũ. Vel eſt ſpirituũ impuritas ob admiſtos vapores craſſos, & viſcidos, à quib. nervi optici aliqualiter obſtruũtur, & debitus ſpirituũ cõmeatus occluditur. Inter cauſas internas corporũ habitus connumeramus; nã qui capite valdè pituitoſo exiſtunt, & qui capillis ſunt albis, omnes ferè pravè videre conſpicimus. Similiter & ætas, de quâ *Hippocrates ſect.* 3. *aph.* 31. ait: *In ſenibus viſûs hebetudines fieri.* Fit hoc ob humorum craſſitiem, & turbulentiã, vel ob tunicarum denſitatẽ. Remotæ cauſæ ſunt nimia Venus ſpiritus cõſumẽs, lucubrationes protractę, maximè ab aſſumpto cibo illicò inceptæ, crapulæ, à quib. multę oriuntur cruditates, impediẽtes ſpirituũ gẽnerationẽ, quos multis particulis impuris imbuunt, quas cauſas ſex rebûs non naturalibus tribuimus, de quibus fuſiùs infrà.

Guttæ ſerenæ cauſa ut plurimùm eſt nervorum opticorũ obſtructio à quacumq; causâ facta, à craſſorum humorum collectione eorũ meatus obſtruẽtę, & ſpirituum animalium influxum impediẽte, & hæc obſtructio ſolemnis, & vulgatiſſima eſt cauſa guttæ ſerenæ. Quandóq; etiam nervorum opticorum compreſſio guttam ſerenam efficit, quandò hujuſmodi humorum collectio coacervatur non intra, ſed extrà eos, ſuumq; extendit ſpacium, undè neceſſe eſt adjacentes partes magis anguſtiari, & premi, quę compreſſio ſpiritus viſivos includere poteſt. Aſtrictio etiã guttæ ſerenæ in causâ eſſe poteſt, quæ à vaporibus auſteris, & frigidis accidere poteſt; frigus n. ſemper conſtringit, ut flãte aquilone obſervamus, quod ſemper alvus adſtringatur, & ſi frigus incrementum ſumat, ſuâ adſtrictione adeò perg[illegible]t ut aquas in glaciẽ cogat, & induret, ut etiam alumen, & vitriolum ſuâ frigidâ qualitate talem conſtrictionem potẽtiſſimè demonſtrant. Vehemens æſtus viſum obtenebrat, quemadmodùm in furnis deſtillatoriis calor intensè auctus, tandèm ſpiritus nebuloſos elevat, qui totum receptorium utut è cryſtallino vitro cõfectum adeò obnubilant, ut per illud ampliùs conſpici nequeat, ità pariter etiam fieri ab ingente calore interno, quotidiana docet experientia; in phrenitide n. & aliis æſtuoſis morbis tandèm viſus obtenebrari ſolet, adeò ut patientes ſæpè nihil cernere queant. Sic poſt febres malignas, variolas, &c. cæcitas inducitur ob humorũm craſſorum collectionem ad nervos opticos, partim ob ſtagnationem, par-

partimque ob humorum coagulationem, & effluxum.

Debilitatis viſus, & guttæ ſerenæ cauſas externas, & mediatas ex ſex rebus nonnaturalibus educimus, inter quas prima eſt,

Aër, qui ſi ſit caliginoſus, humidus, craſſus, & auſterus, maximè viſum hebetat, quapropter eos, qui in paludibus victitant, aut inter aquas, viſum obſcurum habere obſervamus. Similiter dicit *Hip. 3. aph.* quod auſtri viſum hebetant, & hac ſcilicèt ratione, quia & in iis regionibus, & ijs vaporibus ſpiritus craſſeſcunt, *7. epid. in initio* in eâ conſtitutione, in quâ auſtri, & boreæ viciſſim perflant, nyctalopes multos factos eſſe refert. Itèm fervor ſolis caput feriens, & alij externi immoderati calores humores in capite fundentes, quod idem etiam fieri poteſt à violentis corporis exercitijs corpus calefacientibus. Eodem modo repentina caloris, & frigoris alternatio, migrando nempè ab unâ extremitate in aliam abſque interjectis temperatis medijs, ut fit, quandò quis repentè è frigore forti in locum intensè calidum ſe confert, & vice versâ, quâ mutatione ſemper graviſſimos catarrhos excitari quilibet novit, quibus poſteà variæ obſtructiones oriuntur.

Crapula, & in diætâ exceſſus multùm viſui nocent, quia multæ ſuperfluitates coagmentantur, quæ nervorum meatus obſtruunt. Inter cibos plurimi ſunt, qui à proprietate oculis nocere à medicis putantur, ut ſunt lac, legumina, piſces, quia ex his craſſi in caput attolluntur vapores, qui ſpiritus obſcurant, & craſſefaciunt. Amylum quoque, lactuca, & portulaca maximè viſum offendunt. Itèm vitetur lolium juxta vetuſtiſſimũ illud ſervi Plautini dictum, qui volens alteri exprobrare, quod luſcus eſſet, dicit cum lolio victitare, eo quod lolium, ut ab aliis dicitur, maximè viſui obeſt. Fugiatur braſſica, & lentes, quia viſum hebetant.

Vini potus viſui obeſt, quia in vino Venus, quæ libenter occæcat.

Motus vehemens caput excalfaciens viſum debilitat, percuſſiones capitis, & vulnera ſuperciliorum maximè nocent oculis.

Nimia quies craſſos, & viſcidos generat humores, qui ſpiritus viſivos torpidos reddũt, vel obtenebrãt. Hinc tenebroſo carcere diù clauſi, cùm ad lumen egrediuntur, facilè in guttam ſerenam incidunt, ut Stephano Petrucci annis elapſis accidit.

Somnus immoderatus viſionem hebetare poteſt, quia, ubi quis à diuturno ſomno expergiſcitur, per aliquod tẽpus vix conſpicere poſſe videtur; tùm autem præcipuè ſomnus viſui nocet, quandò ſupinè captatur, quia tùm magno impetu humores ad oculos feruntur, ut apparet ex lacrymis emanantibus eo tempore ex oculis.

Nimiæ vigiliæ viſum debilitant, qúia ex ipſis conſumuntur, & deſtruuntur ſpiritus. Inter cauſas internas corporũ habitum connumeramus; nàm qui capite valdè pituitoſo exiſtunt, & capillis ſunt albis, omnes ferè pravè videre conſpicimus. Similiter & ætas de quâ *Hipp. ſect. 3. aph. 21.* ait, *In ſenibus viſûs hebetudines fieri.* Fit hoc ob humorum craſſitiem, & turbulentiam, vel ob tunicarum denſitatem.

Menſes ſuppreſſi viſum enervant, quia ſpiritus incraſſeſcunt, & obſcurãtur, ac vis viſiva infirmatur. Aſſiduum

Nn 2 quo-

quoque ſtudium inter has cauſas recẽſemus; obſervamus n. eos, qui litteris incumbunt, & continuò ſtudijs invigilant, raro contingere, quin in oculis lædantur. Similiter hos patiuntur manes, qui, ſuas exercent artes inclinato capite, aut qui ad ignem operantur, ut metallorum fuſores, vitrarij, fornarij &c.

Animi paſſiones quoque horum affectuum ſunt cauſæ, in primis ira oculos obnubilat, mœror, & maxima lacrymarum profuſio maximè viſum lædit. Venus viſui obeſt, nec alia de cauſâ antiqui amorem veneris filium finxêre cæcum, quia venerei actus homines occæcant. Quidam debilitate visûs correptus, plurium medicorum conſultatione ſancitum fuit, nè impoſterùm, ſi debilem viſum ſaltem fovere vellet, Venere uteretur, atqui libidinis percitus œſtro, impatiens tandèm cojuit, in quo actu inquit: Vale charum lumen, & actutùm viſionem amiſit.

Sed quæres, cur in noſtrâ Civitate tot ophthalmiam, pannum, ſugillationem, visûs debilitatem, guttam ſerenam, cæcitatem, reliquoſque omnes morbos oculorum frequentiſſimè patiantur, ut multi ob visûs læſionem conſpicilla genere cogantur, quod in alijs Regionibus non ità frequenter contingit? Nonnulli vinum culpant, ſed Galli, & Germani in vini potu noſtros excellunt cives: ſed multæ concurrunt cauſæ ad visûs læſionem, quarum prima eſt, quia pluribus utuntur herbis, & fructibus, qui civitate cœlum incoſtans eſt. Alia qui Neapolitanorum magna pars hyeme degunt ad ignem, aliæ verò nationes nunquàm igne, ſed laconicis utuntur, ignis n. maximè oculos lædit. Tandèm Neapolitani omnibus ſunt ſalaciores, & veneri dediti; obſervamus n. quoſdam juvenes per ſpecillis utentes, qui dicunt ob aſſidua ſtudia viſum ferè amiſiſſe, ſed nos Veneris ſtudio incubiſſe arbitramur, & eſtò aliquo arcano ad visûs claritatem utantur, non per hoc formicas in montibus Pyrenæis conſpicere poſſunt.

Humorum oculorum defectus varijs refunditur cauſis, ità eſt calor, & ſiccitas ex febribus tùm ardentibus, tùm hecticis, phthiſi, & atrophiâ, ætate ſenili, venere immodicâ, & nimis evacuationibus. Humorum profuſio ortum plerùmque ducit à continui ſolutione à violentâ cauſâ inductâ, ut vulnere, puncturâ, ictu, morſu, alijſque venenis, acribuſque medicamentis in oculos immiſſis, vaſis ſcilicèt ruptis.

Prognoſis.

Omnes visûs læſiones in organo tàm nobili periculoſæ ſunt, & quò cauſa eſt validior, humor craſſior, & copioſior, obſtructio major, eò affeſtus eſt periculoſior. Visûs itáque debilitas ab ortu, vel temporis longitudine contracta incurabilis eſt. Qui videndi hebitudinem paulatim contrahunt, nunquàm curantur, undè visûs inbecillitas in ſenibus curationem non admittit. Visûs hebetudo genita poſt nimias evacuationes, vel morbos diuturnos, non, niſi reſtaurato corpore, corrigitur. Qui longinqua magis, quàm propinqua intuentur, faciliùs curantur, quia facilius eſt craſſos attanuare ſpiritus, quàm tenues, & ſubtiles ad mediocritatem reducere. Nyctalopia inveterata nunquàm curatur, cùm ob humoris plerùmque cryſtallini vitium ac-

decidat. Gutta ſerena poſt convulſiones ex contorto nervo optico contracta, niſi intra triduum viſio ſpontè redeat, ut quandoque contingere ſolet, deſperata res eſt. Si affectus hic capitis morbos, ut apoplexiam, epilepſiam, &c. comitetur, vel ſequatur, lethale ſignum eſt; ſignificat n. ſpirituum animalium ſtagnationem, vel abſumptionem (undè moribundi non vident), plerùmque ut incurabile malum curationem non ſuſcipit. Ex totali nervorum opticorum obſtructione, deſperata eſt cæcitas, & præcipuè ſi dicti nervi paralytizentur, vel vulnere abſcindantur. Si obſtructio ex compreſſione, vel adſtrictione extra nervos opticos cauſam habeat, faciliùs diſcuti poteſt. Tunica relaxata cæcitatem incurabilem inducit. Cæcitas ob fortem capitis plagam, aut caſum ab alto contracta difficiliùs curatur; ſi verò nervus opticus ſit læſus, omninò eſt incurabilis. Humor aqueus, ſi effundatur, ſpes adeſt, nàm circulatione reſtitui poteſt; cryſtallinus, & vitreus nulla reſtitutionis in integrum ſpes ſupereſt. Cæcitas tùm à nativitate, tum adventitia ſolius DEI potentiâ, vel Sanctorum miraculis curatur.

Curatio.

Ad curandam viſus imbecillitatem, & guttam ſerenam primùm ſcire neceſſe eſt, quo vitæ genere uti debeant ægri, quod totum ex ſex rebus nonnaturalibus petendum putamus; nàm ſicut præpoſterus ſex rerum non-naturalium uſus harum affectionem in cauſâ eſt, ità optimus earum uſus, ſi hæc mala non tollit, ſaltim ad meliorem redigit frugem.

Aer itàque ſit ſerenus, temperatus, & tanquillus, non craſſus, caliginoſus, frigidus, ac non nimiùm lucidus, & omni ſtudio fumus vitetur. Confert aſſiduè res virides, & cæruleas cernere, & ad hunc finem adhiberi poſſunt perſpecilla viridia, vel cærulea, vitetur rerum albarum aſpectus, quia viſum diſgregat.

Cibis parcè utantur ægri, qui optimi ſint ſucci, ac facilioris coctionis, & præcipuè has habere debent conditiones, ut attenuandi, exſiccandi, ac nullos flatus, nulloſque ſuccos craſſos generandi energia ſint prædıti. Eapropter panis optimè fermentatus, & fœniculo conditus multùm commendatur, & ſimiliter carnes fœniculo condiantur. Multa carniũ genera, quæ dicuntur à proprietate prodeſſe, laudantur, ut leporum, hircorum, columborum volare incipientium, hirudinum, paſſerculorum, omniumq; avium rapacium, ſed ad ſydera viperarum carnes commendamus. Vitentur cibi, qui ſuccum craſſum progignunt, ut ſunt caro leporina, bubula, ſuilla, capreolorum, &c. omnia alimenta frigida, & acida. Exulent prorsùs cibi ſaliti, acres, fumo indurati, ſale macerati, vaporoſi, braſſica capitata, & omnia legumina. Inter olera commendatur fœniculus, vel rapæ in jure carnium coctæ.

Potus aquæ non modò utilis, ſed etiam neceſſarius eſt; aquæ enim potatores, ſemper acutiùs vident, imò aqua oculos, & faciem lavare ad viſus claritatem confert. Vinum non conducit, quia quodcũque ſit, vapores in caput mittit, qui ſpiritibus commiſti, eos reddunt nebuloſos. Quòd ſi æger vino ſit aſſuetus, vel aquæ potum refugiat, bibat vinum, potens fugiatur; clarum, vetus, pauciferum, & maximè dilutum

aquâ ophthalmicâ, vel infuſione ligni ſaſſafras concedatur, vel euphraſiatum, ſed egregius potus eſt decoctum herbæ theæ. Vina recentia omninò vitentur, quia hæc maximè caput replent, & oculos, & hac de causâ autumnò fiunt ſomnia turbulenta, quia tunc vino uruntur novo.

Motus in his affectibus ſit moderatus, nàm ad multas ſuperfluitates diſcutiendas inſervit; nimius vitetur, nè, excalfacto corpore nimis quàm par eſt, ſpiritus diſſipentur, & oculi lædantur, craſſiori relictâ parte, nervi optici magis obſtruantur ad perpetuam noctem uſque, & æger ambulet in umbrâ mortis. Undè buccinatores, & cantores dùm inflant buccas, oculi, & ſpiritus maximè læduntur. Tunc æger fideli ductori, & cuſtodi committendus eſt, nè in perpetuis tenebris ambulaturus nullo modo ſuum corpus periculis exponat, ad aliquod offendat, vel præcipitem ſe adigat. Verùm in noſtrâ Civitate, ubi numeroſa cæcorum caterva exiſtit, divites, ut hos vitent ſcopulos, vel ſellâ geſtatoriâ, vel curru vehuntur, pauperes, vel alicujus pueri, vel aliûs inopis videntis adjumento, vel, quod mirum eſt, ſolius fuſtis duce totam percurrunt Civitatem, fides, tetrachordum, barbiton, citharam, vel duachordum, aliaq; inſtrumenta muſica pulſantes, & varias cantantes orationes, pſalmos, & *Dies illa*, victum quæritant, & inclinante die, ad proprias ſe conferũt ędes.

Quies maximè juvat, & æger in loco tenebroſo degat, clauſis, oculis quia maxima illuminatio nocet.

Somnus ſit moderatus in cubili temperato, decubitus fiat ad latus tantum, ſed præſtat decumbere elato capite, & in dorſo reſupinare.

Vigilia modum ſervet, quia producta ſpiritus animales abſumit, hinc lucubrationes, & ſcriptiones vitentur, nè oculi defatigentur.

Excreta, & *retenta* ſuo fungantur munere, ac proindè alvus ſuum quotidiè deponat onus. Menſes, & hęmorrhoides fluant dejectione; nàm ob ſuppreſſos menſes in fœminis, & in viris hæmorrhoides guttam hanc ſerenam multoties obſervare licuit.

Inter animi pathemata fugiatur mœror, excandeſcentia, diffidentia, deſperatio, lacrymarum profuſio, & quæcumque hos affectus deteriores reddere poſſunt. Laudantur gaudia, riſus, ſermocinationes rerum lætarum. Venus omninò vitetur, ſed quandóque moderatiſſima, & rariſſima forſan juvat, quia corpus multis exonerat excrementis, & vegetum reddit.

Inſtitutâ victûs ratione, ad medendi rationem, & pharmaciam gradum facimus, in quâ magna ſolertia adhibenda eſt, quia morbus fit vel ab humoribus, vel à ſpiritibus, vel nervis lęſis; patiuntur partes contentę, impetum facientes, & continentes; in quibus totus curandi cardo verſatur. Divertendi ſunt primò humores in oculos fluentes, quia morbus factus curari nequit, niſi fomes ab ipſo auferatur, caput deindè purgandum, & corpus, ac poſtremò oculi corrobandi, ut *ſcribit Galenus* 3. *de ratione medendi*: *Oculorum non poſſe unquã inſtitui rectam curationem, niſi priùs, & corpus, & caput optimè mundentur.*

* Si viſûs debilitas à ſpirituum pauperie geneſim ducat, talis defectus reparandus, & ſpiritus appropriatis medicamentis roborandi ſunt:

Ve-

Verùm purgantia quantumvis leniora, & venæ ventilatio proſcribantur, nàm viſûs imbecillitatem augent, & guttam ſerenam accelerare poſſunt, exhauriendo ſpiritus. Inter appropriata primum tenet *Valeriana hortenſis*, nunquàm ſatis decantanda, ſi pulvis radicis internè quotidiè uſurpetur, nàm ſenum viſum mirificè reſtituit, & imbecillitatem abigit, ſed hanc viſionis debilitatem ejus eſſentia chymicè extracta miraculi inſtar reparat, ac proindè jure merito valerianæ radix oculorum ſolatium vocatur, quam feles tantoperè amant, & ubi eam advertunt, crebrò ſe ſuper eam volutant; hæc enim radix oculis ferè ad miraculum tàm in hominibus, quàm in brutis conducit, ac proptereà ejus uſus tàm internus, quàm externus ſemper ſalutaris eſt, imò hujus amuletum ad collum ſuſpenſum mirificum eſt ad viſum clarificandum. Tanta eſt hujus valerianæ uſus in oculorum affectibus pro interno uſu, ut etiam externè egregia ſit, ſi ejus aqua in collyrijs, vel lotionibus adhibeatur, non tantùm viſûs debilitatem, ſed etiam ophthalmiam, nebulas, maculas, & oculorum albugines aufert.

Secundum tenet locum *Euphraſia* dextrè præparata. Præſtat *vinum euphraſiatum* pro corroborandâ viſûs debilitate, quod fit, ſi recens muſtum ſuperaffundatur herbæ, quo facto per fermentationem imprægnatur vinum euphraſiæ viribus, cujus vini uſum ſenum oculi rejicere neſciunt, dùm quodcumque viſûs impedimentum potenter removet. Huic ſubſtituitur per ſe vinum, quod ſuper flores infunditur: ſed longè præſtat *quinta ejus eſſentia* chymicè extracta à guttis ij. ad v. Similiter ejus *ſal volatile* mirificè viſum roborat. Itèm ejuſdem euphraſiæ *ſal fixum* ad ſummam puritatem redactum pro ſale menſario adhibitum mira præſtat.

Prætereà ſemper cephalica, & ophthalmica intermiſcenda ſunt, quæ maximè ſpiritus roborant, & viſum clarificant, ità ſunt *ſalia volatilia valerianæ, euphraſiæ, chelidoniæ, ſuccini; ſpiritus c. c. armoniaci*, *eſſentia roris marini, ſampſuci, euphraſiæ, fœniculi, betonicæ, &c.* in vehiculis appropriatis, vel *conſervâ flor. anthos*, *vel aliquo electuario optico. Electuarium Hadriani à Minſicht* optimum remedium eſt ad viſûs imbecillitatem reſtaurandam undequáque provenientem, ut

℞. *Elect. optici à Mynſicht* ℔ß.
eſſent. valerianæ ℥ij. *m.*

Doſis continuè manè jejuno ſtomacho, & veſperi eundo cubitum, quantitas caſtaneæ, quia ſic utentes claro, & libero viſu ſine ocularijs parvas etiam literas ad vitæ uſque finem perfectè legere poſſunt.

Sequens *electuarium* viſum corroboraturum ad ſidera extollitur, ut

℞. *Flor. anthos,*
ſalviæ,
euphraſiæ ana ℥vj.
radic. valerianæ,
chelidoniæ ana ℥ß.
ſemin. fœniculi,
ſileris montani ana ℥iv.
ſemin. aniſorum,
petroſelini,
baccar. juniperi ana ℥j.
corticis ſaſſafras ℥ij.

Omnia pulveriſentur, & cum ſ. q. mellis excipiantur, & f. electuarium,

de:

de quo nucis juglandis quantitas horâ ſomni, & duabus horis à paſtu cum ſuperbibitione ſequentis aquæ, quam efficaciſſimam, & omne laude dignam in viſûs imbecillitate roborandâ obſervavimus, ut

℞. *Fol. valerianæ*,
euphraſiæ,
fœniculi,
chelidonij ana m. j.
ſalviæ,
flor. anthos,
roſar. ana p. j.
baccar. juniperi ℥j.
caſſiæ ligneæ ℥ß.
ligni aloës ʒß.
ſemin. fœniculi ʒij.
ſileris montani ʒj.
rutæ ʒß.

Infunde cum vini malvatici lib. vj. per quindenam, poſteà deſtillentur. Doſis cochlear. ß. vel j. mane jejuno ſtomacho cum altero cochleari ſyr. fœniculorum mirificè viſum corroborat.

Verùm quia viſûs imbecillitas oritur à ſpirituum ſubtilitate, & paucitate, convenit potiùs victus is, quem aliàs demonſtravimus, modo has habeat conditiones, ut humectet, & probum gignat ſuccum, quia medici ſcopus eſt, ut ſpiritus generentur optimi, & moderati, qui nullo modo meliùs haberi poſſunt, quàm per optima alimenta.

Ad ſpiritus animalés craſſos attenuandos, ſubtiliandos, & tenuiores reddendos etiam ſupradicta conducunt medicamenta: ſed pro vaporibus craſſis ſpiritus obtenebrantibus proficua ſunt, quæ humores viſcidos, & craſſos obfuſcantes attenuant, diſcutiunt, & ſpiritus clarificant, nec id quandóque conſequi valemus, niſi priùs impuritates ſpiritus obtenebrantes eliminemus, ad quem finem maximoperè purgantia præcedere debent, ut *pilulæ aloephanginæ, de ſuccino, ſine quibus, arabicæ, aureæ, vel lucis majores cum eſſentiâ valerianæ, vel oleo fœniculi ſtillatitio.* Deindè conveniunt ſalia volatilia, ut *viperarum, euphraſiæ*, & volatilia aromatica ſupra jàm cognita, *vinum euphraſiatum, conſerva flor. anthos, euphraſiæ, &c.* Ad ſpiritus craſſiores ſubtiliandos, & promptiùs nervos opticos pervadendos, & ſua munia alacriter peragenda *ſequens liquor deſtillatus optimus* cenſetur, ut

℞. *Herbar. betonicæ*,
euphraſiæ,
rutæ,
ſampſuci
meliſſæ ana m. j.
radic. valerianæ,
irid. florent.
enulæ,
fœniculi ana ℥ß.
flor. ſalviæ,
anthos ana p. ij.
ſemin. fœniculi,
rutæ ana ʒiij.
ſileris montani,
ſaſſifragiæ albæ ana ʒij.
nuc. moſchat. ʒjß.
cubebarum,
macis ana ʒj.

Inciſa, & contuſa affunde vini albi ℔. iv. *ſtent per duos, vel tres dies in infuſione, poſtmodùm deſtilla, & liquorem ad uſum ſerva.* Doſis cochlear j. aut ij. in quo ſequens pulvis felici cum ſucceſſu capi poteſt, ut

℞. *Carnium viperar.* ʒvj.
ſpec. dianthos ʒj.

herbæ

herba euphraſiæ ℥iij.
flor. ſalviæ ℥j.
ſemin. fœniculi ℥ij.
m. f. pulvis ſubtiliſſimus, & adde
ſacchari ad pondus omnium.
Doſis ℨj. *ſumatur manè jejuno ſtomacho, & veſperi horâ ſomni.*

Egregium eſt *ſequens electuarium,* quod ſemper in omnibus oculorum affectibus expertum eſt velut manus Domini, ut

℞. *Euphraſiæ* ℥iv.
ſileris montani,
ſemin. fœniculi ana ℥ij.
ſemin. aniſorum,
carvi,
cubebar. ana ℥ß.
chelidoniæ,
pulegij,
hyſſopi,
flor. roris marini an. ℨvj.
baccar. juniperi,
ſaxifragiæ albæ ana ℨiv.
cortic. aurant. mundat. à pulpâ albâ exſiccat.
galangæ,
cinnamoni ana ℨjß.
caryophyllor. ℨj.
mellis anthoſati,
menthæ ana ℔jß.

Contundenda contundantur, & pulveriſanda pulveriſentur, & miſceantur, ut ſ. art. f. electuarium. Efficaciſſimum eſt hoc electuarium ad corroborandum, & clarificandum viſum, inſuper lacrymationes, & ophthalmias inhibet, obſcuritatem, & ſuffuſionem abigit, & tandèm nervorum opticorum obſtructionem reſerat, & à guttâ ſerenâ liberat. Ad ultimum vitæ periodum viſum conſervat abſque perſpicillorum ope, & omnes oculorum affectiones impedit. Doſis ad magnitudinem nucis juglandis, & ad abſolutionis beneficium ejus uſus familiariter frequentari debet.

Externè in viſûs offuſcatione ſequens *aqua ophthalmica* mirabiliter commendant, quæ vix ab ullâ aliâ ſuperari poterit; multi enim eâ per aliquod temporis ſpatium uſi tantam viſûs acutiem ſibi comparârunt, ut ſpecilla ocularia jàm dudùm in auxilium advocata, rurſùs abjecerint, cùm anteà abſque ejuſmodi conſpicillis nec legere, nec ſcribere potuerint, paratur verò in hunc modum:

℞. *Tutiæ præparat.* ℨij.
vitriol. alb. ℨijß.
lapid. calamin. præparati,
ſalis communis ana ℨj.

His ſubtiliſſimè pulveriſatis affundè in novâ ollulâ aquæ fæniculi, & chelidoniæ ana cyathum, bulliant invicem ſuper prunis tantillo temporis ſpatio, tùm mox refrigeſcant, atque aquam à relicto pulvere per filtrum ſepara, cujus una, vel altera gutta infirmis oculis manè, meridiè, & ſub noctem inſtillata omnem dolorem, & ruborem ex ipſis brevi abigit, ac viſum mirè clarificat.

Pro guttæ ſerenæ curatione à nervorum opticorum obſtructione oriundæ in principio cùm malum advertitur, eadem medicamenta, quæ in viſûs debilitate deſcripſimus, in uſum vocamus: verùm primò totum corpus univerſali evacuatione deplendum eſt pilulis ſuprà notatis, nec ſemel purgandum eſt, ſed reiteranda eſt purgatio, nàm nunquàm primâ vi-

D. Car. Muſitan. Trutina Medica. Oo ce

ce caput à recrementis benè purgari poteſt. Poſt ſufficientem purgationem diæta ſudorifera inſtituenda eſt *decocto ligni guajaci*, *ſaſſafras*, *radic. ſalſæ parillæ, capite de ſuffuſione deſcripto*, cui circa illius finem ea, quæ oculos ſpecificè reſpiciunt, ut *valeriana*, *chelidonium majus*, *euphraſia*, *fæniculum &c.* adduntur. Hæc decocta ad dies 20. vel 30. ſumi debent, & quinto quoque die præberi debent *pilulæ cephalicæ Ferneli*; *vel lucis majores, prætermiſſo decocto.* In toto curationis decurſu ſemper excrementa congeruntur indies, ac proindè interpolatis purgationib. ex pilulis educenda ſunt, quæ humorem craſſum obſtruentem, ſive comprimentem attenuant, reſolvunt, & meatus opticos aperiunt. Ad ſidera extolluntur *jura viperæ conſumpta*, *vel ejus carnis eſus*, per aliquod tempus continuatus, vel caro in pulverem redacta, necnon ipſum *ejus ſal volatile cum appropriatis ophthalmicis*, *vel cum ſyr. fæniculorum.*

Interim non deſint collyria, quæ in ſuffuſione deſcripſimus, ac præ omnibus, quæ volatilitate, vi penetrativâ, & ſale volatili ſunt prædita, in quibus excellunt in ſpecie *fella animalium*, quia hæc humorum craſſitiem attenuant, & reſolvunt, inter quæ *fel lucij piſcis*, eſt præſtantiſſimum, ut

℞. *Aquæ leucoij bulboſi* ℥ ij.
fellis lucij piſcis ʒ j.
m. optimè.

Stent in loco calido per noctem, manè filtrentur. Quidam animalium fella deſtillant, & aquam deſtillatam recipiunt, & parum camphoræ addunt, & utuntur. Verùm hæc topica fruſtrà oculis admoventur, eſtò ab authoribus proponi conſueverunt, nullius tamen efficaciæ ea cenſemus, quia eorum vis non actuatur à calore, & locus affectus eſt valdè intimus, & profundus, ut propterea medicamentorum vires ad nervos opticos pervenire non facilè ſit: Attamen hæc medicamenta exteriora non inutilia ſunt, ex oculorum ſaltem angulis volatilitate ſuâ penetrare, & per vaſorum communicationem eò pervenire poſſe arbitramur. Præterea collyriis humores rectificari, viſum mirè clarificare, & ad ſenium uſque perdurare obſervamus. Inſuper ſæpè collyria oculis adhibita ità palati ſapores commutare compertum eſt, ut rationi videatur conſonum medicamenta exteriora penetrare.

Si gutta ſerena ex incipienti fuerit confirmata, & in omnimodam tranſierit cæcitatem, his & aliis medicamentis nullam penitùs curationem admittit, & hujuſmodi cæcos in perpetuis tenebris, & umbrâ mortis ſedere, ac aliorum tutelæ, vel ſcipioni commendandos eſſe oportet. Unum tamen, & ultimum ſupereſt remedium, in quo tota viſum recuperandi ſpes verſatur, verùm hujuſmodi cæcum in floridâ ætate, ac ſolidæ conſtitutionis eſſe neceſſe eſt, non verò in occiduâ ætate conſtitutum, ut tantam medicamenti inſolentiam tolerare poſſit: hoc eſt hydrargiri ſuffimugium, vel inunctio, hæc námque mercurij ope totum pervadit corpus, totaſque minimas penetrat partes, & phtialiſmo, vel ſudore, vel diarrhœâ, vel per urinæ vias omnem viſcidorum humorum congeriem incidit, attenuat, & è corpore eliminat; ac ipſos nervos opticos ab omni infarctu, & obſtructione eripit. Vanidà

in

in hoc affectu vulgarium medicamenta putamus, ut ſunt ſanguinis miſſio, cucurbitulæ ſcapulis, & dorſo, ac præſertim cucurbitula cum ſcarificatione occipitio admota, veſicatorium poſteriori cervicis parti, cauſticum occipiti, ſetaceum, cauſticum potentiale ſuturæ coronali admotum, vel tandem, his omnibus fruſtra tentatis, veſicatorium toti capiti abraſo cucuphæ inſtar admotum.

Cæcitas ex humorum defectu, ſi fiat ex humore aqueo, facilè reparabilis eſto, ut *cap. de vulneribus oculorum* dicemus, ex ſolâ uſurpatâ diętâ benè nutriente, & ſuccolentâ, naturâ adjuvante; de vitreo, & cryſtallino non idem ſentimus. Craſſitiem, & turbulentiam humoris aquei collyrijs attenuantibus, & reſolventibus corrigibilem non ſemel obſervavimus.

Alij oculorum morbi, ut albügo, phlyctenæ, puſtulæ, ulcuſcula, epiphora, pannus, ungula, pterygium, unguis &c. infrà deſcriptis ophthalmicis curantur remediis, & præter hæc *aquam noſtram ophthalmicam pretioſiſſimam in Mantiſſâ deſcriptam* extollimus pro omnium oculorum medelâ, ad quam tanquàm ad ſacram anchoram confugiendum putamus, quam huc referre lube.

℞. *Herbar. recent. rutæ,*
euphraſiæ,
fœniculi,
chelidonij major. ℔ij.
flor. recent. roſ. albar. ℔j.
cichor. ℔ß.

Subtiliter inciſa, & contuſa ſtent in loco calido per 4. dies, deindè deſtilla in M. B. ad ſiccitatem, coboba ter, & aquæ ſtillatitiæ inde
lapid. hæmatit. præparat. ℥ij.
ſalis Saturni ʒj.
auri ſtridentis ʒß.
croci metallor. ℥iij.
tutiæ præparat. ʒijß.

Vas vitreum ſigilla, & per 15. dies ſtet in loco calido, deindè aperi, & per chartam emporeticam filtra, & tinctum liquorem in vaſe optime clauſo aſſerva.

Pretioſiſſima reverà eſt hæc aqu in omnibus oculorũ affectibus: ophthalmiam & ſugillationem reſolvit, vehementiſſimos dolores lenit, pterygia, & pannos incipientes diſcutit, nebulam, & albuginem tollit, lippitudines, & lacrymationes ſiſtit, fiſtulas, & puſtulas ſanat, ſuffuſionem, & cataractam incipientem avertit, guttam ſerenam, & cæcitatem evitat, viſcoſos, & excrementitios eorum humores diſſipat, tunicas roborat, visûs debilitatem corroborat, eumque clarificat, & tandém conſpicilla proſcribit. Doſis gütta una, vel altera in malè affectos oculos ter in die, manè, meridiè, & veſperi inſtillatur, ad viſum verò conſervandum, & clarificandum ſemel in aurorâ laventur.

De Affectibus Aurium.

CAPUT XXII.

De Aurium Inflammatione.

Ab oculis ad Auditûs organum, tanquàm partem ipſi proximiorem deſcendimus, & juxta noſtram methodum de omnibus aurium morbis in Galeniſtarum gratiam agimus, qui ſurdaſtri, ut erat *Marcus Craſſus*, veram non hauriunt ſapientiam, & quod pejus malè audiunt, &

niſi reſipiſcant, muti evadunt. Hinc

Aures inflammationem, & ſuppurationem patiuntur, non minùs, ac aliæ noſtri corporis partes, licèt auris ſtructura, præcipuè ex oſſibus conſtet; habet tamen membranas, per quas exiles venæ, & arteriæ diſſeminantur, quæ à venis arterijſque membranarum cerebri ortum ducunt.

Aurium inflammatio interiores auris partes occupare ſolet, ſcilicèt vel eas, quæ auditorijs inſtrumenti compoſitionem ingrediuntur, vel vicinas, quæ etiam inſtrumentales partes afficiunt, & exteriores ſaltèm apprehendunt, vel intimiores ad nervum uſque auditorium, quas differentias ſollicitè noſcere oportet, tùm ratione curationis tum periculi magnitudine.

Signa.

Auris inflammatio cognoſcitur ex eo, quod patiens in aure affectâ continuò vehementiſſimum dolorem pulſatilem percipit cum gravamine, & tenſione; cum calore, & rubore, qui plerúmque ad malas, & tempora ſe extendit; cum febri, & forti arteriarum pulſatione, tùm exactè in aurem introſpicienti interna pars ad lumen tumere, & rubere videtur, niſi inflammatio ſit nimis profunda, & abdita: tunc caput univerſum eſt ſimul calidum, & inflammatum, undè deliria, motus convulſivi, ſyncopes, extremorum frigiditates ſuccedunt, idque eò magis, ſi inflammatio ad interiora vergat; quantò n. ea intimior eſt, tantò intenſior fit febris, pulſatio major percipitur, quia arteriæ majores comprimuntur, dolor acerbior, & periculum majus.

Cauſa.

Pro aurium inflammatione aſſignant vulgares ſanguinem bilioſum, & tenuem à vaſis ſuis apertis, vel ruptis, in ipſa auris membranas effuſum, qui copiâ ſuâ tumorem, & tenſione dolorem, & calorem excitat. Verùm noſtra ſententia eſt, quòd aurium inflammatio fit à ſanguine in earum venulis, & arteriolis concreſcente; concretionis verò cauſæ ſunt fervor, copia, nimia corporis incaleſcentia à Sole, vel exercitijs, iracundia, ſubitanea permutatio ambiennis aëris in frigus, vel vice versâ, & his pares, quæ ſanguinem extra arteriolarum, & venularum poros exprimunt, ibi concreſcentem.

Prognoſis.

Aurium inflammatio periculoſa eſt, & in primis in juvenibus, & ubi inflammatio profundiùs hæret, & nervum auditorium apprehendit, utplurimùm mortem minatur, antequàm ſuppuratio accidat, nervus enim internam auris ſuperficiem attingens acutâ ſenſilitate præditus, vehementem doloris perceptionem efficit, & cerebrum in conſenſum rapit. Unde ægri in delirium, & convulſionem incidunt, & in mortis diſcrimen, vel nonnunquàm ſubitò, tanquàm attoniti moriuntur. Si verò dolor, & febris diutiùs protrahantur, & ægri ſeptimum ſuperent diem, evadunt, materiâ in pus conversâ, quod fa-

facile cognoſci poteſt ex doloris, & febris remiſſione, ut *ſect.* 2. *aph.* 43. *Dum pus conficitur, dolores, & febres accidunt magis, quàm jam confecto.* Attamen ſi pus bonum effluxerit, & poſtmodùm æger meliùs ſe habeat, magna ſanationis ſpes eſt, verùm poſt ſanationem ferè ſemper auditus gravitatem relinquit. Senes in aurium inflammatione minùs periclitantur, quàm juvenes.

Veterum Curatio.

Aurium inflammationem curant vulgares ijſdem medicamentis, quibus aliarum partium corporis inflammationes; primò itaque præmittunt refrigerantem, & emollientem clyſterem, poſt expulſas à clyſtere fœces, horâ unâ, atque alterâ, ſanguinem detrahunt, & quidèm à venâ cephalicâ, & ſi inflammatio ſit major, phlebotomiam liberaliter repetunt. Hac ſanguinis detractione non poſſunt affluxum, concretumque ſanguinem detrahere, licèt totum depleant: igitur affluxurum detrahunt, ac proindè ad poſterius reſpiciunt, præcautionis potiùs, quàm curationis gratiâ, & inflammationem in radice non attingunt. Per ſanguinis depletionem corpus refrigeratur, & mala majora ſequuntur, ſcilicet vel reſolutionem prohibent, vel ſuppurationem in longum protrahunt tempus. Ad revellendum ſanguinem ad aurem fluentem, alia adhibent revellentia, ſcilicet cucurbitulas, frictiones, ligaturas, & clyſteres, ſi opus ſit, repetunt, quaſi ani ſtercus aurium inflammationem efficeret. A venæ ſectione, uno atque altero die intermiſſo, bilem educunt medicamento cholagogo.

Deinde, ſi ingens ſit dolor, repellentia uſurpant, & in aurem inſtillant, ut

℞. *Ol. roſ. vel*
Viol. ℥. iij.
Acet. roſ. ʒ. vj.
Nitri ℈. j. m.

Verùm repellentia hîc locum habere nequeunt; inflammatio enim repellitur in cerebrum, ejuſque membranas, undè delirium, & alia majora mala gignere poſſunt. Vel refrigerantia adhibent ex butyro recenti, lacte, & foliis herbarum frigidarum, quia inflammationis curationem eſſe inflammatæ partis refrigerationem exiſtimant. Sed in magno verſantur errore, quia licèt inflammationem copioſiùs refrigerent, tumorem non tollent, ſed lividam, frigidamque partem reddent, & lenem inflammationem plerúmque in magnos, lethaleſque morbos degenerare faciunt: igitur calefacientibus diſcutiendum eſt.

Victum præſcribunt tenuem, refrigerantem, & humectantem cum abſtinentiâ à durioribus, pro potu hordei aquam, interdicto vino, alijſque calidis.

Interim cataplaſma conficiunt, quod inflammationem reſolvere, & dolorem lenire poſſit, ut

℞. *Lenticulæ paluſtris m.* ij.
Medull. panis in lact. muliebri infus. ℥. iv.

Contunde, & fiat cataplaſma, quod auri applicetur.

Vel

℞ *Fol. alth.*
Malvæ,
Lactucæ,
Salicis ana m. j.
Flor. roſ. rubr.
Meliloti,
Chamomill. ana p. j.
Sem. cydon.
Malv. ana ℥. iij.

Coque, & decocto foveantur aures,

Vel.

℞. *Ol. roſ.*
Nymph. ana ℥. ß.
Succ. papav. ʒ. vj.
Mucilag. ſem. pſyll.
Cydon. ana ℥. iij.
Lactis muliebris ℥. j. m.

Et auri applica, vel inſtilla,

Si inflammatio nullatenùs reſolvi poſſit, ſed ad ſuppurationem vergat, quod ex interiori febre, dolore, & pulſatione cognoſcitur, eam maturantibus adjuvant, quæ ſunt *radices liliorum albor. alth. flores chamomill. meliloti, ficus, farina tritici, fœnugræci, eorundem mucilagines, animalium pinguedines, ut gallinæ, porci, butyrum, ol. amygd. d. lilior. chamomill. ſeſaminum, crocus &c.*

Maturato abſceſſu, ejus ruptionem expectant, ad cujus accelerationem *ſuccum cyclaminis cum quadruplo lactis muliebris* in aurem inſtillant. Quo rupto, ſaniem abſtergunt *melle roſ. vel ſyr. roſ. ſucco abſynthii, centaurii minoris cum melle, decocto lupinorum &c.*

Noſtra Curatio.

Aurium inflammationem nos curamus, nullam phlebotomiam celebrando, quod tamen ſæpè magni nominis medici, & chirurgorum vulgus facere ſolent, non ſine ægri periculo, & torturâ; eſt námque perniciosa, tùm ratione circuitûs ſanguinis, tùm etiam quia reſolutionem inhibet, vel ſuppurationem in longum protrahit.

Purgans medicamentum omninò inutile exiſtimamus, cùm eam in deterius mutare ſoleat. Ea medicamenta conveniunt, quæ ſanguinem concretum, vel evaſatum fluxilem reddunt, & diſcutiunt per inſenſilem evaporationem, cujuſmodi ſunt *ſanguis hirci, & ſtibium diaphoreticum* quotidiè bis aſſumptum ad ana ℈. j. Itèm omnia ſalia volatilia ex cephalicis, & diaphoretica alibi commemorata. Verùm antimonium diaphoreticum tantummodò omnem abſceſſum interiorem, ubicumque ſitus eſt, efficaciſſimè reſolvit. Vel his duobus remedijs ritè adhibitis, omnis inflammatio reſolvitur, nec in ſuppurationem abit.

Si dolor ſit mitior, topica anodyna conveniunt, quæ leniunt, & nonnihil relaxant, quorum formulas *De Aurium dolore* deſcribimus.

Interim quoque dolentem locum fotibus lenientibus, & diſcutientibus fovemus, ut

℞. *Comar. malvæ,*
Althææ,
Lactucæ,
Salicis,
Violar ana m. j.
Flor. ſambuci,
Chamæmel.

Me-

Meliloti.
Roſ. rubr. ana p. j.
Sem. malvæ,
Cydon. ana ʒ. j.
Coquantur in aquæ lib. iij. In decocto madefiat ſpongia, expreſsâque tepente locus foveatur, hiſce continuatis aliquantiſper, adhuc magis digerentia addi poſſunt, uti ſunt *ſemina lini, & fœnugræci,* quibus ſæpiùs adhibitis, materia omninò reſolvitur.

Si verò dolor vehementiſſimus ſit, pro ipſo obtundendo, conciliandoque ſomno convenit *emulſio ſomnifera* in noſtrâ *Trutinâ lib. tertio, capite ſexto,* deſcripta, Vel ad narcotica confugiendum eſt, tùm interna, ut eſt *Laudanum Opiatum*, tùm externa, vel in formâ fotûs, vel vapore tenus, quæ in aurium dolore diſcripſimus.

Accidit quandóque inflammationem omnia diſcutientia, & reſolventia eludere, & in ſuppurationem ruere, cujus rei febris, & dolor intenſior, fortiſque pulſatio nos certiores facit; tunc maturantia, & ſuppurantia adhibere debemus, ut

℞. *Radic. alth.*
Arundinum,
Lilior, albor. contuſ. ana ℥. ſ.
Fol. malv.
Alth.
Viol. ana m. j.
Flor. chamæmel.
Melilots ana p. j.
Lilior. albor. p. j ſ.
Decoquantur in ſuff. aquæ quantitate ad mollitiem & tum contuſa per cribrum tranſmittantur, & adde
Farinæ ſem. fœnugræci,
Lini ana ℥. j.
Axung. porcin.
Capi ana ℥. j.
Butyr. majalis ℥. ſ.
Ol. amydal. d. q. ſ.
F. ſ. a cataplaſma
Tepide imponendum, & renovandum, donec abſceſſus rumpatur.
Vel ſequens conveniet cataplaſma:

℞. *Capam num.* j.
Butyr. recent. ℥. ij.
Ol. chamomill.
Roſ. ana ℥. j.
Croci ʒ. ſ. *m.*
F. cataplaſma auri imponendum.

Ruptus abſceſſus abſtergentibus repurgetur crebiùs inſtillatis, cujuſmodi ſunt *mel roſatum tepidum cum balſamo proprietatis admiſtum, vel tinctura aloës, vel myrrha cum ſpiritu vini parata* ad guttulas aliquot immiſſa, vel *balſamus ſulphuris terebinthinatus, vel balſamus artificialis*, vel ea adhibeantur, quæ *Libro* 3. *De Ulcere aurium cap.* 25. tradidimus.

CAPUT XXIII.

De Aurium Dolore.

GRaviſſimum, & periculoſum malum eſt *otalgia*, ſive aurium dolor, qui niſi ſtatim ſedetur, graviora excitabit ſymptomata, & ægrum extinguet. Aurium dolor eſt affectus oculorum dolore gravior, quia oculorum dolor in oculis tantum perſiſtit, aurium verò facilè cerebro impertitur, undè inſomnia, deliria, convulſiones, ſyncopes, apoplexiæ, & tandem mors.

Quin-

Quinque ſunt dolorum ſpecies, & partim ex partis affectæ naturâ, & partim à cauſis deſumuntur: Gravis, tenſivus, ſtimulans, punctorius, & pulſatilis. Omnes hæ ſpecies, & qualeſcumque adhuc inveniri poſſent, ferè ſimul in atroci aurium dolore concurrere, itâ ut ſimul, & ſemel dolor atrociter gravans, pungens, lancinans, ſtimulans, & pulſans excruciet, & id tam exceſſiva acerbitate, ut ſæpè æger in magno vitę diſcrimine verſetur, ut *Hip. in præſag.* innuit; *Auris dolor, cum febre non intermittente, vehementique, grave periculum minatur, nàm & mentem turbat, & hominem rapit.*

Signa.

Ad aurium dolorem cognoſcendum non opus eſt ſignis, cum ex ægri relatione pateſcant; cauſarum verò ſigna, quæ varia eſſe ſolent, tantùm recenſere oportet. Primò itaq; diligenter inquirere debemus, an aliquid quod doloré efficit, deforis auri immiſſum ſit, quod ex ægri relatione, auri inſpectione, & exploratione patet, an auri vulnus inflictum ſit, vel alia illi violentia illata ſit, & id quoque ex ægri relatione manifeſtum eſſe poteſt. Si occaſionalis cauſa fuerit aër frigidior, vel Boreæ flatus, tùm etiam ex ægri confeſſione pateſcit. Si oriatur à ſpiritu flatulento, dolor eſt vehemens cum tinnitu & ſtrepitu manifeſto apud ægrotum, & dolor non eſt aſſiduus, ſed per intervalla recurrit. Verùm frequentiſſima doloris cauſa eſt inflammatio, cujus ſigna *De Aurium inflammatione*, propoſuimus. Si ex vulvere, fit retentâ ſanie. Si ex nervi auditorij vitio, læditur auditus.

Veterum Cauſa.

Galeni ſectatores doloris aurium cauſam continui ſolutioni refundunt, ut ſunt ſanies, ſordes, vermes, externa illapſa, ut capilli, oſſicula, itèm medicamenta incongrua, ſonitus, vel ſtrepitus vehemens, & horribilis, tonitru, tormenti bellici exploſio, & id genus alia, quę continui ſolutionem inferūt, & triſtem ſenſationem. Vel calidam vel frigidam cauſant intemperiem, ut eſt magnus caloris, frigoris, ventorum pluviarum &c. appulſus, qui naturalé aurium unitatem ſolvere poſſunt. Verùm hę cauſę tantùm remotę, & occaſionales eſſe poſſunt, non verò proximæ, & immediatę, ut fuſiùs exploſimus de capitis dolore.

Noſtra Cauſa.

Vera aurium doloris cauſa oritur à particulis ſulphureis, acidis, ſalinis, vel à quopiam alio id genus internas aurium fibras nervoſas, membranoſas, & muſculoſas, diſtendente, divellente, contrahente, vellicante, vel aliâ materiâ peregrinâ, quę fibroſas aurium partes divellit, ſpaſmoſque dolorificos in iiſdem excitant; internę námque aurium partes exquiſito gaudent ſenſu.

Quandoque partes externę dolore tentantur, verùm cum dolor hic non ſit magnus, de eo non agimus, ſed de eo qui internum meatum, membranulas, & nervum auditorium obſidet.

Prognoſis.

Vehemens aurium dolor in juvenibus valdè periculoſus eſt; ſeptimo námque die, vel citiùs moriuntur, quia facilè cerebrum in conſenſum rapit, & graviſſima excitat ſymptomata, internum ſcil. eryſipelas, febrem acutam, inſom-

ſomnia, delirium, convulſionem, lipothymiam, & mortem. Senes autem in vehementibus auriùm doloribus minùs periclitantur, quia frigidum habēt corpus, ideóque vehementi inflammatione, febribus acutis, & deliriis non ità facilè corripiuntur: ſenſus etiam tactus in ſenibus eſt obtuſior, ideò diutiùs illos ferunt dolores, unde apud illos faciliùs materia aurium dolorē efficiens, in ſuppurationem abit. Recidivę tamen periculum ſubeunt ſenes, cùm materia dolorem excitans non benè concoqui poſſit ob frigidam conſtitutionē. Si vehemens ſit aurium dolor, & in penetralibus hæreat, mortem portendit, ſignificat enim auditorium nervum affectum. Aut ſi morbus curetur, auditûs gravitatem, vel ſurditatem relinquit.

Veterum Curatio.

Galeni procuratores auriùm dolorem curant, auferendo cauſas, à quibus dolor ipſe fovetur, quod ſi virium reſolutio immineat propter doloris vehementiam, & tempus non ſuppetit pro ſedantium exhibitione, extemplò humorum colluvie corpus deplent, præmiſſis internis, deindè externis frictionibus, cucurbitulis, ſcarificationibus, & enematum injectionibus. Pro frigida intemperie in aures inſtillant *oleum amygdalar. amararum, aneth. chamomel. croci.* Vel *decocti caryophyllor. aromaticor in vino rubro gutta duæ, vel tres* tripidè in aurē inſtillant, deindè caryophyllo cocto aurem obturant. Vel *cepa excavata in medio indunt parum euphorbij, & oleum commune, illumque ſuper prunis ponunt ad oleì ebullitionem,* quod repidè in aurem inſtillant. Vel in uno, aut pluribus ex prædictis oleis coquere ſolent *ſampſucum, ſtæcad. rorem marinum. Lavendulam, caſtoreum, crocum &c.* & in aurem inſtillant. Vel fotum ex quatuor anodynis applicant.

In calidâ intemperie affectæ partis venam ſecant, ſolutâ priùs alvo clyſteribus, *lac tepidum* dolenti immittunt auri, cui quandóque *ovi vitellum* immiſcent. Vel *oleum amygdal. dulc. aut roſaceum* guttatim inſtillant. Vel *decocto malv. alth. viol. hord. fœnugræc.* Vel *cataplaſmate de micâ panis* locum fovent.

Si auris dolor ex flatibus excitetur, illum diſcutientibus, & carminantibus ſedant, fomento ſcilicet *furfuris, milii, ſalis, aniſi, vel ſacculo flor. chamom. nuc. moſch. caryophyll. macis repleto,* & impoſito, vel auri immittunt *Zibethum, moſchum, crocum, caſtoreum &c.*

Si dolor ità perſeveret, ut vires proſternantur, ad narcotica confugiunt pro partis ſenſûs hebetatione, ad quem finem *Philon. Romanum, ſuccum mandragoræ cum caſtoreo, theriacâ, Mithridatio, & opio* uſurpant.

Dolor ſi gravior, & diuturnior fuerit, veſicatorium in nucâ applicant, cui ſi reluctetur, Setaceum inter ſecundā, & tertiam vertebrā excitant, vel tandèm fonticulos aperiunt, & demittunt.

Noſtra Curatio.

Aurium dolor tripliciter aufertur, primò iis, quæ doloris cauſam tollunt; Secundò anodynis, quæ doloris cauſam conſopiunt, æquabilem reddunt, & leniter rarefaciunt; tertiò Narcoticis, quæ dolorem ſedare, & pacare valent, & id non per moleſtantis cauſæ ablationem, ſed quia doloris ſenſatio-

nem obſtupefaciunt, ſoporem inducendo, à quo ferè omnia mala ſedantur. Dolor vehementiſſimus narcoticum, & mitior anodynum indicat.

Undè ſi à rebus extraneis intra aurem immiſſis pendeat tollendę ſunt. Itaque ſi ſint vermes in aure geniti, vel foris ingreſſi, ad hos enecandos, & extrahēdos magnoperè valet *oleum philoſophorum* guttatim inſtillatum, vel *unguentum ex capi axungiâ, & oleo coryli cum pauco mercurio dulci miſtum, ut*

℞. *Axungia capi* ℥. ß.
ol. coryli gut. xv.
merc. dulc. gr. iv. m.

& in aurium orificio cum goſſipio ponatur. Vel *ſulphuris fumus* per infundibulum exceptus, deindè enecati auriſcalpio extrahendi ſunt. Si pulices ſūt, qui in aure vagantes, ingentem ſtrepitum aures percipere faciunt eos ferunt vulgares ſtatim adhęreſcere naturaliter indito auribus faſciculo ex pilis caninis, & ſic extrahi. Si aqua in aurē illapſa ſit, inclinato capite, rurſus effluere ſinatur, vel per calamū ipſa exſugatur.

Si à ſpiritu flatulento dolor ſit, cùm flatus materiam præſupponat, à qua elevatur, ea primò exturbanda eſt, poſt-modùm diſcurienda *quintâ eſſentiâ nucis myriſtica, aniſorum, corticum aurantiorum, ſampſuci roris marini, bac. juniperi &c.*

Si doloris cauſa ſit inflammatio, quâ ratione curanda eſt, diximus *cap. ſuperiori*.

Si ex membranæ perfrigerationē, ab inſpiratâ aurâ gelidâ, à ventorum afflatu oriatur dolor, inſtillentur olea calida, ut *oleum eſſentiale laurinum, de caſtoreo, deſtillatum, eſſentiale pulegij, roriſmarini, ſuccini &c.*

Si dolor ſit mitior, tollitur anodynis, quę leniter rarefaciendo, & cōtractūram leniendo, doloris cauſam conſopiunt, & ità erunt *oleum amygdal. dulc. lilior. albor. cum lacte muliebri*, quę cum ſpecillo molli lanâ involuto tepidè in aurem immittantur. Utile eſt *ol. roſ. cū roriſmarini ſucco, ut & mucilago ſem. pſyllii, fœnugraci*. Itèm *folia Nicotiana viridia, vel etiam exſiccata, ſed iterùm humectata*, mirificè proſunt. Magnoperè dolorem pacant *quatuor anodyna in hydreoleo*, ſi auris affecta calidè ſpongiâ foveatur, vel eorum vapor in aurem excipiatur. Sequentem fotum multoties profuiſſe experti ſumus, ut

℞. *Radic. Lilior.*
alth. cum toto.
fol. malv.
viol. ana m. j.
Sem. cydon.
malv.
lini ana ℥. iij.
flor. ros. rubr.
chamomill.
anethi ana p. ij.
f. decoctio.

qua auris frequenter foveatur. Sed ſequens vapor vehementiſſimum auriùm dolorem ſemper pacavit, ut

℞. *Fol. ror. marini,*
Sampſuci,
Betonica, an. m. j.
Flor. ros. rubr.
Meliloti,
Chamomilla an. p j.
Semin. cini,
Fœnugraci an. p. ß.

f. decoctio pro vapore excipiendo. *Oleū* etiam ex *ligno coryli* acerbiſſimos aurium dolores ſtatim ſedat.

Ubi tandèm aurium dolor eſt acerbiſſimus, quia delirij, convulſionis, ſyncopes, & mortis imminet periculū

ad

ad narcotica confugiendum eſt, quæ dolorem percipi non faciunt, vitam ſopiendo, quæ eſt immediata cauſa doloris, talia erunt, *laudanum opiatum*, vel vulgare, ut *Requies Nicolai, philonium Romanum, Perſicum, pilul. de cynogloſſâ, &c.* Sequens decoctio narcotica in formâ fotûs, vel vaporis miraculi adinſtar quoscumque aurium dolores extemplò ſedat, ut

℞. *Fol. lactucæ,*
Nymphææ,
Solani
Hyoſcyami,
Mandragoræ an. m. j.
Capita papaver. num. iij.
F. decoctio.

quâ auris frequenter foveatur, vel vaporetenus in affectâ recipiatur aure.

Cave nè intra aurem liquorem inſtilles aliquem, qui opium exceperit, quia licèt dolorem ſedes, alia deteriora mala excitabis.

CAPUT XXIV.

De Exeuntibus p. n. ab aurium cavitatibus.

MUlta p. n. quandóque ex auribus excernuntur; & primò, poſt aurium inflammationem, rupto abſceſſu, pus, aut ſanies emanat. Secundò, idem accidit in aurium ulceribus. Tertiò, nullâ præcedente ſuppuratâ inflammatione, ulcero, & externâ injuriâ accidit aquoſum humorem, aut ſaniei aliquid ſimile ex aurium cavitatibus effluere, id vel continuô, vel per intervalla cum odore tetro, non tàm ægroto; quàm adſtantibus nauſeabili. Quartò, ſanguis interdùm ex auribus effluit, & non tantùm evenit in capitis vulneribus, percuſſione, caſu ab alto, & ſimilibus externis injurijs, in quibus aurium venæ rumpi, vel lacerari poſſunt, ſed etiam criſis modo. Quintò, Vermes aliquandò in ſordidis aurium ulceribus gigni, atque indè prodire obſervavimus. Sextò tandèm, excernitur per aures auriſcalpij ope viſcidum quoddam naturale excrementum amaricans. Cerumen dictum, quod indies vapore tenus in minimâ portiunculâ materialiter internis aurium parietibus apponitur.

Signa.

Horum affectuum ſigna ex excretis manifeſtantur.

Veterum Cauſæ.

Pro aquoſi & ſanioſi fluxûs cauſâ Vulgares cerebrum nimium humidum, impurum, & ſuperfluis redundans humoribus ſtabiliunt, ſed quandò tantâ effluit copiâ etiam vicinas partes ejuſmodi ſordidam illuviem ſubminiſtrare, & ad aures derivare credunt, ut plurimum pueris contingere ſolet, *ità Hip. ſect. 3 aph 24.* aſſerit: *Nuper nati infantes habent aures humidas.* Quorum cerebrum ſuperfluâ, mucoſâ, & catarrhoſâ humiditate non ſolùm per vias ordinarias huic uſui à naturâ deſtinatas, nares ſcilicèt & palatum, ſed etiam per aures tanquàm ductus minus idoneos, oculos, & totam capitis ſuperficiem ex-

purgatur, ut in capitis achoribus, & ulceribus patet.

Falſum deprehendimus vulgarium opinamentum de aquoſo, & ſanioſo aurium fluxu, cùm nulla ſit via è cerebro, niſi oſſis petroſi foramen nervo auditorio paratum, neq; ſalvâ tympani membranulâ, ex aure effluere poſſet, ſi humor in interiorem auris cavitatem primò effunderetur.

Cauſa Noſtra.

Aquoſi, vel ſanioſi aurium fluxûs cauſam nos dicimus, eſſe laticem, vel aurium nutrimentum degeneratum ob aliquod continentium vitium. Hic aquoſus, vel ſanioſus fluxus citra auditûs læſionem ab aure procedit, quia in interno ejus meatu, & circumadjacentibus partibus generatur. Poteſt quandóq; hic fluxus, ſi in diuturnitatem abeat, vel intra prædictam cavitatem cohibeatur, tympani membranulam perrodere.

Prognoſis.

Aquoſus, vel ſanioſus aurium fluxus tàm in abſceſſibus, & ulceribus, quàm quoviſmodo, minimè cohibendus eſt; nàm importunè ſuppreſſus ob conſenſum, epilepſiam, aut alium gravem cerebri affectum parit, ſed fluat ſinamus, donec pars optimè abſterſa ſit. Hujus materiæ fluxus nonnullos à pluribus præſervat ſymptomatibus, cephalæa, apoplexiâ, epilepſiâ &c. quibus levantur ſub fluxûs hujus continuatione, uti in infantibus ſubindè obſervamus, qui per hujuſmodi aurium fluxus plùs minùs ſordidos à pluribus malis, tàm externis, quàm internis, levati ſunt. Sanies recens effluens albi coloris, quam præceſſit capitis dolor, & ſenſuum perturbatio, quæ etiam cum erumpente ſanie mox quieſcunt, boni indicij eſt, & brevis ſanationis ſignũ. Non diù fluere ſinatur, nàm in conſuetudinem, & diuturnitatem abit, ac proindè membranulas perrodit, auditum peſſumdat, atque in fiſtulam, vel cariem tranſit nunquam ſanabilem, præcipuè ſi effluens ſanies mali ſit coloris, & fœtidi odoris.

Veterum Curatio.

Sanguinem ex aure profluentem propter externam injuriam ſtatim ſiſtunt vulgares venæ ſectione in contrariâ parte præmiſſa, & cucurbitulis ſcapulis affixis cum ſcarificatione. Deindè adſtringentia, & roborantia frigida in aurem inſtillant, qualia ſunt *ſuccus plantaginis, virga paſtoris, polygor. Decoctum rubi, roſ. rubr. malor. punic. acacia, hypociſtidis, ſumach & ſimilia in vino & aceto, vel aquâ ferratâ.*

Aquoſum, vel purulentum fluxum curant ſuperfluos in cerebro humores educendo blandis, & frequenter repetitis purgantibus cephalicis, tùm etiam derivantibus per veſicatoria poſteriori cervicis parti admota, cauſticum occipiti inuſtum, fonticulos, cucurbitulas, quibus credunt humores in cerebro redundantes citari, ut perſonaliter compareant ſub pœna &c. Poſtmodùm diætâ ſudorificâ ſuperfluam abſumunt humiditatem. Aurium meatum hoc medicamento detergunt, & exſiccant, ut

℞. *Succi agrimoniæ,*
abſynth. ana ℥iv.
vini albi, &
mellis roſ. ana unc. j.

Bulliant parùm, & in aurem inſtillētur, ſordibus priùs abſterſis, deindè

aures

aures goſſypio obturentur eodem liquore imbuto. Vel.

℞. *Vin. alb.*
ſuccor. agrimoniæ,
centaur. min. ana unc. j.
Bulliant ſimul & in aurem inſtillentur.

Noſtra Curatio.

Quomodo purulentus aurium fluxus ex ſuppuratâ inflammatione, & ulceribus curetur, & vermes ex auribus educantur, ſuprà dictum eſt. Si verò ſanguis ex aure fluit ob externã injuriam, & modicus ſit, ejus fluxus non ſtatim cohibendus, quia intùs retentus inflammationem efficeret. Si immodicus, aut diuturnus ſit, ſiſtendus eſt *ſucco urticæ*, *aquâ ſpermatis ranarum*, ſed præſtat *aqua arterialis* in aurem inſtillata.

Aquoſus, vel ſanioſus aurium fluxus in pueris non ſupprimatur, quia intẽpeſtivè ſuppreſſus mortem inferre ſolet, ſed malum ætati creſcẽti relinquẽdum eſt; ſolet nãmq; ætatis progreſſu, & corpore jàm ſicciore reddito, ſponte, ceſſare. Si verò ad puberratis annos protrahatur, tunc fluxus ſiſtendus, & priùs neceſſariæ ſunt capitis purgationes vel medicamentis communibus, vel pilulis. Dentur præctereà potiones ſudorificæ ex *guajaco, ſalſa parillâ, ligno viſci quercini, limaturâ c. c. ſcabioſâ, auriculâ muris, betonicâ &c.*

Interim aurium meatus cũ partibus circumjacentibus detergatur quotidiè manè jejuno vẽtriculo *urinâ pueri deſtillatâ guttis aliquot*; relinquatur immiſſa urina aliquandiù, deindè; inclinato capite, emittatur. Ad exſiccationem verò maximè valet *balſamus artificialis, proprietatis, vel ſulphuris terebinthinati ad guttas aliquot.*

CAPUT XXV.

De Aurium Sonitu.

EST aurium Sonitus depravatæ auditionis ſymptoma. Auris nullum intra ſe ſonum habere debet, ut omnes ſonos extrinſecùs advenientes percipere valeat: ſicut oculus omnis coloris expers eſſe debet, ut omnes objectorũ colores optime percipiat, quòd ſi aliquandò aliquo præternaturali colore afficiatur, ut in ictero, tunc viſio depravari neceſſe eſt. Aurium ſonitus eſt ſenſus depravati auditûs intra ægri aures excitatus, cùm foris omnia ſileant, & ità percipitur ſonus, ut is externus audiri credatur, eſſò nullus edatur, vel iſti alius admiſtus putetur. Eſt ità moleſtus aurium auditus, ut externũ alijs audibilem ſonum, vel planè non, vel admodùm difficulter percipere faciat, cùm ab illo ſpurio ſono intra aures ſtridente repercutiatur.

Hunc morbum varijs nominibus medentes appellavêre, aliqui aurium tinnitum, alij ſibilum, pauci ſtrepitũ, plerique verò ſonitum dixere, meritò, nàm onus nomen generale eſt & notiſſimum eſt ſonum adæquatum eſſe auditûs objectum, ideòq; tinnitũ, ſibilum, ſtrepitum ſonus comprehendit.

Iſti varij aurium ſonitus ortum habent à vaporum multitudine, vel paucitate, craſſitie, vel tenuitate motu celeri, vel lento. Undè ſi vapor multus ſit, & celeriter moveatur, ſenſorio exhibebit ſimilitudinẽ aquæ rapido curſu cum fragore fluentis, vel tympani, vel id genus inſtrumentorum muſicorum, vel venti reboantis, vel id genus ſimilia. Quòd ſi vapor paucus ſit, craſ-

ſus & celeriter moveatur:arboris confractæ,vel domûs cadentis, ſubitæque ruinæ ſpeciem repræſentant.Si multus ſit, tenuis & celeriter moveatur: ſibilum referre ſolet & torrentis cujuſdam lenioris imaginem. Si paucus ſit, tenuis & celeriter moveatur:tinnitum excitat modo nolarum, vel tintinnabulorum.Si multus ſit,craſſus & lente moveatur:murmura quædam excitare ſolet.Si paucus ſit,craſſus & lentè moveatur:ſuſurrum repræſentat. Si multus ſit, tenuis & lentè moveatur: ſibilum remiſſiorem refert. Et tandem cùm gradus innumeri dari poſſint craſſitiei & tenuitatis,multitudinis & paucitatis,motûs celeris,vel tardi, pro eorum variatione, infiniti propemodùm ſonorum modi in auribus produci poterunt:prout magis, vel minùs ad hanc, vel illam accedere videbuntur.

Signa.

Hujus affectûs ſigna ex ægrotantis relatione pateſcunt; verum hæc ſigna penes ægrotantis relationem ſicca videntur vulgaribus juxta eorum cauſas aſſignandas, ideóq; ex prægreſſis cauſis aliiſq; circumſtantijs quâdam conjecturam deſumunt. Si malum pedetentim cœperit,& per quædam intervalla recurrat, tùm etiam ſi cibi flatibus procreandis præceſſerunt& ſonus clarior ſit, à flatuoſo ſpiritu malum fieri nemo ambigit. Affectus hic dupliciter contingere poteſt, vel per eſſentiam,vel per conſenſum; per eſſentiam fit in ipſis auribus, & eſſentiale vitium aſſiduus teſtatur ſonitus, ſine ullâ intermiſſione moleſtans: poteſt tamen per intervalla in ipſis auribus etiam contingere, ſi cauſa per intervalla coacervetur, & deindè reſolvâtur,& ſic viciſſim. Per conſenſum fit ab alijs partibus, ſi aliqua pars peculiari laboret affectu,& tunc ſubitò invadens, per intervalla recurrit; poteſt nihilominùs aſſiduò infeſtare, ſi aſſiduum effluvium auribus pars affecta ſubminiſtret. Quandò fit à cerebro adeſt capitis dolor & gravitas, & utplurimum noxa alijs ſimul communicatur ſenſibus. Ab aliarum partium, vel totius conſenſu,id ſui cognoſcitur ſignis,& malum poſt inanitionem,vel repletionem,poſt motum,vel quietem poſt vehementem calorem, vel frigus quieſcit,rursùmque concitatur. Si à craſſis,lentiſque humoribus fiat, non illicò aggreditur,ſed pedetentim creſcit,& ſonus magis obtuſus, fluctuationis, & gravitatis ſenſus percipitur. Si à vaporibus craſſis, vel tenuibus, paucis,vel copioſis fiat, cognoſcitur ex ſonorum differentijs, quæ in auribus percipiuntur. Si ex aurium obſtructione ſonitus dependeat in febribus, aut harum, aliorumque morborum criſi, provenit à cauſis illos morbos excitantibus. Si ab imbecillitate,facilè ex his,quæ imbecillitatem induxerunt,cognoſcetur.Si ab abſceſſu,ex inflammationis ſignis facilè percipitur.

Veterum Cauſæ.

Pro aurium ſonitûs cauſâ vulgares ſtatuunt vapores,aut ſpiritus flatulentos inter membranam foramini auditorio obtenſam,à nervo auditorio ortam,vel in ipſâ aure genitos,vel in aurem ab alijs partibus tranſmiſſos, ut à toto in febribus, in paroxyſmorum principio,&inſtante criſi per hæmorrhagiam.A peculiari parte elevati flatus ad aures tranſmittuntur, ut à cerebro,

bro, ventriculo, ut in vomitu, melancholiâ hypochondriacâ, ab hepate, liene, meſenterio, utero, ut in ſuffocatione hyſtericâ, & ab aliis partibus. Elevantur prædicti vapores, & flatus ex frigidis, & pituitoſis humoribus, à debili calore excitati & in aures deferuntur per venas, arterias, & quintam nervorum conjugationem. Iſti vapores & flatus ad aures elevati exitum quærunt, & præ loci anguſtiâ non invenientes ad oſſa, tympani membranam, expanſumq; nervum alliſi, præternaturali commotione congenitum aërem exagitant, & ſonitûs cauſa exiſtunt.

Non mirum, ſi aurium ſonitum ad vapores, & flatus referunt vulgares, cùm non ſit morbus, qui à flatibus ſuâ ferè non agnoſcat geneſim, ità capitis dolores, vertigines, aſthmata, pleuritides nothæ, convulſiones, crampus, ſatyriaſis, tympanides, epilepſiæ, ſyncopes, cordis palpitationes, uteri exorbitationes &c. extra controverſiam ſua debent initia flatibus, atq; vaporibus cœteroſque morbos ad fluxiones referunt, ut diximus *cap. 16. de Catarrho.* Sunt itáque flatus & fluxiones, tanquàm duæ firmiſſimæ columnæ, quibus tota vulgarium medicina ſuperſtruitur, ad quos tanquàm ad ſacram ignorantiæ anchoram perpetuò confugiunt. Omnium ferè morborum naturam, & cauſas flatibus, & vaporibus infernè ſurſùm ſcandentibus, & ſupernè deorſum decumbentibus dicãt. *Hippocrates* ille ſenex ità omnes ferè morbos flatibus conſecravit, ut peculiarem de flatibus conſcripſerit libellum. Et *Medicinæ Monarcha, Paracelſus* non fuit à ventorũ turbine immunis, itaq; tormina quadrifariam partitur, juxta quatuor conſuetos ventorũ cardines; quorum ſeptentrionem in lumbis, auſtrum in umbilico, orientem in dextris, occidentem in ſiniſtris, tanquàm fidelis Æolus collocavit: putavit *Paracelſus* nos omnium morbos, ac defectus ſentire debere, quòd ſinguli ſumus totius univerſi extractum.

Galenus quoq; externum ventum, ſive aëris flatũ poroſam perforare pellem, ut & carnoſam membranã, ſimul & muſculos ſubter eam, & per arterias ad cordis refrigerium, ejuſq; fuligines explodendas ferri falsò putavit. Imò ejus ſectatores credunt ventum contractũ multas ægritudines progignere poſſe: ideoq; ſępiùs meâ cum verecundiâ eos alloquentes audivi: *Multùm ſerò contraxit ventum, unde partes malè ſe habent*, & hanc cauſam multis in morbis aſſignari his auribus hauſi. Inſuper ægrotis, & præcipuè hypochondriacis imperant, ne in ſtricti orificij vaſis bibant, aliàs ſe flatibus infarcirent; errant, quia externi venti non intrant regiones inſolitas.

Noſtra Cauſa.

Nullibi flatus reperitur, præterquàm in ſtomacho, & inteſtinis, quia in præfatis locis ſuam agnoſcit geneſim ab acido, quod alibi nõ reperitur. Omnis flatus ſuſcitatur à cibis nondùm digeſtis vel à ſpirituoſâ ciborum ſubſtantiâ, vel à ciborum reliquijs, vel ab alimento inteſtinorum ſpermatico degenerante: Eſt igitur quadruplex: flatus in nobis internus, & quintus externus, tympanias, qui extra inteſtina clauditur. Nullus itáque flatus eſt aër, aut ventus, cùm ventus, ſive aër non ſit de concretorum compoſitione. Eſt flatus in nobis Gas ſylveſtre inter digeſtiones excitatũ è cibis, potibus & excremen-

cremén'tis. In ſtomacho dicitur ructus & ſtomachi impotentiâ excitatur, in inteſtinis peditus, qui fit è cibis in ſtercoream prope indolem degeneratis.

Hinc fabuloſum judicamus cibos quos vulgares flatulentos appellant, cùm nullatenùs dentur cibi, qui in ſe flatus conſervent, ſed tantùm ubiq; errore digeſtivæ, cibis vitiatis in ſe, vel vitiato fermento inter digerendum ſuſcitantur, ideóque debilis digeſtio plures parit flatus quos fortior non admittit.

Falſum deprehendimus vapores, ſeu flatus per arterias, venas, nervos ſurſùm deorsúmq; deferri, cùm citiſſimè aliàs per ructum è ſtomacho, per peditum ab inteſtinis explodi poſſunt. Nec ſtomachus follis eſt, ut invitis canalibus, ſibi conceptos vapores noxios in arcam, vitæ deferre debeat. Imò paucæ venæ arteriæ, & nervi ſunt in ſtomacho, nec peregrinum eſt, poteſt aliò transferre per dictos ductus. Quorſùm enim allicerét, & reciperent, quod præter naturæ eſt inſtitutum? Quomodo vapores, & flatus inſufflaret ſuos ſtomachus in vaſa anguſtiſſima cruore repleta, quæ non valent trahendo?

Non in utero internè ſuſcitari flatûs dicimus, quia uterus materiâ deſtituitur flatulentâ, nec ejus digeſtio eſt, creando flatus, nec externè in uterum intrat aër, non enim vacuum patitur, ſuâ membranâ totus concidit madidâ, ideóque ſuâ ſponte aëri aditus præcluditur ſpiranti, niſi vi per inſtrumentum aliquod is injiciatur.

Non negamus ab inferis partibus capitis dolores, vertigines, ſurditates, epilepſias, cæteraque id genus mala ortum habere: non tamen per vapores ad caput delatos; etenim per œſophagum aſcenderent & nil, niſi inſipidam aquam ſtillatitiam darent. Multùm intereſt vapor à flatu & aëre.

Datur duo flatus in nobis, unus planè heteroclitus tàm in inteſtinis, quàm toto corporis habitu detentus, atque natus, etenim ex fermento venenoſo, & ſtercoreo extrinſeco, alter verò flatus oritur in ultimâ digeſtione partium ſimilarium à ſexta digeſtione. Itáque ſi ultima digeſtio intra partes aurium conſtitutivas vitietur à fermento inter digerendũ flatus producitur, qui ſonitum juxta quantitatem, qualitatem, & motũ excitat; non quòd ab inferis ſuperna petat, vel à ſuperis in inferiora deſcendat. Hujus affectûs occaſionalis cauſa eſſe poteſt vehemés capitis percuſſio, ſonus vehementior, aurium ulcera, debilitas &c.

Alij arbitrantur auditûs debilitatem ob caloris naturalis inopiam aurium ſonitum efficere poſſe, ut patet in ſenibus, & convaleſcentibus. Verùm horum opinio improbabilis eſt; auditûs enim debilitas ob caloris naturalis inopiã nõ poteſt eſſe cauſa actionis depravatæ, ſed tantùm imminutæ. Quòd verò in ſenibus & convaleſcentib. interdùm aures tinniunt, hoc nõ provenit ex debilitate auditûs, ſed ex vitiatâ talium partium digeſtione factâ intra aures hærente, cujus productum reſolvi nequit à debilitate, undè in convaleſcentibus poſtquàm perfectè convaluerunt de infirmitatib. ſuis, non ampliùs ab aurũ ſonitu moleſtantur, quia partes ad perfecta redeunt munia.

Aliqui putãt ſenſum auditûs exquiſitiorem aurĩũ ſonitum efficere poſſe, quia objecta licet moderata illum efficiunt; undè qui exquiſitiori fruuntur ſenſu, ad minimum cujuſlibet objecti

motum

motum expergiſcuntur. Concedimus ſenſum exquiſitiorem, illumq; pendere putamus à ſenſorio perfectiſſimè diſpoſito, imò quodāmodò pluſquàm perfecto,& ſimul valdè tenero. Verùm ſenſum exquiſitiorem per ſe actionem depravatā producere poſſe negamus; imò quò ſenſus eſt exquiſitior, eò minùs errare debet: debet igitur eſſe præternaturalis ſenſus, ut præter naturalem producat effectum. Quòd ad cujuſlibet objecti motum excitantur, hoc provenit, quia ſenſorium eſt valdè tenerum,&facilè moleſtiâ afficitur, cùm recedat ab exactâ mediocritate. Hinc talium hominum ſomnum experimur valdè levem, ac continuò ferè interruptum, quia itidèm exiſtit valdè moleſtus.

Prognoſis.

Aurium ſonitus recens facilè curatur, inveteratus, & chronicus difficilè & eò magis ſi ab affectione hypochondriacâ, vel lue venereâ originem traxerit; In ſenibus verò medelam non recipit. Diuturnus aurium ſonitus h.e. ſi biennium, vel longiùs duravit rarò curationem recipit, ſed plerùmque in ſurditatem degenerare ſolet. A capitis ictu curationem reſpuit.

Veterum Curatio,

Variant aurium ſonitûs curationem vulgares, non tantùm juxta cauſarum diverſitatem, verùm etiam ſi ex alicujus partis cō ſenſu oriatur, primò parti affectæ curationem dirigunt. Qui ab aure primariò affectâ exoritur, peculiarē requirit curationem: præmiſſis igitur iteratò cephalicis purgationibus, magnoperè extremorū frictiones, ſternutamenta, maſticatoria, & frequentes capitis pectinationes commendant, nec non capitis lotiones cum *decocto abſynthij, betonicæ, lavendulæ, roris marini, ſampſuci &c.* Nec lenes omittunt clyſteres, quaſi inteſtinorum ſordes aurium ſonitum excitarent.

Si aurium ſonitus à calidâ intemperie excitetur, refrigerātibus & humectantibus utuntur, ut decocto *violarū, lactucæ, nymphææ* pro fotu, qui ſi parùm juverit, ad validiora recurrunt, ut eſt *ſuccus portulacæ, mandragoræ, papaveris albi.* Vel evaporationem *ex cicutæ ſemine in aceto cocto* excipere jubent. His nihil proficientibus, *opio* utuntur in exiguâ quantitate, ut

℞. *opij* gr. ij.
ol. roſ. ℥ ß.
miſſ. & utere.

Putant vulgares opium frigidum, quod falſum eſt,& rationibus, ac experimentis demonſtravimus *cap. de affectibus ſoporoſis.* Hoc remedii genus eſt periculo plenum; ſolet enim utplurimum itā ſenſum auditûs obtundere, ut in gravem auditum, vel ſurditatem multos incidiſſe obſervavimus.

Si ex humore viſcido malum oriatur, totum,& caput deplent, deindè attenuantia, & diſcutientia auribus adhibent, inter quæ auribus inſtillant *ol. amygdal. amarar. rutæ, caſtorei, aut in aliquo ex prædictis decoquunt anethum, nigellam, nardum, caſtoreum, rutam,* quibus ad majorem attenuationem *acetum* admiſcent. Laudant *caparum, aut porri ſuccum cum lacte muliebri, vel cum oleo roſac. coctum.* Vel

℞. *Pulpæ colocynt.* ʒ. ß.
Succi Rutæ.
Sampſuci ana ℥. j.
cumini,

carvi ana ℥. ij.

coquantur in vino,& ol. amygdal.amarar.ad vini conſumptionem. De expreſſo, & colato aliquid in aurem inſtilletur,& auris goſſipio moſchato obturetur. Vel

℞. *Semin. porri,*
Caryophyll. ana ℈. j.
Moſch. gr. v.

cum ſucco ſampſuci, & rutæ m. & auri inſtilla.

Majori cum efficaciâ ſupradicta auri inſtillentur, ſi priùs evaporatio in aure fiat mane, & veſperi ex ſequenti decocto, ut

℞. *Fol. majoranæ,*
roris marini,
betonicæ,
calaminth. ana m j.
bacc. junip. num. xx.
fol. lauri,
abſynth. an. m. ß.
lupinor. num. xv.
lumbric. terreſt. vin. lotor.
in ſindone ligator. p. ß.

coquantur in ſuff. quantitate aquæ, & duplo vini albi ad tertiæ partis conſumptionem. Colatura pro evaporatione ſervetur, qua dùm utitur æger, fabas, aut piſa aliquot in ore detineat,& maſticet, ut patente itâ meatu auditorio, fumus magis penetret.

Poſt evaporationem,& liquoris inſtillarionem, ſacculum calefactũ auri imponunt repletum folijs *ſalviæ, betonicæ,ſampſuci,hyſopi,calaminth.rutæ,pini,lauri,roris marini,floribus chamameli,ſtœcadis,ſem.anis.carvi &c.*

Noſtra Curatio.

In aurium ſonitu, ſi viſcidùs ſit humor,purgantia cephalica conveniunt, deindè quæ incidendi vim habent,nec deſint diaphoretica in aquis appropriatis,quę per aliquot dies cõtinuẽtur quibus aliquid bezoardici lunaris addatur, tùm omnia ex lignis parata proficua ſunt,& interdũ ſternutatoria adhiberi poſſũt. Verùm purgãtia, aliaque nimis acria,ut & ſternutatoria,quę tantùm ſpiritus magis exagitant, ſic frigida, & acria nervoſis partibus tàm adverſa,nocent,ut & acida.Inſtituatur fotus ex caput corroborantibus, qualis eſt decoctum abſynthij, & verbenę in lacte, ut

℞. *Abſynth crudi,*
verbenæ ana m. j.

*decoque in lacte vaccino,*poſteà per tritorium, quod commodè ollæ orificiũ iſtius decocti claudat, decocti vapor adhuc fervẽtis in aurẽ immittatur,abſtersâ aure, geſtetur aliquandiù goſſypium moſchatum, eſt enim moſchus capiti amicus,in primis viris,mulieribus verò inimicus ratione cloacæ ſ. uteri,ideòque commodè applicari poterit goſſypium oleo caſtorei ſtillatitio madidum.Si huic remedio cedere nolit,immittatur auri olei amygdalarum amar.guttę duę, vel tres, quæ poſtmodùm emittantur. Verùm præ omnibus præſtat *panis calens ſtatim è clibano extractus ſpiritu vini ſuperfuſus* (ſi affectus ſit lenior,ſine) ſi ad aurem applicetur, ut ille vapor intrò recipi poſſit. Tandem ſi malũ ſit pertinax, immittatur in aurem turunda ex raphani radice affabrè ſculpta, & per aliquot dies in vini ſpiritu, vel aquâ Reginę macerata. Quòd ſi neque per hoc ſolvatur, eadem turunda maceretur in oleo fœniculi ſtillatitio, & inter ſudandum uſurpetur. In aurem inſtilletur ſæpè oleum carvi,& illiniatur poſt aures,& maſticatoria uſurpentur.

CA-

CAPUT XXVI.

De Gravi Auditu, & Surditate.

AUditus triplici læditur modo, depravatè, ut in ſonitu, de quo diximus, vel diminutè, vel abolitè. Diminutio vocatur gravis auditus, abolitio dicitur ſurditas. Hi duo affectus ab iiſdem pendent cauſis, quæ ſecundum magis, & minùs differunt, ità ut remiſſiores auditum tantùm diminuunt, & valdè excedentes prorsùs auferunt; ideóque ſub uno capite utrumque comprehendimus affectum, licèt uterque vulgò ſurditas appelletur. Qui gravi laborant auditu ſurdaſtri, & ſubſurdi dicuntur, quia ſonos, & verba ſummiſsâ voce prolata penitùs non audiunt, vel ſaltem confusè abſque ſignificativarum differentiatum perceptione, fortiores autem voces etiam difficulter diſtingunt, nec alloquentes intelligunt, niſi fortis vociferatio fiat ad aures; qui verò afficiuntur auditu, ſurdi nominantur, nec ullis clamoribus aliquid percipere poſſunt. Hi etiam muti ſunt, ſi ſurdi naſcuntur, quia voces nec animo percipere, nec linguâ proferre queũt, quàvis organa ad articulatam vocem neceſſaria à natura data ſint, niſi tamen ſermonem articulatum proferendi rationem didicerint, nunquàm articulatè loquentur. Nec obſtat, quòd muti, & ſurdi à nativitate ſint ſatis ingenioſi; nàm auditus non eſt ſimpliciter ſenſus ad vitam rationalem neceſſarius, cùm inteligendi vis ſit ab auditu diſtincta, & in ſurdo vigere poſſit ex phantaſmatibus, quæ phantaſia è ſpeciebus viſibilibus, & alijs ſenſibilibus deſumpta ſuggerit, multa intellectus colligere poteſt. Infans, qui neminem audidit, nunquàm loquetur, cùm neſciat, quid ſermo articulatus ſit: *Nihil eſt in intellectu, quin prius fuerit ſub ſenſu*, quia nullum articulate loquentem anteà audivit. Nulla idiomatis ſpecies hominibus connaſcitur, ſed omnes quas audivere voces, exprimere ſciunt: Neque ſicut vita, ità ſermo à parentibus in liberos transfunditur, ſed temporis progreſſu auditu, imitatione, & uſu diſcitur, ad quam rem auditus eſt neceſſarius. Voces articulatæ non ſignificant naturaliter, ſed ſunt inſtitutæ ex liberâ hominum voluntate, & beneplacito ad quidpiam ſignificandum, ut fuſiùs in logicis, ac proindè ut homo ſermonem proferat, non eſt à naturâ, ſed ab auditu, & imitatione diſcit. Cœteris animalibus vocem naturaliter ſignificantem natura dedit, ut canibus latratum, leonibus rugitum &c. hæ ſunt voces naturaliter ſignificantes, & inarticulatæ, ut & hominum gemitus, ſuſpiria, &c. quæ ſunt pathemata naturalia. Cæterùm multùm intereſt inter vocem, & locutionem, quia vox à naturâ data eſt, locutionem, tamen à naturâ, quæ homini propria eſt homo habere non poteſt, ſed ex imitatione ſaltem addiſcere ut humanæ vitæ politia, & ſocietas ſervetur, eſt enim homo animal politicum, & ſociabile, qualia cœtera animantia non ſunt; nullum igitur idioma nativum eſt. Hinc falſa eſt illa vulgaris opinio aſſeverans: *Si nemo coram infantibus recens natis vocem ederet, in adultâ ætate natura, quæ nunquàm deficit in neceſſarijs, tenetur ſermonem eis tribuere, nec alio idiomate loquerentur, niſi illo,*

quod Adam habebat. Errat ſtolidum vulgus, nàm primi patentis ſermo non fuit à naturâ, ſed ad placitum, quia ipſe fuit primus inſtituens, ut habetur *Geneſi cap.2.num 19.& 20. formatis igitur, Dominus Deus, de humo cunctis animantibus terræ, & univerſis volatilibus cœli, adduxit ea ad Adam, ut videret, quid vocaret ea: Omne enim quod vocavit Adam animæ viventis, ipſum eſt nomen ejus. Appellavitque Adam nominibus ſuis cuncta animantia, & univerſa volatilia Cœli, & terræ.* Præterquam quòd hanc quæſtionem Philoſophi, & Medici meliùs exagitare ſolent: *An articulatam vocem proferendi, ſeu loquendi potentia ſit homini naturalis, an verò ſaltèm ab imitatione, dùm quiſque ſermonem, quem etiam loqui primò audivit, & ipſe diſcit, & loquitur.* Non defuerunt aliqui in eâ ſententiâ, qui infantem ſibi relictum, tàdem ſponte locuturum affirmârunt. Verùm notiſſima eſt hiſtoria de *Rege Maguth*, is triginta infantibus recens natis in locum ſolitarium incluſis, nutricib. eorum hoc negotij dederit, caverēt, ne vocula ulla ad eorum aures perveniret, ut experiretur, quonam idiomate aliquandò eſſent uſuri, atque adeò ejus nationis religionem amplecteretur, cujus infantes linguā proferrent. Sed cognovit tandèm Rex ipſe vaniſſimum fuiſſe laborem, ſiquidè ipſorum nullus diſtinctè locutus fuit: firmum igitur reſtat, quod qui loquentem neminem audivit, nec ipſe loqui poteſt, ſed eum quiſque ſermonem loquitur, quem alios loquentes audivit & nulla idiomatis ſpecies homini connaſcitur.

Cur à nativitate ſurdi etiam muti ſunt, alij aliam adducūt rationem ſcilicet maximam ſympathiam, & conſenſum auditus & loquelæ organorū; lingua enim cùm præter alios nervos, quib. ad ſenſum indiguit, etiam à nervo illo quinti paris in aurem tendente, ſurculum acceperit; Si hic nervus auribus & linguæ communis vitioſam habeat conſtitutionem, accidit, ut non ſolùm ſurdi tales fiant, ſed etiam muti, & linguam ſufficienter, & quantum ad vocem articulatā opus eſt, movere non poſſunt, etſi ſenſum & aliquem motum ob reliquos nervos integrum habent. Rationē adducunt, quia à nativitate ſurdi, ſi loquelæ organa non haberent vitiata, aliquam vocē ex naturæ inſtinctu articulatam ederent; quemadmodùm cœtera animantia etiam ſi à nativitate ab aliis ejuſdem ſpeciei ſeparentur, connaturalem proferunt. At ſurdi à naturâ nullā vocem edunt articulatam, ſed tantùm confuſum ſonum, qui partiū loquelæ inſervientiū manifeſtam arguunt læſionem.

Verùm horum opinionē falſam his deprehendimus rationibus: Primò, ſi conſenſus iſte nervi quintæ conjugationis hujus rei eſſet cauſa, neceſſariò ſequeretur etiā poſt ortum, & in adultâ ætate idem accidere poſſe, nimirùm ſi poſt ortū nervus auditorius vel obſtruatur, vel craſſior fiat, ut indè auditus vel ſolùm diminuatur, vel prorsùs aboleatur, tùm enim neceſſe erit, ut locutio eodem modo vel diminuatur, vel aboleatur, quod tamē non accidit, ut experientia teſtatur auditum & loquelam varias læſiones ſeorſim, & privatim ſuſcipere, & auditum lædi poſſe, ſalvâ Loquelâ, & cōtrâ. Secundò, multi difficulter à nativitate audientes inveniuntur, qui expeditè loquuntur, & contrà. Tertiò non ſemper ſurditatis cauſa eſt in origine quinti paris nervorum,

vorum, àquo oritur nervus auditorius, & qui mittitur ad laryngem, ſed quandoque ſurditas à nativitate oritur ab aliis cauſis; læſo enim quolibet interno aurium inſtrumẽto, ſurditas oboritur, ſi nimirùm à primâ generatione in malleolo, incude, ſtapede, in utráq; aure vitium ſit. Tùm enim auditus & conſequẽter loquela lædi poteſt, nullo vitio in nervo quintæ conjugationis auri, & laryngi communi exiſtente. Quod idem accidere poteſt, ſi meatus auditorius obſtruatur, aut tympanum vitietur aut aër implantatus ſeſe non rectè habeat. Ex dictis patet ſurdos à nativitate non fieri mutos ob conſenſum nervi quintæ conjugationis, qui auri & laryngi eſt communis, reſtat igitur ſurditatis vitium à privatis læſionibus in aurium organis provenire.

Signa.

Gravis auditus & ſurditas per ſe patent, cauſarum verò ſigna ſigillatim diſtinguere difficillimum eſt, cõjecturâ tamen in hunc modum diſtingui poſſunt. Si ſurditas à nervo auditorio, & ejus interno meatu contingat, præceſſerunt affectus, vel adſunt in cerebro, ut capitis dolor, gravitas, apoplexia, epilepſia, lethargus &c. & alij etiã ſenſus læſi ſunt. Si in ſolo nervo auditorio ſit vitium, reliqui ſenſus erunt integri, præceſſit tamen neceſſariò aliquis celebri affectus, qui nervum auditorium degenere ſucco obſtructum eſſe teſtatur. Si obſtructio ſit in interno auris meatu, oculis conſpicitur, & inſtrumentis explorari poteſt. Si aliquod extrinſecùs in aurem immiſſum ſit, ægrotantis relatione patebit. Tympani laxitas ex humectantibus cauſis cognoſcitur, exſiccatio ex exſiccantibus. Si ex implantati aëris craſſitie proveniat, ex incraſſantibus facilè deprehenditur; diſruptio ex diſrumpentibus & erodentibus. Verùm adeò exactè non ſemper cognoſci poteſt, quænam auris pars in ſurditate laboret, cùm facilè hæ conjecturæ, & aliæ quemlibet medicum decipere poſſint.

Cauſæ.

Surditatis cauſa nunc hæret in externâ auris cavitate, nunc internâ, nunc in tympani membranâ, nunc in aëre implantato, nunc in nervo, nunc in ſpiritu animali.

Cauſa hærens in externâ auris cavitate, tuberculo, abſceſſui, saniei, aliiſque rebus tùm intrinſecùs, tùm extrinſecus aures obturantibus debetur. Advertendum tamen eſt, meatûs exterioris obturationem abſolutam ſurditatem non poſſe inducere, ſed tantùm gravem auditum, quia quandoquidem per os etiam ad aures ſoni deferri poſſunt; etenim meatus patens eſt ab auris cavitate ad palatum, per quem ſoni facilè ingrediuntur, & ad aures ſeſe inſinuant, qui meatus etiam aurium expurgationi dicatus eſt. Et ſonum per os patens excipi multa oſtendunt experimenta, videmus enim multos ſurdaſtros, ut meliùs loquentes audiant, aperto ore ſermones eorum excipere. Et ſi utráque aure diligenter obturatâ, muſica inſtrumenta baculo contingas, quem dentibus apprehẽderis, exquiſitiùs audiuntur. Et vix noctu alicujus procul adveniențis ſtrepitum captamus, at è longinquo magis audimus, ſi baculi alterum extremum terræ affigamus, alterum verò dentibus apprehendamus.

Verùm id melius aſſequimur, ſi aurem terræ admoveamus qui mos lupis inditus eſt à natura. Imò utrâque aure fortiter & diligenter obturatâ, ſi per tubulum cuique capitis parti procul ab aure admotum verba pronuncientur, clarè, & diſtinctè audientur, quod experimentum magis probat, quàm nos probare intendimus.

In internâ auris cavitate gravem auditum, vel ſurditatem efficiunt degeneres ſucci & ſecundum *Hip.* quandóque bilioſi ſunt, ut *ſect.* 4. *aph.* 18. *Quibus bilioſæ ſunt dejectiones, hæ ſuperveniente ſurditate, ceſſant: & quibus ſurditas adeſt ſupervenientibus bilioſis dejectionibus, ceſſat.* Exiſtimabat enim Hip ſurditatem fieri excrementis bilioſis retentis, & ad caput recurrentibus, talemque ſurditatem ceſſare, alvo turbatâ, & bile per inferiora dejectâ, dummodò hectica non fuerit ſurditas, ſed repentè in febribus facta, quod tamen falſum eſt. Interdum ſanguis ſurditatem efficit, cùm futuram criſin per narium hæmorrhagiam ſignificat, ut idem innuit *ſect.* 4. *aph.* 60. *Quibus in febribus aures obſurduerunt: ſanguis ex naribus fluens, aut alvus turbata ſolvit morbum.*

Tympani membranula graviorem auditum efficere poteſt, ſi ab externo aëre frigiditatem contrahat, quia *frigidum nervis & membranis inimicum eſt*. Vel ſi narcoticorum uſu obſtupeſcat; vel craſſior reddatur, quæ cauſa in ſenibus frequens eſſe ſolet, ut enim oculorum tunicæ in ſenibus craſſeſcunt & obſcuriores redduntur: ità quoque procul dubio ætatis progreſſu hæc membranula aliquam ſuſcipit mutationem, & hac de cauſâ habetur *ſect.* 3. *aph.* 31. *Gravis auditus eſt ſenibus familiaris.* Eadem quoque nonnunquam rumpitur externâ violentiâ & ſurditatem efficit, ut ab auriſcalpio, aliovè inſtrumento violenter intruſo, apoſtemate rupto, caſu, percuſſione, &c. Hoc idem efficere poſſunt immanes fragores repentini, quales majora tormenta bellica, tonitrua, &c. facilè aëris commotione illam lædere poſſunt, continuique ſolutionem inferre quamadmodùm etiam diſploſa tormenta bellica propinquas concutiendo feneſtras diſſilire faciunt, ab ejuſmodi enim violentiâ interdum fiunt ſanguinis grumi, nec non abſceſſus, ſordeſque relinquunt, aurium foramina obſtruentes. Quandoque tympani membrana ab aëris humiditate relaxatur, & quam plurimi ſurdaſtri in auſtrinâ conſtitutione graviorem habent auditum, ut habetur *ſect* 3. *aph.* 17. *Auditus hebetatur ab auſtrinâ conſtitutione.* Vel nimis tenditur, exſiccaturque poſt morbos acutos, vigilias, aut jejunia. Ità etiam ſi oſſicula illa tria, quæ huic adjacent membranæ, loco dimoveantur ictu vehementi, ſonitu, vel humoris alicujus affluxu, auditûs gravitas, vel ſurditas ſubſequitur.

Aër implantatus, ſeu congenitus gravem efficit auditum, ſi craſſus, humidus, vel impurus reddatur, qualis in auſtrinâ conſtitutione, vel in regionibus uliginoſis, uti in Belgio ſolemne eſt, ac proindè gravis auditus olim vocabatur: *Auris Batava:* Quapropter ſicut viſûs organum lucidum eſſe debet, ut objecto reſpondeat: ità auditûs organum aëreum omnem impuritatem excludens. Flantibus auſtris, ventis, vel regionibus uligoſis exiſtentibus, aër craſſus, turbidus & caliginoſus redditur, non modò in aëris regione, verum

etiam

etiam in interna auris cavitate, qui implantato aëri ſeſe permiſcet & debiles repercutit ſonos, undè aurium tinnitũ excitat, qui auditûs gravitatis, & ſurditatis prænuncius eſt. Id evenit non aliter ac fumus in tali aëris conſtitutione ab igne focorum aſcendens in caminorum faſtigijs ab externo, ſpiſſo & humido aëre repercutitur, ità ut talis fumi repercuſſio ſit certum pluvioſæ tempeſtatis ſignum, indicetque aëris ſpatia vapore aquoſo jàm eſſe repleta & alios vapores, ut eſt fumus, in ſe recipere non poſſe. Itèm vapores craſſi à malâ vivendi ratione, & diætæ erroribus cerebro communicati, ſi interiorem auris cavitatem per foramen, quod nervus auditorius tranſit, ſe inſinuant, hoc malum efficere valent.

Nervus auditorius ſurditatem efficere poteſt, ſi exſiccetur, aut obſtruatur ejus medulla ab humore intra ipſius membranas contento, vel comprimatur à quovis tumore vicino. Si malè ſit conformatus, vel rectè auti non inſeratur & hoc modo ſurdi ab infantia fiunt.

A ſpiritibus auditûs læſio oritur, tùm cùm à morbis vel depopulantur, vel non transmittuntur, vel cùm immobiles redduntur ad tempus, ut in apoplexiâ, caro, catalepſi, &c.

Prognoſis:

Surditas miſerandum malum eſt, aures enim ſunt veluti mentis porta per quam menti ea immittuntur, quæ doctrinâ & inſtitutione ad vitam politicam & ſociabilem tranſigendam neceſſaria ſunt: miſerum itàque eum hominem eſſe neceſſe eſt, qui audiendi facultate deſtituitur, cùm hoc adminiculo ad vitam incolumen tuendam careat. Cæterum miſeriores ſunt, qui ſurdi & cœci ſunt, ac tandem miſerrimi qui ſurdi, cœci & muti ſunt.

Gravis auditûs & ſurditatis prognoſis ità ſe habet: auditûs gravitas eſt malum non contemnendum, ſi brevi non diſcutiatur, temporis curriculo ſenſim increbeſcens plerumque tandèm in omnimodam tranſit ſurditatem.

Surditas nativa curationem non admittit, ſic & quæ diuturno tempore contracta fuit, inſanabilis omninò cenſetur, eſtò multa extent exempla quorundam curatorum, qui per multos annos ſurdi fuerint; id enim rarò contingit, multóque plures ſunt, quibus fruſtrà adhibentur remedia. Surditas ex obſtructione in meatu externo facilius curatur, difficiliùs in meatu interno, & auditorio. Tympani membrana rupta, vel eroſa, vel cicatricem ſuperſtitem nacta, aut oſſicula luxata immedicabilem reddunt ſurditatem. Surditas, quæ modò creſcit, & modò decreſcit, faciliùs curatur, fit enim ab humore tenui, & exiguo, qui interdùm minuitur, vel à flatulento ſpiritu. Surditas, quæ per aurium idiopathiam excitatur, facilius curatur, quàm quæ per ſympathiam. Surditas in febribus contingens, cum eâ plerúmque ſolvi ſolet, ut *ſect.* 4. *aph.* 28. *ſurditas in febribus ſolvitur bilioſâ dejectione.* Sed quandóque mortis prænuncia eſt, ſignificat enim audiendi vim per morbi vehementiam extinctam eſſe, & pravi humoris copiam cerebrum, & aures occupare, ut eâdem *ſect. aph.* 49. *Auditus deficiens in febribus continuis ſignum lethiferum*, & *ſect.* 8. *aph.* 16. *in acutis febribus non audiens eſt morti proximus.*

Cura-

Curatio.

Curatio pro cauſarum diverſitate varianda eſt,ſemper tamen præmittenda ſunt univerſalia ſ. corpus purgantia, & caput mundificantia, quæ ubi neceſſaria ſunt per intervalla repetêda ſunt, in ſurditate autem purgantia frequentiora, & fortiora ſint, quàm in gravi auditu, deindè topica auribus applicanda ſunt.

Surditas originalis confirmationis vitio, audiendi inſtrumenti defectu, aut aliquâ aliâ vitioſâ figurâ incurabilis eſt, cùm illud, quod natura ſemel ademit, à medico nullo pacto reparari poſſit, eſt ejus ſanatio ſoli Deo reſervata. Adventitia non rarò curationem recipit.

Quæ aliquo cerebri, vel aliarum partium defectu originem trahit, non aliam requirit curationem, quam quæ dictis deſtinatur affectibus, & à proprijs capitibus deſumenda eſt. Quæ à tuberculo, ſanie, aliiſque tùm intrinſecùs, tùm extrinſecùs obſervantibus dependet; attamen ſi auditûs gravitas, vel ſurditas ſit ab aurium ulcere, ejus curatio inſtituenda eſt, ut de ulcere aurium diximus, atque hic abſtinendum eſt ab oleis, nàm oleum eſt ulceribus inimicum, & præcipuè ulceribus aurium.

Si degeneres ſucci in internâ auris cavitate gravem auditum, vel ſurditatem efficiant abſque inſigni aliquâ inſtrumenti auditûs læſione, evacuatis per alvum, vel per nares effuſis, vel inſenſibiliter diſcuſſis ſuccis, malum ſponte ceſſat.

Si tympani membranula ratione frigoris gravem pariat auditum, per appoſita debellativa perficienda eſt curatio, & efficaciſſima erunt olea ex penu chymico, qualia ſunt *roris marini, ſampſuci, lavendulæ, caryophyllorum &c.* quæ nunquàm ob nimiam vehementiam ſola ſunt uſurpanda. Si à tympani membranulæ rupturâ, vel corroſione ſurditas pendeat, curationem non recipit, ut & gravis auditus à prædictæ membranulæ craſſitie, ut ſenibus accidit. Si à membranæ ſiccitate oriatur affectus victu humectante, ſomno longiori, & capitis humectatione utendum eſt, & in aurem humectantia immittantur, ut *oleum amygdalarum dulcium*, & ſimilia.

Si tympani membrana ſit relaxata in nimiâ aëris humiditate, vel congenitus aër craſſitiem, & humiditatem adeptus ſit, & gravis auditûs in causâ ſit, vitetur auſtrinus aër, victus exſiccans inſtituatur, & præ omnibus alijs medicamentis maſticatoria conveniunt propter meatum, qui ab internâ aure ad palatum defertur, & aurium excrementa deponit. Si morbus contumax ſit, & in longitudinem abeat, diæta ſudorifica hîc maximè locum habet.

Hujus curationis ſumma erit, ut diæta medicamentis, & cauſarum varietati reſpondeat, vitando cibos, qui craſſum generant alimentum, & vaporoſum, in primis allium, ſinapi, cæpas &c. quę auditui nocent. Aër ſit purus, æger auſtrinos vitet ventos, & ab ijs muniat aures. Primùm inſtituatur univerſalis evacuatio, & ſi affectus pertinax ſit, diaphoretica pluries recenſita proſunt, ut diximus. Vulgarium cauteria, & veſicatoria maximè nocent. Sternutatoria hîc non uſque adeò tuta ſunt cùm incertum ſit, quò humorum motus ex vehementi illa agitatione conci-

concitatus vergere poſſit. Vulgarium frictiones inutiles ſunt, & mortuum potiùs, quàm ſurdum excitarent.

Peculiariter poſt corporis depletionem multùm valet de manè *Tritholi. ſudatorium in Puteolano* & de ſero *ſulphuris fumus per infundibulum in aurem exceptus in foro Vulcani. In Inſulâ Pithecuſæ valet ſudatorium ſancti Angeli, vel balneum Ulmitelli, vel furnelli.* Noſtrates vulgares maximoperè commendant *Sudatorium Aniani,* dictum balneum ſiccum ad hunc, & alios affectus, verùm ejus exhalatio eſt heterogenea, & propter Mephitis viciniam majora damna, quàm commoda in capite, & thorace recepta producit, & nos multos in animi deliquium & ſyncopem incidiſſe obſervavimus.

Interim topica applicentur, & in aurem inſtillentur, talia ſunt *oleum amygdalarum amararum, anguillæ pinguedo, axungia talpæ, pinguedo ſerpentis, aqua è ligno fraxini deſtillata, aqua origani ex ſiccâ plantâ cum vino deſtillata.* Efficaciſſima ſunt olea arte chymicâ deſtillata, *rutæ, caſtorei, roris marini, ſampſuci, ſalviæ, baccarum lauri, caryophyllorum, cinnamomi, Philoſophorum.* Maximoperè commendamus *balſamum ſulphuris ſpiritû vini extractum fel animalium, ut leporis, capræ, perdicis, vel cervi, ſi cum olei ſuccini æquali parte miſceatur,* & in aurem immittatur, ſed præſtat *eſſentia fellis per vini ſpiritum extracta,* qua curatos eſſe multos ajunt, qui planè ſurdi fuerint, attamen mirabiliter operatur *eſſentia fellis humani ſpir. vini extracta.*

Multùm prodeſſe poterit ſuccus ex cæpâ expreſſus, vini ſpiritu imbutâ, & ſub cineribus cocta. Itèm præ omnibus ſequens experimentum, ut

D. Car. Muſitani Trutina Medic.

℞. *Cepam magnam rubram*
in medio excavatam, cujus
cavitatem reple
ol. rutæ, addendo
pulv. cyperi,
baccar. lauri,
aniſorum,
cumini ana ʒj.
caſtorei pulv. ʒß.

Bulliant omnia ſuper prunas ardentes, poſteà exprimantur, & ſerventur in phialâ, dequo ſtillentur guttæ aliquot in aures manè, & veſperi, claudendo eas goſſypio moſcato. Experti ſſimum quoque medicamen eſt *liquor deſtillatus ex melle, & formicis.*

A nonnullis laudatur *panis ordinarius ex clibano extractus, & inferiori cruſtâ ablatâ, qui in vini ſpiritum immergatur,* & calidè quantum æger ferre poterit, ad aurem applicetur.

Tandèm ſequens expertum medicamen tutò in aurem inſtillari poterit.

℞. *Senectutem ſerpentis*
ovor. formicar. an. ℥ij.
contunde optimè affunde
ol. ſambuci ℔ß.
Indè aludeli, & per menſem chymicum ſtent in ventre equino.

& habebis oleum penetrans, quod cum goſſypio manè, & veſperi inſtilla in aurem.

De Affectibus Narium.

CAPUT XXVII.

De Coryzâ.

AB auribus ad Narium affectus deſcendimus, & præter ulcera,

quæ fuſiùs libro de Ulceribus egimus, aliud patiuntur malum, humoris ſcilicèt excrementitij fluxum, quià Græcis Κόρυζα, à Latinis *Gravedo*, quia in anteriori capitis parte circa frontem quidam gravitatis ſenſus moleſtus percipitur. Eſt catarrhi ſpecies cuilibet nota, qui eam multoties non ſit expertus, reperitur. Eſt obſtructio oſſis ethmoidis à narium excremento.

Signa.

Affectus hic per ſe patet, nàm plurimum excrementum per nares cum ſtrepitu excernitur, nunc liquidum, nunc ſpiſſum, & quandoque nihil nares opplentur, caput gravatur, reſpiratio ità difficilior redditur, ut æger non niſi hiante ore reſpirare poſſit, undè odoratûs abolitio ſuccedit, vox fit rauca, & non ſonora, & clara, ut antea, quia larynx, & guttur eodem afficiuntur excremento, & hinc guſtatûs læſio.

Veterum Cauſa.

Fluxionem à cerebro in nares defluentem pro coryzæ causâ aſſignant vulgares, fieri enim deſtillationem ab humoribus crudis in anterioribus cerebri debilitari ventriculis, contentis dijudicant. Hæc deſtillatio, ſeu fluxio fit vel à causâ calidâ, quæ pituitam in cerebro collectam fundere, & liquare poteſt, vel à frigidâ, quæ cerebrum refrigerat, & ſpongiæ inſtar humorem in illo contentum comprimit, & ad nares ablegat excernendum. Tùm etiam cerebri refrigeratione fit novus pituitæ proventus, & illum caloris penuria malè concoquit, undè plurima excrementorum ſupellex, quæ à facultate expultrice per patentes ductus excluditur, Non confutamus coryzæ cauſam à *Galenicis* allatam, quia *cap.* 16. *Catarrho* ad nauſeam uſque eorum nænias explodimus.

Noſtra Cauſa.

Coryzæ cauſa occaſionalis eſt aura frigida veſperina, borreæ flatus, repentina caloris in frigus mutatio, &c. calor enim poros aperit, quos, ſi extemplò frigus inſequatur (frigus nàmque ex particulis acutis, acidis, nitroſis acribus in aëre volitantibus conſtat) conſtringit, atque ità ſpongioſum os ethmoides, prægreſſo calore, maximè apertum eſt, inſequente ſubitaneo frigore obſtruitur, undè læſæ partis functiones, & digeſtionis ſtatim vitiantur; interim narium inſitus ſpiritus peregrinum ſentiens hoſtem, laceſſitur, in ſuis actionibus perturbatur, ſuumque relinquit munus ac partis alimentum, aliàs vividum, fit degener, & initio magnam laticis quantitatem, aquæ ſalſo-acidæ inſtar ad ſordes elevandas provocat, & per nares exſtillat, quam ægrè ferentes, ſolent indè cum adjacentibus phlogoſi rubere, & tumefieri. Quod fit latex in coryzæ principio, patet, nàm mox à biduo alvus ſiccior, & urina redditur parcior. Deindè topicum interturbat alimentum, & degener ſub muci formâ profundit, non aliter ac feſtuca in oculo continuas proritat lacrymas; angina indeſinentem, & mucidam ſalivam ſpumat; Dyſenteria proprium inteſtini nutrimentum

rum mucorum cum ſanguine exturbat; veſica continuum deturpati alimenti plorat mucum, præſente calculo, qui ceſſat, illo abſente.

Coryza odoratum ſuſpendit, & guſtatũ lædit, quia peregrinus hoſtis non ſolum circa odoratûs organum, ſive oſſi ſpongioſo inſidet, verùm etiam in vicinum cerebrum labes propagatur; undè nervi guſtatûs contagij fiũt participes. Quandóq; ſicca tuſſicula cum aſperæ arteriæ prurigine infeſtat. Interdùm raucedinem facit, & non rarò titillationem in larynge proritat, quia labes in has partes propagatur. Laudatur ſpiſſior, tenacior, fluidiorque mucus, quia excrementa craſſeſcere, bonum; indicat enim cuſtodem ad ſuum redire munus.

Prognoſis.

Coryza eſt affectus leviſſimus, & tutiſſimus, & citò curatur, ſi recens fuerit, & à cauſâ concitatus externâ, ſed ſolummodò, ſi latex fuerit nimio ſalſo acido ſaturatus, exulcerare ſolet, & ulceribus, ac ozœnis viam ſternit. Eſt quandóq; coryza contagioſa, & miaſmata ex partibus affectis exhalantia, vel per aërem attracta, vel per lintea, aut pocula communicata fermenti inſtar ſimilem labẽ alijs inferre ſolent. Per aliquot dies caput aggravat, ſi in conſenſum trahatur, odoratum ſuſpẽdit, non nihil loquelæ impedimento eſt, guſtatũ lædit, & intra paucos dies ceſſat, quod ex flavo, viſcido & inſpiſſato excremento judicatur. Coryzam in omnibus circa pulmonem morbis, & anteceſſiſſe, & ſuccedere malum. *Oriuntur gravedines vere*, ut inquit *Hip. aph. 20. ſect. 3. Item hyeme poſt æſtatem ſiccam, & aquilonarem, autumnum verò pluvioſum ſect. 3. aph 13. In ſenibus coryza malum. Raucedines, & gravedines in valdè ſenibus coctionem non admittunt ſect. 2. aph. 40.*

Veterum Curatio.

In coryzæ curatione vulgares cerebrum reſpiciunt, ejuſque intemperiem calidam, vel frigidam corrigentes, humores crudos evacuantes, ut in catarrho, revulſiones, & derivationes adhibent, & præter hæc caput roborant, expultricem ſedant facultatem, ne humores crudi ad nares tranſmittantur, & deindè materiam nares obſtruentem educunt vapore *decocti ſampſuci* naribus excepto, vel ejuſdem ſampſuci aquâ. Vel *acetum in ferream laminam candentem infuſum*, vapore tenus exceptum ad id conferre credunt, & id efficaciùs ſi *in aceto roſa rubra prius infundantur.* Ad id etiam valet *acetum, in quo infuſum ſit caſtoreum*, naribus attrahere. Vel olfacienda præbeantur *calamintha, ſerpillum, ſemen nigellæ aceto maceratum, item caſtoreum.* Vel adhibent errhina, quæ cerebrum, & nares purgant: optimum tamen errhinum eſſet elleborus, quià reverâ caput purgat. Verùm hæc vulgaria medicamenta patent lippis, atque tonſoribus, & potiùs nocent, quàm juvant; ſolvunt enim à cerebro, & naribus, undè malum adaugent, & fovent, quapropter ſi his remedijs, quis coryzâ non laborans, uteretur, utique coryzâ corriperetur.

Noſtra Curatio.

Coryza eſt itá morbus leviſſimus, ut à quovis negligatur, cùm ferè ſemper

per ſe abire ſoleat, citoque curetur, à cauſâ tamen externâ concitatus: verùm ſi à cauſâ internâ, ut ulcere, ſarcomate, polypo, carcinomate &c. concitatur, his ſublatis, ſponte ceſſat.

Si pertinax, & rebellis perſiſtat coryza, tunc lymphæ exuberantiam *reſinâ jalap.* per ſedē eliminamus, vel nimias ſeroſitates abſumimus per cutis poros diaphoreticis, ut *ſtibio, cornu cervi ſine igne, miſturâ ſimplici, aquâ bardanæ, vel ſalibus volatilibus, ut cardui ſancti, roris marini, ſcabioſæ &c.* vel eas per urinę vias exturbamus. Quibus medicamentis internis externa copulamus ſuffumigia, ex quibus præ cœteris ſequens nobis magis arridet quod citò, tutò, & jucundè, aliquoties unico die uſurpatum, & ſenſim exceptum coryzam percurat. Talis eſt *ſuccini pulvis* qui prunis inſperſus, ore patulo, & naribus excipitur, & ne quid fumi pereat obtecto capite, ab ęgro ſtudioſè eſt excipiendus. Si magis compoſita deſcribere volumus ad pompam augendam, *ſuccino addimus maſtichen, thus, benzoinum, & ſtyracem* ex quibus fumus excitatur, & modo quo ſuprà excipitur. Expertum etiam habemus ejuſdem *ſuccini oleum* digiti auricularis interventu intra nares immiſſum, illud introverientis, aut *oleum eſſentiale ſampſuci.* Item *balſamus apoplecticus* naribus illitus. Magnoperè etiam valet *gummi anima* pro ſuffitu ſuper carbones, aut *ejus oleum.* Similiter *tabacum aliquot olei aniſi guttis conſperſum*, communi more ſumptum. Hæc impreſſionem tollunt, & efficaciter obſtructionem ſolvunt, ac diſcutiūt. Opiata nonnulli commendāt, verùm magnâ ſedulitate adhibenda ſunt, ne nimis incraſſando, fœtorem, vel aliud incommodū pariant, ut ſępè à nobis compertū eſt. præſentaneum eſt prę omnibus ſpiritus ſalis armoniaci cum calce elicitus.

CAPUT XXVIII.

De Narium Hæmorrhagiâ.

SOlet quandóq; natura ſanguinem vitioſum per nares effundere, & multos curare languores, verùm multoties laceſſita optimum, laudabilemque ſanguinem impetuosè ità profundit, ut vitę theſauro exhauſto, patientem non obire, ſed abire quotidiana nos doceat experientia.

Affectus hic *αἱμοῤῥαγία* dicitur grecè, quaſi dicas ſanguinis fluxū, præſertim liberalem, & copioſum, à quacumque parte fluat, cujus variæ ſūt ſpecies, qui ex ſedis vaſis fluit, dicitur hęmorrhoidum fluxus; que ex utero ſingulis menſibus provenit, menſium fluxus nominatur; qui poſt partum è mulieribus labitur, lochiorum fluxus appellatur. Sunt & aliæ cruentę ex quibuſcumq; partibus excretiones, de quibus ſuo loco agemus. Uſus tamen obtinuit, ut nunc non addito partis nomine, pro hęmorrhagiâ ſanguinis fluxum è naribus tantùm erumpentem ſpecialiter intelligimus.

Eſt itáq; hęmorrhagia immodicus ſanguinis per nares fluxus. Pars affecta in hęmorrhagiâ ſunt nares vel per eſſentiam, vel per conſenſum, & ut in hęmorrhagiâ regia afficiuntur vaſa ſāguinea, ex quibus autumamus arterias magis in culpâ eſſe, quàm venas, ſinumque tertium craſſę meningis per longitudinem falcis ad os cribroſum excurrentis in hęmorrhagiis apperiri. Vel

Vel utplurimum tamen propagines rami arterialis à carotide internâ aperiuntur,rumpuntur,vulnerantur, eroduntur.

Signa.

Narium hęmorrhagia ſignis non indiget,cùm ad ſenſum,vel ex ſolâ relatione immodica ſanguinis copia conſpiciatur. Diſtinguendę autem ſunt illius cauſę hoc modo:Si per anaſtomoſim fit,narium ſanguis copioſè fluit,ſi per diçreſim,ſanguis adhuc majori copiâ,& impetu fluit,præceſſitque contuſio,aut alia violenta cauſa externa;ſi per diapedeſim, ſanguis fluit paucus, tenuis,atque ſeroſus

Sunt & alia ſigna obſervanda;ſi enim hęmorrhagia critica eſt, ægrum levat, quia cum ipſa prior morbus, ejuſque ſymptomata evaneſcunt; ſi enim ſymptomatica, æger eam difficulter ſuſtinet, & cum pulſu languidiori vires ſenſim attenuantur.

Si ſanguis immediatè è narium venis fluat, nullus percipitur capitis dolor, & facilè per adſtringentia naribus applicata ſiſtitur; ſiverò à cerebri venis fluat, in aliquâ determinatâ capitis parte percipitur dolor, & per adſtringentia medicamenta naribus impoſita non ſedatur fluxus.

Solet quandóque ab aliis etiam partibus ſanguis fluere, ut hepate, utero, harum partium ſigna dolores, & tenſiones indicabunt.

Tandem, ſi ſanguis ab arteriâ fluat, egreditur calidus, floridus, ſubtilis, cum ſpumâ, & impetu; è venâ verò craſſior, & nigrior cum pauco impetu egreditu .

Si hæmorrhagia à ſanguinis copiâ oriatur, adeſt faciei rubor, venarum tenſio,cùm etiam victus largior,& rubens appatet ; Si cacochymia contingit,quaſi corruptus,& pravâ conſpurcatus qualitate apparet, faciei color depauperatus.

Diverſas habet hęmorrhagia differentias, cùm alia ſit à naturę motu,& dicitur critica, alia à causâ morbificâ, & dicitur ſymptomatica;criticam natura moderatur, ea quę ſibi noxia, & moleſta ſunt, exturbans,ut in febribus acutis in quibus natura cauſam morbificam per has vias expellere conatur. Hęc etiam fit ſine febre,naturâ ſeſe ſuperfluo ſanguine exonerante, ut multoties videmus multos in floridâ ętate periodicam pati hæmorrhagiâ,Symptomatica etiam fit à naturâ,quę turbata,confuſa, & irritata procedit in ſuis operationibus, & perperam operatur, ut in morbis chronicis evenire ſolet.

Veterum Cauſæ.

Hęmorrhagię cauſa eſt continui ſolutio facta in narium venis, & hęc ſolutio ad ſcholaſticorum mentem tribus modis fit, quibus generaliter vaſa ſanguifera ſolvi poſſunt,& ſanguis effundi,quorum primus eſt anaſtomoſis ſive apertio, ſecundus diapedeſis, ſive rarefactio; tertius rhiſis, ſive ruptio.

Ἀναςόμωσις provenit à ſanguinis calore,& efferveſcentiâ venarum orificia aperiente, & illum promptiorem efficiente. Διαπήδησις fit à venarum tunicâ magis attenuata, & à ſanguinis tenuitate,& ſubtilitate per poros tranſeuntis,veluti per ſudorē,non aliter ac hydrargyrum ſubtiliſſimas ſuas guttulas per corium ſpargere ſolet, ſed de hoc modo valdè dubitamus, quomodò ſcilicet ſanguis ſub ſanguinis for-

mâ è vaſe aliquo trãſſudare poſſit. Diæ-ξιs ab externâ violentiâ,colliſione ſcilicèt,ictu,vel contuſione accidit venas erumpente, vel etiam à ſanguinis ſuperfluitate vaſa diſrumpente.

Pro horum modorum cauſis putarunt vulgares,& quidèm in anaſtomoſi pro interna eſſe ſanguinis copiam impetuosè ad venarũ orificia ruentis, ejuſdem caliditatem, & acrimoniam, facultatem expultricem irritantem, retentricis debilitatem, venarum mollitiem & tenuitatem; pro externa, quæ ſanguinem multiplicare valent,victum pleniorem,crapulam, compotationem vini meracioris,fortiumq; potulentorum,intermiſſionẽ venæ ſectionis, hæmorrhoïdum ſuppreſſionem,à Venere abſtinentiam, medicamenta venarum oſcula nimis reſerantia &c.In diapedeſi internè vaſorum raritatem,& relaxationem, & quæ ſanguinem attenuare poſſunt accuſant;externè exercitia nimia,iracundiam,æſtum, veneris œſtrũ, longiorem ſub ſole moram,balnea&c. In diæreſi internè culpant ſanguinis acrimoniam & mordacitatem vaſa corrodentem,eorundem diſtenſionem à ſanguine copioſiori, & ebulliente; externè acria quævis, motum vehementem,pondus grave, magnum clamorem,contuſionem,inciſionem puncturam,rupturam.

Noſtra Cauſa.

Hęmorrhagia oritur vel à ſanguinis, vel vaſorum, aut ſimul utriuſque horum vitio. Sanguis quandiù intra ſua conceptabula coërcetur, omnia in pace poſita ſunt, ſi verò ab aliqua cauſa conturbatur,& in varios ſe adigit motus, ut intra ſuos parietes coërceri nequeat, ſed eorundem oſtiola diſtendẽdo aperit, vel rarefacit, vel rumpit, & quâ datâ portâ ruit,ac ut uno dicamũs verbo, omnes modi à ſcholaſticis aſſignati ſunt meræ tunicarum, ſive arteriarum, ſive venarum ſolutiones. Sanguis hęmorrhagiam cauſat quãtitatis, vel qualitatis peccato; quantitate peccat,quandò ſanguinis in corpore copiã nimis augent alimenta euchyma, vina generoſa,excretiones menſtruorũ, vel hęmorrhoidum ſuppreſſę, quę ità ſanguinem intra ſua mœnia cumulant, ut coërceri non poſſit & neceſſariò foràs erumpere debeat. Qualitate delinquit ſanguis,cùm acrior,tenuior exiſtit,vel ſalinis,acidis,lixivioſis, ſulphureiſquè ſcatet corpuſculis. Huc pertinet validus corporis motus,alimenta calidiora, ac aromatibus condita,ſicut quoq; ſpiritus vini abuſus & cœtera calidiora,& acriora quæ conſimilem ſanguini imprimunt characterem. Item excãdeſcentia, quæ citatiorem in ſanguine motum excitat,undè viſi ſunt quidam, ità excanduiſſe, ut non tantùm facie ſpirârint ignem, ſed & ſanguinem ex oculis & naribus,emiſerint.

Ad hæmorrhagiam etiam vaſorum vitia conjurant, vel enim ipſa vaſa fibras nimis debiles, laxas, vel teneras ità habent,ut facilè ſanguini tranſitum præbeant,eſtò impetuosè non feratur; aut à cauſa diſtendente, & rumpente aperiantur; aut poris, oſtioliſvè nimis dilatatis, aut apertis conſtant, quibus ſanguis, nullo obſtante impedimento, facilè elabatur.

Hæmorrhagia eſt affectus junioris ætatis,ut habetur *ſect.3.aph 27. Hæmorrhagia narium eſt affectus familiaris pubeſcentibus.* Hęc enim ætas ſanguine ſpirituoſo, & tumultuoſo abundat, ac proindè facili de causâ ejus efferveſcentiam ſæpiſſimè experitur, non aliter

ſet ac novum vinum non adhuc perfectè defæcatum, quod ob ſpirituoſitatem & turbiditatem ſeipſum ad fervorem concitat, ut ſuas deponat fæces, quas ſurſùm, deorſumque tanto propellit conatu, ut magna optimi vini pars cum fæcibus ſursũ ad orificij vaſis foramen unà feratur, & effluat: idem probabile eſt in juvenculo ſanguine fieri, ut ad amovendam à ſe fæculentiam fervidè ſe commoveat, & præ fervore ſurſum bulliat, ejuſque pars ad ſummum humani vaſis orificium, nimirum nares ſuperfluat, ac dictam conſtituat hæmorrhagiam, in qua ſanguis per nares exiliens vel à venis, & arterijs imam, aut ſupremam cerebri ſedem permeantibus effunditur, vel à vaſis, à palato ad nares deſcendentibus, quæ ſunt venarum hæmorrhoidalium inſtar in ano, & utero.

Prognoſis.

Duplex eſt hæmorrhagia, una imminens, altera præſens, verùm majori exiſtimationi erit medico imminentem præſagire, quàm præſentem ſiſtere; ideóque imminentis præſagia ſedulò recenſere oportet. Imminentis hæmorrhagiæ prognoſis, præſertim criticæ eruitur ab actionibus læſis, excrementis, & qualitatibus mutatis. Futuram hæmorrhagiam præſagiunt inſomnia, & rerum rubrarum imagines; capitis & cervicis dolor ſubindè ortus; temporum gravitas, & magna pulſatio in illorum arterijs; aurium tinnitus, vel ſonitus; oculorum hebetudo, vel ſplendores, Marmarygines oculis obverſantes; faciei, & oculorum rubor; lucis averſio; lacrymæ involuntariæ; pruritus aurium, naſi rubor; ſanguinis ſtilla die indice apparens v. g. quartâ, vel decimâ, oſtendit futuram hæmorrhagiam die judicatorio, nempè ſeptimâ, vel decimâ quartâ, quia diebus judicatorijs natura humores ad eas partes transferre incipit, difficilis reſpiratio, & tandem hypochondriorum tenſio ſine dolore.

Præſentis hæmorrhagiæ prognoſis ità ſe habet: Hæmorrhagia mediocris, & per rara adveniens intervalla ſalutaris eſt; natura enim rectè operans ſuperfluo pondere ſe exonerat: at ſi crebræ, largiores, & vehementes ſanguinis profuſiones fuerint, peſſimæ; omne enim ſanguinis profluvium immodicum eſt periculo plenum, viam præparans ad mortem, in primis ſi extrema frigeant, ſi facies appareat pallida, viridis, vel livida, vel animi deliquia, ſyncopen, vel cachexiam & hydropen omninò incurabilem excitat, ità ut exempla non ſint curatorum ab hydrope, qui narium hæmorrhagiam ſequutus ſit, in quem etiam conjicit, ſi per plura ſpatia ejuſmodi fluxio per nares diù fatiget, ac ſi confertim & continuatim fiat.

Hæmorrhagia in morbi principio, mala, quia ſymptomatica eſt, fit enim à naturâ ante tempus ad excretionem irritatâ à materiæ morbificæ malitiâ. Paucæ ſanguinis ſtillæ in morbis per nares effluentes, infauſtum prædicunt eventum, & vel mortem, vel recidivam prænunciant, & præcipuè in morbi principio, *Epaminonis & Sileni* exemplo penes *Hip. Epidem. lib.* 1. qui interierunt, quòd puſillum quid è naribus ſtillaverit: ſignificant enim naturæ imbecillitatem, vel malignitatem morbi, eo quòd omnis excretio in morbis acutis, quæ tantùm incipit & non finitur, damnanda eſt. Quòd ſi ſtella die indice prodit coctionis ſignis utcumque

cumque apparentibus, futuram criſim per hęmorrhagiã die criticoſignificat.

Hęmorrhagia in quartanã peſſimum ſignum eſt, ut habetur *ſect.* 8. *aph.* 3. *Quibuſcumq; in quartanis febribus ſanguis è naribus defluxerit, malum.* Quia ſanguinis fluxus in melancholicis & phlegmaticis noxius eſt; hi enim ſanguinis profuſione magis refrigerantur & debilitantur, quia vulgo quartana, ut & cachexia, & hydrops morbi frigidi nominantur. Sic etiam ſi hæmorrhagia in ſenibus oboriatur, malum. Per hęmorrhagiam quandóq; naturá alias compenſat evacuationes, itá notavit *Hip. ſect.* 5. *aph.* 33. *Mulieri menſtruis præter naturam deficientibus ſanguinem è naribus profluere, bonum.* At ſi hæmorrhagia intempeſtivè ſupprimatur, cõvulſionem, epilepſiam &c parit, ut hęmorrhoides longo tempore fluenres, ſi inconſideratè cohibeantur ſecundum Hip. tabis, aut hydropis & ſecundum alios ſcirrhi, cancri, & lepræ periculum impendent.

Febres acutas criticè & quandoque ſymptomaticè ante humorum coctionem hęmorrhagia ſolvit; experimur enim quã plurimos à graviſſimis morbis nariũ hęmorrhagiâ liberatos fuiſſe & præcipue febribus malignis, ut pote iis, quę variolas, & morbillos habent adjunctos, ſi hęmorrhagia ſuperveniat febris vel ſolvitur, vel mitigatur & variolę, vel morbili multo pauciores erumpunt, quàm ſi nulla ſuperveniſſet hęmorrhagia. Verũ huic doctrinę adverſatur *Fernelius* inquiens: licet deliria, vigilias, capitis dolorem, & reliqua ſymptomata demulceat, vix tamen propriam morbi eſſentiam, & radicem evellit, quia ſanguinis portio purior emittitur, impuriori remanente. Idque ex eo probat, quòd ſanguis è nare profluens, colore, ſubſtantiâ laudabilis apparet; cùm ſanguis eodem tempore è vena detractus impurus & corruptus videatur.

Plauſibilis equidem eſt hæc Fernelij doctrina, non tamen abſolutè recipiẽda. Verum eſt in quamplurimis morbis acutis, præcipuè in febribus malignis, hæmorrhagiam ſæpè morbum penitùs non ſolvere, atque perpetuum non eſt, ſed tunç cùm tales evacuationes fiunt á naturá ante coctionis tempus irritatá à cauſa morbificâ.

Ad id, quod Fernelium dubium reddit, nimirùm quòd ſanguis, qui in narium hęmorrhagiâ effluit, ſemper purus & floridus apparet, facilè reſpõdemus; nàm non ſemper è ſolis venis effluit, ſed ſæpè ex venis & arterijs ſimul, putà è tertio craſſæ meningis ſinu: ſicut & è venis, & arterijs in cerebri baſi, per varias anaſtomoſes cõcurrentibus iſta hęmorrhagia fieri poteſt. Cùm ergò iſte ſanguis non ſolum è venis, & arterijs fluat, non mirum eſt, ſi rubicundior appareat, quàm ille, qui è venis in cubito ſectis emanat.

Veterum Curatio.

Vulgares in hęmorrhagię curatione itá ſe gerunt: Criticam non ſupprimunt, ſed ad debitam ſanguinis quantitatem fluere permittunt; Solet enim quandóq; licèt critica, modum excedere, ſiquidem ſanguinis multitudine gravata natura ad illius expulſionem excitatur, & modum tenere non poteſt, & vehementem facit evacuationem, undè virium jacturam, & mortem timere oportet, tunc illam cohibent. Sed quis debitum modum in omnibus ſtatuere poteſt?

Sym-

Symptomaticam hęmorrhagiã cohibent celerioribus præſidijs, in anaſtomoſi vaſa recluſa obturant, in diæreſi uniunt, in diapedeſi denſant, ſanguinē ad nares confluentem revellunt, ab iiſdem, & vicinis partibus repellunt, humores acres, & tenuiores ſanguini permiſtos evacuant, & corrigunt, eorum geneſim prohibent, hépatis, & venarurum retentionem roborant facultatem.

Primò ſanguinis miſſionem, quæ inter revulſoria remedia principem poſſidet locum, maturè antequam vires debiles evaſerint, celebrant. Hic Barbati ſuam excercent carnificinam, hic barbatorum ſanguificina triumphat & ægrotus tanquàm ad lanienam ductus, ſatellitio conſtipatus, per fidos carnifices, nimirùm tonſores. inciſis venis ſãguinariorum inexplebilem explet ſitim. Incidunt venam mediam, aut internam brachij è directo partis, qua ſanguis profluit, dextri ſcilicet ſi è nare dextra, vel ſiniſtri, ſi è ſiniſtra, utriuſque dùm è nare utraque ſanguis emanarit. Si caput magis ſanguine abundare vident cephalicam aperiunt. In magna plethora prius tali venam incidunt, præſertim ubi ex ſuppreſſis menſibus, vel hæmorrhoidibus acciderit. Attamen ſi unica phlebotomia hęmorrhagia non cohibita ſit, illam reiterant ad mali uſque declinationem.

Verùm incompeſcibili jurgio controvertitur inter vulgares, an phlebotomia fieri debeat anguſto, an amplo foramine, & ſanguis exigua quantitate ſæpius repetita detrahendus ſit, adeò ut in phalangas diſtincti invicem digladiantur. Aliqui cenſent foramen debere eſſe anguſtum, ut ſubtilis ſanguinis pars effluat, maneatque craſſior, minùs ad fluendum idonea; & ſanguis moderatè educendus ad ℥.j. vel ij. atq; iterarò poſt horę ſpatium, ut major fiat revulſio, vireſq; ſimul nondevaſtentur. Alij ampliori foramine, & exiguâ quãtitate ſępiùs repetitâ ſanguinem detrahendum, & revulſionem meliùs fieri cenſent: nàm ut contrarius motus ſanguini concilietur, vehementiori agitãdus eſt motu, ſiquidèm motus vehemẽtior debiliorem rapit: idcò quò ampliori foraminè, & magis confertim ſanguis effluit per ſectam venam, eò promptiùs è naribus fluentem adducit ſanguinē.

Non poſſumus non reſpondere ad hanc vulgarium controverſiam, licet utraque ſententia à verâ medendi methodo aberret, tamen veriſimilior videtur, quæ ampliori utitur foramine, ex allatis rationibus & tãquàm improbabilem reijcimus illam, quę anguſtũ ſtatuit foramen. ex anguſto enim foramine ſubtilis ſanguis i. ſpirituoſus effluit, remanente reliquo ſanguine ſpiritibus effœto, undè lipothymiæ, ſyncopes, virium jacturæ emergunt ob magnam ſpirituum deperditionem.

Vindicandam cenſemus naturam à tantâ vulgarium ſãguificinâ, licet prędicent multos infirmos è faucibus orci ereptos, cùm potiùs per accidens id evenerit, quàm aliquâ demonſtratione; ſunt enim probabiles conjecturæ, quæ pro illâ afferuntur. Non eſt hæc recta via ad ſalutem, neq; optimæ notæ medicus hoc incerti præſidij genere uti debet quia periculum facere per hominum mortes, eſto quandòq; juviſſe obſervaverit, tamen multoties intериmiſſe expertus eſt. Itàq; recedat à medicorum aulâ hoc incertum remedium, quod cum ambiguitate, & per-

nicie tentatur; in ambiguis enim & præſertim pernicioſis tutior ſententia ampleɛtenda eſt, undè præſtat ſanguinem, qui eſt vitæ theſaurus, conſervare, quàm illum veluti aquam profundere. *Clamat enim occiſorum ſanguis ante thronum Dei: Vindica Domine ſanguinem noſtrum, qui effuſus eſt.*

Quod de revulſione & derivatione dicunt vulgares in hæmorrhagiâ phlebotomiâ ſanguinem ad læſam partem accurrentem poſſe ſiſti, & retrahi, merum figmentum eſſe ſanguinis circulatio oſtendit, ex quacumque enim parte ſanguinem mittas, æquè totum corpus ſanguine depletur. Putârunt creduli vulgares in humano corpore ſanguinem intra venas, & arterias ſtagnare, ac poſſe aliquandò à læſis partibus in auxilium retrahi. Sanguinis igitur miſſio ſolam aufert plethoram, non cacochymiam: verùm vix adduci poſſumus ut credamus naturam, quæ nunquàm deficit in neceſſarijs, in ſuperfluis abundare, ut tantam ſanguinis copiam produci patiatur, quantam venæ capere non poſſint.

Poſt phlebotomias alia adhibent revulſoria præſidia, ut cucurbitulas cum ſcarificatione in ſcapulis, & cervice, quibus fluentem à naribus ſanguinem retrahere imaginantur: Attamen non eſt tutum remedium, poſſunt enim ſanguinem ab inferioribus partibus ad ſuperiores attrahere, & novo affluxui occaſionem præbere. Hirudines poſt aures, extremorum frictiones, eorundem ligaturas dolorificas, lotiones quoque ex aquâ fervente Cucurbitulam ſatis magnam ſine ſcarificatione hypochondrio applicandam jubent, dextro, ſi è dexterâ nare ſanguis fluat, ſiniſtro, ſi è nare ſiniſtrâ effluat, utrique ſi ex utraque ſanguis effluat; Verùm cucurbitularum applicatio hypochondriorum regioni eſt medicamenti genus maximo periculo adjunctum; ſanguis enim tunc efferveſcens ad hepar & lienem magnâ copiâ attrahi poteſt & in his partibus inflammationem efficere, cujus inflammationis hiſtoriam narrat de quodam aulico *Fabricius Hildanus obſ.* 47. *cent.* 2.

Hujus occaſione cujuſdam medici vulgaris recordamur, qui in narium hæmorrhagiâ cucurbitulas ſupra utramque mammam cuidam juveni applicuit, ſanguis quidèm extemplò ſubſtetit, ſed ità maxima raucedo ſubſequuta fuit, ut vix miſer audiri potuerit, quem ad mortem uſque comitata fuit.

Si narium hæmorrhagiæ ſola plethora ſit cauſa, ſola ſanguinis revulſio ſufficit, nec purgatione opus eſt, ubi verò vitioſi alij ſucci ſanguini ſunt admiſti, purgans medicamentum, quod compreſſivum vocant, inſtituunt, quia non nihil adſtringunt, & humorum revulſio ad inferiora ſi: tale concinnant, ſi præcipuè bilis redundet. *ex tamarindis, myrobolanis citrinis, vel chebulis, ſyrupo ex multiplici roſarum infuſione, & rhabarbaro torrefacto.* Verùm vulgarium pace, purgans medicamentum nullum jus intra venas habet, cùm illuc non pateat aditus.

His omnibus adminiſtratis, ſi ſanguis adhuc fluat, ad alia deveniunt medicamenta, quę tam intrò, quàm foris imponuntur; undè primò exhibent ſyrupos refrigerantes, *ut de ſucco acetoſæ, de nymphæâ, cichorio, portulacâ &c. cum aquis plantaginis, lactuca, portulaca &c.* Vel opiata, *ut Philonium Romanum, Perſicum, requies Ni-*

ſolani, putant enim opiata eſſe frigida, & ſanguinem incraſſare; non exhibenda tamen ſunt ægro debili, quia periculum eſt, ne calor ab opiatis extinguatur.

Foris topica applicant refrigerantia, capiti nempè, fronti, temporibus, collo, hepati, teſtibus, manibus, brachijs, pedibus, & tandèm toti corpori.

Caput aquâ frigidâ perfundunt; verùm ſanguis per refrigerantia intropulſus, venas, quæ alto ſunt, replebit, & ſanguinis fluxus augebitur, vel ſanguis retentus convulſionem, apoplexiam, parotidem, dyſpnœam, aut alium quempiam gravem affectum excitare poterit.

Fronti & temporibus fotum *ex aquâ valdè frigidâ, vel ex ſucco plantaginis, burſæ paſtoris, ſolani &c addito aceto* ad penetrationem, applicant cum linteis, quæ dùm caleſcere incipiunt, frequenter mutant. Vel iteratò frontem *ſpongiâ aceto frigido madidâ forent.*

Collo linteum ex aquâ frigidâ madidum circumdant; verùm in hoc metus eſt, ne apoplexia, vel ſyncope accerſatur, præcluſis vijs inter cor, & cerebrum.

Faciem aquâ gelidâ conſpurcant, quia non ſolùm ſanguinem fluentem repellit, verùm etiam eundem ad interiora retrahit Sed aqua frigida ſatis in magnâ copiâ in faciem conjici debet ex improviſo, nempè ad duos, vel tres cyathos per brevia intervalla projectos. Verum tamen hoc remedium aquę frigidę ſyncopen excitare poteſt, vel ſaltem lipothymiam & ægrum de medio tollere. Neque optimum remedium eſt ad hæmorrhagiæ fluxum cohibendum ſyncopen excitare, cùm non deſint alia remediorum genera efficaciora & tutiora

Hepar *cerato ſantalino, vel unguento roſarum* inungunt, quia hepar calidum ſanguinem ſurſum mittit.

Teſtes circumligant aquâ frigidâ panno madido *ex aquâ plantaginis, portulacæ, burſæ paſtoris, pulvere roſarum, & trochiſcis de camphorâ.* Verum nullus conſenſus eſt inter teſtes, & nares; ſi eſt barbâ ſanguis flueret, utique hoc remedij genus concederemus cùm inter barbam & teſtes magnus intercedat conſenſus, ut videre eſt in eunuchis, qui quia teſtibus carent, carent quoque barbâ.

Manus, brachia & quoque pedes refrigerare valdè utile eſſe dijudicant, ac proindè in aquam frigidam immergunt. Vel aquâ frigidâ volas, & plantas è carpi regione lavant, ubi arteriæ pulſant. Vel ſilices, ferrum, aut alia frigida manibus tractanda imperant, aut pedibus laminas plumbeas, vel lapideas ſubſternunt.

Tandèm, ſi omnibus his refrigerantibus ſanguinis fluxus non compeſcatur, quia maximo in fervore verſatur, quidem vulgares totum corpus in balneum frigidum demittunt. Verùm hęc remedia ſunt ex aquâ frigidâ.

Nihil proficientibus refrigerantibus, ad adſtringentia recurrunt, uti ſunt *myrtus, piloſella, conſolida major, bolus armenus, terrà ſigillata corallia, acacia, hypociſtis, cortices granatorum, ſanguis draconis, lapis hæmatites &c.* ex quibus pulveres concinnant intra nares inſufflandos, vel aceto, & ovi albumine ſubagitant, fronti, & temporibus admovent, vel ſupra linteamen extendunt, & collo, ubi venæ jugulares deſcendunt, circumdant.

Vel utuntur *ſyrupis cydoniorum*, *myrtino*, *de ribibus*, *roſis ſiccis*, *de agreſtâ*, *trochiſcis de terrâ ſigillatâ*. *de ſpodio*, *de carabe*, *myva cydoniorum*, & ex ſuprà dictis pulveribus varia electuaria & opiata parant.

Inſtillant in aurem acetum, quæ nari fluenti proxima eſt; ſic enim venam, per quam ſanguis, fluit, adſtringi poteſt.

Fabam, aut numiſma argenteum radici narium inter cilia admotum, & faſciâ arctè alligatum, ut fortiter partem comprimat, eundem fluxum cohibere credunt.

Non deſunt vulgaribus medicamenta ſpecifica, quæ à proprietate occultâ ſanguinem fluentem cohibent. Ita eſt *urticæ ſuccus*, quem ſemel, atque iterùm ad ℥.iv. propinant, tùm per nares attractus, tùm fronti & temporibus admovent totam urticam contuſam. *Stercus porcinum* inter præſtantiſſima ſpecifica recenſent, ſi calens fronti, & temporibus admoveatur, vel olfaciendum detur, vel ſiccus in nares immittatur. Maximoperè etiam ad ſydera extollunt *ſtercus aſininum* eodem modo uſurpatum, ut de porcino dictum eſt; imò conficiunt *ſyrupum de ſtercore aſinino*. Narrat *Rodericus à Caſtro lib. 1. de morbis mulierum cap. 5.* Medicum quendam ſeptuagenarium hæmorrhagiæ maximè obnoxium, ſtercus aſininum modicè exſiccatum in capſulâ ſemper geſtare ſolitum, cui medicamento nullum aliud ſimile ſe repeririſſe referêbat, præſertim ſi ſucco urticæ commiſtum, ſi ſiccum, aut recens per ſe naribus exhiberetur.

Multi vulgares hæmorrhagiæ occurrunt verbis aliquibus ſuperſtitioſis, quæ recenſere non licet; ſed hæc aërea & inutilia ſunt experta, ut pote in aëre verborum fundata.

Si narium hæmorrhagia ſit critica, aut conſueta, & modum ſervet, non impediend , niſi copia vires proſternat. Nunquàm autem ſtatim in principio ſiſtatur, & multò tardiùs in ijs, qui in ætate ſunt juvenili, & conſtitutione corporis ſanguineâ, & quibus hæmorrhoides, aut menſes ſubſtituerunt; multi enim ex intempeſtivâ ſuppreſſione in graves, aut chronicos morbos inciderunt. Morboſæ, ſeu ſymptomaticæ mox in principio ſuccurrendum, & quo longiori tempore fluxus duravit, eò citiùs occurrendum eſt, ne vires proſternantur.

Noſtra Curatio.

Succurrimus narium hæmorrhagijs, tùm internis tùm externis medicamentis. Interna ſunt, quæ ſanguinis acrimoniam, ejuſque particulas ſalinas, & ſulphureas abſorbent, ac præcipitant quæ ſanguinis impetum, & turgeſcentiam mitigant, pacantque, quæ particulas acriores diſſolutas hebetant, & compingunt, & tandèm quę vaſa anguſtant.

Sanguinis acrimoniam obtundunt in primis *crocus Martis cum ſucco cydoniorum aquâ burſæ paſtoris, vel ejus ſucco*; ſed prętat extractum *croci Martis* ſequens, ſi ejus grana quatuor cum aqua plantaginis exhibeantur:

℞. *Limaturæ Martis* ℥. j.
affundantur lentè, & ſucceſſivè aquæ fontis ℥. iv. *ad* viij.

Digerantur per noctem in cineribus, vel arenâ ad totalem uſque ſolutionem. Hinc per alembicum aqua fortis abſtrahitur

ad

ad ſiccitatem, pulveri reſtanti affundatur vini ſpiritus vulgaris ad duorum digitorum eminentiam, & appoſito alembico cæco, digere in arenâ, donec rubeſcat, tunc vini ſpiritum abſtrahe, & alium affunde, & ſecundum artem ità procede, donec corroſiva ſalia aquæ fortis totaliter abſtracta ſint. Tunc novum vini ſpiritum affunde, digere, & tinctum decanta, idque repete donec nil ampliùs de tinctura extrahatur omnes effuſiones, ſeu decantationes commiſce, & per Balneū, vel cineres ad oleitatem uſque deſtilla.

Utilis eſt *ſyrupus, ſal magiſterium, & tinctura coralliorum, eſſentia roſarum rubrarum, tinctura lapidis hæmatitis, magiſterium margaritarum, oculi cancrorum, ebur ſine igne præparatum, & quamplurima antiſcorbutica*, quæ ſanguinis acrimoniam corrigunt, demulcent, & adimunt.

Sanguinis motum, & impetum refrænãt *laudanum opiatum, eiuſque tinctura, ſperniolæ compoſitum*, præcipuè efficaciſſimum eſt ad quamvis hæmorrhagiam ſiſtendam ſi in aqua burſæ paſtoris ad grana tria, vel quatuor exhibeatur, præſentaneum verò fit medicamentum, ſi aliquid *laudani opiati addatur, & cum ſyrupo papaveris rhœados, vel urticæ ſucco* exhibeatur.

Externa ea medicamenta conveniunt, quæ auſteritate ſua vaſa ſanguifera coarctant, & anguſtiant, *ut vitriolum, vel ejus ſal, vel pulvis ſympaticus*, quo lintea ſanguine madefacta inſpergi debent. Magnoperè juvat *colchotar, vel terra exanimata vitrioli, vel ipſum vitriolum rubificatum* intra nares immiſſum, vel geſtatum. Vel ſequens pulvis pluries à nobis expertus, ut

℞. *Cortic. granator.*
aluminis,
vitrioli ana ʒß.
f. omnium pulvis ſubtiliſſimus.

& tabaci inſtar naribus indatur. Vel *alumen*, quod laccâ pictorum pro incarnato colore larvetur. Itèm *fuligo camini ſuccini, ſtar ſplendida*, pulveriſata. *Lepus in martio captus exſiccatus, & in pulverem redactus*, ac in naſum immiſſus.

Sed advertendum eſt, quòd fluxu ſedato per eſcarotica medicamenta, vel glutinantia &c. eſchara non eſt removenda, neque ſanguis coagulatus. Si adſit, ob novæ hæmorrhagiæ periculum.

Sanguinem coagulant *aqua ſpermatis ranarum, ſi in eâ addatur pauca camphoræ quantitas, & ſacchari Saturni*, & linteamina mad. fiant, ac collo, ubi venæ jugulares deſcendunt, circumdentur. Imò *aquâ ſpermatis ranarum* lavare faciem, & nares commodum eſt. *Laminam, vel numiſma argenteum aliquo opiato inunctum*, ac ſequenti unguento fronti applicari jubemus

℞. *Croci Martis ſubtiliter pulveriſati, optimèque reverberati,*
& croci Veneris ana ʒij.
cum ol. viſci pomor. f. linimentum.

Laudanum, vel opium intra nares immiſſum mirificè hæmorrhagiam ſiſtit.

Si ſanguis ex arterijs fluat, quia ſpiritibus turget, difficulter reprimitur; generoſa, & plura remedia ars medica excogitavit, & ſicut hominem ſervare didicit, ità & ſanguinem, inter alia nullum aliud præſtantiſſimum remedium in totâ republicâ medica inveniri poteſt, quàm *aqua arterialis*, ad quamlibet hæmorrhagiam deploratam ſiſtendam, deſcripta in noſtrâ *Pyrotechniâ ſophica lib. 4. cap. 1. art. 1.*

& de Tumoribus cap. 14.

Cauſæ hæmorrhagiæ deindè, ſi aderit, reſpiciendum eſt, quapropter ſi ſanguis aquoſus nimiùm fuerit, emendandus remedijs appropriatis, ſcilicet *pilulis de cynogloſſâ*. Si mordax, mordacitas compeſcenda, & cauſa principalis removenda. Examinandum quoque diligenter erit, quæ mordacitas, ſalinane, an vitriolata ſit.

A naribus rectè ad os deſcendimus ut more noſtro ejus languores examinemus, & eorum unicuique medicam opem præſtemus.

De Affectibus Linguæ, & Tonſillarum.

CAPUT XXIX.

De Linguæ Tumore.

NOn uno, ſed varijs tumorum generibus lingua laborat, interdùm ſupra modum incrementum ſumit, ità *Gal. de diff. morb. cap.* 9. ſcribit *ſe vidiſſe cujuſdam linguam ſupra modum abſque ullo doloris ſenſu excreviſſe, ut neque œdema, neque ſcirrhus, neque inflammatio eſſe videretur. Neque enim prementi digito cedebat, neque omninò ſenſu carebat, neque dolore infeſtabatur, ſed hoc ipſum incrementum dumtaxat erat, nihil ipsâ ſubſtantiæ particulâ vitiatâ.* Verùm hoc accidit ob copiam utilis alimenti in ejus ſubſtantiam converſi. Nonnunquàm ex magnâ alimenti degenerati copiâ ità intumeſcit lingua, ut vix in ore contineri poſſit, ut *Foreſtus* obſervavit *lib* 14. *obſerv.* 18. Quandóque in linguæ ſuperficie hinc indè verrucatum inſtar tumuſculi ſcirrhoſi oriuntur, alij tamen ſunt molliores, & albi, & aliorum colorum alij, qui à lue Venereâ ortum habent. Interdùm eſt œdema, vel Cancer. Quandóque à lue Venereâ, & ab hydrargyri inunctione ità intumeſcit, ut ex ore emineat. Nonnunquàm ex materiâ venenatâ, ut fungorum venenatorum eſu, Napelli, aconiti, vel alterius rei venenatæ, vel beſtiæ venenatæ morſu linguæ tumor excitatur, ut in quodam milite Hiſpano ex viperæ morſu obſervavimus. Tandèm ex inflammatione intumeſcit lingua, & quandóque inflammatio in abſceſſum degenerat.

Signa.

Linguæ tumor viſui patet, ſi verò ſit ex alimenti copiâ, lingua ſenſim incrementum ſumit æqualiter ſecundum omnes partes, & dolor, ac vitioſorum humorum ſigna abſunt. Si fiat ex alimenti degenerati colluvie, cachexiæ ſigna, & dolor plerúmque adeſt, & ferè magis in unâ parte, quàm in aliâ apparet. Si tumuſculi verrucarum inſtar ſint, in ſuperficie apparent, ſunt molliores, albi, & aliorum colorum. Si ex Lue Venereâ ſit tumor, ejus notæ etiam alibi in corpore apparent. Si ex veneno, aut re venenatâ ſumpta, id ex ægri relatione patebit, & alia etiam veneni ſigna aderunt. Si demùm ex inflammatione, adeſt faciei, & linguæ rubor, corporis habitus eſt calidior, dolor manifeſtus, & febris percipitur.

Can-

Cauſæ.

Horum tumorum cauſæ variæ ſunt juxta tumoris qualitatem, de quibus ſuo loco egimus.

Prognoſis.

Linguæ tumor pernicioſus eſt, nec deſpiciendus, lingua enim ſuo motu ſermoni, & cibi, potuſque deglutitioni inſervit, quia in linguâ tumidâ læditur. Inſuper ex nimio linguæ tumore ſuffocationis periculum imminet. Si linguæ tumor ſit durus, lividus, & ad cancri naturam accedens inſanabilis eſt.

Curatio.

Credunt vulgares linguæ tumorem per fluxionem fieri, ideóque eam evacuant, repellunt, & quæ fluit, diſcutiunt, vel ſuppurant. Si ſanguis abundat, venam cephalicam in brachio aperiunt, & cucurbitulas cervici apponunt. Poſtmodùm venæ ſectionem ſub linguâ inſtituunt. Si humor fuerit bilioſus, vel pituitoſus, convenienti utuntur pharmaco.

Præmiſſis univerſalibus, & revulſionibus, ac diverſionibus adhibitis, in tumore à ſanguine ortum ducente, repellentibus in principio utuntur medicamentis, ut *ſucco citri, limonum, ribium, granatorum, acetoſæ, lactucæ, &c.* Inquiunt enim hos ſuccos ſuâ frigiditate, & aciditatis ratione humiditatem cum ſalivâ educere. Verùm repellentia non tantùm magnum inferunt damnum, ſed malum ijs augetur: nullo igitur modo adhibenda ſunt ob infelices ſucceſſus, quia humor repercuſſus ad internas, principes, & nobiliores remeat partes, & majora damna inferre poteſt. Prætereà repellentia frigida, & humida ſunt, quæ de re potiùs adſtringunt, quàm repellunt. In augmento *Diamorum* addunt, & in declinatione *acetum* admiſcent *ſcilliticum*.

In materiâ venenosâ ad alexipharmaca confugiunt, & os colluunt *decocto plantaginis, ſcabioſæ, ſyrupo roſato.*

Si linguæ ſit inflammatorius, primò cephalicam tundunt venam, deinde ſublingualem, & cucurbitulis uſurpant. Ut abſceſſus rumpatur, utuntur *decocto hordei, lactucæ, addito Syr. de jujubis.* Quandóque *ficum per medium ſciſſam* continuò ſuper linguæ tumorem geſtare imponunt, ajunt enim ficus ſuppurationem promovere. Tumorem ſcalpello aperiunt, niſi ſponte rumpatur. Excreto pure, abſceſſum apertum eluunt *decocto plantaginis, cicer. rubr. & agrimon. addito melle roſaceo*, abſterſum ulcus conſolidant.

Si lingua ex nimiâ alimenti copia incrementum ſumat, decenti diætâ abſolvitur.

Si ex alimenti degenerati colluvie linguæ tumor ortum ducat, nullum majus remedium inveniri poteſt, quàm medicamentum purgans, hujuſmodi erit *extractum catholicum*, cujus rei experimentum habemus apud *Gal lib.* 14. *m. m. cap.* 8. *Sanè linguam ità tumefactam cuidam vidi-*

vidimus, ut in ore contineri non poſſet. Erat qui ſexagenarius jam erat, horâque ferè decima erat, cum ad eum primum acceſſi, & vidi. Ac viſus mihi eſt uſitatis mihi pilulis, quæ ex aloë, ſcammoneo, & colocynthide conſtant, veſpere datis purgandus: Cæterùm eâ nocte evidentiſſimum, per quietem in ſomnium noſtrum homini conſilium, materiam ipſam medicamenti definivit.

Linguæ tumor ex lue Venereâ ſi ſit, ejus curatio ad eundem morbum dirigenda eſt.

Si in linguâ carcinoma ſit, ulcus nimitum durum, atrum, calloſum, & melancholicum, malum incurabile eſt, ſi irritatur, venas erodit, ſanguinem profundit, ac per totam linguam ad ejus radicem uſque ſerpit, & mortem infert, pro more enim cancri vulgaribus non auſcultat remediis, niſi noſtra, & ſelectiora *cap. 9. de cancro, & cap. 23. De ulcere cancroſo* aſſumantur.

Si in linguæ ſuperficie tumuſculi verrucarum inſtar infeſtent, eorum curatio *cap. 27. De Verrucis* petenda eſt, ſed ſelectoria, & mitiora ratione partis deſumuntur medicamenta.

Si ex materiâ venenatâ aſſumptâ, vel beſtiæ venenatæ morſu linguæ tumor exciterur, in hujuſmodi malo tumor non eſt magni momenti, ſed id, quod urget, eſt Venenum, quod illicò extinguendum eſt, quo extincto, facilis eſt linguæ ad naturalem ſtatum reductio. Vitanda ſunt phlebotomiâ, & purgantia: nàm ipſo veneno ſunt nocentiora, quia ipſum ad corporis centrum trahunt, & intùs retinent. Si igitur venenum aſſumptum fuerit, omni diligentiâ, & nullâ poſtpoſita morâ, nàm periculum eſt in morâ, illicò è corpore eliminetur emeticis, quæ leniora ſint, & unà lentorem habeant, ut ſalia corroſiva, & ſulphura inflammabilia infringant, & gas illud ſuffocativum diſperdant. Non deſint clyſteres pingues, & mucilaginoſi, ſi in inteſtina aliqua veneni portio deſcenderit. Interim venenum ſtatim foras eliminetur, ne ad interiora ſerpat, & ſi in venas, vel arterias ſe intruſit, alexipharmacis exturbetur, hujuſmodi ſunt *Theriaca*, *Mithridatium*, *elect. de bacc. junic. c. c. terra ſigillata*, *bolus armenus*, *unicornu*, & Cœtera vulgaria.

Si à beſtiæ venenatæ morſu pendeat linguæ tumor, exhibeantur alexipharmaca ſuprà enumerata, ſed præ cæteris *Theriacâ*, *Orvietanum*, *Mithridatium*, *aqua theriacalis ex ſpiritu vini*, *tinctura bacc. junip.* & interim demorſus gargariſmata adhibeat, quæ vim aciditatis infringendæ habent, ut ſunt *alkalia omnia in ſucco rutæ caprariæ*, *in decocto tormentillæ*, *ſcordij*, *ſcorſoneræ &c.* Itèm *vini ſpiritus cum ſale viperarum*, & pro pauperibus, in qua ſal diſſolutum fuerit, gargarizetur. Verùm de vulneribus ex venenato morſu inflictis, ut viperæ, aſpidis, ſcorpionis &c. egimus.

Si lingua inflammatione terretur, os gargarizandum decocto aliquo diſcutiente in principio, *ex hyſop. betonic, origan. calaminth. melilot. ſem. lini*, *fænugræci*, *& ſyr. de moris*, *vel diamoro.* Quòd ſi tumor non

non reſolvatur, ſed in ſuppurationem vergat, ad emollientia, & ſuppurantia devenimus, ex quibus gargariſmos, & colluciones concinnamus *ex decocto radic. lilior. albor. fol. alth. paſſular. furfur. fic. ping. ſem. cydonior. in aquâ hordei facto, quibus ſapam addimus.* Quòd ſi abſceſſus his remediis ſponte non rumpatur, aperiendus eſt ſcalpello, excreto pure, ulcus abſtergatur collutione *cum hydromelite, & aquâ ſaccharatâ,* & tandèm conſolidetur ſequenti gargariſmo.

℞. *Aq. hord lib.* ij.
Mell. roſ. ſimpl. ℥ iv.
Radic. alth. ℥ ij.
Bull. ad tertiæ partis caſum, & coletur.

CAPUT XXX.

De Tonſillarum Tumore, & Inflammatione.

Duæ carunculæ exiguæ, & naturales in oris termino, utrinque circa linguæ radicem paulò ſuprà laryngem, videlicèt ad uvulæ latera in omnibus poſitæ ſunt, duorum nucleorum amygdalinorum inſtar, ac proindè vulgò à figurâ amygdalæ, Latinè tonſillæ, & glandulæ vocantur, Græcè verò παρίσθμια ob ſimilitudinem ab Iſthmo, ſignificante anguſtam terræ partem, ſeu telluris brachium, inter duo maria jacens, nec non Ἀντιάδες quia primò ſe oculis offerunt.

Conditæ ſunt à naturâ tonſillæ ſpongioſæ, ut ſalivali humiditate fauces, laryngem, linguam, & œſophagum humectent, ut cibum ſicciorem, & duriorem madidum reddant ad faciliorem deglutitionem; Item ad laryngis irrigationem, ut ejus cartilagines ad motum aptiores reddantur, quod imitantur ij, qui fiſtulas irrigant.

Sæpè hæ partes, licèt exiguæ, magnum medico, ſed majus ægroto negotium faceſſunt; intumeſcunt enim quandóque ſine inflammatione, colorem retinent naturalem, & dolore vacant: at interdùm inflammatione, ardore, dolore, & ſiti infeſtantur cum deglutitionis, & reſpirationis difficultate. Qua inflammatione in abſceſſum degenerante, pus intra fauces effunditur, undè ſæpe ulcus ſordidum, & fœtidum relinquitur. Quandóque non ſuppurantur, ſed indurantur, & in ſcrofulas, ſcirrhoſóſque degenerant tumores.

Solet hic affectus admodùm pueris eſſe familiaris ante, vel poſt ſeptennium, ut *Hip. aph. 26. ſect.* 3. teſtatur: *Cùm verò jam magis adoleverint tonſillæ &c.* Sic etiam virginibus jam viro maturis, quibus menſes non fluunt.

Signa.

Tonſillæ majores aliquantulùm foris ſub maxillis tactu, & viſu cognoſcuntur; intùs verò ceu carnis fruſtulum quoddam faucibus inhærens mole ſuâ premit, obſtatque ne facilis deglutitio fiat, & id ſine ſiti, & ardore, proprium tamen ſuæ ſubſtantiæ ſervant colorem: Aſt ubi inflammantur, rubicun-

bicundæ inſpicientibus apparent, & præter ſpirandi difficultatem, & diglutiendi, ardorem, & dolorem inferunt moleſtum, partes circumjacentes incendunt, ſitim, & febrem excitant.

Veterum Cauſa.

Tonſillarum tumorem ex cerebri defluxione fieri clamitant Galenici; Inflammationem ex humorum calidorum affluxu ad illos, qui cùm calidi ſint, partes illas calidas, & humidas inflammant. Verùm hæc Galenicorum cauſa ridicula eſt, cùm omnes morborum cauſas à plantâ pedis uſque ad verticem capitis ad fluxiones refundat, & cujuſdam Galenici recordor, qui interrogatus à quodam ægroto, qui immani capitis dolore cruciabatur: Domine medice, quodnàm malum eſt, hic meus capitis dolor? Reſpondit, eſt Podagra.

Noſtra Cauſa.

Vera tumoris tonſillarum cauſa eſt ſuccus alimentitius in ultimâ ſui digeſtione degeneratus in his partibus ſpongioſis, & laxis, cui magnus acidi laticis proventus accedit. Inflammatio verò fit ex ſanguine in his locis ob lentorem, ſeu viſciditatem ſtagnante, vel extravaſato in ſpongioſâ, & glanduloſâ tonſillarum ſubſtantiâ, & ob turgentiam quandam copioſiùs aggeſto, undè rubor, tumor, & ob fibrarum tenſionem, earumque continui ſolutionem dolor ſuſcitatur. Cauſæ remotæ ſunt intemperata aëris conſtitutio, ut caloris, vel frigoris exceſſus, pororum in hiſce partibus obſtructio, ciborum calidorum, & potuum ardentium uſus, vehemens corporis motus, excandeſcentia, &c.

Prognoſis.

Tumor tonſillarum, ſi mox ab initio medica adhibeatur manus, facilè curatur; at ſi negligantur tonſillæ, quandóque indurantur, & in ſcirrhum degenerant, qui nuſquàm, vel raiò curatur.

Inflammatio morbus acutus eſt, qui non exiguam doloris, & diglutitionis moleſtiam adducet, imò ſæpè ſuffocationis periculum, & in veram mutabitur anginam, quæ lethale minatur periculum. Harum partium inflammatio vel reſolvitur, vel ſuppuratur. Tonſillæ in febribus denigratæ, & arefactæ inevitabilem portendunt mortem.

Veterum Curatio.

Perficiunt tumoris tonſillarum ſanationem vulgares frictionibus, cucurbitulis, aurium extenſione ſurſùm vehementer, & earum attractione doloroſâ. Itèm longâ brachiorum frictione doloroſâ in carpo ſuper focilium deorſùm, vel cum ligno extremitatem habente rotundam, vel pollice ſalivâ inuncto; hæc omnia peragunt ad fluxionis diverſionem, ſed hæc remedia ſunt nimis ruſtic. Deindè externas moliuntur inunctiones *ex oleo amygdalarum dulcium, utrinſque*

que lilii &c. Poſtremo gargariſmis utuntur *ex aquâ, & aceto, vel ex decocto roſ. incomplet. plantag. & hord. cum ſyr. de roſis ſiccis, viol. de moris, & aceto roſaceo.*

Tumoris tonſillarum curationem nos perficimus externè inungendo partes *oleo amygdal. dulc. ad ℥. ß. olei ceræ deſtillati* ʒ. j. *admiſcendo.* Internè gargarizationes adhibemus *ex pipere longo in aquâ communi decocto, vel ex radice angelicæ, & tandèm ex petho.*

Si tonſillarum inflammatio ſit circa initia levis, ad ejus curationem adſtringentia gargariſmata adhibent vulgares, ut

℞. *Aquæ plantag.* ℔. j. ß.
Flor. roſ. rubr. m. ß.
Cortic. granat. ʒ. iij.
Succ. hippociſtid. ʒ. ij.
Bulliant unicâ ebullitione, & colat. ad-

Diamori,
Dianuc. ana ℥. ß.
Et f. gargariſma.

Deindè ad repellentia deveniunt ſimplicia, ex quibus variæ decoctorum formulas parant, ut *ex fol. plantag. rubi, vitis, balauſtis, roſis, ſorbis, meſpilis, cornis, fol. & bacc. myrti &c.* tandèm refrigerantes uſurpant gargariſmos, ex decocto herbarum dictarum refrigerantium, *ut ſolani, lactucæ, ſedi cum ſyrupo de portulacâ, endiviâ &c.* Vel *ex lacte.* Sed in magno verſantur errore, & ut plurimùm levem tonſillarum inflammationem in lethalem anginam degenerare faciunt, vel ſi copioſiùs refrigerant, inflammationem, defluxum humorum, & tumorem non tollunt, ſed lividam, frigidam, duramque reddent partem, & inflammationem, ſi in gangrænam non mutabunt, ſaltèm in ſcirrhum degenerabunt: impactus igitur humor nullum auxilium ab adſtringentibus, repellentibus, & refrigerantibus admittit. Imò induratæ tonſillæ deglutitionem, reſpirationem interdicunt, & medicamentis emolliri non poſſunt, in quarum extractione chirurgiæ operatio nec facilis, nec tuta eſt.

Si inflammatio ſit vehemens, & ſuffocationis periculum immineat, ſtatim cephalicam, vel baſilicam ſecant, & ubi phlebotomia locum non habet, venæ ſectionis loco aures, & cucurbitulas ſcarificant, tanquàm venæ ſectionis vicarias. Ad materiam conjunctam evacuandam venas ſub linguâ, raninas dictas, ſecant; in mulieribus verò tali venam excidunt. Verùm ſi inflammatio ſine febre ſit, periculoſiſſima ratione circuitûs ſanguinis, & tàm reſolutionem, quàm ſuppurationem impedit, neque concretus ſanguis phlebotomiâ educitur, imò obſtinatior redditur.

Si vitioſi cum ſanguine humores redundant, clyſteres frequentantes, credunt concretum ſanguinem, qui eſt veluti ſpina infixa, è gulâ clyſteribus extrahere. Vel lene exhibent purgans, ut

℞. *Syr. roſ. ſolut.* ℥. iij
Flor. caſſ. recens extract. ℥. ß.
Aquæ betonicæ ℥. ij.
Roſarum,
Cichor. ana ℥. j.
M. f. p.

Verùm purgans medicamentum

inutile eſt, imò in pejus inflammationem convertet. Nec interim gargariſmata deſunt.

Inflammatio ſi ad ſuppurationem tendat, illam promovent gargariſmis *ex aquâ mulſâ calente, decocto caricarum, hyſſopi, glycyrrh. vel decocto paſſularum, jujubarum cum violis, & malvâ.* Vel foris applicant *cataplaſmata ex farinâ hordei tritici, fœnugræci cum decocto caricarum. rad. alth. & melle.* Rupto abſceſſu, *aquam mulſam* gargarizandam præſcribunt, primò per ſe, deindè *admiſtâ lenticulâ, roſis, plantag. &c.* donec ulcus ad cicatricem perducant. Sed de his rancidis medicamentis fuſiùs egimus *cap.7. De Anginâ*, quam vulgares utplurimùm cum tonſillarum inflammatione confundunt, & utrique remedia communia faciunt.

Curatio Noſtra.

Tonſillarum inflammationem citò, tutò, & jucundè abſque ſuppurationis metu curat *ſanguis hirci ad pleuritidem paratus, & antimonium diaphoreticum*, quia concretum diſſolvit ſanguinem, tumorem, & inflammationem tollit. Uſurpari poſſunt *gargariſmata ex aquâ ſpermatis Ranarum cum ſyr. de moris, & anodyno minerali*, attamen tepida: inflammatio enim neque calida, neque frigida tolerare poteſt, quibus ſi non cedit, utere *gargariſmo ex ſpiritu vini cicurato cum aquâ prunellæ*, vel fiant collutiones *ex decocto fragariæ, & fol. ſalicis cum pauco armoniaci crudi in eodem diſſoluto, vel ſpiritu ejuſdem guttatim addito*, quibus obſtructio quævis facilè reſeratur, vel utere *gargariſmo de pethi decocto.* Externè applicari poteſt *cataplaſma ex micâ panis triticei cum melle*, quod citò inflammationem ſiſtit.

CAPUT XXXI.

De Columellæ Laxitate, & Inflammatione.

DEſcendit in os teres caruncula ex palati tunicâ reduplicatâ, penitùs juxta narium meatus, ſupra laryngis rimam, inter tonſillas, quæ uvula appellatur, eſt morboſa hujus carunculæ affectio, cum ejus ſummum uvæ acino non abſimile apparet. Proprium hujus carunculæ nomen eſt columella, quia oblonga, & rotunda, columnæ adinſtar, parvam columnam, ſeu columellam efformat. Dicitur quoque gargulio, & γαργαρεὼν à ſono illo qui in gargariſatu auditur. Ejus ſubſtantia eſt glanduloſa, mollis, ſponginoſa, & rubro donata colore, communi oris tunicâ amicitur, figuram habet, ut diximus, rotundam, teretem, ſuperiùs craſſiorem, & inferiùs in acutam obtusè deſinit. Hæc caruncula ſuos patitur manes, ſcilicèt laxitatem, ſeu elongationem, tumorem, inflammationem, atrophiam, & ulcus.

Signa.

Signa.

Horum affectuum ſigna ante oculos ſunt poſita, aperto ore, & depreſsâ linguâ hoc modo diſtinctim cognoſcuntur. Laxitas intro aſpicientibus oblongior, & tenuior de palato in guttur pendet columella, ſupra linguam jacet, nauſeam parit, aſſiduam excitat ſalivationem, & æger quaſi carnis bolum ſummo œſophago hærentem habere videtur, quam perpetuò fruſtrà devorare contendit; attamen palato eſt concolor, ſine dolore, & calore.

Si inflammationem patitur, adeſt tumor rotundæ uvæ inſtar, rubor, ardor, & dolor: deglutiendi difficultas, quoddam ſuffocationis periculum, & interdùm febris.

Veterum Cauſa.

Columellæ relaxationem fieri autumant vulgares ab humore pituitoſo, à cerebro debilitato in columellam depluente; inflammationem effici ab eodem humore pituitoſo tenui, à cerebro defluxo cum ſanguine miſto. Nihilominùs vulgares ſemper repetunt cerebrum eſſe veluti commune cloacam, undè omnia mala in humana depluunt corpora.

Noſtra Cauſa.

Fit columellæ relaxatio, tunc cùm ſubitanea aëris injuria ſive calida, ſive frigida, nimia corporis agitatio, frigidus hauſtus, boreæ flatus &c. inſitum columellæ ſpiritum ità afficit, ut frigoris, alteriuſvè impreſſum ſentiat ſtigma, illicò in ſui digeſtione ab exotico laceſſitur hoſte, & ut partem muniat, ſubſtantiam proximam alimenti degeneratam ob partis alendæ indiſpoſitionem per poros profundit, & ut impreſſum eluat ſtigma, quòd ſi eluere nequit, topicum conturbat fermentum, laticemque qui ad partium eluendas ſordes eſt deſtinatus, advocat, ac proindè ligamenta relaxantur, & columellæ oblongatio exoritur. Columellæ inflammatio fit ex ſanguine in venularum, vel arteriarum poris concreto, vel effluxo.

Prognoſis.

Horum affectuum prognoſim in hunc modum inſtituimus: Quivis columellæ affectus feſtinam requirit opem, ne relaxatio, aut inflammatio ad finem properet: hæc enim in perniecioſam, & operoſam deſinunt exulcerationem; illa verò antiquata mirè pendulam oblongationem confirmat, ut ad anteriores propendatur quandóque dentes, & poſtremò putreſcentiam gignit, cujus ſanatio eſt abſciſſio, quæ operatio periculo non vacat, cùm ob vocis depravationem, tum ob ſanguinis fluxum, qui per ſectionem excitatur, ut vix ulla arte compeſci poſſit. Quibus columella tota abſcinditur, vel exeditur, rarò clarè, & diſtinctè loqui poſſunt; inſervit enim ad vocis modulationem, undè vocis plectrum appellatur. Qui columellâ deſtituun-

tur, phthiſici moriuntur, quia ejus eſt aëris frigiditatem moderari, ne illicò in pulmonem irruat. Si uvula ex inflammatione nigreſcit, vel nimiùm albet, & ſtupet ſenſu, facilè putreſcit, & ſphacelatur.

Veterum Curatio.

Relaxatam curant columellam vulgares per frictiones, & cucurbitulas, præmiſsâ, ſi opus fuerit, capitis purgatione per pilulas capitales, vel totius corporis diverſiones, & evacuationes. Præſcribunt errhina, & omnia, quæ pituitoſum abſumunt humorem, corriguntque frigidam, humidamque capitis intemperiem. Poſtmodùm ad topica deveniunt adſtringentia, & repellentia, ut ſunt *aqua vel decoctum plantaginis, myrti, roſarum, rubi, origani, hyſſopi, acetum &c.* & varia componunt gargariſmata, ut

℞. *Flor. roſ. rubr.*
Fol. plantag.
Meſpilorum ana m.ß.
Salviæ
Hyſſopi ana m.j.
Gallar. immaturar. ℥ ij.
Alum. uſti ʒ ß.
Coque in ſuff. aqua quantitate ad tertias, & pro lib..j.*colaturæ adde*
Dianuc. &
Syr. myrtill. ana ℥.
Aceti ℥ ß.
Succ. acaciæ ℥ j.
M. pro gargariſmate.
Vel
℞. *Fol. querc.*
Centinodiæ ana m.j.
Flor. balauſt.
Summitat. rubi ana m.ß.
*Bulliant in aquâ myrtillor. ad lib.*ij.
colaturæ adde
Syr. de roſ. ſicc.
Succ. granator.
Diamori ana ℥.j.
Robeberberum ℥ß.
Alum. ſacch. ʒ ß.
F. gargariſma.

Si malum protrahi vident, & materia pauca eſt, & caput non excrementis refertum, columellam *cortice granatorum ſubtiliſſimè pulveriſato* tangunt, vel *pipere longo, cui aliqui addunt aliquid aluminis, & boli armeni, vel myrrhæ*, & nonnulli *piperis longi loco Zinzibere* utuntur. Quæ medicamenta periculo non vacant, quia metuendum eſt, ne humores affluenter à cerebro ad partem trahantur affectam, & grave aliquod afferant damnum.

Quidam ſuturæ coronali applicant emplaſtrum, quod conficiunt *ex acaciâ cum aceto, aut ex gallis uſtis cum aceto.* Alij *ovum recens ad duritiem coctum, & per medietatem diſſectum in longum*, & cum ligaturâ vertici imponunt calidiſſimè per aliquot horas, donec relaxatio ſublata fuerit. Nonnulli prædictum *ovum thure, vel zinzibere* aſpergunt, & calidè applicant. Vel *ex thure, & gallis in pulverem redactis cum farinâ tritici, & melle virgineo emplaſtrum* concinnant, quod vertici imponunt.

Si hæc omnia parùm, vel nihil juverint, ſtatim recurrunt ad ea, quæ experta ſunt à vetulis ad columellæ elevationem: accipiunt capillorum ægroti manipulum ex vertice, quem manibus

manibus complicant, & illi, ut taceat imperant, & capillorum manipulum ſurſùm vehementer trahunt, uſque dùm cutis ſonitum edat, & *pauxillum de alumine uſto, vel roſarum ſemine* ſupra columellam aſpergunt, & illicò miraculi inſtar, inquiunt, laxitatem remitti. Pulchrum experimentum, quod expectationi non reſpondet, & inter hiſtrionicas ſcænas repræſentari dignum.

In columellæ inflammatione procedunt, ſicut in aliis inflammationibus, & tàm ſi plethora adſit, quàm abſit, primò cephalicam ſecant, deindè venam ſub linguâ aperiunt, cucurbitulas vertici, & ſcapulis affixas ſcarificant, & diverſiones per clyſteres, frictiones, extremorum ligaturas, & id genus alia celebrant. Si còrpus pravis ſcateat humoribus, primò caput per pilulas cephalicas, deinde totum per purgantia juxta humoris peccantis qualitatem deplent.

Interim in principio ad topica deveniunt repellentia, quæ in gargariſmi formâ uſurpant, & ubi exigua eſt fluxio, auſtera præſcribunt gargariſmata *ex aquâ, & aceto*, vel ità parant:

℞. Roſ. rubr.
Rubi,
Plantag. ana m. j.
Cortic. granat. p. j.
Fiat decoctio in ſufficiente aqua quantitate & in colatura lib. j. ß adde
Acet. roſ.
Rob. de ribibus ana ℥ß.
Succ. malor granat. ℥ j.
Diamori ℥ ij. m.
Pro gargariſmo.

Vel ubi inflammatio, & fluxio eſt vehementior, acerbis utuntur, quia fortiùs adſtringunt, & repellunt, ut

℞. Decoct. myrtill.
Fol. teneror. quercûs,
Meſpilorum,
Balauſtior.
Sumach lib j. ß.
Syr. de agreſtâ,
Rob de ribibus,
Nucum virid. ana ℥ j.
M. pro gargariſmate.

Sed hæc gargariſmata non tantùm partem exaſperant affectam, verùm etiam fluxionem, inflammationemque ad penitiora repellunt, undè graviora mala emergere poſſunt.

Quandóque tranſacto principio diſcutientia admiſcent, *ut fol. althaæ, malvæ, hyſſopi, ficûs flor chamameli, meliloti, ſem. fœnugræci &c.*

Si ad ſuppurationem vergat, ſuppurant decocto caricarum cum aquâ mulſâ, aût decocto paſſularum, quòd ſi ſponte non ſuccedat apertio, eam ferro moliuntur, & poſt puris extractionem pro abſtergentibus adhibent *aquam mulſam, vel caulium ſuccum cum melle.*

Relaxatæ columellæ vera curatio conſiſtit in degenerati alimenti eductione, & ſi nimia laticis copia ad ſordes eluendas advenerit, in ejus depletionem incumbimus.

Undè nimius latex columellam oblongam hydragogis evacuandus eſt, vel ſæpè maſtiche nigra maſtichetur, ut per ſalivationem ſuperflua ejus humiditas exſiccetur.

tur. Vel ad hunc finem alimenti degenerati ablationem faciunt gargariſmata, ut

℞. *Piloſellæ*,
Pyrolæ ana m. j.
Cort. radic. angelicæ,
Imperatoriæ ana ℥ij.

Fiat decoct. ad lib jß. *cujus colatura cum pauco melle edulcoretur*, & utere pro gargariſmate. A proprietate huic morbo prodeſt *uvularia* propter ſignaturam, ex qua gargariſmus ità componi poteſt:

℞. *Uvulariæ*,
Tormentillæ ana m. j.

Coque in ſuff. quantitate aquæ, cujus decoctum edulcora cum pauco melle, & utere.

Deindè poſt uſurpatum gargariſmum, hos adhibe pulveres in columellam inſufflando, vel meliùs eam tangendo, hujuſmodi eſt *pulvis myrobolanorum citrinorum*, vel ſequens, ut

℞. *Piperis longi* ℈ß.
Succ. acaciæ exſicc.
Radic. tormentill. ana ℈j.
F. omnium pulvis.

Vel

℞ *Piloſellæ*,
Uvulariæ ana ℈j.
Radic. biſtort.
Cort. rad. angelicæ ana ℈ß.
Alum. ſciſſil. gr. viij.

Contundantur, & cribrentur. E veſtigio oblongata columella ſe contrahet, remittet, ad naturalemque reducetur ſtatum. Sed *aqua deſtillata Vincapervinca, vel tantummodò ejus decoctio gargarizata, vel pulveris immiſſio* columellam laxatam erigit, & refirmat, quod admiratione dignum eſt.

In columellæ inflammatione ad ſanguini conciliandum fluorem, à lentore eundem liberandum, & obſtructionem reſerandam conferunt internè ſumpta *ſanguis hircinus, antimonium diaphoreticum*, & alia diaphoretica pluries repetita, verum multùm proficiunt *gargariſmata cum anodyno minerali*, quia immediatè partem tangunt affectam, ut

℞. *Aquæ prunellæ*,
Sedi minoris ana ℔ß.
Syr. de moris ℥ij.
Anodini mineralis ʒj. *m.*

Vel

℞. *Aquæ fragor.*
Nymph. ℔j.
Diamori ℥ij.
Anodyni mineralis ʒjß. *m.*

Vel meliùs

℞. *Aquæ prunell.*
Flor. ſambuc. ana ℥ijß.
Spiritus vini ℥jß.
Spiritus armoniaci gutt. xx. *m.*

Si ardor ægrum fatiget, convenit *emulſio quatuor ſeminum majorum, vulgò frigidorum, in decocto malvæ cum mucilagine ſeminum cydoniorum* pro gargariſmo. Si dolor urget, prodeſt *aqua ſpermatis Ranarum, & lactis ana gargariſatum in quo diſſolutum fuerit aliquid de nitro fixo, ſcilicèt lapide prunellæ.* Vel gargariſmus ex *ſucco cancrorum fluviatilium cum aquâ lactucæ.*

CAPUT XXXII.

De Balbutie, & his, qui difficulter loquuntur.

Linguæ motus tripliciter læditur, abolitè, diminutè, & depravatè. Abo-

Aboletur, atque ità loquela ſimul auffertur, & dicitur aphonia, ſive conformationis vitio à primo ortu contractâ culpâ, aut poſt, quandò ſpiritus animalis denegatur influxus ad linguam, vel ob cerebri obſtructionem, ut in apoplexiâ, caro, cathoce; ſive ob ſpirituum animalium conſumptionem, aut ad interiora retractionem, ut fit morti proximis, in ſyncope, & uteri ſuffocatione; ſive ob nervorum anguſtiam, quæ vel eſt perfecta, & ſequitur paralyſis, vel eſt levior, & ex intervallo modò loquitur homo, modò obmuteſcit. Imminuitur linguæ motus, ut tarda & difficilis evadat loquela, vel citra linguæ vitiũ, dùm ſpiritus animales aliò avocantur, ut in irâ, terrore, nimio gaudio. Vitium autem hoc vel eſt nativum, dùm tales homines non poſſunt initium capere, niſi priùs multoties linguam moverint, & labia, aut poſtquàm loqui inceperint, non poſſunt in ſermone progredi, ſed ſæpiùs eandem repetunt ſyllabam. Vel adventitium à linguæ vulnere, aut apoſtemate, ulcere, paralyſi &c. Hoc vitium dicitur hæſitantia ſive titubantia, & *Battariſmus*. Depravatur linguæ motus & dicitur Balbuties, de qua hîc nos agimus.

Eſt balbuties linguæ vitium, quo laborantes difficulter loquuntur, in ſermone reſtitãtes, loquelam præcipitant & literam R. maximâ cum difficultate pronunciant, ut etiam id ex *Ciceronis* verbis pateat dicentis: *Ità balbus erat, ut literam R. non poſſet pronunciare*. Et alibi: *Cùm ita balbus eſſet, ut ejus ipſius artis, cui ſtuderet, primam literam non poſſet dicere*. Quę verba contra illos faciunt, qui literam S. effari non poſſunt, qui tamen balbi non ſunt, ſed *blæſi*.

Hoc linguæ vitium in ſingulis literis eſſe poteſt, nam ſi J. craſsè quis pronunciârit, dicitur *Jotaciſmum*, ſi L. *lambdaciſmũ*, ſi M plus æquo *Metaciſmum* faciet. Qua de re cùm dentes ad formandam vocem conferant, infantes non loquũtur, antequàm os dentibus plenum habeant, & præcipuè inciſorij ad quaſdam exprimendas literas conferunt. Hinc edentuli quaſdam literas pronunciare nequeunt v.g. T. & R. ubi lingua prioribus ampliata dentibus inniti debet. Huic vitio facilè ſuccurri poteſt, ſi arte inſititios procurent dentes aureo filo vinciendos, ut expeditè has literas pronunciare valeant. Sed de vitiis oris, & linguæ, quæ loquelam viriare poſſunt, fuſiùs egimus in *noſtrâ Grammaticâ ſpeculativâ, capite de Barbariſmo*.

Signa.

In hoc morbo cognoſcendo non opus eſt ſigna recenſere, ſed ſat eſt balbutie affectum loqui ut cognoſcatur affectus.

Cauſæ.

Balbutiem fieri credunt Galeniſtæ à linguâ breviori, vel ab ejus imbecillitate ob intemperiem humidam, aut calorem, vel à freno, aut membranulâ ſubjacente linguam nimis adſtringente, & ejus liberum motum impediente.

Balbuties pendet à nimiâ ſpirituum agitatione, qui inordinatè muſculorum tubulos ingrediuntur, vel ab eorundem paucâ quantitate, ut non ſufficiant ad linguæ motum perficiendum, vel ab inconcinnâ muſculorum, & linguæ conformatione, vel ex horum muſculorum obſtructione, qui viſcido infarciuntur humore, à quo

diminutus ſit motus, quia linguæ muſculi ità gravantur & opprimuntur, ut diſtendi non facilè poſſint. Hinc ſpiritus motoris tranſitus ad linguæ muſculos impeditur, & linguę motus non expeditè fit, undè difficilis pronunciatio, & non expedita oritur loquela. Vel à nimiâ copioſæ humiditatis præſentiâ, à qua muſculi relaxantur & cuilibet vocis expreſſioni minus ſufficiunt. Id clarè patet in aliquibus pueris, qui balbi ſunt, literaſque R. J. L. M. vel S. pronunciare nequeunt, verùm temporis & ætatis progreſſu humorum illa exceſſiva viſciditas, vel nimia humiditas abſumitur, & nullum ampliùs impedimentum in talium literarum pronunciatione impoſterum ſentiunt, in quibus verò non abſumitur, per totum vitæ ſpatium balbi remanent. Oritur quandòque à fræno ſub lingua non diſſecto, quod impedit, ne lingua liberè volvi & moveri poſſit. Vel nimia in loquendo feſtinatio dentium defectus, labiorum mutilatio, palati exeſio, lingua juſto longior, aut brevior, craſſior, indecenter formata & pluribus alijs modis depravatur loquela ut fuſius *in noſtrâ Grammatica ſpeculativâ capite de Barbariſmo* egimus.

Prognoſis.

Balbuties nullum vitę diſcrimen minatur, attamen ab apoplexiâ, vel catO relicta rarò & difficulter curatur, & ex confirmatâ paralyſi omnes obmuteſcunt; dùm tota lingua reſolvitur, gravis impendet apoplexię metus. Balbi, & celeri linguâ præditi melancholici ſunt, item morbis humidis obnoxij ſũt, ac pręcipuè alvi profluvio corripiuntur, ut innuit *Hip. aph. 32. ſect. 6. Balbi ab alvi profluvio diuturno maximè capiuntur.* Nativa linguę vitia ex magnitudine, cõformatione, vulnere nervorũ rupturâ inſanabilia exiſtimantur, verũ à phlegmate, vel nimiâ humiditate, ſolet quãdoq; tẽporis progreſſu in pueris, abſũpto phlegmate, vel humiditate, auferri; ſi verò diuturnâ conſuetudine inveterata fuerit balbuties, prorſus curationem non recipit. Si tandem à linguæ vinculo non ſecto pendeat, facilè chirurgiâ curatur.

Hoc morbi genus ſermonis puritati multùm obſtat, at ne ingenia à bonis retrahantur cœptis, admonitos & exhortatos volumus adoleſcẽtes hoc vitium oratoris ſplendori nunquàm, vel quicquàm detraxiſſe, nec glorię impedimẽtum fuiſſe. Hoc vitij genere *Ariſtotelem* laboraſſe accepimus, nec quia balbus fuit, ſui nominis fama claudicavit, alioſq; relinquimus illuſtres ſcriptores memorię poſterũ traditos. Equidèm nullũ eſt vitium, quam hoc magis excuſabile, in quo nihil ipſi peccavimus, ſed potius naturam, uti novercam, accuſare debemus.

Veterum Curatio.

Ex malâ conformatione balbutiem, aliaſque loquendi difficultates inſanabiles eſſe diximus, attamẽ hoc unicum, ſed ideale exemplar *Demoſthenis*, illuſtremque medelam proponemus, qui ad vitia oratorem deturpantia præferenda in ſe unum omnia natus videbatur, namq; primâ literam ejus artis, cui totus obſtinare animũ addixerat, cùm dicere non poſſet, ore inſertis calculis, expedite proferre didicit: humerum, quem ſępius inter dicendũ attollebat, gladio ſupernè appenſo, ut ejus metu injecto, ne pungeretur, demiſit Actionem omnẽ ante ſpeculũ, tanquàm magiſtrum, cõpoſuit, & etiam hiſtionem. Pectoris, & laterum anguſtias, ſicut & vo-

vocis exilitatem, & acerbitatem dilatavit, & ad ſonoritatẽ produxit. Per aſpera, & adverſa loca uno ſpiritu plures verſus recitare aſſueſcẽs, ſic tonare, nõ orare, locumq; proverbio fecit: *Latera Demoſthenis.* Patientia duravit aures prope flumina obluctantiũ aquarũ fragoribus obſtrepentia declamans, ut in actionibus turbarũ fremitu non interrũperetur. Hęc omnia, alioq; apud *Plutarchum, Lucianum*, aliaq; in ejus vitâ multo temporis ſpatio peregit, & ne aliqua occaſio ad egrediendũ impelleret, capite ſemiabraſo, & barbâ ſe domi detinuit, eò tandem evectus eſt, ut ipſemet *Cicero* fateatur majorem partem Demoſthenis abeſſe cùm legimus, tantum ei dedit actio, nt illud *Æſchynis apud Plutarchum* in apopht. demõſtrat, quem relinquimus. Ad ſummâm induſtria naturam vicit Demoſthenes. *Prœliatus (ait Val Max. l. 8. cap. 7.) cum rerum naturâ, & quidèm victor abijt, malignitatem ejus pertinaciſſimo animi robore ſuperando. Itàq; alterum Demoſthenem mater; alterum induſtria enixa eſt.* Nil tam arduum, quod ſedula induſtria vincere nequeat.

Balbutiem difficilis eſſe curationis vulgares Galenici fatentur; linguæ enim brevitatem naturalem, arte prolongare, longitudinẽ breviare, & craſſitiem ſubtiliare neſciunt, attamen imbecillitatem ab imtemperie humidâ ortam corrigere conantur exſiccantibus, à frigidâ calefacientibus.

Noſtra Curatio.

Noſtra curatio eſt, quod ſi vitium à nativitate, & organi vitio ſit, ferè incurabilis eſt. Si pendeat à nimiâ ſpirituũ agitatione, remedijs nimiùm motum ſedantibus, & eundem æqualem ijs conciliantibus curatur, talia ſunt *ſpiritus roſarum, aqua theriacalis cum ſpiritu vini, elixir vitæ, tinctura juniperi, aqua lavendulæ, vel liliorum convallium &c.* quibus lingua ſæpiùs fricetur. Si ſpirituum paupetie lingua moveri nequeat, curatur, ut paralyſis, & tùm interna, tùm externa conducunt, quæ in *cap. de Paralyſi* deſcripſimus, robur fibris carneis, muſculis, & nervis concilietur. Specificè hic commendamus *oleum aniſi* in linguę apicem inſtillatum itèm *balſamum, vel oleum caryophyllorum.* Si à nimio phlegmate, vel humiditate ſpirituum tranſitum impediente oriatur, hujus phlegmatis eductione tollitur, undè os ſæpiſſimè *ſpiritu ardenti ex ſucco ceraſorum nigrorum extracto* lavetur, hic enim ſpiritus ardens ſummoperè linguæ muſculos phlegma infarciens, adeò reſolvit, & linguam roborat, ut ſpiritibus pateat aditus.

Si ſubſtrata linguę membrana, ſive frenum impediat, præcipuè in recens natis, ut ſugere non poſſint & in adultioribus, ut loquela impediatur, aut depravetur, vel deglutitio prohibeatur, quia lingua curta, & adſtricta, undè non liberè volvi, atque moveri poteſt, tunc affectus iſte Chirurgiam expoſcit. Noſtrates imperitæ obſtetriculæ unguem pollicis dextri longum, & in cultri apicem conformatum gerunt, quo ſtatim ac infantes orti ſunt, indifferenter eis frenum præſcindunt, quam operationem improbant vulgares chirurgi putantes ungues veneno eſſe infectos, & venenatam inducere exciſionem: cœterùm multùm diſtat venenatum eſſe, & noxium, non equidem negamus ungues aliundè infici, & quibuſdam ſordibus coinquinari, & tunc per accidens & non

non per ſe noxios eſſe concedimus,ſed innoxios, ut reliquas partes exiſtimamus.Hæc operatio nullatenus unguibus fieri debet,hi námque facilè vicinas, & innocuas dilaniant partes, ac planè diſrumpunt, undè dolor, inflammatio, aliaque graviſſima oboriuntur mala, imò infantuli lactis ſuctione tàm neceſſariâ, propter accidentia, quæ ſubſequuntur, & vitâ privantur, cùm ex mille vix unus infans naſcatur cũ tali ligamento,&poſtmodũ balbutiat, ac tali indigeat chirurgiâ. Solent quoq; obſtetriculæ hâc ſectionem nummi acie inſtituere,quam profectò repudiamus, cùm eadem importet accidentia, & perſæpè ſine neceſſitate agunt, & in operando errant. Quòd ſi quandóque frenulum ſit malè conſtitutum,ſectionem, aut divulſionem inſtituimus (aliàs nunquàm) non unguibus,nõ nummi acie, non vulgari tõſorũ phlebotomo, ſedforficis apice,elevatâ linguâ,ligamentũ nerveum tantùm incidimus,vitando ſèmper,ne carnem attingamns. Si primâ vice totaliter non abſcindatur eadẽ operatio reiteretur,inciſo ligamento, blãdè inciſionis pars ſæpiſſimè madefiat melle roſato vel ſimplici, &ſic agglutinatio impeditur, & conſolidatio ſuccedit.

Advertendum tamen volumus, ut in operatione cautè procedatur, ac chirurgo in anatome perito cõmittatur,ne per imprudentiam, venæ, aut arteriç vicinç,ductus ſalivales ſub linguâ, parteſque adſitæ, aut nervuli lædantur, ſic enim ſanguinis fluxus, vel ptyaliſmus aſſiduus ſuccedit, & ſi vicini, linguæque ſubſtrati nervi incidantur, repentina linguæ convulſio ſupervenit, ut *Riolanus* obſervavit. Hinc fraternâ charitate obſtetrices expertes, & chirurgos imperitos admonemus, nè temerè ad hanc operationem ſe accingant.

De Affectibus Dentium.

CAPUT XXXIII.
De Dentium Dolore.

Dentium dolor primâ facie levis videtur,attamen non ratò cũ alijs gravioribus ſymptomatibus,quæ corpus affligunt,comparandus eſt;eſt nãque immane tormentum, & miſerabile ſupplicij genus adeò vulgariſſimũ, ut pauci reperiantur, qui eum non experiantur: aliqui enim aliquantulùm mitiùs eo vexantur, alij longè acerbius,& tandèm quoſdam tàm immanis occupat dolor, ut præ immanitate & impatientiâ ejulantes ſibi ipſis violentas inferanç manus.

Quiſnam in dentium dolore ſit locus affectus, ex ipsâ nomenclaturâ ariolatus fuit *magiſter Gal. ſ. de compoſ. med ſec. loc.* ubi dentes in propriâ ſubſtantiâ ſentire aſſerit: Verùm parcite Galeni manes, nàm qui oppoſitus eſt denti evulſo attritionis penuriâ ſuam ſuperat ſeriem, & limâ atteritur abſq; doloris ſenſu, quia planè ſenſu ſunt deſtituti, ut alia oſſa, nec membranis nec nervis præditi ſunt, ac inſenſiles omninò ſunt, ideóque non dolent neque ab igne, neque à ferro.

Dolor falsò dentibus adſcribitur, ſed tribuẽdus eſt membranis tenuiſſimis exquiſitè ſentientibus præſepiola eorum inveſtientibus,&nervulis mollibus ex quinto pari, qui per dictas membranas radicibus alligantur, vel cavitatem ingrediuntur, ubi diſperguntur,

guntur, & parvulis propagnibus cum ſubſtantiâ quadam mucosâ in dente medio repertâ, miſcentur.

Signa.

Ad dentium dolorem cognoſcendũ nõ opus eſt ſignis, cùm ab ægro medicus certior fiat, tãtùm cognoſcere debemus, an dolor ſit in gingivâ, pro quo gingiva inſpicienda eſt, utrum inflammatio, tumor, corroſio, ſeu putrefactio in eâ appareat. Si nihil horum adſit, doloris cauſa vel in membranis, vel in nervulo, vel in dentis cavitate erit. In membranis quidèm dolor non eſt ità profundus, ſed ſecundum latitudinem extenditur, & quædam doloris mutatio animadvertitur. In nervulo ſi dolor ſit, profundior & vehementior eſt. In cavitate verò ſi in mucoſâ ſubſtantiâ in dente medio repertâ, obtuſus erit, ſed diuturnus.

Si dens eſt carioſus, & à verme intùs obſeſſus, dolor eſt interpolatus ad ipſius vermis motum, exiguis deſinens & rediens intervallis, & ipſius vermis motus in parte quadam percipitur.

A ſpiritu flatuoſo cognoſcitur ex illius atrocitate & divulſionis ſenſu, qui in parte percipitur vel qui exiguo ceſſat ſpatio, ac facilè diſcutientibus curatur remediis.

Vulgares, quorum medicina eſt ex calore, & frigore aggregatum, doloris ſigna ex calore, & frigore aſſignant: Si à calore dolor oritur, præceſſerunt caloris cauſæ, multo eſt intenſior, caloris ſenſus in parte percipitur, à frigidis curatur remedijs, & à validis intenditur; Si verò à frigore oritur dolor, ſigna prædictis contraria apparere ſolent. Verùm in hoc hallucinantur vulgares, & videntur ex caudâ vulpem, & ex ungue leonem cognoſcere. Non benè inferunt dentium dolorem à calidis intendi, & à frigidis ſiſti: igitur à calore. A frigidis exacerbari, & à calidis curari: igitur à frigore. Non inquàm, ità dicãt; poſſunt enim calor, & frigus per accidens excitare dolorem, ſpiritus ſ. ſalinos, vel acidos impetuosè movendo, & illos faciẽdo penetrare, ideóq; ratione motûs, quem acquirunt, intenſiſſimos excitãt dolores, & tunc à calore eſſe putantur, cùm frigida, vel gelida dolores ſiſtant, motum illis auferendo, partes dẽſando, & penetrationẽ intercludendo. Cũ calida dolores ſiſtunt, à frigore creduntur, quia aliquandò calor, præſertim cùm mitis eſt, poros aperit, & exhalare facit, & tunc dolorem vel ſedat, vel aufert, quod facit etiam aliquandò validus calor. *Veterum Cauſa.*

Gregarij medici dentium dolorem vel à quadam ſimplici intemperie, vel à catarrho à capite defluo fieri imaginantur, & quandóque à partibus promanare inferioribus, qui in maxillarum, & alveorum dentium membranas, vel in nervulum dentis radici inſertum, vel in ipſam dentis ſubſtantiam confluit.

Verùm decipiuntur vulgares à fluxione ad dolentem dentem depluente, quam ægri ſentiunt, & eò magis ab aſſiduâ ſalivatione, quæ in dentium dolore ferè perpetuò eſſe ſolet. Inſuper falſum eſt in propriâ ſubſtantia dentes humorum affluxum, ac diſtentionem recipere poſſe, cùm ſint corpora ſolidiſſima, & duriſſima, ac lapidibus vix cedant, & ſecundum *Helmontii* ſententiam dentis materia non eſt merè oſſea, ſed inter os, & petram media, ſeu neutra.

Alij vulgares cum caloris, & frigoris

doctrina doloris proximam cauſam in continui ſolutione ſtatuunt, quā calor; & frigus parit, ita frequenter accidere ſolet, cum juſcula nimium fervida, & alia cibaria calida quotidiè ingerantur; mox his potum ſuperaddendo frigidiſſimum, his contrariis fatiſcant. Non ſecùs ac ſilex; aliuſvè durus lapis, ſive vulgaris, vel gemma, vel vitrum, vel cryſtallus candens, in frigidam projectus aquam, hiſce contrarijs non poteſt non dehiſcere, & in minimas non diſſilire particulas. Sed de caloris, & frigoris nænijs fuſiùs de capitis dolore egimus. Præterquā quòd inter hujuſmodi contraria non eſt par comparatio, longè enim diſtat à candore fervor, nec dens à fervido juſculo, imò difficilè igne actuali calcinari poteſt, ut lapis per aliquot horas in candore detentus.

Noſtra Cauſa.

Vera dentium doloris cauſa ſunt particulæ ſalinæ, & acidæ cuſpidatæ, & angulares vellicātes, divellentes, contrahentes, diſtendentes, vel pungentes membranas tenuiſſimas dentium alveolum ſuccingentes, vel nervulos exquiſito ſenſu donatos, radicibus fortiter alligatos, vel cavitates ingredientes, Hæ particulæ vel cum ſucco nutritio, vel ſanguine, vel lymphâ ex proprijs conceptabulis in interiorem dentium cavitatem, aut membranulas, aut nervillos inferuntur. Huſuſmodi particulæ acutæ, vel cum cibo, potu, vel aëre communicantur, & præſertim dentibus jàm eroſis & cavitate ad medullam interiorem, vel ipſos nervulos inferuntur. Excitatur magnoperè dentium dolor à vitioſis particulis per ſtagnationem ob obſtructionem factam; humores hypochondriaci, cacochymici, viſcidi, ſalſi, acres, in dētium membranulas cumulati, vel evaſati, & circa fibrillas nerveas, & radices, vel cavitates odontalgiæ ſunt cauſa.

Cibus immodicè ſumptus non ſolū multum facit ad hoc malum producendum, ſed etiam pravâ qualitate imbutus, ſic nimis ſalita, infumata, allia, cæpæ, aurantia, limones, acetum &c. aliaque ſucci pravi edulia nocent, quę acrimoniam ſero, ſeu lymphæ imprimunt, in primis dulcia dentibus infēſa ſunt ob aciditatē, quam in glutinoſis dulcedinis particulis latentem viſcidam, & vinctam habent, quæ deindè caloris ope extricatur.

Idem de potu dicendum putamus, dū copia ſua, & intempeſtivè digeſtionē interturbat, iſque intensè frigidus, & potiſſimùm in glaciem redditus vitādus, & præprimis ſi varia ſalium genera intra ſe continet; quippè notum eſt frigida coagulare, & dentibus eſſe hoſtilia, & eo magis, ſi juſculis calidioribus aſſumptis deſuper frigidus hauriatur potus. Nocet potus intensè calidus dētibus, hinc & ipſe chocolatis, vel theæ, vel caffeæ potus fervidus dicitur dentibus infenſiſſimus.

Aër quoque multùm odontalgiæ favet, hinc accolas maris Balthici, & ſeptentrionales alios populos dentiū doloribus affici notum eſt; volitant námque in aëre varia ſalium genera, inſpiratione furtivè quodā modo introhauriuntur. Contrà in Ægypto ubi inſignis eſt aëris clementia dentes nec dolere, nec cariari fertur. Autumnus maximè odontalgiæ ferax eſt, tunc enim magis aër varijs ſalium particulis conſpurcatur, ut fuſiùs diximus

de

de Anginâ, cujus occaſione de *Febribus cap. 26. ex aeris mutatione* agemus. Sic & hyems, flante Boreâ, tunc tubuli obſtruuntur à frigido aëre, undè humorum ſtagnatio facilior redditur ab aëre acido nitroſo.

Fit quandóque dentium dolor, cùm gingiva eſt detecta, vel malè digeſta eſt ultimi alimenti ſui materia, & circa dentes radicem putreſcens.

Vermes in carioſis dentibus geniti eſſe poſſunt doloris dentium cauſa: fiunt vermes in dentium carie ex ovulis, dùm mediante cibo à muſcis, aliſve inſectis ovulis ſuis conſpurcato, dentium cavitati inferuntur, hæc ovula, mediante calore à reliquis cibis ſuſcitato, ibidem in vermes excluduntur, vel aliundè ibidèm congeruntur. Hi vermes doloris ſenſum inferunt, repentes, jectigantes, vel mordentes, & vellicantes nerveas fibrillas.

Prognoſis.

Dolor, qui per intervalla recurrit, fit à ſubſtantiâ admodum volatili, quæ quoties generatur, dolor recurrit, & quoties reſolvitur, ſedatur; quòd ſi in aliquo dente ſedem fixerit; tunc à ſubſtantiâ vix diſſolubili oritur, & ibi ſævire non deſinit, & hinc crebra odontalgia, donec caries, cavitas, putredo &c. quas etiam gingiva ità pluris recremēti ferax ſollicitat, donec aëri detur acceſſus; tunc in iſto dente dolor ceſſare ſolet, ſed temporis tractu in alium tranſit dentem in quo novum dolorem, cariem &c. excitat & hic de causâ multi redduntur edentuli.

Quandóque dentem non attingit, ſed gingivas, in tumorem attollit, (& dentis evulſione dolor non remittitur) qui tranſpiratione reſolvitur, & interdùm gingivas inflammat, earumque tumor ſuppurationem, exulcerationem, & quandóque (quod pejus eſt) maxillæ cariem inducere ſolet.

Si tumor in malis oboriatur, doloris dentium reſolutionem portendit: rationem aſſignant vulgares, quia naturæ robore, vel medicamenti virtute transfertur fluxio ad partes exteriores, & non ampliùs ad internam dentis cavitatem decumbit. Verùm errant, dùm à cerebro, vel à diſſitis partibus defluxionis decubitū mendicant: Sentiunt ægri humoris deflui decubitum, quia latex per nervos, arterias, venas & ipſum corporis habitum ad laceſſitam defertur partem, ut exoticum cicurer hoſtem, & indolentem excitat tumorem, ſi non ſit qualitate moleſtus.

Dentium itáque dolor ſimpliciter morbus lethalis non eſt, non tamen eſt parvi faciendus, ne mors indè ſequatur, multi enim ob doloris vehementiam mori maluerunt, quàm diutiùs torqueri, & noſtrates mulieres parere malunt, quàm dentium dolore corripi, imò ſæpè ægros ad inſaniam adduxit. Si membranulæ, ceu magis nervuli circa radices, ubi inſeruntur, à vermibus, vel à ſalinis, acidiſvè particulis ſtagnantibus torqueantur, facilè ſpiritus animales, & totum corpus in conſenſum trahi poſſunt, & ob doloris immanitatem, vigilias, inquietitudinem, aliaque accidentia, vires inſigniter deficere poſſunt, imò non ægrè convulſiones oboriri. Ubi odontalgia cum ſtridore, & febre ardente, ſeu maligna maritatur, mortem portendit.

Veterum Curatio.

Curant vulgares dentium dolorem ità: ſi ab

ſi ab humoribus calidis ortum ducat, cephalicam ſecant è brachio ejuſdem lateris, revulſionis gratiâ, ſi materia è capite defluat; vel baſilicam, aut ſaphenam, ſi ab inferiorib. aſcēdat partibus, tundunt; aut cucurbitulas in ſcapulis ſcarificāt. Venas ſub linguâ derivationis causâ incidunt. Nonnull venam pone aurem aperiunt. Quidam aures ſcarificāt. Si dolor à frigidis excitetur humoribus, venæ ſectionem minùs convenire fatētur, fluxionis tamen ratione etiam uſurpant quia inter revellentia remedia locū tenere exiſtimaut: Verùm tunc minori copiâ ſanguinem detrahunt, niſi plethoræ ſigna appareant, ratione cujus etiam ſi materia ſit pituitoſa, liberalem venæ ſectionem inſtituunt juxta *Galeni* preceptum qui *in magnis morbis & vehementiſſimis doloribus promptiſſimum remedium eſſe largam ſanguinis miſſionem aſſerit.*

Cæterùm errat *Galenus*, nàm magnus dolor remedij magnitudinē indicat, non autem venæ ſectionem; ac proindè magnum remediū illud exiſtimatur, quod magnū curat morbum, non quod ſit unum ex univerſalibus præſidiis putatitiis, ut eſt purgans medicamentum, & venæ ſectio apud vulgares. Sit cujuſcumq; conditionis remedium, ſufficit, ut magnū curet morbum, ut eſt potus aquæ frigidæ in febre ardente. Nec revulſionis, aut derivationis gratiâ deſūt frictiones, extremorum ligaturę, crurum lotiones, veſicatoria brachiis, cervici, vel poſt aures applicata. Imo in carpo ejus manus, quæ eſt è conſpectu, & latere doloris, flammulā, vel ranunculum imponunt.

Si alij à ſanguine peccant humores, purgans exhibent medicamentum humori peccanti accommodatum, in formâ potionis, ſi peccans humor fuerit calidus; ſi verò frigidus in formâ pilularum ſecundum doloris, vel peccantis naturæ exigentiam.

His peractis, ſi materia adhuc fluat, adſtringentib. inhibenda eſt, ſi à capite fluat, fronti, & temporib. *emplaſtrum ex gūmi elemi, & maſtiche, myrrhâ, vel contra rupturam* applicant; ſi à partib. inferiorib ſursùm ſcandat, quę ventriculi os adſtringunt, & roborant, adhibent. Verùm hæc adſtringentia, & repellētia (poſito, quod verum ſit, quod vulgaris ſententia aſſeverat) non ſinę ægri periculo adhibentur, præcipuè ſi fluxio copioſior eſſet, poſſet enim intrò ad fauces irruere, & ægrum ſuffocare. Ceſſante fluxione, diſcutientibus quib. adſtringentia admiſcēt, utuntur:

Medicamenta topica in duas dividunt claſſes, vel pro fluxione calidâ, vel frigidâ. In calidâ pro oris collutione varia adhibent decocta *fol. myrti, ros rubr. radic. oxylapath. ſilicis, tormentillæ urticæ &c.* Vel *ſedi, plantag lactuc. ſem. papav. alb hyoſcyami &c. Bulliant in ſufficienti aceti quātitate ad tertiæ partis conſumptionem.* Cœterùm acetum per ebullitionem ob phlegmatis evaporationē fit acerrimum, & nihil differt ab aceto deſtillato. Putant vulgares acetum frigidū, & vinum calidum, & tamen acetum eſt vini ſoboles per ſecundam fermentationem: Id falſum deprehendimus, ſolvit enim corallia, & uniones, quod ſi frigidum eſſet, utique non eveniret. Vitandum itáq; eſt acetum, tanquàm hoſtilis gladius in dentium dolore à cauſa calida, & præcipue ſi gingivæ ſint ſimul affectæ, quia per ſe dentibus nocet, dolorem adauget, eoſque, ſi corroſi ſint, magis corrodit. Vel prædicta decocta in vino

parant ad tertiæ partis conſumptioně, ſed perperàm, nàm volatilis vini ſpiritus abit in auras, & inſipidum phlegma nullius energiæ compos remanet. Multùm prodeſſe exiſtimant aquæ frigidæ in ore retentionem.

In dolore dentium ex frigida fluxione diverſas oris calidas collutiones parant *ex origano, menthaſtro, hyſſopo, ligno guajaco, rore marino, ſalvia, betonicâ, ſampſuco, radice pyrethri, ſem. nigella, flor. ſtœcad. Arab. &c.* ex quibus variarum decoctionum formulas concinnant. Vel *ex caryophyll. cinnam. pipere, pyrethro, zingibere, nuce moſch. &c. decocta parant in vino guarneto* pro calidâ oris collutione. Vel allium ſub *cineribus coctum* denti dolenti imponunt.

Si dolor ità immanis ſit, ut his præſidijs adhibitis non ceſſerit, ad narcotica deveniunt poſt univerſalia præſidia quæ dolorem ſedant, & fluxionem cohibent, ut eſt *theriaca recens, aut Mithridatium, Philonium Romanum, requies Nicolai &c.*

His omnibus incaſſum adhibitis, dentem evelli ſuadent, & primò gingivam à dente ſcalpello ſeparant, deindè tenaculâ, vel roſtro corvino, vel pelicano dentem eruunt, & tandèm, expreſſo à gingivâ ſanguine, vino rubro, vel poſcâ ſanguinis fluxum ſiſtunt. Verùm quia nonnulli hanc chirurgiam exhorrent, tunc corrumpentibus, & dentes mobiles reddentibus utuntur, ut dentes manu extrahi poſſint. Hujus farinæ eſt *pyrethrum in aceto maceratum per 40. dies, aut thymali ſuccus*, verùm dentes ſani, ac gingivæ cerâ obductâ præmuniantur, & tantùm dens malè affectus illiniatur, & infrà horæ ſpatium digitis eximi poterit. Eodem ferè modo applicari poteſt *gummi hederæ*, *vel olea*, & dens brevi ſpatio in partes diſſilit.

Noſtra Curatio.

Dentium curatio pro cauſarum diverſitate inſtitui debet, undè ſi dolor ab acido ortum ducit, quæ acidum obtundunt; ſi à ſalſo, quæ ſalſum diluunt, adminiſtrari debent; ſi à vermibus, quæ vermes enecant; & ſi à ſpiritu flatulento, diſcutientibus remedijs facilè curatur.

Purgatio, & phlebotomia in dentium doloribus adminiſtrari non debent, quia nihil proſunt, imò maximè obſunt. Cœteri, quos exercent cruciatus vulgares, quibus miſeri torquentur ægroti, ſunt peccatorum pœnæ; *Deus enim, delinquentes in conſpectu ſuo tradit in medicorum manus.*

Convenientia odontalgica erunt liquores, quibus dolentes tanguntur dentes, vel in ore detenti, qui dolorem demulcendi, humoremque dolorificū ad ſe arripiendi energiam habent. Verùm quia quandòque magnus laticis affluxus ad laceſſitam decumbit partem, ut exoticum cicuriet hoſtem, adhibenda ſunt, quæ laticem per aſſiduam exturbant ſalivationem, & hoc modo multoties cum laticis exturbatione doloris cauſam eliminavimus: hujuſmodi eſt *nicotianæ fumus ore exceptus, vel angelicæ radix in ore detenta vel pyrethri*, quàm vulgus *radicem ſanctæ Apolloniæ* appellat. Quòd ſi hæc medicamina reſpuantur ob caliditatem, ingratumque ſaporem, & præcipuè nicotianæ fumus ejuſvè maſticatio ob prava ſymptomata, quia non omnibus eſt uſus, optimum ſuccedaneum erit *maſtichen in ore verſare*, vel eam dentibus premere.

Multùm conferre poſſunt decocta,

quibus dentium collutiones fiunt, ut

℞. *Vini alb. generoſi* ℥. v.
radic. hyoſcyam. alb. ʒijß,

Bulliant clauſo vaſe, & colaturâ calidè os abluatur. Vel fiat oris collutio *ex decocto radicis hyoſciami, & ejuſdem ſeminis, ac ſem. lactucæ, & papaveris albi ex vino cum opij* ℈ß. Aut *decoque hyoſcyami radicem cum herbâ perſicariâ in aceto*, & calidè collue, & efficaciſſimè dentium dolores ſiſtuntur; in hyoſcyamo enim receptaculum, ſeu ſiliquæ ſeminis dentis maxillaris figuram habēt: ideòq; *radix, ejus oleum, ſemen ſeu liquor expreſſus* inſigne eſt odontalgicum. *Decoctum comarum ſabinæ* calidum per aliquod temporis ſpatium in ore detentum dentium dolorem demulcēt, cauſam extrahit, & ſi fortè in dentis cavo vermiculi celentur, illi ſimul extrahuntur, & exterminantur. Si hoc quandoq; non juverit, ad *lapidem prunellæ in rotulas fuſum* confugiendum eſt, quarum una in ore ad dolentem dentem retenta multam extrahit ex ore ſalivam, cum qua doloris cauſâ plerúmque eliminatur.

A quacumq; cauſâ oriatur dentium dolor, ſequentibus odontalgicis non tantùm demulcetur, verùm etiam tollitur; ità eſt *radix lapathi acuti in taleolas ſecta, & exſiccata*, & denti dolenti impoſita. Verùm vere ante germinationem colligi debet. Magnæ efficaciæ erit *oleum buxi*, tàm per deſtillationem à retortâ, quam per deſcenſum, ſed pluris facimus *oleum ligni Heraclini, ſive ligni corylini*. Idem præſtat *oleum camphoræ, & cinnamomi*, in quo goſſypii fruſtulum intinctum denti admoveatur, verùm ſi dens carioſus fuerit, illius cavo inſeritur.

Si dentium dolor ſit vehementiſſimus, narcotica expoſtulat, ità eſt *camphoræ ſpiritus*, in quo applicando, cavendum eſt, ne gingivæ à menſtruo erodantur; undè aliqui utuntur *camphorâ ipsâ in mortario ſolutâ cum vino, vel vini ſpiritu*, ſed vinum quandóque ſuſpectum eſt ob aciditatem, quæ ſemper in eo experitur; ideòq; in odōtalgicis medicamentis majoris ſuſpectionis erit acetum, quandò dolor ab acido ortum ducit. Interdum recurrendum eſt ad vulgaria opiata, quæ, ut citiùs penetrent, diſſolvi poterunt cum *aquâ ſalviæ, roris marini &c.* cum quibus etiam ſolvitur quandóque *opium cum croco miſtum*. Solvunt interdùm dentiū dolorem ſuffumigia ex òpiatis, ut *ex ſeminibus hyoſcyami*. Proſunt etiam ſuffumigia *ex ſuccino, vel ejus oleo*, vel applicatur ſpecificum *gummi animæ* cum goſſypio. Aliquandò admovetur *oleum caryophyllorū, juniperi, roris marini, nucis moſchatæ, guajaci, ſpicæ &c.* quę miſcentur etiam cum cāphorâ, & opio, ut

℞. *Ol. caryophyll.* gutt. ij.
camphoræ parum.

miſce in mortario, & cum goſſypio denti impone. Vel

℞. *Camphoræ* ℈. ß.
opii gr. iv.
Spiritûs vini ℥. ij.
aquæ ſalviæ ℥. vj.

miſce, & calidè detineatur in ore. Efficaciſſima erit *tinctura laudani opiati*. Vel indatur denti, ſi carioſus, vel perforatus fuerit, *pilula de laudano opiato, vel de cynogloſſâ*.

Reſpiciendum eſt etiam quàm maximè ad cauſas, nàm aciditas dentem inficiens, tollitur *oleo caryophyllorum, portulacæ &c.* & ſic in alijs procedendum appropriatis remediis. Interdùm ex dolore inflammatio vicinarum partium

lum procedit, & tunc medici vulgares putant doloris cauſam eſſe calidam, & cavendum eſt in hoc caſu à medicamentis, quæ nimium calorem excitare valent.

Si dens dolens ſit carioſus, ejus dolorem demulcet ſequens electuarium, ut

℞ a l ic. biſtorta,
pyrethri ana q. v.
alum. uſti parum
contunde invicem, & cum ſuff. mellis quantitate fiat electuarium, cujus quantitatem ipſi cavo denti immitte. Sedat dolorem, laticem extrahit, & vermiculos enecat.

Pro certiſſimo experimento habemus contra dentium dolorem *Ranæ terreſtris tibias optimè à carnibus mundatas*, quibus ſi dolens tangatur dens, omnis abigitur dolor. Itèm *dens ex maxillâ mortui* evulſus, & cum radice ſuâ dentem dolentem tangens, dolorem tollit, & dentem glacie frigidiorem reddit, qui temporis tractu vel fruſtulatim cadit, vel ad priſtinam abit temperiem.

Si à vermibus dolor excitetur, hos enecat *ſabinæ, abſynth. tanaceti, vel prun. ſylveſt. cum radice angelicæ, & ſemine zedoariæ decoctum* pro gargariſmate. Alij commendant *fumum halicacabi*. Quidam *fumum ſeminis hyoſcyami* per infundibulum ad dentem dolentem exceptum unicè prædicant. Itèm omnia amara, ut ſunt *myrrha, aloë, colocynthis, centauria minor &c.* Ad vermiculos fallendos, & eliciendos quandóque *dulcia* proſunt, ſic mel denti carioſo impoſitum vermes allicit.

Dentium dolòr primis menſibus gravidis quandóque moleſtus eſſe ſolet. Oritur iſte dolor à ſpiritu ſalſo, vel acido ex ſanguinis redundantiâ, non verò ob menſtruorum retentionem, cùm gravidę menſtruis non tententur, irruente in nervulos, vel membranas, à quo contrahuntur, & ex contractione dolor. Dentium dolor in nonnullis eſt certiſſimum graviditatis ſignum. Ceſſant hi dolores ut plurimùm temporis progreſſu, ut ceſſare ſolent alia geſtationis ſymptomata, quæ in conceptionis principio moleſta eſſe conſueverunt. Sedatur dentium dolor in geſtantibus remedijs ſuprà notatis; Si verò gravior ſit eodem modo ſuccurrendum eſt, ut ſuprà notavimus.

Si omnibus hiſce remedijs dentium dolor non cedit, vel poſt aliquod temporis intervallum recurrere conſuevit, quia dens valdè exeſus, vel carioſus fuerit, optimum, & infallibile remedium erit, cum ferro extrahere, quo extracto, ſtatim omnis vulgarium fluxio evaneſcit, & dolor non ampliùs reverſurus remittitur.

CAPUT XXXIV.

De Dentium Stupore.

Dentium Stupor, Græcis *ἀιμωδία*, eſt moleſtia, qua dentes tactus ſenſu vitiantur, & itâ ſtupentes evadunt, ut non niſi magnâ cum moleſtiâ cibum commaſticare queant.

Signa.

Malum hoc ità dentes occupat, ut non ſolùm mandentes ex eo intolerabiliter doleant, verùm etiam nec cibum mollem mandere poſſunt, imò nec digitis ſuis ęger attingere præ dolore vix ſuſtineat. Quapropter perperàm dentium ſtupor appellatur, qui eſt ſenſûs abolitio, ſed potiùs ad dolorem pertinere videtur. Undè rectè *Capivaccius*

hæmodiam dolorem dentibus propriam eſſe aſſerit.

Veterum Cauſa.

Galenici in dentium ſtupore intemperiem frigidam nervos antedictos infeſtare autumant, quam frigida etiam externa occurrentia adaugere credunt. Horum nonnulli velint nolint, etiam illa crepent, ad ſaporem acidum confugiunt, verùm dentium temperiem immutantem, ad quem etiam auſtera referunt.

Stuporis dentium cauſam ab acidis, & auſteris provenire aſſeverâmus; hęc námque non modo ex particulis acutis, ſed etiam hamatis conſtant, quæ itâ fibras, & nervulos nimium conſtringunt, & rigidos reddunt, ut ſpiritus ſimul ligentur, nec ob fibrarum, & nervulorum rigiditatem liberè moventur. Undè fibræ, & nervuli nimis tenſi ad quemcumque leviorem contactum moleſtè moventur, ut vi quadam flectantur, quam moleſtiam ſpiritus advertentes, communi ſenſorio offerunt cum quidam ineptitudinis ad motum ideâ, & ſtuporis perceptionem excitant. Hujuſmodi particulis abundant fructus valdè acidi, acerbi, & auſteri, ut pruna ſylveſtria, omphacium cornum, amarenæ, mala limonia, citria, aurantia, cotonea, ribes, & alia poma immatura, & acerba. Itèm potus vini acidiuſculi, aceti, ſpiritus vitrioli, ſulphuris &c. ad quorum comeſtionem, aut hauſtum facilè ſubſequitur hęmodia. Similiter ſaccharata hunc peregrinum acorem producere ſolent, quia occultum in ſe habent acorem. Id etiam evenit ab humoribus acidis vomitu rejectis, quod multis affectione hypochondriacâ, vel ſcorbuticâ laborantibus accidiſſe obſervavimus, qui tàm acida vomitu rejecerunt, ut dentes ſtupidi iis itâ indè evaſerint, ut per integrum diem vix aliquid comedere potuerint. Sic & affectus iſte, quod mirum, ab imaginatione ſæpè oboritur, quando alium res acidas, & acerbas maſticantem videmus, aut tetricum, & aſperum ſonum audimus; nàm imaginatio furtivo modo movet in corpore humores & eos præcipuè, qui cum re, quam imaginamur, aliquam habent analogiam *Hieronymus Fracaſtorius* tamen *de ſympath. & antipath. cap.* 14. ad auditûs organum affectum cauſam refert, inquiens: *Similiter & ſi acutus valdè ſit ſonus, & ſtridulus, applicatiavim patitur, quaſi in angulo facta, tùm membrana auditus quaſi icta offenditur, undè contrahitur repentè, ac cum eâ ſimul & nervuli quidam uſque ad radices dentium, in quem locum ſubitò incidens novus aër horrorem quendam circa dentes facit.*

Prognoſis.

Dentium ſtupor eſtò moleſtus ſit, non ſemper difficulter curatur; ſæpè namque nullis adhibitis remediis abſque ullo dentium damno ceſſat.

Veterum Curatio.

Curant vulgares dentium ſtuporem quibuſdam remediis ſpecificis per experientiâ obſervatis, ut *portulacâ viridi maſticatâ* cujus ſuccus lètore ſuo dètibus adhærens, aciditatem è dentibus extrahit. *Rhaſis amygdalas amaras, & ceram maſticatam* cõmendat, quia unctuoſitate ſuâ illam congelationem remittere credit. Alii *radices glycyrrhi-*

za, aut pineas, avellanas juglandes extollunt, quibus acidit atem obtundere imaginantur. Nonnulli *caſeum recentem, aut vetuſtiorem, vel calidum ovi vitellum* laudant. Pleriſque *panem è furno calidè extractum maſticandum* exhibent, vel oris collutionem cum *vino calido* præcipiunt. Verùm ſi dentium ſtupore laborans maſticaverit panem è furno calidè extractum, calidum ovi vitellum, caſeum recentem, vel vetuſtiorem, poterit utique hos deglutire, & optimum vini cyathum ſuperbibere, & ire dormitum, & ſic manè à dentium ſtupore immunis erit. *Joannes Hartmannus* in dentium ſtupore jubet, ut ſtupidi dentes *ſale fricentur, vel maſticetur pannus laneus, vel piloſus pileus.* Verùm errant vulgares, nàm ſtupidi dentes non tantùm cibum mollem mandere non poſſunt, verùm etiam nec tangi, undè ſi ſuprà enarrata maſticare poſſent, utique nullâ moleſtiâ cœtera alimenta contererent. Prętereà his nulla virtus ineſt acidum diſſolvendi, infringendi vel corrigendi.

Noſtra Curatio.

Hæmodiam curant remedia, quæ particulas acutas, & hamatas non ſolùm hebetant, ſed quæ emolliunt, & fluxiores reddunt fibras nervoſas, & eas blandè commovendo reficiunt, ne ulteriùs rigeſcant. Hæc curatio non modò producti eliminationem reſpicit, verùm etiam cauſæ, quæ ſi interna ſit, auferatur remediis millies à nobis decantatis. Producti curationem perficit *decoctum ſalviæ, ſampſuci, baccarum lauri, vel eſſentia ſalviæ, roris marini, tinctura juniperi, vel balſamus Peruvianus* cum goſſipio denti affecto applicatus. Omnium optimum eſt *urina hominis calidè dentibus adhibita, vel ſal armoniacum in aquâ portulacæ ſolutum*, & applicatum. Vel omnium remediorum optimum eſt, ſi ſtupidi dentes *alkalibus* fricentur, in quorum defectu os *lixivio* colluatur, vel *vini ſpiritu, vel oleo tartari per deliquium*, ſi tangantur.

CAPUT XXXV.

De Fœdo Dentium Colore, & Sorditie.

Dentes candidos, & nitidos natura efformavit, quid enim pulchrius eſſe poteſt os albis dentibus præditum ſpectare? Profectò videtur naturæ ærarium, in quo pro dentibus tot margaritæ ſpectantur, & tamen quos natura dealbavit, incuria nigricavit! Quid abominabilius eſt dentes nigros, vel lividos, vel fuſcos, vel fœtentem mucilaginem, tartareumque tophum habentes aſpicere? Equidèm dentes ità ſordidi hominem dedecorant, & adſtantibus nauſeam pariunt. Quiſque dentes candidos & eburneos habere poteſt, cùm ex incuriâ tantùm hic proveniat affectus, ſi debito mundentur modo, & in ſuo conſerventur tenore.

Signa.

Signa ad ſimplicem oris hiatum ſunt ità manifeſta, ut ea deſcribere non oporteat.

Veterum Cauſa.

Vulgares dentium fœditatem, & ſorditiem humoribus vitioſis, in illorum ſuperficie hęrentibus refundunt, quod ſi verum hoc eſſet, tantùm cachexiâ

laborantes hoc afficerentur malo; & vaporibus ſurſùm exhalantibus, quod etiam à veritate alienum cognoſcimus nàm vapores ſurſùm exhalãtes, in ſimplicem ſe condenſant aquam; crebro dulcium eduliorum uſui, & hoc malũ ſolùm nobilibus, & magnatibus eſſet familiare: Verùm id credimus anile eſſe inventum ad arcendos pueros à dulcium eduliorum uſu; fructuum nigrorum, ut ceraſorum, myrtillorum, mororum &c. maſticationi, quaſi potus & ſaliva talem nigredinem ſuperficialem diluere non valerent. Prętereà qui tales nigros nunquàm deguſtarunt fructus, curtali laborant effectu, Crapulæ nõnulli refundũt, quod maximè canibus, & ſuibus, cùm voraciſſima, & omnivora ſint animantia, hoc contingeret malum. Multi frequenti lacticiniorum uſui & præcipuè, caſeo putrido, alij cibis nimiùm calidis & alijs ſexcẽtis anilibus fabulamentis. Qui incuriæ, & mundificationis dentium neglectui tribuũt, de medicamento agunt prę ſervativo, non verò de hujus morbi cauſâ.

Non negaverimus tamen ab argenti vivi ſuffumigio, & inunctione, in lue Venereâ, dentium fœditatem provenire, ſicut etiam à mercurio coſmetico, vel ſublimato in aquâ ciſternæ ſoluto, cum limonum ſucco, ovi albumine, cucurbitæ ſeminibus, & camphorâ, quibus Neapolitanæ mulierculæ pro dealbandâ facie utuntur, plerúmque dentes fœdo imbui colore, quia poris ſe inſinuat, & temporis tractu dentes inficit, quomodò id accidat, ex infrà dicendis eruitur.

Poſtquàm tartarus, ductore *Paracelſo*, in medicinam fuit ingreſſus, non deſuêre medentes, qui morborum myriades tartaro adſcripſerunt, & tartaro quoq; fœdum dentium colorem, & ſordes tribuêre; ac proindè voluit Paracelſus ciborum tartarum tanquàm propinquiorem in dentalem lapidem tranſire, potùs verò tartarũm in renum & veſicæ calculos: putabat enim nil cibalis tartari ad renes, & veſicam pertingere, & reverà tartareum lapidem dentibus obnaſci cernimus, tartaro correſpondentem, nihilominùs in cibo reperiri negamus, &

Primò, febricitans, qui triduo, vel quatriduo, nihil edit, aut maſticat, in dentibus lapideſcentem contrahit mucilaginem, imò copioſiorem, quàm ſi benevalens comederet; conſtat itáque mucilaginem lapideſcentem circa dentium radices, quà extra gingivam ſe offert, non eſſe ciborum tartarum.

Secundò, qui nihil edit, & bibit, niſi per infundibulum ob oris, palati linguæ, faucium &c. defectum, nihil maſticat, neque alimentum dentes attingit, & tamen quotidiè dentes incruſtantur, non aliàs quàm comedens, & bibens.

Tertiò, ſiquis in ſingulis comeſtionibus os, & dentes exquiſitè abluat, fricet, abſtergatque manè tamen novum lapideſcentem, olidumque lentorem circa dentes reperiet, qui ex cibo remanſiſſe nequit.

Quartò, ſi tartarus ciborum eſſet ſoboles, toties eſſet diverſus quoties cibi diverſi.

Quintò, qui ſimplici pane, & aquâ jejunant, non aliter ac qui panem, carnes, caſeum &c. comedunt æquè in eodem olido conveniunt lentore. Conſtat igitur vanum eſſe *Paracelſi* de trataro circa dentes commentum, cùm alimenta tartari ſint inſontia, ut fuſiùs probat *Van. Helmont.*

Noſtra Cauſa.

Pro noſtrâ ſententiâ cum ſuprà citato dicimus, quod lingua tunicâ amicitur tenui & poroſâ, ut ſapores penetrent, ejuſque ſubſtantia eſt mollis, laxa, rara, & ſpongioſa ad imbibendos ſapores aliquo madore vectos. Hæ poroſitates inter mãdendum madore replentur, non tamen tartaro, ſed ſolidâ ciborum ſubſtantia. Imò ſi abradatur iſta ſordes à linguâ, non acquirit dentalis lapidis duritiem, licet areſcat; fœtet tamen, ſed non pro dentalis lapidis odore cadaveroſo. Si mox poſt paſtum lingua abradatur, vel duriori fricetur linteo, manè minus mucilaginis iterùm abrades, ſed non minus olidæ. Hæc linguæ ſaburra non minùs ex ſolidis cibis, quam ex ſalivâ & totius corporis recremento oritur, quod dentibus per ſucceſſivam incruſtationem obducitur. Hinc ſi dentis cavo detineatur cibus per noctem, hoc recremento imbibitus utique fœtidiorem anhelitum expirabit, ac abraſa mucilago. Sic quoque inter gingivas, & maxillam ut ut à cœnâ os ablueris ſingulo mane alba quædam mucilago coacervatur, quæ deindè linteo abſterſa, & exſiccata, proprio olet fœtore. Hæc mucilago dentibus in primo ortu alba adhæret, quæ pedetentim flaveſcit, & deindè in duritiem accreſcit in dentibus, à quorum gingivis lutea incepit, & in dente non rarò nigris manifeſta maculis, imò nigrum, & carioſum efficiet dentem.

Verùm aliqui contra noſtram ſententiam ità inſtare poſſent: Iſte tartarus omnium dentibus æqualiter abſq; ullâ exceptione adnaſci deberet, eo quod in omnib. omnia ſuprà enarrata æqualiter concurrant; nihilominùs plures ab iſto lapide immunes habent dentes, & præ omnibus Æthiopes.

Reſpondemus, quòd Æthiopes, quorum gingivæ in acutam deſinunt cuſpidem non facilè lapidem efficiunt; contrà verò quibus gingivæ tument cruentæ, in obtuſum deſinunt, & malè dentibus aſſociantur, iis frequens coacervatur ejuſmodi lapis.

Prognoſis.

Sicut albi dentes non tantùm venuſtati, verùm etiam propriæ conferunt valetudini, ita nigri, & ſordidi olidam eructant animam, & ſæpè in corruptionem, cariem, caſum, & in gravia degenerant vitia, quia perpetuò inter mandendum detritu fœtidum quid, & abominabile emittunt, quod cum cibo & ſalivâ in ſtomachum deſcendit, & nihil boni ibi moliri poteſt. Prætereà in febricitantibus vehementem ſignificat febrem in dentibus lentor, ut habetur *aph. 55. ſect. 4. quibus per febres circa dentes lentor quidam obnaſcitur, iis vehementiores ſunt febres.*

Veterum Curatio.

Noſtri vulgares hujus affectûs curationem aggrediuntur à cauſa antecedenti, quaderè ſi pravi humores in ventriculo redundantes huic malo anſam dederint, eos purgantibus auferunt, ſi intemperies, eam corrigendam exiſtimant, & interim optimam victûs rationem præſcribunt. Sed ſicut in causâ inveniendâ cæcutiunt, ità quoque in applicandis remediis hallucinantur. Eſt malum topicum, & non à toto, vel ab intemperie impetitum.

Quid

Quò ad topica, pro dentium vitioſo colore emendando, & ſorditie tollēdâ uſitatiſſima habent dentifricia, quæ in diverſas concinnant formulas ex ſequētibus, ut *oſſibus ſepiæ, raſurâ eboris, alabaſtro, pumice ignito, c.c. uſto, corall. margarit. præp. ocul. cancr. Lapide ſpongiæ, teſtis ovorum, cochl. uſtis ſilicib. combuſtis, arenâ albâ ſale toſto, tartaro calcinato, alumine uſto*, & his ſimilibus, ex quibus pollinem efformant, & ne pulveris dentifricij ingredientia cognoſcantur, addunt *cinnam. flor. roſ. moſch.* &c. etiam in pulverem redacta ad ſuavem conciliandum anhelitum.

Nonnulli ad dentes dealbandos, & abſtergendos tanquàm arcanum, commendant *carbones, & cineres ſtipitum roris marini*, quibus alij pro certiſſimo experimento præferunt *nicotianæ cinerem*.

Optima quidèm nobis videntur hęc vulgarium dentifricia ad dentes dealbandos, ſordeſq; tollendas, quia omnia ex albis, vel uſtis toſtis, calcinatis, & igne exaltatis conſtant, ſed non reſpondent dicta promiſſis; imò magis obſunt, quàm proſunt, quia malum hoc ſemper tumentes, cruentæ, malè dentibus aſſociatæ, eroſæ, & exulceratæ gingivæ ſuggerunt, quæ in dētifriciis non poſſunt non excoriari, cruentari, & magis à dentib. diſſociari, undè poſteà ob alimenti degenerationem uberior fœtentis mucilaginis, nigredinis, tartareique tophi cēſus emanat. Innumera ferè proponuntur à vulgaribus medicamenta ad dentes dealbandos & ſordities abigendas, ſed nullius, vel parvæ efficaciæ, quia rancidæ medicinæ ſunt ſoboles, & tantùm tonſoribus digna, ut quiſque experiri poteſt.

Noſtra Curatio.

Nos paucioribus etimùs contenti & chymico depromptis penu, quę in inſtanti fœdos dentiū colores auferūt, illos ab omni liberant ſorditie, & carie præſervant. Talia ſunt *vitrioli oleū, vel ſpiritus, vel oleum ſulphuris per campanā*, attamen aquâ fontanâ diluuntur, in quib. bacillus, in cujus cuſpide obvolutū ſit goſſypium, immergēdus eſt, & dentes, fricādi, ac deindè linteo detergendi. In magnâ dentiū ſorditie purus ſpiritus, purumq; oleum uſurpari poterit, ſi verò ſtuporem cōtraxerint, ſupra enarratis c. de dētium ſtupore auferes. Solent quandóq; adeò magno dentalis lapidis proventu obduci dētes in quibuſdam, ut nulla eorum diſtinctio ampliùs appareat, ſed unius tantùm oſſis ſpeciem præſeferant, tunc his minimè cedūt, ideoq; prius ſcalpris, vel aliis inſtrumētis ferreis, aut potiùs argēto paratis dētalis removēdus, & abradēdus eſt, deindè facilè dealbantur. Si fœdus color, & ſordities ſuperficialis ſit præſtans erit limonū, vel citri ſuccus; omnib. tamen palmā præripit *ſalis ſpiritus aquâ cōmuni tēperatus*, quia præter dētium dealbationē, quā in momēto efficit, eos à carie, & gingivas à putrefactione pręſervat ob balſamicā energiā.

Nonnulli *aquam fortem communi aquâ temperatam* commendant cum penicillo denti appoſitam, ſed nullatenùs eſt uſurpanda, quia eſt corroſiva cum venenatâ indole & gingivas corrodit, & cauſticat; maximæ tamen efficaciæ *eſt aqua aluminis*.

Sunt nonnulli, qui pro pręſervatione ſingulis diebus unâ, vel alterâ olei vitrioli guttulâ gingivas, & dentes leviter fricari commendant: ſed perperàm quia certum eſt concavari dentes,

tes & ſubtiliari ſimiliter, ac tandem effringi, ut multoties obſervavimus. Itaque nos pro præſervatione dentes ſemel dealbatos, & à ſordibus mundatos non iterùm attingi imperamus, ſed nè impoſterùm fœdum contrahant colorem, à cibis, & ſordibus mundandi ſunt, non autem cultri acumine, ne lædantur, ſed dentiſcalpiis flexibilibus, & poſt cibum aquâ abluatur, & dentes indice fricentur, deindè mappulâ abſtergantur. Verùm hæc cura eſt nimis moroſa, ſufficiet in faciei ablutione, quolibet manè os colluere, dentes indice fricari & linteo abſtergere.

CAP. XXXVI.

De Dentium Mobilitate, & Caſu.

VAcillant dentes, cùm ſuis non firmiter adhærent alveolis, ſed hùc, illucque moventur, & digitis ab uno in alium locum moveri, ac contorqueri poſſunt ut facilè eos eximere poſſis, quod malum non infrequenter inciſoriis accidit, quia unâ nituntur radice. Quandòque excidunt, ſed rariùs; interdum per aliquot dies ſolummodò vacillant, & poſtmodùm priſtinam ſuam recuperant firmitatem, nec amplius moventur, ſed firmiter ſuis adhærent alveolis, quemadmodùm clavi in ligno.

Signa.

Signa; ex his, quæ diximus facilè eruuntur, nàm non firmiter adhærent dentes, ſed ità moventur, ut non tantùm digitis eximi, verùm etiam linguâ è gingivis eliminari poſſe videantur.

D. Car. Muſitani Trutina Medica.

Cauſæ.

In aſſignandâ mobilitate dentium causâ non diſcrepant vulgares à recentioribus, recenſent namq; gingivarum laxitatem, aut eroſionem ab humoribus quantitate peccantibus inductam, ut ità dentes non ſatis arctè & firmiter à gingivis amplectantur.

Duplex eſt cauſa, quæ dentes reddit mobiles, una interna, altera verò externa; interna nimia prava humiditas, ſive liquor lymphaticus, & ſalivalis in gingivas, dentium radices & nervos effuſus, undè poſtmodùm molleſcunt, relaxantur, flacceſcunt, corroduntur, & excidunt. Ità videre eſt in cinnabaris fumo, hydrargiri inunctione, qui ptyaliſmum ſemper excitant, & dentes quandoque ità ſupra modum relaxant, & corrodunt in quibuſdam, ut omnino excidant, & in malè præparatis medicamentis mercurialibus iatroaſſumptis, quæ quandòque ſalivationem inducunt, denteſque mobiles reddunt, at nunquàm cum dentium detrimento, quia eductis per ptyaliſmum pravis humoribus, dentes refirmantur. In ſcorbuto contingit dentium mobilitas à gingivis laxis, tumidis, & corruptis. In lue vénereâ vacillant, quia gingivæ ab exaltato ſalis nutrimento diminuuntur abſumuntur, & dentes gingivâ denudantur. In fumis mineralium venenatis frequentiſſimè aurifabris, argentariis, & metallorum fuſoribus dentium mobilitas accidit. Vacillant in copioſiori alimento, cùm gingivæ magis expandantur, ut in pueritiæ, & juventute contingit, in quibus dentes minores non reſpondent dilata-

 tis

tis alveolis. Vacillant quoque in alimenti defectu, in quo dentium alveoli ampliores redduntur; & præſertim ſi prava coacervetur humiditas, ut in ſenibus, & convaleſcentibus videre eſt Primores dentes omnibus pueris ante ſeptennium vacillant, ſed non omnes ſimul, verùm unus poſt alium & omnes præter maxillares iſtam patiuntur mobilitatem, tandèmque ſponte excidunt; quia ſuccreſcente alio, è foveâ alimento privantur, & propulſantur. Hîc nos non agimus de hac naturali mobilitate, ſed de morbosâ à cauſis ſuprà enarratis proveniente. Externa denique cauſa eſt violenta dentium contuſio, vel alliſio..

Prognoſis.

Dentes vacillantes, per aliquod tempus refirmantur, at ſi diù vacillent, ſolent tandèm penitùs excidere, ideòque non parvifaciendi, denotant nàmque magnam gingivarum putrefactionem, cui ſi opportuno tempore non conſulatur, eorum caſus expectandus eſt, nec alij in elapſorum locum ſuccreſcunt, præterquàm in pueritiâ. Hinc non modò pulchritudinem imminuit, ſed loquelæ & maſticationi obeſt.

Veterum Curatio.

In dentium mobilitate curant vulgares, ut dentes in ſuis alveolis firmentur, ac proindè humores peccantes evacuant vel catharticis, vel ſalivantibus, & poſtmodùm gingivas nimis laxas corroborant, & adſtringunt gargariſmate *ex decocto fol. meſpilor. plantag. myrrh. ſorb. ſalviæ, prunellæ facto in vino rubro.* Vel eas adſtringunt *decocto cupular. gland. flor. balauſtior. roſ. fol. quercus in vino rubro ſtiptico facto, additâ aluminis portione.* Vel linimento *ex ſang. drac. acaciâ, corall. prunis ſylveſtribus immaturis, radice tormentill. & alumine uſto, melle roſaceo exceptis.* His & aliis ejuſdem conditionis medicamentis gingivas adſtringere, dentes arctius firmari, & retineri credunt..

Noſtra Curatio.

Dentium mobilitatis curatio pro cauſarum diverſitate diverſa inſtituitur; quapropter ſi à ſcorbuto ortum duxerit, curatio ad ſcorbutum dirigenda eſt: vitioſi humores expurgandi ſunt admiſtis ſemper herbis anti-ſcorbuticis, quales ſunt *naſturtij aquatici, cochleariæ, becabungæ folia, armoniacæ radices &c.* & adhibentur, quæ de gingivarum exulceratione, & eroſione ſuo capite propoſuimus, ſed præ cæteris ſequens prodeſt, ut

℞. *Tincturæ gum. laccæ* ℥. ß.
flor. aquileg. ʒ j.
ſpiritûs cochleariæ ʒ. ij. m:

hoc os, gingivas & dentes colluito.

Si in lue Venereâ à fumis, inunctionibus, & aliis medicamentis mercurialibus vacillent dentes, tunc os colluendum eſt *aqua Anti-Venereâ vel decocto ligni ſancti, ſalſæ parillæ parato cum vino, maſtiche,* & quidem alio fortiter adſtringente à nobis infrà proponendo.

Si ab alimenti defectu, ut in ſenibus, nullum adhiberi poteſt remedium, in convaleſcentibus verò facilis eſt reparatio.

Si dentium mobilitas à nimiâ humiditate oriatur, curatio perficienda eſt exſiccantibus, & adſtringentibus; attamen vitanda ſunt, quæ dentes

tes

tes denigrant, ut ſunt *granatorum cortices, balauſtia, gallæ, vitriolum &c.* Ad humiditatem verò educendam maximoperè valent ſalivantia *ex maſtiche, radice pyrethri, angelicæ, zinziberis, fumo nicotianæ &c.* Vel quæ lymphæ ſuperfluitatem exturbant, vel medicamenta diaphoretica ſatis cognita, poſtmodùm ſalinæ particulæ gingivis, & dentibus hoſtiles corrigantur, vel diluantur. Adſtringunt, exſiccantque ſequentia decocta pluries experta, ſi ſæpiùs quotidiè eluantur dentes, quia rurſùm figuntur.

℞ *Glandium* ʒ. j.
gallarum ℥. ß.
alum. uſti.
ſucc. acaciæ ana ʒ. ß.
fol. roſ. rubr. m. ß.

Coque in vini rubei lib. ij. clauſo opt. vaſe & cola.

Sequens *noſtra aqua* eſt expertiſſimo ad dentes mobiles, & carne nudatos, ut immobiles reddat in ſuis alveolis, & carne veſtiat & nunquàm ægros tali affectu laborantes felici defraudavit eventu, & poteſt fieri tàm per decoctionem, ſed in minori doſi, quàm per deſtillationem, ut

℞ *Fol. ſalviæ.*
roris marini.
ſorb.
oleæ,
myrtill.
piloſell.
flor. roſ. rubr. incompletar.
balauſt. ana m. j.
radic. biſtort. ℥. ß.
ſymphyt. mai. ℥. j.
nuc. cupreſſ. num. xvj.
ſantal. rubr.
cortic. citri ana ℥. ß.
macis,
myrrhæ ana ʒ. j. ß.
ſang. drac.
gummi Arabic.
maſtich.
tragacanth. ana ʒ. ij. ß.
ſarcocoll. ℥ j.
alum. uſti ℥. ij. ß.
pyrethri ℥ ij.

contundenda contundantur, & incidenda incidantur, quibus ſuperfunde vini nigri lib. x. ſtent. in calore digeſtionis, & per cucurbitam vitream, cui recipiens adaptetur, deſtillentur ſ. a.

Vel ſequens decoctum miræ efficaciæ à nobis expertum pro dentium collutione adhiberi poteſt, quos firmiſſimos reddit.

℞ *Ariſtoloch. rotundæ.*
triſſaginis,
ſtellariæ ana m. ß.
lentiſci.
hypociſtidis ana ℥ ij.
cupular. gland. ℥. ß.
acaciæ,
ſang. drac. ana ʒ j. ß.
radic. angelicæ ℥ ij.
nuc. cupreſſ. num. IV.
maſtich. ʒ. j.
alum. uſti ℥ ij.

Infundantur in vini nigri auſteri lib. v. *ſtent in loco calido per biduum, deindè bulliant lento igne, clauſo vaſe, quo refrigerato, cola.* & utere *vel deſtilla ſ. a.* & utere.

Johannes Baptiſta de la Porta ſequentem aquam pro dentium mobilitate extollit:

℞ *Herbar. ſalviæ.*
urticæ,
roris marini,
tormentillæ,
nuc. jugland. benè lotar. & contuſar. ana m. iij.

flor. ſalviæ,
roris marini,
roſ. rubr.
fol. prunell.
plantag.
ſummit. rubi,
marrubii ana m. ij.
ſ.m. myrtill. lib. j.
hypociſtidis ℥. iij.
coriand. præp.
cortic. citri ana ℥. ij.
cinnam. ℥. iij.
nuc. cupreſſ. num. x.
boli armen.
maſtich. ana ℥ ij.

Inciſa, & contuſa infundantur in ſuff. quantitate vini nigri auſteri per triduum deinde fortiter exprimantur. Expreſſum indatur cucurbitæ vitreæ, deſtilletur lento igne. In deſtillato ebulliant, clauſo vaſe, alum. ℥ ij. cola, & ad uſum ſerva.

Qui mobiles habent dentes, non multùm garriant, nec digitos, vel linguam ad dentes impellant, nec frigidum admittant aërem, nec res maſticent duras, ſed pulticulam, vippam, juſcula, ova ſorbilia, vel alios hujuſmodi ſumant cibos, in quibus non forti opus eſt maſticatione.

Si ità vacillent, ut firmari nequeant, ne fiant edentuli, ad firmam ementiendam ſtructuram per aureum filum fiat allegatio; attamen cautè inſtituenda eſt, ne inflammatio ſequatur.

Dentium caſus reſtituitur ex ſemine in alveolo latente, alveoli implentur, & ità defectus reparatur; quamdiù ſemina intra gingivas latent, novi poſt priorum caſum facilè renaſcuntur, & hac de causâ in occidua ætate renaſci ſolent, ſed hoc rariſſimè contingit. Ad dentium itàque caſum reparandum edentuli inſititios dentes ex ebore, vel dente hippopotami fabricatos, in illorum locum ſuſtituunt non tantùm in venuſtatis gratiam, ſed & in articulatæ locutionis, quia edentuli quaſdam literas pronunciare nequeunt v. g. T. & R. ubi lingua ampliata prioribus dentibus inniti debet.

CAP. ULTIMUM.
De Difficili Infantium dentitione.

Dentium germina in utero generantur poſt maxillarum generationem, in quibus imperfectè latent, (rarum eſt enim infantem naſci dentatum) ne ſugens papillam lædat; undè in abortu, vel in infantulo recens nato dentes exigui erui poſſunt. Erumpunt extra gingivas circa menſem ſeptimum, vel ſeriùs, & quidèm primo inciſorii, quos aliquo temporis curriculo ſequuntur canini, & tandèm maxillares. Eorum eruptio eſt naturæ opus, quæ illos propellit, & eo tempore, quo erumpunt in infantibus, ex illâ gingivarum continui ſolutione plures affectiones præternaturales tenellos affligunt, infantes; hi enim primò magnum in gingivis ſentiunt pruritum, deindè quaſi aculeo gingivæ, dùm ab aculeatis illis perforantur oſſibus, punguntur, undè vehementiſſimus dolor, tormina, diarrhϾ ex viridi flaventes, terrores, inſomnia, vigiliæ, gingivarum inflammationes, febres excitantur, & ex divulſione, & contractione convulſiones, quas imperiti vulgares pro epilepſiâ accipiunt ob oris ſpumam, & indeſinentem ſalivationem. Id maximè accidit, cum canini erumpunt dentes, qui vulgò ocularii nominantur, undè vulgò dici ſolet proverbio: *Parentes*

de liberis gaudere non poſſe, donec dentes ab oculis editi ſint.

Circa ſeptimum annum alia fit dentitio, quia alveoli creſcunt, & ampliantur, ac lactis dentes tùm temporis molliores vacillant, & excidunt, ac alii grandiores, firmiores, & duriores prodeunt in utrâque maxillâ decem, quatuor inciſorii, duo canini, & quatuor molares, ſed cum tùm gingivæ anteà perforatæ ſint, id ſine dolore accidit.

Signa.

Infantuli non dùm ſermone dolorem indicare poſſunt, quia dentibus carent, qui ad vocis modulationem neceſſarii ſunt: attamen cognoſcitur dentitio, Primò, ex tempore, quo dentes erumpere ſolent, quod eſt circa ſeptimi menſis initium, vel ſerius Secundò infantuli aſſiduò digitos in os inferunt, undè magna ſalivæ ſupellex fluit. Tertiò, matres, vel nutrices papillas fortius ſtringi, mordeti, & calefieri, quàm anteà percipiunt. Quartò, ubi dentes erumpunt, gingiva tumet, & albicat. Quintò tandèm, plures affectiones præternaturales accidunt, dolor, vigiliæ, tormina, alvi profluvium, & convulſiones.

Cauſæ.

Difficilis dentitio à gingivarum denſitate, & craſſitie provenit, at in dentitione ſymptomata ab alijs cauſis ortum habent, undè

Pruritus oritur, quia primâ invaſione fibrillæ nerveæ à dentibus gingivas perforantibus vellicantur. Dolor pendet à continui gingivarum ſolutione, qua membranæ nerveæ non tantum diſtenduntur, ſed lacerantur, & continui ſolutio fit, & quò ſpina eſt acutior, eò acutiorem cauſat dolorem, ſic quò dentes ſunt acutiores, eò dolores immaniores oboriuntur: quapropter canini dentes, ut acutiores, omnium ſymptomatum præ reliquis atrociorum ſunt auctores. Affligenti dolori atrociorem addunt dolorem ſalina humorum ſpicula, dùm circa radices tenerioribus, & ſenſibilibus fibrillis præ aliras infiguntur, & ob inæqualitatem ſuis moleſtum inferunt ſenſum. Inflammatio oritur à gingivarum perruptione, haud rarò enim ſanguifera conceptabula ibidem ſatis copioſa ſimul dilacerantur, ſanguis effluit extra ſua vaſa, exitum non inveniens, in earum ſpaciolis remoratam contrahit, vitium capit, grumeſcit, & tuberat: Vel quia membranulæ, & fibrillæ diſtenduntur, undè ſpaſmus in nervis producitur, nervi contracti arterias ſocias comprimunt, convellunt, criſpant, & ſanguinis motus feriatur, & inflammationem excitat, particulis deindè roſcidis & balſamicis evolantibus, ſuppuratur, undè abſceſſus, & alia oriuntur mala. Salivatio pendet à dolore ſpirituum motione, acrimoniâ & fluxilitate lymphæ, quia ex dolore glandularum vaſa, & præcipuè ſalivalium, & membranæ illas cingentes vellicari, & criſpari ſolent, & ſimul uberior ſalivæ proventus in os effunditur, ſpirituum commotio facilè efficere poteſt, ut uberior ſeri copia ad glandulas emandetur; lymphæ denique acrimonia, & fluxilitas uberiorem ſalivæ ſupellectilem movent; ut videre eſt in ſcorbuticis, & hypochondriacis, quorum latex ſalinis abundat particulis, hi moleſtiſſimo crebriùs vexantur ptyaliſmo. Saliva fauces alluit, & ad ventriculum tendit, non

enim infantes ſpuendi uſum habere poſſunt: ſi hæc blandior, & in ſtatu naturali ſit, ſine noxâ defluit, at ſi uberiùs ſpicula ſalina habeat, tunc faucium irritationes, eroſiones, & ſicca tuſſis excitantur. Si ad ventriculum deferatur, tunc illum ſpaſmodicè afficit, vomitus frequentes, tùm lactis corrupti, tum aliorum humorum, quos in ſinu fovet, & alia multa mala concitat. Si ad inteſtina ſaliva ſalinis ſpiculis imbuta derivetur, & ibi humorum ſtagnantium ſaburram inveniet, & hos fundit, & inteſtinorum fibras laceſſit, irritat, & vellicat, ac diarrhœa ſuccedit.

Prognoſis.

Dentitio infantibus morbus eſt congener, ac proindè per ſe minùs periculoſa eſt. Non tamen omni vacat periculo ob ſymptomata, quæ ingruunt, quapropter non pauci, febre, & convulſione ſuperveniente, quin tenella invadunt corpora, hos calamitatum ſcopulos effugere non poſſunt, undè acerbo ſuccumbunt funeri: & eò major imminet pernicies, ſi difficiliùs & longiori tempore dentes erumpunt, & præſertim ſi ſint canini, pejus ſe habent, & gravius laborant, quia acutiores & magnum infantulis negotium faceſſunt, ac proindè parentes de vitâ longâ ſperare non poſſunt, & præcipuè ſi ſymptomata de die in diem augeantur, imò nova, prioribus ablatis, accedant, naturæ robur imminuitur, debilitatur, & ſic tandèm infantum tenella corpuſcula huic oneri ferendo imparia redduntur, & morbus hic in mortem terminari ſolet. Qui crebrò alvum habent laxam in dentium eruptione, minus convulſione capiuntur, quàm qui adſtrictam ut *aph.* 25. *ſect.* 3. teſtatur *Hip. in progreſſu verò cum jàm dentire incipiunt, gingivarum prurigines, febres, convulſiones, alvi profluvia: & maximè cùm caninos edunt dentes: & ijs præſertim pueris, qui craſſiſſimi ſunt, & alvos duras habent.* Qui in dentitione acutâ corripiuntur febre, rarò convulſione tentantur, quia febris convulſionis materiam abſumit. Qui gravi premuntur ſomno, facilè in convulſionem labuntur. Hyeme & vere infantuli facilè dentes emittunt, minùſque moleſtiam ſentiunt ob nativi caloris robur, ſi tamen cætera conſentiant, & ab externis acris injurijs muniantur; æſtate etiam abſque moleſtiâ dentiunt ob gingivarum laxitudinem, ſi ſymptomata non urgeant.

Curatio.

Cùm difficilis dentitio à gingivarum denſitate, & craſſitudine ortum habeat, ſedulò danda eſt opera, ut rareſcant, & laxentur gingivæ, remotis obſtaculis, & ſymptomatibus ſedatis, quantocitiùs & faciliùs dentes erumpere poſſint. In primis verò incumbendum eſt, ut alvus ſit libera, quod ſi obſtructa per *mannam, vel ſyr. de cichor. Nicolai cum rhabarbaro* relaxetur. Interim rarefiant, laxentur, & molliantur gingivæ pinguibus, oleoſis, & mucilaginoſis: obliniantur ergo *melle cum butyro recenti permiſto, vel cerebro leporino, aut crudo, aut elixo cum toto corpore*, eodem modo adhibentur *avium, & pullorum cerebella.* Vel gingivæ inungantur *gallinæ, aut anatis pinguedine recenti.*

Si dolor vehementior ſit *ſolani ſuccus*

cum oleo roſ. calefiat, & illiniantur, aut foveantur gingivæ *decocto malvarum, althaæ, fœnugræci, chamameli, in quo diſſolutum ſit butyrum recens vel gallinæ pinguedo.* Vel imponatur *emplaſtrum ex theriacâ recenti.* Vel fiat emulſio *ex ſemine lactucæ, papaveris albi & lini cum aquâ violarum*, illiniantur. Vel foveantur *mucilagine ſeminum cydoniorum, althaæ, malvarum cum aquâ lactucæ.* Si inflammatio adſit, addatur, *aqua ſpermatis ranarum.* Hæc omnia ſuprà dicta calida applicentur ne gingivas adſtringant. Interim infantulo maſticanda præbeatur *candela ex cerâ virgineâ*, quia gingivas laxat, & pruritum demulcet.

Ad hunc etiam finem noſtræ mulierculæ varia appendent duriora quorum agmen ducit *dens lupi, cryſtallus, jaſpis canali argenteo incluſus chalybs ſepties, & ultrà candefactus, & in lacte caprino, vel muliebri extinctus*, aliaque ex ebore amuleta, ſive ex aliâ materiâ lævitate ſimul conſpicuâ parata, quæ de collo pendent, infantes arripiunt, in os intendunt, gingivis interponunt & commandunt. Verùm his, & ſimilibus magis duriorem reddunt gingivam, & dentium alveolos potiùs occludunt, quàm aperiunt. Maximè periapta, & amuleta improbamus ut ſunt *dens hominis, dens equi primùm natus, pellis lupi, dens viperæ maſculæ, lana agnina, jaſpis viridis*, & tanquàm fabuloſa rejicimus, non viribus, ſed perſuaſionibus, & imaginatione hæc juvare credimus.

Nonnulli *axungiam* inungunt *leporinam* in gingivarum locis, ubi dentes erumpere debent, ità leviùs mollificatas jam gingivas, dentium cuſpides ſub eis latentes perterebrant, & erumpunt.

Si omnibus his modis nec prodire videantur, & neceſſitas urget.

℞ *Sanguinem è criſtâ gallinacei recentem, & digito ſemel tantùm, vel ad ſummum bis gingivas inunge* & ſine difficultate, alijſque accidentibus tandèm prodeunt.

Quòd ſi non tantùm difficilis, verùm deſperata ſit dentitio, in hoc caſu ad ferrum confugimus, & gingivæ, eâ parte, ubi protuberant, ſcalpello incidendæ, vel pollice ſunt fortiter premendæ, ut feliciùs dentes protumpere poſſint.

Symptomata, quæ pertinaciùs difficilem dentitionem comitantur, ut febris, convulſiones, vigiliæ, vomitus, diarrhœa, ptialiſmus, tuſſis ſicca, faucium exulcerationes, aphthæ &c. curantur, ut in ſuis capitibus.

Dùm infantuli dentiunt, nutrix, vel mater bonam diætam obſervare debet, victuſque ſit temperatus; ſi febris adſit, vel immineat declinet ad frigidum & humidum, quia vel imminuitur, vel præcavetur. Vitentur interim acida, & ſalſa.

D. CAROLI

D. CAROLI MUSITANI

IATRIAS PROFESSORIS,

TRUTINÆ MEDICÆ

LIBER SECUNDUS.

DE THORACIS AFFECTIBUS.

Qui noſtri corporis ſtructuram contemplati ſunt, atq; ſingularum partium fabricam mirabili opere ſeſe mutuò reſpondentium, ut ex ipſis unius motu cæteræ æquabili ordine ſuos curſus abſolvunt; non immeritò hanc corporis machinam automati aſſimilârunt, quò non aliud majori induſtriâ compactum, nec majori ingenio moveri cuipiam in hæc attentiùs conſideranti videtur. Et ſanè quidem qui cordis machinam intuetur, pulmonum lobolos induſtri artificio intextos, cunctaque pectoris organa, quâ lege innumeros penè motus peragere, quantoque ſtudio, vel minima corporis pars horum motu ſuos fines non prætergreſſa moveatur, ſat clarè perſpiciet omnia vitæ machinamenta in hac pectoris capſulâ contineri, vitamque ab his motûs principia derivare. Fatemur equidem multa quoque rerum naturam ad vitam ſpectantia in capite

pite collocâſſe, eaque ad præſtantiora vitæ munia tractanda deſtinâſſe; attamen nobis in hæc conſiderantibus ſæpiſſimè videtur, nec vivens ſentire, nec animal intelligere, nec tandem viventis nomen mereri, ni motûs primordia indè ducere valerent: ſiquidem ſicuti automata perenni machinarum motu intra ſui corpus abditarum in ſpherâ ſuas exerunt operationes, ità & pectus vitali organorum ſuorum motu in capite nobiliora vitæ officia peragit. Itaque ex his graviora dijudicamus, quæ pectori quandoque impendent mala; ſolet quandoque pleuritide affici, empyomate laborare, pulmorum hydrope gravari, aliiſque corripi malis, & quod omnium eſt calamitoſius aſthmate premi, quibus vitæ præcipuum opus intercluditur, de quibus agere, nè in re tanti momenti forſan medicina expeteretur in præſentiarum pro virili parte nitemur.

Cap. I.

De Pleuritide.

De parte affectâ in pleuritide veteres, & recentiores non æquè conveniunt; plerique enim ſolùm pleuram, aut muſculos intercoſtales, & nonnulli tantùm pulmones affici volunt. Si verus hujus morbi etymon eſſet, utique in pleuritide partem affectam eſſe pleuram, membranam coſtas ſuccingentem, nullus ambigendi locus ſupereſſet; at ſolummodò eorum, qui pleuram partem affectam eſſe crediderunt, explevit libidinem.

Pulmones in pleuritide affici his experimentis & rationibus quiſque convinci poteſt: Compertum eſt enim ſectione quamplurimorum pleuriticorum ſemper pulmones affici, afficiuntur tamen exteriores pulmonis partes. Dolor autem pungitivus oritur à membranâ pulmonem veſtiente; quæ inflammatione cum pulmonibus laborans, dùm alternis vicibus perpetuò diſtenditur, & contrahitur, illum parit.

Aliqui confugiunt ad connexionem membranarum pulmonum, & pleuræ, ſed hæ in omnibus pleuriticis non reperiuntur, non valet tamen argumentum à multorum inſpectione, nàm etiam pleura inflammari poteſt, quæ adhuc non obſervata fuit, nàm ſectus non fuit, qui eâ laborabat, quia rarò periclitetur, qui hac ſolâ parte laborat.

Plerique medici *Galenum* ſectantes affici pleuram credunt, & pleuriticorum excretione à pleurâ hanc imaginariam aperiunt viam, inquiunt enim ſputum, ſanguinem &c. in pleuritide per pleuram tranſſudare, aut eâ perforatâ, vel quovis modo rarefactâ in thoracis cavitatem pervenire, atque indè tuſſi thorace compreſſo, & pulmone dilatato in aſperas arterias, quarum orificia in pulmonis ambitum tenui tunicâ obducta deſinunt, cogi, primò quidem in minores, hinc majores,

res, donec tandem per canalem ampliſſimum tracheæ è faucibus tuſſi ejiciebatur.

Verùm *Galeni* & procuratorum ejus pace, nemo ſani judicii adduci poteſt tantam ſpuri & materiæ colluviem, quantam ſæpè pleuritici per tuſſim excreare ſolent, & pleurâ ſat commodè in pulmones poſſe tranſire, & quidem craſſam, viſcidamque credere per anguſtos illos meatus è thoracis cavitate poſſe in pulmonis ſubſtantiam penetrare, ſed faciliori negotio in diaphragma.

Neque quiſquam tàm facile credere poteſt in principio quandoque ſanguinem purum, & mox cruentum ſputum, quale ſæpè pleuritici tuſſi rejiciunt, è pleura in thoracis cavitatem effundi, cùm id in aliis inflammationibus fieri non obſervamus. Prætérquamquòd à pleurâ coſtas ſuccingente ad pulmones non poteſt tranſire, cùm membrana denſiſſima ſit, tùm etiam membrana pulmonem inveſtiens eſt ejuſdem naturæ, quæ à ſanguine extravaſato, & cruento ſputo penetrare non poteſt.

Pulmo totum pectoris cavum non complet, & minimè immediatè ſanguinem purum, & cruentum ſputum attingit ejus itaque ſubſtantia penetrare non poteſt. Demonſtratur id Cathereris machinâ, quæ niſi immediatè liquorem aſſugendum attingat, eum trahere non poteſt. Item hirudo ſanguinem ſugere nequit niſi cutem, & venam erodat, immediatumque cum ſanguine habeat contactum.

Pleuritis & peripneumonia non differunt loco affecto, nàm in hac interiores pulmonis partes, in illâ exteriores afficiuntur, & eadem ſigna, cauſa, prognoſis eſt, & utriuſque curatio. Confirmatur *Hippocratis* authoritate *lib. de loc. in homine*, ubi dicit: *Utrâque pulmonis parte inflammatâ fieri peripneumoniam: ſi verò altera tantùm pulmonis pars inflammetur, eſſe pleuritidem.*

Falſum eſt id, quod vulgares cum *Galeno* aſſerunt empyema eſſe in thoracis capacitate puris collectionem, quod tuſſi rejicitur, ut infrà dicemus. Neque verum eſt mulſam in pectoris cavitatem per indictum vulnus injectam per os tuſſi rejici, ægrumque mulſæ ſaporem percipere; niſi dicere velimus acida eſſe pectori inimica, tuſſimque concitare, ac proindè copioſam expectorationem, in quâ pars mulſæ ſpirituoſa per fibras ſe inſinuat ad guſtatum uſque.

Signa.

Pars medica, quæ de ſignis tractat, tota quanta eſt incerta, & minimè demonſtrativa, ſed tota ferè conjecturalis eſt: attamen pleuritidis ſigna tàm certa, & indubitata ſunt, ut certiſſimam hujus morbi fidem faciant, & tamen noſtrates barbati Galeniſtæ quandoque in morbo ſole clariori allucinantur, cæcutiunt, & rixantur, ac veluti cæci miſcent verbera verbis. Quinque connumerantur. 1. dolor lateris punctorius. 2. febris acuta continua. 3. difficilis reſpiratio. 4. pulſus durus, & ſerratilis 5. tuſſis frequens, & moleſta.

Dolor autem punctorius oritur, à membranâ pulmonem veſtiente quæ eſt pars admodùm ſenſitiva, & divellitur à cauſâ acri, & præcipuè dùm, alternis

a lternis victibus diſtenditur, & contrahitur, & aſſiduâ reſpiratione ſæpiùs augetur, magiſque in forti, ac magnâ reſpiratione fit acutus.

Febris in pleuritide excitatur hoc modo: Calor omnis in nobis eſt à ſanguine; exſanguia enim animalia vel parum, vel nihil caloris habent ad ſenſum ſaltem. Neque partes ex ſe calidæ ſunt, quia ſi ab his, quæ calidiſſima puputantur, ſanguis auferatur, ſtatim calor evaneſcit. Calor in ſanguine eſt à continuo fermentationis motu, non ſecùs ac muſtum caleſcit, cùm fermentatur, qui adjuvatur à ſanguinis motu, quo perpetuò circulatur: Sic dolium muſto plenum cùm agitatur, magis fervet. Cùm igitur motus circulationis augetur, augetur etiam fermentatio. Acidus ſpiritus à loco affecto communicatur ad cor per venas, cor ferit, & illius motum adauget, & ſic fermentationem auget, & fit febris. Adjuvat etiam fermentationem ipſemet acidus ſpiritus, qui valet fermentationem promovere, ut patet.

Difficilis reſpiratio ortum ducit à tumore, qui pulmonem diſtendi, & contrahi non ſinit ad magnam aëris copiam attrahendum.

Pulſus durus, & ſerratilis provenit à cauſâ arterias corrugante, qualis eſt aciditas vitriolata.

Tuſſis frequens, & moleſta oritur primò ex noxiæ aciditatis ſenſu pulmonem infeſtantis, deindè ſputi copiâ.

Nonnulli cruentum ſputum prædictis adjungunt ſignis, ſed quia non in omnibus pleuriticis apparet, inter ſigna pathognomonica non annumeramus.

Veterum Cauſa.

Pro pleuritidis proximâ causâ Galenici ſtabiliendâ ſecùm acerrimè contendunt; ſtatuunt enim aliqui ſanguinem bilioſum, melancholicum, & pituitoſum. Plerique à melancholiâ, pituitâ generari poſſe negant, quia vaſa, quæ pleuram pertingunt, exilia ſunt, & ipſa membrana denſa: ſed nonnulli hos non audiendos eſſe dicunt, quia recedunt à *Galeno*, qui pleuritidis cauſam ex ſputis rimatur, nàm cum ſpumoſis ex pituitâ, & cum nigris ex melancholiâ eam provenire credit. Multi pleuritidem inter defluxiones, & catarrhos annumerant; autumant enim defluentem pituitam à cerebro ad pectus depluere. Cuncti unanimiter poſteà per ramum ſubalarem, venaſque mammarias, vel per venam azygos circa pleuram delabi, pleuram à coſtis avellere, cavitatem facere, & ſuo pondere lacerare fatentur.

In iſtis ſomniatis humoribus, ſive catarrhis, quos pro pleuritidis cauſa Galenici ſtatuunt, cauſam efficientem, quæ adnatam pleuram à coſtis avellit, non docent; credunt forſan ſolo ſui pondere pleuram à coſtis avellere, ac ſi libratum pondere, & non guttatim defluerent. Nec cur ad parvum locum deſolvant, nec pituitæ vias, quibus continuitas in tranſitu eſſet à cerebro ad membranam intercoſtalem aſſignant. Neque cavitatem, ubi hujus accumulati pondus humoris reſidet, declarant. Deindè medendo, bilis, pituitæ, melancholiæ, & defluxi catarrhi obliti, ad ſolam ſanguinis deplectionem incumbunt.

Paracelſiſtæ cum Galenicis partem affectam eſſe pleuram conveniunt, attamen in aſſignandâ causâ multùm diſſident: vult enim *Paracelſus* pleuritidem fieri à Sale Ogettino. Sal ogettinum eſt de proprietate arſenicali, & realgarinâ, acre ſcilicet mordax, & prout magis, vel minùs eſt pleuritis dolorifica, & periculoſa, & quia arſenicum ſocium eſt ſulphuris, & ferè ſemper cum ſulphure invenitur, & acidum ſulphuris ſimul cum illo aliquando exaltatur, eapropter contractiones fiunt maximæ, & pleuritides ſuffocantes, in quibus nihil expuitur, & conſequenter quam maximæ periculoſæ. Multoties conjungitur cum mercurio, meliùs eſt quò Mercurius & ſulphur uniuntur arſenico, & tunc pleuritides fiunt, quæ celerrimum habent motum. Interdum conjungitur cum phlegmate, & terrâ damnatâ, ex quâ miſtione variarum reſultant pleuritidum ſpecies.

Paracelſus novum, & à ſe tantùm ſomniatum ſalem ogettinum pro pleuritidis causâ fingit, & inauditum ſanè ſtatuit, ſed non ut humoriſtarum ſcholæ, quæ ad nauſeam uſque in quolibet morbo quatuor fictitios humores perpetuò decantant; attamen eodem luto quo ſcholæ ſquallent, ſordeſcere non deſinit. Nec hujus ſalis ogettini fodinas, venas proprietatem, hiſtoriam, etymon, & etymi rationem aperit, imò alto ſub ſilentio involvit.

Noſtra Cauſa.

Pleuritidis cauſam ex ipſiſmet eruimus ſignis: Obſervatur namque in pleuritide febris cum pulſûs duritie, pungitivus lateris dolor, & tuſſis, ex his omnibus, ut etiam ex ſanguine per tuſſim excreto pleuritidis cauſam conjicere licet. Dolor pungitivus excitatur in parte admodùm ſenſitivâ, & à causâ acri, quæ divellere valet: Pleuritidis igitur cauſa neceſſariò eſt ſalina acris. Neque calor, qui in pleuritide obſervatur, poteſt eſſe hujus doloris cauſa, eſto acredinem adjudicare poſſit, ſive acria corpuſcula agitando; ſed quodnàm ſal ſit, de quâ ſcilicèt acredine participet piperinâ, vel acidâ, lis magna eſt.

Helmontius acidum eſſe ſibi perſuadet primò, quia maximi dolores, & pungitivi à ſale acido fiunt, ut obſervatur in podagrâ.

Secundò, quia pleuriticorum ſanguis ſtatim coagulatur, ac miſſus eſt, quæ coagulatio ab acido oritur. Afferemus obſervationem in quodam pleuritico factam: Huic ſtatim initio anodyna applicata fuêre, à quibus dolor nec levatus, nec exacerbatus fuit, creſcente febre, eodem die ſanguis detractus fuit ad uncias quatuor, qui ſtatim, imò dùm mittebatur, ferè ſe coagulavit, erat variegatus, ut pleuriticorum ſanguis eſſe ſolet; ità ut exiſtimâſſent vulgares medici ſummam in illo putredinis intenſionem. Manè in febris declinatione iterùm ſanguis fuit miſſus, & non ſtatim ſe coagulavit, ſed ad colorem naturalem magis accedebat. Serò, invaleſcente febre, ſanguis fuit ut alter præcedentis diei, altero mane ferè naturalis, declinante affectu, & febre deficiente, ſanguis ad uncias duas detractus fuit coloris à naturali non abhorrentis.

Ex hac obſervatione ratio *Helmontii* roboratur; in ſtatu enim febris aderat:

erat magna fermenti commotio, & ſanguis ab acido ſpiritu maximè coagulabatur. In declinatione verò omnia erant remiſſa, & ideò ſanguis aliter ſe habebat. In declinatione univerſali fermentum commutatum jam erat ferè totum vel expulſum, quapropter ſanguis erat ſenſibiliter mutatus.

Tertiò, quia acidum eſt ventriculo gratum, ità hoſtile venis, ſanguinem enim coagulat, & conſequenter expellitur, expellitur autem quam maximè in pulmonem, ubi ex obſervatis à recentioribus prima hæmatodes fit; valdè veriſimile eſt ab acido pleuritidem fieri, & quidem vitriolato, tùm ex rationibus ab Helmontio adductis, tùm ex pulsûs duritie, quæ à causâ arterias corrugante, qualis eſt vitriolata acida, neceſſario fit; non enim poteſt ſola inflammatio hoc efficere, quia ab acido vitriolato oritur, ut dolores teſtantur. Concurrit etiam pars affecta ad hoc efficiendum, quæ ex arteriis conſtare debet.

Suaderi poteſt hoc ex vini deſiderio, quo pleuritici quammaximè tenentur; vini autem deſiderium ex acido præcipuè oritur. Idque videtur primum medentum *Hippocrat.* ſenſiſſe, cùm ſcribat: *Non calidum, frigidum, humidum, ſiccumvè morbos eſſe, ſed acre, amarum, acidum, & auſterum. Et aph. 33. ſect. 6. Qui acidum eructant, non facilè pleuritide corripiuntur.* Verùm poterit etiam ab aliâ acredine, piperinâ ſcilicèt pleuritis excitari, quæ forſan & corrugare non minùs arterias valet ob adſtringentem facultatem, quâ ſimul ſcatet; poteſt enim miſceri cum ſulphure habente partes remotas admodum, probabilius tamen eſt ab acidis fieri, ut etiam medicamenta, quæ pleuritidi adverſantur, ſuadere videntur.

Progignitur remotè pleuritis à vehementis corporis exercitatione calefactoriâ, vel incaleſcentiâ à ſolis fervore, irâ, Veneris palæſtrâ, vini meracioris ingurgitatione. Item per ſubitaneam refrigerationem poſt immediatam corporis æſtuationem, vel per largum frigidæ hauſtum, vel per inſpiratum aërem frigidum. Similiter inſpiratum endemicum virulentum, quod pleuritides populariter graſſantes progignit. Hæc omnia itaque pleuritidem excitare valent, dùm in primâ digeſtione acor totaliter non tranſit in ſalſum. Sed illi parti æthereæ immiſtus in fibrarum texturam ſe inſinuat, & per ipſas fibras in cerebrum, & ſpinalem medullam fertur, ibique elaboratur, & per ſubſtantiam fibrarum, venarum, & arteriarum tubulos deſtillat, & præexiſtenti in iis ſanguini commiſcetur, & in ſanguinem tranſit. Quòd à latice non correctus in venam arterialem, & in arteriam venalem diſpergatur, deponaturque in pulmonis partes exteriores, ſtatim pleuritis efficitur, ſi verò in partes interiores peripneumonia. Ibi coagulatur, grumeſcit, apoſtematur, & pus fit.

Prognoſis.

Pleuritidis prognoſim tripliciter inſtituimus, vel ad ſalutem, vel ad mortem terminatur, vel in alium degenerat morbum. Si actiones vitales, naturales animales, & ſigna coctionis ſputi benè ſe habeant, bonum: Sin contrà malum. Si ſymptomata fuerint

remiſſa, ut dolor, anhelitûs difficultas, & febris non multùm moleſtaverint, pleuritidem ad ſalutem terminari exiſtimamus; aſt ſi dolor vehemens fuerit, tuſſis magna, in quâ nihil expuitur, febris valida, & maxima ſpirandi difficultas, periculoſum arbitremur oportet.

Sputum in principio, & intra tertium diem apparens, morbum brevem, ſin verò poſteriùs, longum ſignificat ex *aph.* 12. *ſect.* 1. *In pleuritide ſi ſputum ſtatim appareat in initio, brevem morbum indicat, ſin verò poſterius, longum.* Copioſa ſputi excretio, à quâ dolor, & reliqua ſymptomata non ſedantur, mala: magnam enim materiæ copiam cum malignitate conjunctam denotat. Sputum viride, æruginoſum malum, nigrum vero peſſimum: partis enim mortificationem ſignificat. Album rotundum, & glutinoſum quoque malum; magnam acidi vitriolati copiam denotat.

Vomitus in pleuritidis principio ſalutem portendit, levatur enim natura & morbum ſuperat.

Dolor pleuriticus cum ſputis flavis, ſi ſine ratione evanuerit, ægri in delirium incidunt. 3. *porreth.* Lateris dolor cum bilioſis ſputis temerè, & præter rationem evaneſcens, ægros in vehementem, & furioſam mentis emotionem agit; cauſæ morbificæ raptum ad caput ſignificat, & tunc urinæ albæ, & tenues fiunt.

Qui pleuritide laborant, niſi intra dies 14. *supernè repurgentur, iis in empyema, fit mali translatio. Aph.* 8. *ſect.* 5. *Aph.* 15. *eadem ſect. Empyici ex pleuritide debent in* 40. *diebus è ruptione ſursùm purgari, alioqui phthiſici fiunt.*

Pleuritide, & peripneumoniâ correpto alvi profluvium adveniens, malum. Aph. 16. *ſect.* 6. fit enim vel materiæ morbificæ ad ventriculum translatio, vel in conſenſum trahit, undè virium proſtratio: at verò ſi coctionis ſigna præceſſerint, & pleuritis non adeò magna, & in corpore cacochymo alvi profluvium accidat, ſalutare eſſe ſolet.

Pleuritidi ſi peripneumonia ſuperveniat, malum. Aph. 11. *ſect.* 7. fit enim translatio à parte exteriori pulmonis ad interiorem.

Pulſus parvus, frequens, & valdè exitialis, pleuritidis maximum eſt ſignum: pleuriticus enim cum tali pulſu nullus ſanatur.

Pleuritis his, qui jam ante bis, vel ter laboraverunt, item aſthmaticis, prægnantibus, decrepitis, necnon cachecticis, ex priori aliquo morbo debilitatis, pernicioſa eſt ob virium imbecillitatem, caloris nativi inopiam, & ob tenuem victum, qui in pleuritide neceſſarius eſt, quem non facilè tolerant.

Laborioſi, & gravi labori quotidiè dediti, ut ſunt fabri ferrarii, foſſores, & ſimiles pleuritide correpti omnes propemodùm intereunt, qui ejuſmodi robuſti homines non niſi ex vehementi causâ tali morbo corripiuntur, eoque magis ſuperantur. *In coacis: Denſa, & exercitationi dedita corpora citiùs ex morbo laterali, & pulmonis inflammatione intereunt, quam quæ ſine exercitatione degunt. In coac. Quibus in morbo laterali plurimus ex ſputo ſtrepitus in pectore ſonat, & vultus demiſſus eſt, oculuſque aurigine ſuffuſus, & caligine obductus, in his mors expectanda eſt.*

Veterum

Veterum Curatio.

Perficitur curatio à vulgaribus, injecto tamen prius clyſtere, remedio æquè ruſticis noto, venæ ſcilicèt ſectione in pueris, ſenibus, gravidis, puerperis, & menſtruas patientibus purgationes, & eam eodem die ſemel, & bis reiterant, & ſingulis diebus, donec dolor, & febris multò mitiores evaſerint. Hæc execranda ſanguificina ab ethnicis per ſucceſſionem malè feriatis poſteris tradita fuit. Imò *Hip.* 2. *de rat. vict. in acut. tex.* 10. exitialem regulam credulæ poſteritati tradidit, ut ſcilicèt, *Sanguis ad coloris uſque mutationem mittatur.* Hermetici cautè admodùm in venæ ſectione procedunt, quàm *Helmontius*, ejuſque ſectatores omninò rejiciunt tanquàm maledictam, & vires imminuentem ſpernendam ſuadent. Vomitum provocant in principio Aquâ benedictâ, croco metallorum, ſale vitrioli &c. ex *aph.* 18. *ſect.* 4. *Dolores, qui ſunt ſupra diaphragma, quicumque egent purgatione, medicari oportet per ſuperiora ſignificant. Quicumque autem infrà ſubſiſtunt per inferiora.*

Poſt aliquot vomitus ſtatim ad appropriata deveniunt, ut ſunt *ramenta dentis apri*, *ſcobs priapi taurini*, *vel cervini*, *fuligo camini*, *vel ejus ſpiritus ad* ℈j. *in aquâ papaveris rhœados.*

Exhibent interim *ſyrup. papaveris rhœados cum aquâ ejuſdem*, addito aliquando *ſpiritu tartari*. Interdùm nonnulli *ſpiritu nitri*, *cum ſpiritu vini* utuntur, ſed ſpiritus nitri non eſt, qui vulgariter paratur, is enim non debet intra corpus ſumi. Sal prunellæ, & ſal nitrum tollit volatilitatem ſalis ogertini, quamvis ambo volatilia, ſimul fixantur. Alii propinant *oleum lini*, cujus doſis eſt ab unciâ unâ ad tres, ſed debet per expreſſionem recens fieri.

Proſunt ad leniendum dolorem epithemata ex *melle*, *& lacte invicem decoctis*, & in calidâ veſicâ ſuillâ, applicata, vel *quatuor anodyna*. Prodeſt *braſſica folium butyro*, *aut pinguedine porcina*, *vel gallina*, *inunctum*, & in pleuritide flatulentâ aſpergitur *pulvis cumini*. Juvat etiam partem *unguento dialth.* *& oleo amygdalarum dulcium* inungere. Vel *vervicis omentum*, *& oleum amygd. dulc.* calidè in parte dolente iteratum.

Ad materiam expectorandam *ſyrupum violarum*, *de farfarâ*, *pomis*, *jujubis*, *liquiritiâ &c.* commendant, quos ex cochleari, ſupino ore ſenſim deglutiendos præcipiunt, ut meliùs in pulmones illabantur; putant enim ſicut & potu ſtomachus oblectatur, ità dulcibus oblectari pulmonem, ſed neſciunt, quòd ejuſmodi eclegmata, ſi ad pulmones intrarent, majorem tuſſim, moleſtiam, & ſuffocationem cauſarent, quàm ipſæ ſordes ibidem ſtagnantes.

Noſtra Curatio.

Pleuritis cùm ſit morbus ex acutorum numero, qui nec certam ſalutem, nec certam promittunt mortem, accuratam requirit diætam, & hæc ad ſex res non-naturales ſe extendit.

Aër itaque ſit temperatus, ad calidum vergens; frigidus tanquàm juratus hoſtis vitetur, quia frigida ſunt pectori inimica, & ore talis hauſtus aër

pulmones ſufflaminat, ſanguinis circulationem retardat, & minora vaſa ſanguifera obſtruit. Hinc volatiles ſpiritus in auras abeunt, ſanguis concreſcit, & pleuritides in aquilonià conſtitutione ferè graſſantur epidemicæ, ſi acidis miaſmatis inficiatur aër.

Cibus ſit lævis, & tenuis, nè ſanguis, & acidus multiplicatur; in principio itaque ad dies quatuor, ſi ægri vires tolerent, tenuiſſimo victu utendum eſt. Veteres in aſſignandâ pleuriticis victûs ratione accuratiſſimi fuêre, & diverſas habuerunt ſententias. *Diocles* putavit pleuriticos ante undecimam diem non eſſe cibandos; *Praxagoras* ante ſextam; *Hippocrates* uſque ad ſeptimam diem vult læviſſimis ſorbitionibus pleuriticos eſſe detinendos, quaſi ſeptima dies ſit incrementi pleuritidis terminus: noſtrâ tamen tempeſtate vix ulli medico licet ægrotos in tantâ inediâ detinere; quandoquidem ubi morbi pernicie pereunt ægri, medico adſcribitur, quòd cibi ſubtractione interimat. Noſtri homines tenuiſſimæ illi victûs rationi, quâ priſci utebantur, non itâ ſunt aſſueti; præberi itaque poſſunt primis diebus ſorbitiones ex cremore ptiſanæ, primùm ſponte colato, poſteà expreſſo. Ptiſanæ cremor in pleuritide præſtantiſſimum eſt alimentum; viſcoſitas namque ejus lævis, continua, jucunda, lubrica, & mediocriter humens, ſitim non infert, aciditatem obtundit, & ſi quid ablui, vel excerni debet, probè abluit, ut inquit *Hippocr. de rat. vict. in acut. text.* 18. pituitam diſſolvit, & abſtergit, atque per ſuperiora, quæcumque educi poſſunt, abſque dolore educit, alvum facilem reddit, ad deglutiendum facilis eſt, dolorem, & calorem mitigat, maturat, & omnia emollit. Addi etiam poſſunt ad refrigerationem quatuor ſemina majora frigida dicta. Morbo ulteriùs progrediente præberi poſſunt jura carnium tenuia cum aliquot panis buccellis, vel panis contritus in jure pulli, vel panatella in jure gallinæ, carnes omninò interdicantur, quia facilè in ſtomacho aceſcunt. Conducunt cichoreum ſylveſtre, vel borago in jure carnium. Bellaria prorsùs fugiantur ob ſaccharum, quod latentem aciditatem continet. Declinante morbo ad ova in jure gallinarum diſſoluta, ad carnes coctas, aſſas pullorum, & gallinarum tranſeundum eſt. Vitanda ſunt ſalſa, acuta, acida, acerba, aromatiſata, omnia legumina, cibi frigidi dicti, fructus horarii, milones, cucumeres, acetaria quæcumque, quia acidum augent.

Potus ſit decoctum hordei, & paſſularum, item glycyrrhizæ, vel florum papaveris erratici, vel decoctum pectorale, vel decoctum cornu cervi, vel aqua cardui ſancti, cardui Mariæ, papaveris rhœados, cichorii ſylveſtris. Pro ruſticæ gentis hominibus *Helmontius* decoctum ex ſtercore equino paratum pro experimento commendat, quia in ipſo ſtercore continetur multum alkali acido-pleuritico abſorbendo aptum. Pleuriticorum potus non actu frigidus, ſed calidus eſſe debet, quandoquidem omnia frigida pectori maximè adverſantur, & ſputum, ac quod inſenſibiliter tranſpirare debet, retinentur. Vinum in morbo laterali præſentiſſimum venenum eſt, eſtò æger id avidiſſimè appetat, aſſuetis tamen in morbi remiſſione, vinum aquoſum,

aquoſum, & dulce concedi poteſt, ſed præſtat noſtra experientia vinum omittere, quàm exhibere, ægro enim blandiendo pro potu tàm optato ante morbi declinationem porrigimus exitiale venenum.

Motus corporis vehemens caveatur, & ita levis ſit quicumque motus, ut æger quoque parum loquatur; motus enim vehemens ſanguinem commovet, incendit, ad affectam partem congerit, inflammationem ampliat, remoram facit, acidum reddit, & malum pejorat. Quies igitur imperanda eſt, quâ motus blandiores, & regulares ſecundum vitæ inſtitutum procedunt.

Somnus aliquantulum ſolito diutiùs protrahatur, quia dolorem lenit, nec opiatis provocetur, quoniam omnem evacuationem tollit, & materiam expectorandam incraſſat, & ad excretionem ineptam reddit. Vigilia non nimis producatur, ſed conſuetum cuſtodiat morem, nàm protracta humores retinendos diſſipat, & diſſipandos retinet, ideòque ſomnus, & vigilia modum non excedant.

Excreta, & retenta ſi ſecundū naturæ leges non procedant, arte provideatur. Alvus lenibus clyſteribus lubrica ſervetur; acres enim in omni inflammatione internâ perniciofi ſunt, quia remediorum acrimoniâ partes inflammatæ ſemper magis exaſperantur. Præſente itaque pleuritide alvum ſuppreſſam, quam lubricam habere præſtat, undè in hoc affectu purgantia nocent, quia ſi alvi profluvium ſuperveniat, malum. Hæmorrhoidum, menſtruorum, lochiorum, & fiſtularum retentio noxia eſt, & ex horum retentione multi ad hunc diſponuntur affectum.

Animi pathemata ſint moderata, maximoperè hilaritas, & futuræ ſalutis ſpes juvat, nocet ira, quæ eſt humanæ vitæ unica peſtis. Mæſtitia, timor, cura, idque genus aliæ malignæ paſſiones, quantùm fieri poteſt, declinantur, nàm ſæpiùs hujus mali cauſas occaſionales fuiſſe nobis compertum eſt.

Pro pleuritidis curatione ſcopus ad acidi fermenti depreſſionem, vel expulſionem dirigendus eſt. Totum hoc remedia huic affectui appropriata abſolvunt, & quia in morbi progreſſu ſanguis extravenatur, & non totus rejicitur, & coagulatur, ex quo poſteà empyema efficitur, debet etiam hic ſanguis reſolvi, & evacuari, quod eadem remedia efficiunt. Appropriata ſunt *hæc*: *Genitale cervinum, vel taurinum, pulvis papaveris erratici, dens apri drachmæ unius pondere in ſyrupo, & aquâ papaveris rhœados.* Præſtat ad idem *ſuccus cichorei ſylveſtris, herba bellidis, fimus equi, pomum Quercetani &c.*

℞ *Syr. papav. errat.* ℥ j ß
pulv. dentis apri,
raſur. priapi cervi ana ℈ ij.
pulv. flor. papav. errat. ℈ j.
aquæ card. ſancti ℥ iij. *m.*

Vel

℞ *Mandibul. lucii piſcis,*
Lapid. percar. ana ʒ ß
Lapid. prunellæ ʒ j.
Succ. cichor. ſylveſtr.
bellidis depurator. ana ℥ j.
ſyr. papav. rhœados ℥ j. *m.*

Vel

℞ *Mumiæ tranſmarinæ,*
Lapid. carpionis,
oſſis de corde cervi ana ℈ j.
Lapid. cancr. fluv. ʒ ß
ſyr. de card. ſancto ℥ i ß

aqua papav. rhead. ℥ iv. *m.*

Singulare remedium eſt *Tragæa antipleuritica Hartman.* ut

℞ *Anodyn. mineralis* ʒ ij.
flor. papav. rhead.
corall. rubr. ana ʒ j.
ſacch. viol. ℥ ß

Doſis ʒ ij. cum aquâ papav. errat. vel card bened.

Hæc medicamenta in pleuritide ſpecifica ſunt, nam ſanguinis acorem corrigunt, effuſum, vel coagulatum reſolvunt, vel fluxilem reddunt, vertiginoſo motui reſtituunt, & exanimantem compeſcunt dolorem; Undè curanti medico hæc ſpecifica famam non patiunt, quia medicæ artis ignari ſputum abſque ſanguinis tincturâ obſervantes pleuritidem non fuiſſe arbitrantur.

Præterea ex omnibus medicamentis appropriatis id, quod pleuritidi mirificè ſubvenire poteſt, eſt ſudor, ac proindè huic totis viribus incumbendum eſt, ut ſudor toto corpore fluat, & præcipuè ex thorace, & hæc eſt compendiaria pleuritidis cura, ut

℞ *Syr. card. bened.* ℥ j.
Stibii diaphoretici ℈ j.
C. C. philoſoph. prep. ℈ ij
ſpiritûs tartari gut. viij.
aqua burdana ℥ iij. *m.*

Vel

℞ *Syr. papav. rhead.* ℥ ß
ſulph. aurati diaphoretici,
lapid. benzoar,
cinnab. antimonii ana ℈ ß
ſang. hirci ʒ ß
aqua card. Maria ℥ iij. *m.*

Vel

℞ *Syr. card. ſancti* ℥ j.
ſpiritûs tartari,
cornu cervi
ſpiritûs ſang. hirci ana gutt. viij.
lapid. cancr. fluv. ʒ j.
aqua card. Mariæ ℥ iii. *m.*

Sed omnium videtur efficaciſſimus *ſanguis hirci*, & eſt expertum remedium contra pleuriſim, & hoc modo legitimè ſecundum *Helmontii* deſcriptum paretur: *Hircus ſuſpenditur cornibus, & cruribus ad cornua reflexis, teſtes abſcinduntur, & ſanguis è vulnere exiens ſiccatur,* & conſervatur. Hoc medicamentum nunquam te deſeret, ſi drachma una, vel duæ propinantur in aquâ cardui ſancti, vel Mariæ, ſi primâ vice ſenſibile non ſequatur levamen, poſt octo horas repetatur hauſtus, & id faciendum mox in principio antequàm facta ſit ſuppuratio; facta enim ſuppuratione, fruſtrà hoc adhibetur remediũ.

Similem habet energiam *leporis ſanguis*, qui ab eo educitur, poſtquam à canibus in magnum adorſus eſt timorem, vivus laqueo ſtrangulatur, ut ſanguis in unum confluat, & grumeſcat, aperiatur poſtmodùm, & ſanguis exiccetur, cujus doſis eſt drachma dimidia. Totum id efficit ſanguis leporinus, quia ſpirituum furorem, & excandeſcentiam in pleuritide pacat propter timoris ideâ à lepore in ejuſmet ſanguine impreſſâ, dum à canibus urgebatur, quia pavidiſſimum eſt animal, hinc quiſq; diſcat omnium morborum ſanationem in vitæ potiùs ſedatione, quàm in cauſarum occaſionalium ablatione conſiſtere.

Si dolor urget, nullum majus remedium, quàm *ſulphur vitrioli anodynum cum ſyrupo violarum, & aquâ cardui Mariæ* propinari poteſt.

Præſtantiſſimum remedium eſt *emulſio anti-pleuritica,* quæ ità ſe habet.

℞ *Semin. card. Mariæ,*
cardui benedicti ana ℥ j.

papav.

papav. albi ℥ ij ß
aquar. card. Mariæ ℥ vj.
card. benedicti,
papav. rhœados,
ulmariæ ana ℥ iv.
f. l. a. emulſio, cui adde
magiſt. ocul. cancr. ʒ j.
ſtibii diaphoretici ʒ ß
dentis apri prep. ʒ ij.
Edulcoretur ſacch. in ſyrupo violarum concreto. Doſis ℥ ij. ad iij. vel iv. Hæc emulſio febrilem demulcet ardorem, pleuriticos ſedat dolores magno cum adſtantium ſtupore, ſudorem provocat, & pleuritidem curat.

Papaver erraticum totum quantum eſt, anti-pleuriticam habet facultatem, bujuſmodi eſt *aqua à floribus deſtillata, flores pulveriſati, conſerva, ſyrupus,* & alia hujus generis elicita medicamenta, præſtat tamen ejus *tinctura*, quæ ità paratur.

℞ *Conſ. flor. papav. errat. ℥ j.*
flor. ejuſdem papav. irrorat.
cum ſpiritu vitrioli ʒ ij ß
& cum ſuc. prædict. flor. deſtil. ℔ ij ß
extrahatur tinctura rubicundiſſima,
quam filtra & adde
ſyr. è ſucc. flor. papav. errat. parum
vitriolati ℥ viij.
m. & ad uſum ſerva.
Doſis ℥ j. vel ij. vel iij.

In pleuritide ad dolorem leniendum, inflammationem reſolvendam, & ſudorem eliciendum admirabile eſt præſidium.

Maximæ efficaciæ eſt *pulvis noſter pleuriticus in Mantiſſa Minſicht* deſcriptus, cujus receptum huc tanquam in proprium locum transferre lubet:

℞ *Sang. hirci ʒ ij ß*
pulv. de virgâ cervi ʒ j.
ocul. cancr. ʒ j. ß
lapid. prunell. ℈ iv.
ſulph. citrini ʒ ß
flor. papav. rhœad ʒ j.
ſtibii diaphoretici ℈ ij.
f. omnium pulvis ſubtiliſſ.
& aſſervetur pro uſu.

Item *alius pulvis pleuriticus*:

℞ *Salis volatilis cruoris hirci,*
cornu cervi ana ℈ ij.
lapidis carpionis,
mandibulæ lucii piſcis ana ʒ j.
flor. ſulph. ʒ ß
dentis aprugn. ʒ ij ß
ſem. card. Mariæ ℈ iv.
ſpermatis ceti ʒ ij.
f. omnium ſubtiliſſ. m.
& aſſervetur pro uſu.

Magnum arcanum uterq; hic pulvis eſt contra pleuritidem, peripneumoniam, & omnes internas inflammationes; ſanguinem enim effuſum, vel coagulatum reſolvit, aut fluxilem facit, in naturæ gratiam, & in circulationem adigit, acorem emendat, & dolorem demulcet. Eſt tantæ in pleuritide efficaciæ, ut efficacior non detur. Doſis ʒ j. vel ij. bis, vel ter per diem exhibetur in ſyrupo de papavere erratico, in aquâ cardui ſancti, cardui Mariæ, vel in jure ſaccharo albo edulcorato.

In pleuritide expertum remedium eſt *Quercetani pomum excavatum, & thuris ʒ j. repletum, & coctum, ad ignem,* quod deglutiendum cum ſuperpotatione *aquæ cardui ſancti ℥ iij.* & hinc ſudandum. *Bartoletus pomum excavatum olibano repletum, & cum aqua cardui benedicti ℥ iij. vel iv.* propinatum commendat. Præſtantiſſimum remedium eſt, ſi *pomum excavatum & thuris, ac florum ſulphuris ana ʒ ß* repletum, & coctum aſſumatur.

Contingit quandoq; fermentum non

deprimi, nec ſanguinem reſolvi; nec ſudoriferis malum domari vel ob con-tumaciam, vel quia medicus tempeſtivè accitus non fuit, pleuritis non deſinit, ſed in ſuppurationem abire neceſſe eſt; tunc ſuppuratio promovenda eſt, ruptio adjuvanda, pars mundificanda, & conſolidanda, nè in empyema tranſeat.

Suppurationem promovent *ſyrupi de althæâ, de hederâ terreſtri, nicotianâ, malvâ, ſymphyto &c.* Si lambendo aſſumantur, hi namque non ſolùm ſuppurationem accelerant, verùm etiam inflammationem rumpunt: factam abſceſsûs apertionem cognoſcimus ex puris expuitione per tuſſim cum ichore plus minus cruento, & tunc maximoperè conducunt *ſyrupi expectorantes de tuſſilagine, praſſio, jujubis, pomis, liquiritiâ, violis, hyſſopo,* qui modò unus, modò duo, vel plures ſimul miſti cochleatim ſumuntur, vel copioſam ſputi excretionem raphani ſuccus cum ſaccharo abſolvit. Tandem conſolidationem perficit *ſyrupus de cancris fluviatilibus, vel hypericonis, vel de ſymphyto Fernelii cum Antihectico Poterii.* Dùm materia per tuſſim expectoratur, angue pejus vitentur opiata, nam materiam concoctam incraſſant, nec ſine ſuffocationis periculo ſubminiſtrari poſſunt.

Maleferiati vulgares in principio expectorantia præſcribunt, ſeu talia, quæ tuſſiendo materiæ excretionem adjuvant, ſed perperam; nàm talia, dùm tuſſim excitant, pulmonem, & thoracem concutiunt, & in principio magis pleuritis exaſperatur, quàm minuitur: conveniunt proindè in toto pleuritis curſu decocta pectoralia, quæ ſuppurationem moliuntur, & nobiliſſimum eſt *decoctum ex liquiritiâ, & paſſulis,* vel concinnari poteſt ex radicibus, & herbis pectoralibus, ut

℞ *Paſſular. min.* ℥. *iv.*
dactyl. à pelle mundator.
jujubarum,
caricarum ping. ana num. viij.
radic. tuſſilag.
liquiritiæ ana ℥ *j.*
herb. pulmonariæ maculoſæ,
capill. veneris.
marrubii ana ℥ ß.

Incidantur, contundantur, & infundantur per 24. horas in aquæ ſcabioſæ deſtillatæ ℔. *iij. coquantur ad tertiæ partis conſumptionem, trajice per manicam Hippoc. ut fiat potio clara, quam edulcora cum ſyr. de papavere erratico,* ſumantur manè, meridie, & veſperi ℥. ij. vel iij.

Saccharum malè pectoralibus additur, compertum eſt enim omnia ſaccharata, & mellita facilè in ſtomacho aceſcere, cui nil hoſtil[illegible], quàm illud ſylveſtre acidum. Præſcribantur itaque decocta pectoralia, ſed ſemper omittantur dulcia; falſum eſt enim pectus dulcibus gaudere, ſunt dulcia tantùm oblectamenta palati, non verò pectoris, gaudet hoc ſolummodò inſipidis, quæ excedentem non habent qualitatem, non vero extremè dulcibus. ut eſt ſaccharum, & mel, quibus mannam addere poſſemus, nàm ex hac per deſtillationem ſpiritum corroſivum, & venenatum elicimus.

Hæc, quæ pro pleuritide deſcripſimus, ſunt etiam vulneraria, quia in vulneribus acorem reſultantem, corruptionis principium tollunt, dolorem pacant, quia acidum exſtinguunt, cruorem extravenatum reſolvunt, & corpus ad diap[illegible] diſponunt. Ablato etiam cruoris fermento extravenari

cruoris

cruoris aliqua pars reſolvitur, reliquum, neglectâ putis deſtinatione, per tuſſim rejicitur.

Venæ ſectio in pleuritide per accidens aliquod juvamen afferre videtur, minuit enim ſanguinem, qui affluens eſt, acceſcit, & affectum auget, ſed infirmi vires infirmiores reddit iterata venæ ſectio, & tamen ex ſtratis viribus opportuni aliquid ſperant in deſperatis. Undè affectus ad mortem terminatur, vel in longum protrahitur, vel in empyema tranſit. Multoties ſanguinis miſſio ſputum prohibet quapropter ab aliquibus Galenicis non adminiſtratur, ſputo ſanguinis præſente, juxta præceptum malè explicatum à *Galeno au:bo-rus lib. Epidem.* qui aſſerit impediri à ſputo ſanguinis venæ ſectionem in pleuritide.

Quod autem de revulſione, & derivatione vulgares medici dicunt, figmentum eſt, ut ſanguinis circulatio oſtendit, ex quacumque enim parte ſanguinem mittas, æquè totum corpus ſanguine depletur, quod ut intelligatur, fingamus retortum tubum in ſe ſubintrantem, per cujus canales aqua perpetuo fluat, is æquè deplebitur, ex quacumq. e parte foramen facias. Miſſio igitur ſanguinis non ſolùm plethoram aufert, qui licet ſi in ægroto, cùm à morbo invaditur, hæc tamen non multò poſt decidit ex aſſiduâ inſenſili evacuatione, quà non multum ſolidarum partium, ſed multum ſanguinis conſumitur E emplum dec i us à Sanctorio d ſumptum. Adde, quòd febris, quæ in pleuritide adeſt, minuit ſanguinem magis ratione fermentationis acutæ, & motûs cordis quo ſanguis tenuior ſit, & faciliùs in auras inſenſilis abit, id cauteria probant, quæ alterâ à febris die non fluant.

Quæres, quod magis minuit vires, venæ ſectio, an victus tenuis?

Reſpondemus, æqualitate ſervatâ, magis venæ ſectionem vires minuere, quàm victum tenuem, quia illà fixi, & volatiles ſpiritus æquè extrahuntur; hoc verò tantùm volatiles, & aquoſa pars ſanguinis: auſertur, etiam ſanguinis miſſione vis digeſtiva, & ſanguificativa. Quapropter non tam citò reſtituuntur ii, quibus ſanguis miſſus eſt, ac ii qui tenui victu uſi fuêre. Imò pleuritis, quæ per venæ ſectionem eſt reſtituta ſæpè poſt annum recurrit, ſæpiùſque empyema, vel tabem poſt ſe relinquit.

Quæres iterùm, quid venæ ſectio in reliquis febribus, quæ à pleuritide non ſunt, efficiat?

Reſpondemus eandem rationem militare in febribus ſymptomaticis dictis ab inflammatione aliquâ internâ excitatis; in aliis verò non probatur à quibuſdam ullo modo, ex eo quia illâ neque plenitudo eget, quæ ſtatim minuitur; neque mala qualitas, nàm vel hæc eſt intra venas ſolùm, vel extra etiam, à quâ intra venas perpetuò, vel per intervallum alia ſimilis vel excitatur, vel cum corrupti humoris parte adminiſtratur. Si intra venas, vel in parietibus adhæret, vel in ſanguine, fluctuat; Si in parietibus adhæret, fruſtatoria eſt ſanguinis miſſio, nàm etſi totus auferatur ſanguinis febris cauſa intacta remanet, imò nocua, quia ſanguis aufertur, qui ipſam eluere poteſt, vel diſſolvere. Si in venis fluctuat, & totas occupat venas, quantumlibet minuas, non proficies, ex eo quia quod remanet, eodem modo ſe habet ad vires debilitatas, ac ſe habet

totus ſanguis ad vires integras. Si non totus corruptus eſt, quis pro te ſpondeat venæ ſectione correptam tantùm partem, & non bonam extrahi? Si extra venas eſt febris cauſa, ad quid ſanguinis miſſio? forſan ad trahendam, ut vulgò volunt, illum intra venas? Quicquid ſit de hoc, certum eſt ſanguinis miſſione vires minui, & conſequenter morbum augeri. Incertum tamen eſt in opinione vulgarium ipſam juvare, quia ipſorum confeſſione etiam non demonſtrationes, ſed probabiles conjecturæ ſunt, quæ pro illâ afferuntur; in ambiguis autem melius eſt vires ſervare, quàm perdere. Adde, quòd febres tenuem expoſtulant victum, ex quo etiam minuuntur vires, quod agnoſcentes medici *Hippocratem*, & *Galenum* deſeruerunt, imò rationem, atque experientiam, atque in ſtatu morborum pleno victu uti coguntur, ex eo quia venæ ſectionibus, & purgationibus ægrorum vires ſuſtulêre, & magis læduntur à venæ ſectionibus afflicti ægroti ii, qui in ſtatu victu pleno utuntur, quàm ii, qui illarum tyrannidem non experti fuêre, ex eo quia ob imbecilles vires concoquere benè non poſſunt, quapropter cumulantur excrementa, viæ occluduntur, per quos forſan natura criſim tentare vult, & ipſa defatigatur, undè morbo, & medico ſuccumbit.

Hoc maledictum remedii genus phlebotomiam intelligimus, à cacodæmone in generis humani perniciem excogitatum, & male feriatis Galenicis per fideicommiſſum, quaſi hæreditario jure traditum fuiſſe non ambigimus; cacodæmon namque humano ſemper ſanguine delectatus eſt, cùm olim ad proprios filios loco victimæ mactandos induxerit homines, cujus rei non modò ſacræ, verùm etiam profanæ redundant hiſtoriæ: iſti itaque medici phlebotomiſtæ ſunt ſacrilegi, qui humanum ſanguinem dæmoni ſacrificant, & certo certiùs aliquod pactum tacitum cum dæmone habere credimus, ac proindè non eſt morbus quantumlibet parvus: vel magnus, cui hanc execrandam phlebotomiæ carnificinam non præſcribant. Eſt omnium Panacea morborum, ſed non aliter ac oleum, vel balſamum ab agyrtis compertum, quod omnibus languoribus decantatur. Eſt phlebotomia una ex actis medicæ columnâ, (altera medicamentum purgatorium) ſed incerta, conjecturalis, & periculo plena, quam magnis morbis, tanquam magnum remedium, convenire obſtinatè contendunt, & quotidiè parentes filiis, ſorores fratribus, uxoreſque maritis in floridâ viduat ætate, aſt medentum inſcitiam terra tegit. Undè aliorum funera cautiores reddiderunt ægrotos, & nullum magis præſidium, quàm ſanguinis miſſionem reformidant; nàm vires enervat, morbos parvos in magnos commutat, ſi non interemit, languores protrahit, vitæ theſaurum exhaurit, & purpuream animam fundere facit; ac proindè tot cruentorum funerum miſeratione motus *Excellentiſſimus Joannes Baptiſta Vulpinus Obſervatiſſimus amicus noſter, Medicus Aſtenſis*, phlebotomiam non tantum coërcet, verùm etiam funditùs evertit, eamque ab aulâ medicorum proſcribit in illo planè aureo libello Lugduni in lucem edito, cujus titulus: *Hæmophobiæ Triumphus, ſive Eraſiſtratus Vindicatus.*

Non

Non agimus hic de peripneumoniâ, quæ vulgò vocatur Pulmonia, nàm pleuritis, peripneumoniaque eſtò diverſi affectus videantur, tamen non differunt loco affecto, quia in hac pulmonis partes interiores, in illâ exteriores afficiuntur, & eadem cauſa, prognoſis, & eſt utriuſque medela: quo ad ſigna peripneumonia plurima cum pleuritide habet communia, & aliqua particularia; ſpirandi enim difficultas major eſt quàm in pleuritide, & cum ſuffocationis periculo, ità ut ægri erecti reſpirare cogantur, & citò in ſupino decumbitu libenter permanerent, utpotè virium debilitati convenientiori, tamen reſpirationis difficultas, & anguſtia ad erectum corporis ſitum ipſos cogit. In hoc ſitu thorax facilius dilatatur, quippè qui decumbentibus in ſeſe concidit, eo quod pectoris partes ad ſpinam declinant, quâ erecti thorax etiam ſimul effertur, non ampliùs ſe ipſum gravens. Ob eamdem reſpirationis anguſtiam interdùm nec bibere, nec loqui commodè poſſunt; nàm major reſpirandi cordis neceſſitas urget, cùm inflammatio ſic cordi vicina, quàm in pleuritide, ut pulmo inflammatus humore plenus, etſi plurimùm diſtendatur aërem, ut opus, excipere non poſſit. Adeſt pectoris anguſtia cum dolore, & dolor non pungens, ſed gravativus ſpinam attingens. Febris eſt acuta, & quidèm acutior, quàm in pleuritide ob cordis viciniratem.

Adeſt etiam anxietas, & jactatio, undè ægri ſitum, & figuram decubitûs ſæpè mutant, quod fit ob febris vehementiam, & ſummam ſpirandi difficultatem, ob ſummam enim reſpirandi difficultatem; & anguſtiam ægri ſeſe frequenter erigunt, & ſedere conantur, & ex hoc corporis erectione aliquam ſperant allocutionem, ſed ob virium imbecillitatem erecti diù ſedere non poſſunt, ideòque ſitum iteratò mutare coguntur.

Pulſus eſt magnus ob vehementem arteriæ percuſſionem, & uſum urgentem; languidus tamen ob virtutis imbecillitatem.

Facies rubet ob vapores calidos ad caput exhalantes, & ſanguinem ſimul ſecum rapientes, & imprimis malæ rubent, ubi cutis eſt tenuior, & proptereà ſanguinis calor ibi evidentiùs efflorеſcit. Eadem de causâ oculi, & venæ temporum tument, lingua flava eſt, vel multo obducta lentore, & tandem nigreſcit, ſæpè accidunt deliria, ſitis magna moleſtat, & frigidi potus præcipuè verò aëris frigidi appetitus ob linguæ, & faucium à calidis vaporibus ex inflammato pulmone exhalantibus inductam ſiccitatem, quæ ori ventriculi ob communem tunicam communicatur, undè pulmones etiam membrum ſiticuloſum appellatur.

CAP. II.

De Aſthmate.

PRo aſthmate non intelligunt medentes anhelitûs difficultates, quæ ferè ſæpiùs multis in morbis contingunt, ut ſunt in inflammatione mediaſtini, diaphragmatis, pulmonis, ſicut etiam cordis incendium in febribus, quod reſpirationem intendit. Itèm hypochondriaca affectio, quæ inſigniter anhelitum impedit; omnes hydropis ſpecies; & præcipuè pulmonis, ac

uterini affectus, qui anhelitus difficultatem inferunt, licèt in genere omnes ſpirandi difficultates appellentur aſthma: ſed reſpirationis impedimentum pro aſthmate intelligunt à multa cannarum pulmones infarctione, ità ut difficulter aër pervadat, quod ipſo auditu percipimus, & ſibilus, ſtridor, & rhonchiſſatio percipitur, tàm ingrediente, quàm egrediente aëre ob meatuum anguſtiam, quia per anguſtas tranſiens rimas aër ſibilat.

Secundum aſthmatis remiſſionem, & intenſionem, duæ generantur illius ſpecies, nimirùm δύσπνοια, & ὀρθόπνοια. Diſpnæa eſt difficilis reſpiratio, aſthmate aliquantulùm levior abſque ſtridore, & ſibilo contingens, quia major materiæ copia ipſam pulmonis ſubſtantiam, quàm bronchia obſtruit, undè ſtertoris carentia. Orthopnæa verò eſt maxima, & omnium difficillima reſpiratio, in quâ ægrotantes, dùm jacent, ſuffocari videntur, undè ſedendo dormire, & erectâ cervice reſpirare coguntur, quia tàm pulmonum ſubſtantia, quàm bronchia infarciuntur, licèt alij dicant muſculos intercoſtales, & abdominis, nec non pectoris, & ſcapularum in orthopnæà vehementer exagitari.

Signa.

Signa ſunt, in aſthmate fit ſpiritûs attractio cum ſatis magnâ difficultate, & pectoris anguſtiâ cum anhelitu ſibilante, ſtridente, & rhonchiſſante. In diſpnæâ aliquantulùm levior eſt reſpirationis difficultas, ſed abſque ſtridore, & ſono. In orthopnæâ per totam morbi durationem decubitus denegatur, ſed ſolùm dormire, & erectâ cervice reſpirare coguntur, niſi cum ſuffocatione continuò luctari velint.

Veterum Cauſa.

Concordant fere chymici: cum medicis vulgaribus in aſthmatis cauſis, & generatione aſſignandis. Fit hoc (ut vulgò volunt) à pituita pulmonis bronchia obſtruente, quæ vel generatur in ipſiſmet pulmonibus concoctricis facultatis vitio ob quam alimentum in excrementum degenerant, vel vitio ipſius alimenti, qualitate, vel copia, vel utrivis peccante, vel tam alimenti, quàm facultates crimine, vel defluxione pituitæ crudæ à cerebro, quæ frequenti lima ſecundum ipſos eſt cauſa. Poteſt etiam generari aſthma à tumore in bronchiis exiſtente.

Sed addunt chymici ſalis fixi aliquid neceſſariò cum phlegmate miſceri debere ad efficiendum aſthma, à quo phlegma craſſeſcit, & lentorem acquirit, quod bronchiis adhæret; at quia in aſthmaticis acceſſionibus ſenſus & motus quandòque aufertur, neceſſario narcoticum ſulphur ad tale aſthma efficiendum concurrere putant.

Utraque cauſa à vulgaribus medicis allata, ut etiam generationis modus inveriſimilis eſt, & primò coctionis vitio non poteſt tanta excrementorum copia coacervari quanta in aſthmate deprehenditur. Secundo, haud probabile pituitam à cerebro ad pulmones depluere, præſertim tanta copia, quanta in aſthmate obſervatur, ut de empyemate dicemus.

Aſthma duplex eſt, unum humidum, alterum ſiccum; ſiccum inducias dat utplurimùm, nec difficultatem ullam experiuntur, qui huic affectui ſunt obnoxii extra paroxyſmum in

in reſpirando. Dependet hoc, ut vult *Helmontius*, interdùm à liene, interdùm ab utero, quando illorum ſpiritus inſitus enormonticus factus ſolo aſpectu pulmonem contrahit, quod licèt verum fortaſsè ſit, falſum tamen eſt, quòd nunquam fieri poſſit proprio; pulmonum vitio.

Neque ratio, quâ ſuum dogma probare nititur *Helmontius*, concludit; nam poteſt pulmonis vitio accidere hic affectus, & tamen non eſſe perpetuus, quia non perpetua cauſa occaſionalis, quæ huic affectui originem dare poteſt: irritat archeum, vel quia non eſt ſemper, & generatur, & deſtruitur per intervalla, vel quia non ſemper exaltatur.

Generatur ſecundum *Helmontium* hoc pacto aſthma ſiccum: Archeus vel ſplenis, vel uteri per actionem regiminis primariò afficit pulmonis ſpiritum innatum, ſive archeum, qui indignatus, conceptâ Ideâ, pulmones contrahit, & efficitur quid epilepſiæ ſimile, & quamvis contrahantur jecur, renes, pulmones &c. hoc per conſenſum fit, quapropter affectus hic epilepſia pulmonum dici poteſt. Incipit cum febre, quia tamen quod ipſi occaſionem dat, per febrilia initia confermentatur.

Reverà tamen aſthmâ ſiccum & vitio pulmonis, & lienis vitio; & uteri, & aliarum partium generari poteſt, cùm ſubtiliſſima ſanguinis pars à prædictis viſceribus inquinata media circulatione pulmones peritos contrahit.

Debet autem, ut contrahat, participere de vitriolatâ, ſive conſtrictiva energiâ, & quia hæc ſanguinem fermentat, febrem cauſat.

D. Caroli Muſitani Trutina Medica.

Noſtra Cauſa.

Occaſiones aſthmatis ſicci plurimæ ſunt, ut potus vini generoſi, animi pathemata, vitioſæ mineralium exhalationes, quia unumquodque minerale continet arſenicum, qui metallorum fumus, ſeu fuligo dicitur, ut fuſiùs in *noſtrâ Pyrotechniâ Sophicâ lib. 4. cap. 3. art. 3. De Arſenico* diximus; quapropter monetarij, fodinarij metallici, & præcipuè argenti vivi, ac minera ipſius cinnabaris, fuſores metallicarum minerarum; nulla enim minera eſt, quæ arſenicum non contineat, quod unum è principiis metallicis exiſtit, & in prima fuſione denſiſſimi fumi inſtar effumat, & à circumſtantibus anhelitu attrahitur, ac poſtmodùm reſpirationis vias obſidet. Confectores cinnabaris factitiæ, ſublimatores mercurij, aurifabri inauratione multum fumi argenti vivi inſpirantes. Cæmentarii calcis vivæ, & chemiſtæ huic affectui obnoxij ſunt, & morbus ſic contractus dicitur metallicus, qui vulgaribus non cedit remediis, ſed tantùm *Paracelſi arcanis cap. de morbis metallicis.*

Quandòque & exhalationes hæ vitiant laryngis canales, vel etiam aſthma humidum inducunt, quod cum ſicco complicatur, vel videtur aſthma humidum, & medicus decipitur. Multoties liquatur humor in pulmone ab eâdemmet causâ ſicci aſthmatis, & vel humidum generatur, vel generari videtur.

Aſthma humidum multas habet cauſas: interdùm enim dependet ex aquâ in pulmone collectâ, & hydrops tunc pulmonem afficit, ut infrà. Dependet etiam interdùm aſthma ab occultâ vomicâ indurata.

Aſthma etiam inducit hydropis quædam ſpecies, in quâ hepar ſupra modum excreſcit, ac diaphragma, & pulmones comprimit. Multoties hepate ſic affecto reliquæ partes tabe conſumuntur, aliquandò pulmonum venæ etiam turgent, hoc etiam aſthma ſiccum eſt, & nihil momenti in eo excernitur, vel humidum exiſtit, quandò ſcilicèt cum humido complicatur.

Interdùm aſthma excitatur ab humoribus crudis, & ſeroſis in pulmonem tranſlatis, ac à bronchiorum canalibus profluentibus, & tunc verum aſthma cum ſtertore efficiunt. Multoties in pulmonum ſubſtantiâ, vel in lævibus arterijs ſubſiſtunt, & aſthma ſpurium, nimirùm diſpnæam generant ſine ſtertore.

Aſthma verum humidum hoc pacto aliqui generari autumant: Chylus à ſtomacho per venas lacteas ad ſacculum lacteum tendit, ex hoc per ſubclavias ad cor, ex quo per pulmones ſimul cum ſanguine fertur, & iterùm ad cor redit. Cùm chylus hic vitioſus eſt, & excrementis ſcatet, in pulmone expurgatur, & excrementa deponit, hæc ſi pulmonis vitio non expellantur, & ſi à ſalis aliquâ portione incraſſentur, varios affectus in pulmonibus generant, & præcipuè aſthma, & hinc ſtatim aſthmatici læduntur, & expuunt ab aſſumpto cibo, & quia chylus non probè expurgatur, & cum ſanguine miſtus, ſi ad caput aſcendit, excitat in capite catarrhi ſpeciem, & hac de causâ oriri videtur aſthma à deſtillatione. Adde, quòd perfectus chylus, ſive ſanguis cum chylo miſtus inficitur dùm tranſit à viciatis pulmonibus, quapropter aſthmate introducto, etiam ſi probè pòſt concoquat aſthmaticus, aſthma fovetur, & caput afficitur.

Verùm juxta noſtra principia humidum aſthma generari hoc modo dicimus: Pars illa ciborum ætheræ naturæ, quæ per fermentationem in ventriculo, ut inteſtinis à fæcibus ſeparatur, excipitur primò ab eorum villis, & quia tenuiſſima eſt, regitur à motu fibrarum continentium, & ad majorem ſemper perfectionem adigitur per ſeparationem ab eâ illius, quod aqueum eſt, & ſeroſum, ut purus remaneat ſpiritus volatilis & ſalſus. Deputatur in fibrarum intercapedinibus alimentitius ille liquor & paulatim in cerebrum, à quo omnes fibræ ſpermaticæ corporis originem ducunt, fertur, recipitur, & elaboratur; à cerebri medullâ elaboratus, dùm per ſubſtantiam fibrarum tunicas venarum, & arteriarum conſtituentium fluit, in dictorum vaſorum cavitatem exſtillat, & ſanguini qui per ea fertur, commiſcetur, perfectamque acquirit ſanguinis indolem aſſiduis per cordis ventriculos, & pulmones circuitibus. Cum pars iſta ſpirituoſa aliquod excrementum, nimirùm magnam phlegmatis copiam ſecum admiſcet, quæ ſi à fibris, & cerebri medullâ non ſegregatur, ſanguini commiſcetur, ejuſque puritatem contaminat, & in pulmonibus expurgatur, & phlegma deponit, quod ſi pulmonis vitio non expellatur, & aliquam ſalis portionem habeat, incraſſatur, tunc varios illic generat affectus, & præſertim aſthma humidum. Hinc eſt, quod immediate læduntur aſthmatici, & ab aſſumpto cibo expuunt, & quia pars cibo cum æthera cum phlegmate miſta cerebrum aſcendit, ibi catarrhi

ſpe-

ſpeciem excitat, & hac de causâ vulgares decepti in aſthmate deſtillationem ex cerebri diſcraſiâ incuſant.

Quod de aſthmatis generatione recentiores aſſerunt, dato ex hypoteſi chylo, etiam luculenter ruit; nàm in lacteis venis, ſacco lacteo, & ſubclaviâ per diſſectionem parva hujus cremoris ſivè puri, ſivè vitioſi, & excrementitij quantitas aſthmaticorum excretioni non correſpondens obſervatur; nec ſtatim læderentur, & ab aſſumpto cibo expuerent, quia ad cibi coctionem, & ipſius chyli diſtributionem octo horarum ſpatium requireretur.

Interdùm conjungitur cum aſthmatis cauſam narcoticum ſulphur, & ſopores inducit, ac paroxyſmo præſertim. Interdùm copulatur cum illo apoplecticum virus, & ſenſu, & motu in paroxyſmo aſthmatici orbantur. Quandoque materia lapidificâ vi lapideſcit, & pulmoniam, excitat ab *Harveo* deſcriptam, quo affectu bruta præcipuè tentantur. Interdùm flatus craſſi ab hypochondriis, & copioſi elevati diaphragma comprimentes aſthma ſpurium ſine ſtertore generant.

Prognoſis.

Aſthma non tantùm antiquis, ſed etiam hodiè inter affectus maximè incurabiles annumeratur, juxta illud: *Hydrops, & aſthma mirabile phantaſma, quod nullum ſanat cataplaſma.* Et licèt morbus ſit chronicus, tamen paroxyſmos habet acutos ob loci nobilitatem, quo graviter affectu homo diù vivere nequit; undè infantes ſuffocat, ſenes extra curationis ſpem ſunt, & juvenes, interdùm adhibitâ omni curationis induſtriâ, difficulter curantur, plures tamen nullo modo, ſed non raro cachexiâ, vel hydrope corripiuntur. Orthopnæa reliquis ſpeciebus gravior eſt, & ſæpè gravium paroxyſmorum inſultu ſuos ſuffocat ægrotos. Si ſit hæreditarius morbus vix unquàm curatur. Si pleuritis vel peripneumonia ſupervenit, lethale, quia pulmo à chronico morbo debilitatus ſupervenienti reſiſtere, & materiam morbificam expellere nequit. Si febris acuta ſuperveniat, periculoſum.

Aſthmatici maximè periclitantur ij, qui viribus ſunt infirmi; citò enim ſuffocantur, vel in ſyncopen labuntur, & cùm pulſus admodùm redditur inæqualis ægrotum morti proximum eſſe inditio eſt, & multò magis ſi intermittat: ſed decipitur quandòque medicus, nàm qui pulſum bonum habere videntur, ſæpiſſimè ſuffocantur; contrà verò qui pulſum habent parvum adhibitis auxiliis, vel fluxu diſcuſſæ, vel humore ſeroſo, ſtatim reſtituuntur. Non igitur ad ſolum pulſum attendere oportet, ſed ad aliquid aliud.

Veterum Curatio.

Vulgares duplicem aſthmatis curationem inſtituunt, in paroxyſmo unam, & extra alteram. In paroxyſmo, præmiſſo clyſtere, phlebotomiâ ſanguine venas deplent, adhuc ut æger liberiùs reſpirare poſſit, imò exſpirare. Inſontem plectunt ſanguinem, & reo aſthmati dant veniam. Statuunt hunc affectum eſſe omninò frigidum, & ſenilem, ut 3. *aph.* 31. *Spirandi difficultas eſt affectus ſenum.* Sed ſanguinis

& ſpirituum detractio magis refrigerat, & morbus non poteſt non augeri, & vitales ſpiritus in ſanguine ſtabulantur, ſicut vini generoſi robur in ſpiritu vini ardentis copia, ut deſtillatione patet, quod quantò fortius vinum ſit, tantò complures ſpiritus ardentes continet; ſicuti ergò à ſui ſpiritûs deſtillatione debilitatur, & in vappam vertitur, ità etiam ſanguinis detractio in ægrotis jàm pridèm ex frigiditate, ſive ſanguinis paucitate laborantibus, nil niſi morbi augmentum inducere poteſt.

Ante purgantium exhibitionem ſyrupi, qui extenuandi, incidendi, & abſtergendi vim habent, propinant ad humorum coctionem, ſed id, quod nunquàm natura concoquere potuit, ſaccharatis concoquere credunt, nec unquàm in aſthmate natura critica obſervata fuit. Syrupi ſunt *de praſſio, liquiritiâ, violis, jujubis, farfarâ, furfure &c.*

Purgantibus medicamentis nil profecturis miſeros torquent ægrotos; nàm materia non ità facilè per alvum evacuari poteſt, quæ in pulmone continetur, cùm nulla adhuc per ſeceſſum ſit inventa manifeſta via, ſed tantùm per tuſſim, & ſputa. Non tantùm leniora præſcribunt, verùm etiam fortiora propter humoris peccantis renitentiam, & qualitatem, qui cùm ſit craſſus, viſcidus, & lentus, lenioribus non cedere ſolet præſidiis; à fortioribus autem agitatá materiâ quandòque ſuffocationis diſcrimen tentant, & partes abſumunt tenues, & reliquam magis incraſſant, & ita malum curatu difficillimum reddunt.

Frictiones in partibus inferioribus celebrant, & plures infigunt cucurbitulas, quas etiam cervici infligunt, ut magis affligant, & his fruſtaneis tentaminibus miſeros agitant ægrotos, ità materiam impactam, vel depluentem ſiſtere, revellere, evacuare, conſumere, vel avertere credunt.

Extra paroxyſmum illinctus, loch, & ſyrupos expectorationem ſollicitantes præſcribunt, hiſque attenuare, incidere, & abſtergere certò ſibi perſuadent, iteratòque purgant.

Summoperè vulpis pulmonem exſiccatum commendant, nàm cùm hoc animal penè ſit indefeſſum, putàrunt, quòd moriens ſuſpirioſos ſanandi remedium ſuo legaſſet pulmoni, hinc non poſſumus non reminiſci ridiculi remedij pro arcano habiti, cuidam Matronæ aſthmaticæ à quodam Galenico revelati, cui præſcripſit, ut murium carnibus veſceretur, quia feles omnes naturaliter aſthmate laborant, mures venantur, ut eorum carnibus pro aſthmatis remedio veſcantur: at illa ſubridens, modeſtis verbis imprudenti inquit medico: at nunquàm feles hoc ex morbo curatos aſpexi. Interim feſtivo crepitu, multoque cachinno ab ædium uſque penetralibus, famulitiorumque contumelioſis verbis, nè dicamus verberibus foràs fuit ejectus.

Internis medicamentis externa conjungunt, pectus nimirùm illiniendo *oleo liliorum amygdalarum dulcium, rutaceo, adipe gallinæ, anſeris, mucilagine ſeminum fœnugræci.* Emplaſtra etiam calidè pectori, & dorſo applicant: ſed cutis poros excludunt, partis diaphoreſim prohibent, & malum adaugent.

Ad cœlum uſque decrepiti galli jus laudibus efferunt pro infallibili aſthmatis

matis remedio, quâ ratione ipſimet ignorant, quo fructu, apud manes ſciri poteſt. Decrepitus forſan aſſumitur gallus, quia tunc ex ſuo ovo (ut vulgò fertur) proximus eſt ad baſaliſci generationem? Cur pro tanto morbo adoleſcens, in quo plus eſt vitæ, non exenteratur? Potiùs gallinæ veteris jus præſcribere deberent, quia (ut vulgò à noſtris vetulis dicitur) gallina vetus bonum efficit jus. Cur galli Aphricani, capi, pavonis, perdicis, phaſiani, vel cæterarum domanarum avium jura non præſcribunt? Exoſa forſan fuit natura miſerandæ galli ſenectuti, & non reliquis avibus amica, dùm tantæ medicinæ ipſum voluit auctorem? Equidèm hoc remedij genus magni eſſet faciendum, & tanquàm à divinâ auxiliatrici manu promanaſſet, ſi experientiæ conſonum eſſet, ſed non reſpondent facta promiſſis, nec expectationi ſatisfacit. Hoc remedii genus credimus anile eſſe inventum, ideoque ſi profecit ſemel, vel per accidens fuit, vel alium pro aſthmate morbum acceperunt, vel ab utero ſuam habuit originem. Galenicorum ſchola eſt remediis indiga, ideoq; ad empiricæ ſæpè relabitur, rationem adaptaret à qualitatibus mendicatam, quæ ſi non ſuppetiatur, ad occultas confugit cauſas. Pro aſſignandâ ratione, quomodò galli jus aſthmaticos curet, aliqui relictis quatuor qualitatum ſomniis, necnon occultis cauſis, in chymicorum impingunt ſententiam, nitroſas partes in decrepito aſſignando, & ſecundum eorum principia ſalinæ cumulum ſtatuere debuiſſent. Miramur ſanè ſalinas non aſſignare partes, cùm gallus ſalax ſit animal, ſed non in occiduâ ætate. Concedamus eſtò in decrepito nitroſas partes, illæ ſunt terreſtres, & frigidæ exiſtimantur, quia in corpore frigidas edunt operationes, undè potiùs pituitam incraſſant, nec verum fit aſthma, niſi aliqua ſalis portio admiſceatur. Igitur tanquàm noxium, minimè rationi conſonum, & experientiæ non correſpondens à medicamentorum ſuppellectile decrepiti galli jus rejiciendum eſt.

Quæ ad exenterati galli repletionem pertinent, vanida quoque cenſemus, nàm quæ pro ſolvendâ alvo infarciuntur, ut *agaricum, ſena, ſemen carthami*, nimiam requirunt ebullitionem, & ex longâ ignis tortturâ omnem purgandi vim amittunt, patet id in *rhabarbaro, ſenâ, caſſia*, quæ ignem experta laxandi vi deſtituuntur, nec in optimè clauſo vaſe id præcaveri poteſt, ut perperàm *Sennertus* credit, cùm illa purgandi vis in parte ætherea, & ſpirituosâ conſiſtat, ludatque in ſuperficie, quæ ab igne extrinſecata, exanime linquendo corpus, avolat in auras. Sed demus, quòd agaricum, quia compactionis naturæ habet eſſentiam, in jure laxet, partes illæ nitroſæ putatitiæ (quas unquàm per analyſim obſervârunt vulgares) à laxativo per ſeceſſum exturbantur, quia fortius attrahit minus forte, abſtergendi vi defraudabuntur.

Alterantia, ut *capilli veneris, origanum, botrys &c.* eſſentialem ſpiritum, in quo omnis vis medicamentoſa conſiſtit, non reddunt, niſi fermentatio præceſſerit; hinc herbarum deſtillatæ aquæ abſque præcedenti fermentatione exiguas medicaminis habent tones, quia ſunt earum ſudores, & non liquores eſſentiales. Reſtat tandèm exploſum à

medicamentorum cenſu galli veteris jus medicatum, niſi ſub mentitâ iterùm larvâ ſua apozemata mentiri velint.

Si morbus fuerit antiquatus, brachiis, & coxis cauterium aperiunt. Putidum remedium, & crudele emunctorium, per quod viſcidam pituitam decumbentem derivare, & revellere putant! Sed credulæ, alias crudeles falluntur ſcholæ, nàm cauteria degeneres non purgant humores, ſed laudabilem cruorem, optimumque alibilem ſuccum alendæ parti cauterizatæ deſtinatum, topicè in ipſis vulneris labris cum digeſtivæ facultatis labore corrumpunt in excrementum. Prætereà cauterizatum membrum debito defraudatum alimento, naturale amittit robur, extenuatur, & multoties atrophias, eryſipelata, inflammationes, gangrænas, & ſphacelos ſubit, præter aſſiduas colloſitates, & carnium excreſcentias.

Noſtra Curatio.

Veterum pro aſthmate noſtro de more curatione abſolutâ, ad noſtram deveniamus oportet, quam à rectâ victûs ratione auſpicamur, & hæc ex ſex rebus non-naturalibus conſtat, inter quas primum ſibi locum vendicat

Aer temperatus eſſe debet, ideſt non nimis calidus, quia in tanto caloris æſtu ſanguis, vini inſtar, turget, & copioſiora excrementa in pulmonum, & aſperæ arteriæ propagines deponit, & ſanguinis maſſam inquinat, nàm qualis eſt aër, talis plerùmque eſt ſanguinis maſſa. Nimis frigidus, humidus, & craſſus vitetur; humores nàmque quoſlibet inſpiſſat, & condenſat, poros obſtruit, & corpus minùs perſpirabile reddit, & condenſati humores poſtmodùm ægrè per conſueta emunctoria exturbantur, pulmonem ejuſque veſiculas infarcit, & aſthmaticus in mortis anguſtiis reperitur. Vitetur itàque nimirùm calidus, frigidus, humidus, & ſiccus. Aër non ſit obſcurus, ſed lucidus el gatur, quia in obſcuro craſſior eſſe ſolet, & diſpnæici quaſi ſuffocantur, undè malum hoc eſt veluti dæmonium nocturnum, negotium ambulans in tenebris, & noctis tempore plectit. Igitur feneſtras aperiri, & hominum frequentiam avocari oportet, quia cùm copioſo aëre opus habeant, certè in obſcuro, & magnâ hominum frequentia illum nanciſci non poſſunt. Cubiculum, in quo æger degit à fumo, & graveolentibus ſit immune, hæc nàmque in pectus ſe inſinuando, aſthmaticum paroxyſmum ſuſcitare poſſunt; ſi verò patiens ſit mulier, ſuaves vitentur odores, iſti enim uterum in varios rapiunt furores.

Cibus ſit calefaciens, & attenuans, nè materia craſſeſcat, ſed ità moderatus eſſe debet ab humectantibus intermiſſis, ut expectoranda faciliùs expurgentur; nàm ſi cibus, & potus, qui ſolùm calefaciat, attenuet, & ſimul ſiccet, exhibeatur, facilè fieri poteſt, ut humor majorem nanciſcatur craſſitiem, & tenaciùs aſperis pulmonis arteriis adhæreat. Undè avicularum montanarum, gallinarum, pullorum, hædorum carnes conveniunt. Panis optimus erit, cui immiſtum ſit aniſi, vel fœniculi ſemen, ſed recens, & unius diei eſſe debet. Cibi omnes condiantur herbis aromaticis pectoralibus, ſalviâ nempè, ſampſuco, hyſſopo, fœniculo, thymo, ſaturejâ, baccis juniperi,

peri, cinnamomo, & præſertim croco. Utiles quoque ſunt amygdalæ dulces, paſſulæ, pineæ, piſtachia, caricæ, dactyli. Abſtineat æger à cibis adſtringentibus, flatulentis, frigidis, craſſis, & lentis, ut ſunt carnes fumo induratæ, ſuillæ, magnorum animalium, & vetuſtorum, caſeus, omnia lacticinia, legumina. Ova ſorbilia conducunt. Tandem vitetur nimia repletio, & inanitio.

Potus ſit vinum tenue, vel vinum medicatum herbis pectoralibus, & aromaticis, ſed ſi æger vinum non bibat, vel à vino abſtinendum ſit, ipſius loco aquâ hordei, vel aquâ pectorali ex paſſularum, & caricarum decoctione uti poterit æger. Utilis etiam potus decocti ligni guajaci, vel herbarum thoracicarum vel aqua ex ligno ſaſſafras pro potu ordinario. Æger ſitim non ferat, ſed largius bibat, quoniam in aſthmate curando, thoracem inhumectare oportet, ut faciliter extendi, & reſpirationi inſervire poſſit, & etiam quia humectatione indiget ad eam, quæ jam inciſa, & deterſa eſt in pectore, materiam tuſſi ejiciendam. Attamen potus copioſus cum cibo uni à vice ſumptus nimis ventriculum replet, & ſuâ ſponte anhelandi difficultatem facit. Si opus eſt nimio potu, ſit nimius quantitate diſcretâ, non quantitate continuâ, ideſt ut crebrò, ſed paulatim potetur; ſic enim potus paulatim ſumptus magis ſitim extinguit, quàm uberiim ſumptus, quia magis irrigat, & humectat, verùm non niſi cibo jam concocto aliquid aſſumatur; advertendum tamen, quòd in hoc affectu angue pejus potus frigidus, quia pectori inimicus, vitetur.

Motus moderatus ante cibum perutilis eſt, attamen acclivia vitent loca, & in planitie deambulent ægroti, qui motus ſi ob vitium imbecillitatem peragi non poſſint, partium externarum frictio exercitij vicem ſupplet. Vehementia exercitia, quæ humores commovent, & anhelitûs difficultatem inducunt, omninò ſunt intermittenda. Poſt cibum *Quies* prorſus neceſſaria eſt, & præſertim in paroxyſmo, in quo ægri ſuper cubile ſedeunt, quia erecto corpore faciliùs reſpirant, ſi verò decumberent, ſuffocationis immineret periculum.

Somnus ſit moderatus, & nocturnus, diurnus autem, & diuturnus magnoperè fugiatur; diuturnus namque ſomnus magnam excrementorum ſaburram congerit, quæ aſthmati utpluri-mùm anſam præbent: modum itàque non excedat, & huic affectui obnoxii capite elevato, & non humili dormiant. Sic pariter *vigiliæ* nimiùm protractæ maximè nocere poſſunt, ac proinde ſomnus, atque vigilia, ſi modum exceſſerit, malum.

Alvus lubrica ſervetur, & omnis irritatio vitetur. Conſuetæ ſanguinis evacuationes ſuppreſſæ ad debitum reducantur fluorem.

Animi paſſiones coërceantur, unde hilaritas, & recuperandæ ſanitatis ſpes maximè conducit; Vitetur excandeſcentia, & nimiæ ſollicitudines, & almæ Veneris fugienda voluptas.

Noſtram aſthmatis curationem duplicem inſtituimus, unam extra paroxyſmum, alteram in paroxyſmo: eandem etiam duplicem unam de aſthmate humido, alteram de ſicco curationem; humidum namque à materiâ manifeſtâ fovetur, cujus excretione ceſſat; ſiccum, quod abſque talis materiæ præſentiâ à ſolâ fit convulſione muſculorum thoracem

cem moventium, in ſpecie diaphragmatis.

Pro curatione dicemus aſthma humidum rarò purgantia expoſtulare, quia hæc pulmones non attingunt, per accidens tamen prodeſſe poſſunt, minuendo materiam, quæ ad pulmones confluit, eo modo ac juvat victûs tenuis ratio, & exſiccans. In adminiſtrandis autem purgantibus vacandum perpetuò eſt viribus, quæ cùm debilitentur, æger periclitatur: purgandum eſt igitur corpus per intervalla extractis appropriatis, *aloës nempè, agarici, hellebori, nicotianæ &c.* Vel purgetur ex maſsâ pilulari, ut

℞. *Pilul. de agarico* ℈. *ij.*
gumm. ammoniaci Querc. ℈. ß.
trochiſc. alhandal.
extracti cinnamomi ana gr. iij.
m. f. pilul. iij. deaurentur.

Vel

℞ *Pilul. de hierâ cum agaric* ℈. *j.*
gumm. ammon. cum aceto ſcillitic. ſolut. ℈. ß.
trochiſ. alhand. gr. iij.
m. f. pilul. iij. deaurandæ.

Maximoperè conducunt, præſertim ubi aſthma evenit vitio ſtomachi, & quandò viſcidis, & mucilaginoſis ſcatet excrementis, & aſthmatis ſunt in causâ. Convenit quoque ad ſtomachi incidendam, ſubtiliandam, & per ſeceſſum educendam mucilaginem tartaream *Diatartari Petri Caſtelli in formâ opiatâ* ℥. *j.* ß. *vel pulveres diatartari n. d.*

Juvant maximoperè in hoc affectu vomitoria, quæ immeritò à quamplurimis improbantur, ſed quare juvant, explorandum eſt: Plerùmque hic affectus à ventriculo laborante fit, ſcatente præcipuè tartareis ſuccis, qui ſic imbibuntur in illius parietibus, ut ſolummodò vomitu excerni poſſint. Elevantur etiam ex ventriculo ſic affecto flatus, qui ventriculum inflantes, diaphragma comprimunt, & affectum adaugent. Confert *ſal vitrioli ad* ʒ. ß. *Aqua nicotianæ* ℥. *j. pondere exhibita. Aqua Benedicta Rulandi. Hippocras emeticum. Oxymel helleboratum, Tartarus emeticus. Syrupus nicotianæ vel ſimplex, vel compoſitus*, ut

℞ *Nicotianæ ſiccæ m. iij.*
calaminthæ,
praſſii ana m. ß.
Capill. Veneris,
ſcabioſæ ana m. j.
ficuum,
dactylorum ana num. x.
fœnugræci,
radicis apij,
fœniculi ana ʒ. *iij.*
ſem. urticæ ℥. ß.
ireos,
glycyrrhizæ ana ʒ. *ij.*

Infundantur hæc omnia in lib. vj. aquæ ſtillatitiæ capill. Ven. & calaminthæ, digerantur vaſe clauſo in loco calido trium dierum ſpatio. Colatura poſt ebullitionem denuò digerantur, & decantetur, ex aquâ cum ſaccharo, vel melle f. ſyrupus. Doſis unum aut alterum cochlear, cùm verò vomitus ciendus eſt augeatur doſis. Duo ſunt nicotianæ ſyrupi, unus compoſitus, cujus confectionem tradidimus, alter ſimplex, ambo pro aſthmate appropriati, & in doſi aucta vomitum proritant in diminutâ verò nequaquàm.

Vomitiva in aſthmate æqualiter materiam hauriunt, ſivè in ſtomacho, ſivè in pectore hæreat; notum nàmque eſt in omni vomitu ſimul inſignem pectoris conſtrictionem fieri, & per gulæ vomitum

mitum

mitum ſurſum ſimul aſperam moveri arteriam, & ità ſimul ex ventriculo, & pectore evacuationem fieri, ac proindè per vomitoria id, quod pulmonum bronchiis fortiter impactum eſt, certò, & feliciter exturbatur. Imò ipſa Natura vomitoriorum uſum interdum proficuum eſſe demonſtrat. Refert *Sylvaticus cent.* 3. *conſ.* 49. Aſthma ſingulis noctibus recurrens cum ſuffocationis periculo, à quo non potiùs æger fuit immunis, quàm ſpontè ſuccederet tàm aſſumptorum, quàm materiæ pituitoſæ vomitus.

Juvant etiam pro alleviando aſthmate *flores ſulphuris* vel ſimplices, vel *cum croco, & myrrhâ ſublimati.* Simplices ſumuntur quavis die ʒ. *j. pondere cum ovo ſorbili, vel cum conſervâ hyſſopi, betonicæ, roris marini, ſalviæ &c.* quæ præſertim conducit, cùm nidus eſt in ſtomacho.

Proſunt etiam *tinctura glycyrrhizæ, ireos, capillorum Veneris, hyſſopi, cardui benedicti, ſcordii, praſſij &c.* ſed maximoperè *tinctura croci.*

℞. *Croci* ʒ. *j.*
aq. appropriatæ ℥ *iij.*
m. fiat tinctura

Doſis ℥. ß. *cui adde parum ſacchari* ſi vis.

Juvat etiam *oleum ſacchari* vel ſimplex, vel cum ſyrupis appropriatis confectum:

℞ *Aquæ ardentis lib.* ß.
lohoch ſani, vel
ſyr. de glycyrrh. ℥ *ij.*
m. f. magiſterium oleiforme.

Aliqui utuntur *tincturâ ſcillæ*, ex quâ conficiunt ſyrupum:

℞ *Spiritus aniſorum* ℥. *j* ß.
oximell. ſcillit.
aquæ cinnamomi ana ℥ *j.*
gummi ammoniac. aceto ſambuci. ſoluti ℈ *ij.*
trochiſc. gall. moſc. ℈. *j.*
aquæ ardentis ℥ ß.

Doſis gutt. iij. vel iv. cum ſyrupis appropiatis.

Exhibetur etiam *terebinthina* vel vera, vel abjegnina.

Doſis eſt ʒ. *j.* uſque ad ℥. ß. ſi vis etiam lenire corpus:

℞ *Terebinth.* ʒ. *j.*
cum glycyrrh. formentur pilulæ.

Hæc ſingulis quibuſque horis juxta exigentiam, vel duabus, vel tribus interpoſitis deglutitur cum cochleare *ſyrupi hyſſopi*, vel

℞ *Terebinth.* ℥. *j.*
ammoniaci ℈ *ij.*
flor. ſulph. ʒ *j.*
m. f. pilulæ molles,
& deglutiantur, ut ſuprà.

Datur etiam *croci* ℈. *j.* cum vini cochleare, vel oleo ſacchari. Exhibetur etiam *eſſentia ſalviæ, roris marini, vel aniſorum.* Doſis eſt gutt. iij. vel iv. cum vino, vel julepo vitali.

Exhibetur etiam *ſpiritus vini compoſitus.*

℞. *Aq. ardentis* ℥. iv.
aquæ tuſſilaginis,
ſcabioſæ ana ℥. *iij*
ſacchari ℥. *ij.*
cinnamomi ʒ vj.
aniſorum ℥. ß.

Digerantur vaſe optimè clauſo diei ſpatio trabiciantur deindè per manicam Hippocratis. Doſis ℥. ij. vel iij.

Fiunt etiam *tabellæ cum ſacch. tragacanth. & flor. ſulph.* quæ aſperguntur poſteà *eſſentiis ſalviæ, roris marini, vel aniſorum.* Maximè commendatur *elixir proprietatis Paracelſi, vel Van-Helmontii cum aquâ hyſſopi, aut tuſſilaginis* exhibitum à gutt. vi. ad x. vel xii. *ſpiritus ſul-*

ſulphuris viſcidam diſſolvit materiam, & bronchia aperit, ſi illius guttæ IV. aut V. in decenti ſumantur ſyrupo. *Helmontius* maximè commendat potum ſulphuratum pro aſthmate, & reverà ſulphur eſt pectori dicatum, vocaturque balſamus pulmonis ob egregias virtutes, quibus pollet in conſervando pulmones, & quaſcunque pulmonum impreſſiones, ac vitia delendo, & id operatur, tunc cùm pinguedo balſamica ab aciditate eo roſivâ ſeparatur. Sic potus Helmontii ſulphuratus illo gas ſylveſtri impregnatus non imbuitur à ſpiritu acido, ſed ab oleosâ ſulphuris parte. Hoc gas clarè nobis demonſtrat ſingulari vi pollere in arcendâ putredine à corpore humano, quoniam vinum præſervat, quòd aliàs corrumperetur. Undè quicumque ſulphuris balſamus, & in ſpecie *balſamus ſulphuris aniſatus*, vel etiam *balſamus ſulphuris therebinthinatus* inſigniter commendatur à quamplurimis ad guttas aliquot in decenti liquore ſumptus. Ex eodem balſamo cum gummi ammoniaco formari poſſunt pilulæ, quibus aſſumptis, hauſtus appropriatus deſuper ingurgitandus eſt, ut eò promptius operetur.

Denique expertum, & utiliſſimum habet decoctum *Joël lib. 3. prax. ſect. 2. cap. 5.* in aſthmate, cujus præſcriptio eſt:

♃ *Rad. zedoariæ* ℥. ß.
gummi ammoniac. ʒ. ij.
flor. ſulph. ʒ. iij.
croci ℈. j.

contuſa coquantur in hydromelitis lib. j. (nam mediocris mellis uſus præferendus eſt uſu ſacchari) *ad medias.* Doſis cochlear. j. ſæpè in die.

Pro coronide tandèm aſthma humidum ſuo elixire non defraudabimus, quod hujus mali eſt ultimum ſolamen, & expertiſſimum *prophilacticon* ut

♃ *Rad. enulæ campanæ* ℥. vj.
polyp: ʒ j.
iridis ana ℥. iij.
ſcillæ mediocriter exſicc. & non ut prep. ℥. IV.
herbar. tuſſilaginis,
piloſellæ min.
praſſij. hyſſopi, ſcabioſæ,
pulmonariæ ana m. ij.
ſalviæ,
roris-marini ana m. j. ß.
cardui benedicti,
capill. veneris,
calaminthæ ana m. j.
baccarum juniperi,
cinnamomi ana ℥. ß.
Sem. urticæ,
fœniculi ana ℥. j.
aniſorum ʒ. vj.

Hæc incidantur, & groſſo modo contundantur ſ. a. infundantur in

ſpiritus vini opt. dephlegmati lib. x. in vaſe optimè clauſo per dies vij. poſtmodùm in M. B. deſtilla præter tertiam partem, reſiduum frigefactum fortiter exprime, & optimè cola, & iterùm deſtilla, ut anteà & evoca ſpiritum, qui ſeparatim colligatur; deſtillando perge, quouſque in vaſis fundo remaneat extractum ad juſtam conſiſtentiam, quod diligenter ſerva. In ſpiritum deſtillatum infunde ſequentia ſubtiliter pulveriſata

flor. ſulphuris ℥. j. ß.
benzoini ℥. j.
ſtyracis calamitæ,
croci orientalis ana ℥. ß.
ſalis armoniaci ſublimati ʒ. vj.

Omnia miſta inde pelicano, & in leni cinerum igne per dies XXIV. *circula, elixir deindè edulcora alicujus ſyrupi thoracici convenientis lib. j. & ad uſum ſerva.*

Efficaciſſimum eſt hoc *Elixir Aſthmaticum*

[illegible]aticum in anhelitûs difficultate; humores nàmque viſcidos, craſſos, & mucilaginoſos, qui pulmonem & thoracem infarciunt, incidit, ſubtiliat, & volatilitate ſua reſolvit, undè reſpirationem facilitat, & ad naturalem reducit tonum. Confert proindè omnibus thoracis, pulmonis, & aſperæ arteriæ morbis ab humorum pituitoſorum infarctu geneſim ducentibus, & in his partibus impreſſiones, & vitia delet. Undè potentiſſimum eſt remedium in raucedine, tuſſi, aſthmate, vomicâ pulmonis ſuppuratâ, & phthiſi; præſervat tandèm à putredine, & contagio reſiſtit.

Remedia alia appropriata, quæ aſthmati humido conveniunt, præcipuè ſunt pectoralia dicta, quæ materiam craſſam, viſcidam, & flatulentam attenuandi, reſolvendi, & corrigendi vim habent, ſive pulmonibus, ſive præcordijs, aut ſtomacho adhæreat.

Si aſthma à melancholiâ hypochondriacâ, à nimiâ obeſitate, graviditate, tympanitide, vel flatibus oriatur, in hoc caſu morbi primarij quò ad curationem habendus eſt reſpectus, quo ſublato, & ipſum aſthma curatur. Si verò ab abdomine flatibus referto, & indè diaphragma premente, curatur, flatus minuendo, & diſcutiendo per interna medicamenta carminativa, & aromatica.

Aſthma ex metallorum fumis non facile ordinariis cedit medicamentis, quæ in aſthmate humido præſcripſimus, ſed altioris gradûs expoſtulat, ejuſque remedium præcipuè ex arcanis petendum, & ex illis, quæ viriatæ parti novum robur infundunt, & ſpiritûs inſiti malam tollunt impreſſionem, ita ſunt mineralia, & metallica, inter quæ extollimus *mercurium dulcem, calomelanos Turqueti, cinnabaris antimonij, antimonium diaphoreticum, (& quò fixiora, eò meliora) Turpetum minerale, mercurius vitæ per inferiora purgans, bezoarticum minerale, arcanum metallicum n.d. &c.* ac proindè ſicut magnis morbis magna conveniunt remedia, ità morbis metallicis metallica conducunt medicamenta. Unum tantum hic aſteriſco notandum volumus, eos, qui ad ignem artes faciunt, frequentius aſthmate tentari, & ubi hoc corripiuntur morbi, annum non perdurare.

Egimus de aſthmatis humidi curatione extra paroxyſmum, nunc de ejus curatione in paroxyſmo agendum eſt, ut æger à præſenti laquei ſuſpenſione liberentur, deindè cauſa morbifica removeatur, nè paroxyſmus tàm ſæpiùs redeat. Durante itaque paroxyſmo, æger erecto maneat corpore, nè pulmones, & aſpera arteria à craſſæ materiæ infarctu, & internâ, aut externâ oppreſſione lædantur; omni itaque ſolertiâ ſtudendum eſt, nè inferiora viſcera diaphragma ſurſum pellant, & præcordia obruant. In acceſſione ergò abſtinendum eſt à clyſteribus acribus, ne materia nimiùm concitetur, proſunt tamen lenientes, ſed quantitas ſit exigua in paroxyſmo, nè inteſtina admodum replendo, diaphragma comprimant clyſteres. Aliqui vomitoria exhibent in ipſamet acceſſione, ſed maximâ cum cautelâ procedendum eſt, nè æger pereat, & medicus, & medicamenta infamentur, quod idem de medicamento purgante dicimus. Exhibent etiam *croci tincturam, vel crocum*, verùm nonnulli calida timent, nè nimis quàm par eſt liquentur humores.

Oritur paroxyſmus aſthmaticus, cùm per accidens ad huc plures nervorum tubuli obſtruuntur, unde ſpiritus ſuper-

ſtites ſufficienti copiâ ad partes reſpiratorias fluere non poſſunt, undè magnus niſus, & conamen oritur. In hoc paroxyſmo egregium medicamentum eſt *ſperma ceti* à ℈. j. ad ʒ. j. uſque, ſi in vino, vel juſculo calido propinetur; diſſolvitur enim ſperma ceti butyri inſtar, & facilè, ac ſine nauſeâ aſſumitur. Spermatis itàque ceti uſus tàm in aſthmate, quàm etiam in paroxyſmo eſt adeò certus, & infallibilis, ut nunquàm medicum, & aſthmaticum defraudârit. *Brunnerus* tanquàm panaceam in paroxyſmo, ubi aliàs ſedari nequeat, ſequentem commendat compoſitionem:

℞ *Rad. fœniculi,*
aſari,
ireos florent. ana ℥ *iij.*
glycyrrh. raſæ ʒ. *ij.*
Coquantur in aquâ font. ad conſumpt. tertiæ partis.

℞ *Colaturæ* ℥. viij.
in quibus diſſolve
gummi ammoniaci ʒ. *j.*
oxymell. ſcillitic. ℥ ß.
ſyr. de braſſicâ ℥. *j.*
m. cochleatim propina.

Sequenti pulvere in aſthmatis acceſſione plurimos ſuffocatos, & quaſi laqueo ſuſpenſos ab inviſibili carnifice mirabiliter eripuimus, ut.

℞ *Flor. benzoës,*
ſpermatis ceti ana ʒ. ß.
gummi ammoniaci ℈. *j.*
ſalis volatilis fulig. gr. xii.
flor. ſulphuris ℈. *ij.*
croci gr. iv.
m. pro iv. doſibus.

propina in aquæ cinnamomi cochleari.

Prodeſt ad aſthmatis paroxyſmum tollendum, vel ſaltem imminuendum *balſamus ſanguinis humani, elixir aſthmaticum, ſpiritus gummi ammoniaci, tinctura balſamus ſulphuris aniſatus.*

Jam aſthmatis humidi curationem tam in paroxyſmo, quam extra complevimus, in quo copioſa materia generatur, undè nomen deſumpſit, & excernitur: hæc non cauſæ occaſionali, ſed producto adſcribenda eſt, cùm immediata cauſa ſit proprium pulmonis vitium, injuria, & prava impreſſio, quæ mucilagines parit, & potiſſimùm ſenes, morti proximos, & phthiſicos adoritur. Agendum nunc de aſthmatis ſicci curatione, quod *Helmontius* caducum pulmonum vocat, *Lindanus* aſthma ſiccum appellat crampum, ſeu diaphragmatis convulſionem, nonnulli occultum aſthma, alij aſthma convulſivum nominant. Hæc aſthmatis ſpecies repentè invadit, non ſecus ac laqueus collo injectus, & citra ullam ſenſibilem excretionem ſolvitur.

Pro aſthmatis ſicci causâ aliqui falſo pulmonum infarctum maximo conamine ſtatuere ſtudent, & à flatibus in pulmonibus oriri ſtatuunt; attamen iſti flatulenti medentes inſufficientiam meditantes, flatibus terga verterunt. Alij ſeri colluviem in pulmonibus aſſignant, ſed fruſtrà laborant, qui eam conſtruunt. Quidam pravum pulmonum motum ob conſtrictionem adducunt, ſed undè parvus pulmonum motus ob conſtrictionem ortum habeat, ſub ſilentio involvunt. *Helmontius* falſiſſimæ hypo[illegible] pulmonem non moveri, ſed eſſe cribrum, per quod aër moveatur, ac proptereà in occulto aſthmate pulmonum poros obſtrui, & occludi, per quos aër ingreditur, & ex his occaſionibus tale

aſthma

aſthma timatur. Verumenimverò dicimus in hoc aſthmate vitium ineſſe muſculis convulſivis, primariò in diaphragmate, ſecundariò in reliquis thoracis muſculis, qui inſpirationi, ſive expirationi inſerviunt, ſed utplurimùm convelluntur muſculi inſpirationi ſervientes. Hûc etiam pertinet aſthma hyſtericum in mulieribus, ex utero enim acidum virus ſurgit, quod gulam ſtringit, & pulmonum lobos, & poros coarctat, & hùc etiam ſpectat aſthma hypochondriacum in viris; ſæpè namque mulieres hyſtericæ, & viri hypochondriaci inter varia ſymptomata inſignem anhelitûs difficultatem patiuntur, quod totum ortum ducit à convulſione diaphragmatis, & muſculorum thoracem moventium. Quod diaphragma, & muſculos convellit eſt acidum vitioſum, quod eſt nervis inimiciſſimum, hoc in abdominis plexibus, ſive in alio loco lymphæ communicatum has confuſiones, & mortis anguſtias excitat.

His ità perpenſis, aſthmatis ſicci curatio ab humido varianda venit, & quicquid epilepſiam, vel ſpaſmum curat, ſiccum aſthma curat, ideoque antiepileptica, antiſpaſmodica, vel antihyſterica pectoralibus maritata conducunt eaque juvant, quæ alkalina ſunt, quia acidas particulas obtundunt, dulcificant, ut diluunt. ac ea, quæ nerveas demulcent fibras, ſubveniunt. In hujus mali curatione quandòque præmittitur vomitus, ſed ubi mali ſeminium in abdomine ſtagnat. Proſunt itàque omnia quæ in epilepſia, & ſpaſmo præſcripſimus, ut omnia cephalica, ut *caſtoreum, ejuſque eſſentia, & tinctura. Cinnabaris antimonii, vel nativus, ſal volatile ſuccini, ejuſque tinctura, eſſentia croci, ſpiritus fuliginis, vel armoniacum, ſal volatile cornu cervi, ſalviæ, roris marini &c. ſpiritus ſanguinis humani, balſamus ejuſdem ſanguinis humani n. d.* vel

℞ *Salis volatilis ſuccini gr.* viij.
caſtorei ℈. ß.
cinnabaris nativæ,
ſpermatis ceti,
aſellor. præp. ana ℈. j.
ungulæ alcis præp. gr. xv.
m. f. pulv. pro tribus doſibus
propinandus in aqua florum tiliæ.

Vel

℞ *Extract. lign. viſci querc.* ʒ. ß.
ſalis volat. c. c.
ſalis volat. fuliginis ana gr. vj.
lumbricor. præp. ℈. ß.
m. f. pilulæ vj. *& deaurentur.*
doſis pilulæ iij. *pro vice.*

Vel

℞ *Spiritus ſang. hum.* ℈. ß.
eſſentiæ croci gutt. iij.
tincturæ ſuccini,
caſtorei ana gutt. vj.
ſpiritus fulig. gutt. v. *m.*
pro unâ doſi, exhibetur in cochleari ſyr. flor. pæoniæ.

Vel

℞ *Spiritus lumbricor.*
ſcarabeor. ana ʒ. j. ß.
ſpermat. ceti ſolut. ʒ. j.
eſſentiæ croci ʒ. ß.
m. f. eſſentia ad gut xv. *propinanda.*

Ad acrimoniam ſalinam, vel acidam nervoſum genus ſtimulantem delendam valent abſorbentia, invertentia, & præcipitantia antiepilepticis, & ſpaſmodicis prædictis permiſta, ut

℞ *Lapid. cancr. præp.* ʒ. ß.
bezoar. orient. gr. iij.
ſpermatis ceti,
ſuccini præp. ana ℈. ß.
m. f. pulvis.

Externè pectori, & diaphragmati variæ adhibeantur inunctiones ſpirituoſæ, ut *ex oleis ſuccini, caſtorei, lumbricorum, lavendulæ &c. deſtillatis.*

Tandem præ omnibus medicamentis optatum ſucceſſum incantamenti inſtar tàm in paroxyſmo, quàm extra laudatum *laudanum ſ. opiatum* paucis granis in aquâ convenienti diſſolutis, & cochleatim exhibitis patrat, quod ſatis commendare nequimus in aſthmate ſicco; laudanum nàmque opiatum ſubtiles incraſſat partes, furentes denſat, efferatos figit ichores, acidiores temperat ſuccos, fibras convulſas placat, & pacat. Cave tamen, nè in aſthmate humido illud exhibeas, nàm mucilagines, viſcidaſque pituitas in pulmonum bronchiis & aſperâ arteriâ coagulando, ægrum ſuffocabis.

Pro coronide ſubjungimus utriuſque aſthmatis remedium ex arcanis petendum eſſe, & præcipuè ex illis, quæ vitiatæ parti novum robur infundunt, & ſpiritûs inſiti malam tollunt impreſſionem; verumenimverò hæc medicamina, quæ præſcripſimus multis prodeſſe, complureſque curatos comperuimus, & ſi à perito medico ſedulò adminiſtrentur, ſæpè curare poſſunt, eſtò in tàm horribili malo parvi videantur momenti, ut cecinit *Ovidius de Remedio Amoris*:

Parva necat morſu ſpatioſum vipera taurum:
A cane non magno ſæpè tenetur aper.

Cap. III.

De Pulmonis Hydrope.

Aſthmati pulmonis hydrops eſt, & licet noviſſimè contingere videatur, frequentior tamen quàm vulgò creditur, contingit: quia perpetuò in ejus cognitione decipiuntur vulgares, undè rariſſimè cognoſcitur. Utinàm ignotum pulmonis hydropem aliorsùm non acciperent cum magno æris, & valetudinis diſpendio; multi enim empyema, nonnulli verò pervicaciter aſthma ſiccum hunc affectum eſſe opinantur, donec diſſectorum cadaverum tragædia veritatem in penetralibus ſepultam patefaciat.

Signa.

Signa ſunt: febris lenta, tuſſis ſpirandi difficultas, frequens & imminens ſuffocatio, , quæ primo ſomni tempore aggreditur, & de nocte magis urget, adventante die, pedetentim lenteſcit, & hoc pathognomonicum eſt ſignum, quo ſolo pulmonis hydrops ab empyemate & aſthmate diſcriminatur. Dolor pectus gravans, & dùm ſe movet æger, aquæ fluctuatio percipitur. Si validus homo apprehenſum ſcapulis corpus ſurſùm, deorsùm, ac tranſverſim agitet, fluctuantis aquæ murmur exaudiri poteſt, ſi verò multo tempore, aure ad latera adhibitâ, audire tentaveris, ebullit intùs velut acetum. Sitis excruciat, appetitus dejicitur, accidunt animi deliquia, & cordis palpitationes. Color faciei pallidus ineſt, ungues contrahuntur, ſæpè palpebræ, & pedes tument, ac quandòque aliqui facie, ventre, & ſcroto intumeſcunt.

Vulgares medici obſtinatè partem affectam in hoc affectu eſſe thoracis cavitatem contra anatomicorum cultrum, & ipſam autopſiam contendunt.

Veterum

Veterum Causæ.

Pro causâ cerebrum aliqui incuſant per aſperam arteriam illam ſeroſam materiam in pulmonem depluere : Sed improbabile eſt tantam à cerebro copiam exſtillare, nàm ſi in pulmones primò deſtillaret, qui hunc affectum incurrunt, antecedenti & diutinâ premerentur tuſſi, quod falſum deprehendimus.

Nonnulli rem altiùs trutinantes, ſeroſum humorem colligi pulmoni, vitio credunt, dùm is frigidus eſt, & debilis, ac ſuum non benè concoquit alimentum, ſed in aquoſum mutat humorem : At hic generationis modus falſus quoque deprehenditur, nàm alimentum pulmonis vitio degeneratum diutinâ contentione tuſſim, catarrhum, aſthma, vel ſpurium empyema generare deberet, & non hydropem.

Alii altioris indaginis modum rimantur : inquiunt enim in thoracis ſpecum ab hypochondriis tranſmitti ſeroſam colluviem, quandò ſcilicèt hepar, aut lien intemperie, ſcirrho, aut alio gravi morbo laborat: ſed huic generationis modo tramitem, quo ad thoracis ſpecum ſeroſus ille humor tenderet, aſſignare deberent, aliter eſſet anile figmentum. Viæ, per quas humor ille ſeroſus in thoracis cavitatem penetrat, non æquè conſtant ; alii cæcos aſſignant ductus, quos neſciunt, & in ignorantiæ foveam cadunt; Nonnulli verò vaporis ſpecie humorem penetrare credunt, & ibi rursùs condenſari. Si his deſtillationis artificium per alembicum innoteſceret, circa incognita forſan non delirarent. Demus, quòd hepar, & lien intemperie laborarent, aut alio gravi morbo, & vaporoſos generarent halitus : ſi frigida erit intemperies, hujus ſeroſi humoris reſolutio in vapores haberi non poteſt, nàm in frigido attenuatio in halitus non fit; ſi calida erit, utique vaporum reſolutio habetur, qui ut ad ſuperiora evehantur, patentes requirunt ductus, ut à loci frigiditate repercuſſi in ſimplicem, cryſtallinumque faceſſunt humorem, & non in ſeroſum. Itàque caput potiùs ſcanderent, (quod ab *Hippocrate* ollæ operculo comparatur, & in cerebro condenſarentur, tanquàm in parte frigidiore, nàm cùm exſangue ſit, frigidum eſſe credunt) quàm in thoracis ſpecum peterent, qui actu non friget: ceſſat ergò illic condenſandi vaporis ratio. Nunquid huic vapori aliquod indicitur edictum, nè ultra thoracis concavum progrediatur? Præterquam quòd ſi alembico ſeroſus indatur humor, & levi urgeatur igne, ſub vaporis ſpecie totum id, quod evaporabile eſt, eructabit in capitellum, remanente capite mortuo, & in aquam ſimplicem, & elementarem ſe condenſabit, non verò in ſeroſum humorem. In hujus mali aſſignandâ causâ cespitant vulgarium ſcholæ; non negatimus tamen intra thoracis ſpecum lymphatica ob diſrupta vaſa exoriri poſſe. Hinc falsò ſcholæ hepar de hydropis crimine accuſant.

Paracelſi, ejuſque ſectatorum ſententia eſt, pulmonis, ſicut & omnem hydropem ex ſale oriri, quâ naturâ ſuâ in reſolutionem abire aptus natus eſt, & ſuperfluæ humiditatis hauſtu liquatur quam ſententiam non om-

ninò

ninò improbabilem arbitramur, cùm id in tartari oleo per deliquium fabrefaciendo accidat.

Noſtra Cauſa.

Colligitur hæc aqua utplurimùm, quemadmodùm in ſectionibus obſervari poteſt, in quibuſdam veſiculis in pulmonum parietibus generatis, quæ interdùm folliculos habent.

Exoritur pulmonis hydrops, cùm aqua in pulmone colligitur vel vitio ipſius, vel chylificationis, (ut dicunt) vel hæmatoſis, vel vaſorum lymphaticorum occluſione, quibus latices purgantur nimij, quà impeditur per hæc vaſa tranſitus, vel à lymphæ copiâ rumpuntur, vel liquoris acrimonia corrumpuntur; diſruptis, vel corroſis in pulmone vaſis lymphaticis, lympha in ejus veſiculas extillat, (eſt pulmo veſiculoſa ſubſtantia) & quò magis implentur, eò magis dilatantur. Pulmo poteſt eſſe malè affectus vel ab ipſomet ortu, vel ab aliquâ causâ obſtruente vias, per quas pulmo ab aqueis excrementis expurgatur.

Prognoſis.

Quò ad prognoſim attinet, aggeſtio primò incipit, deinde ſenſim, & ſæpenumerò inſenſim augetur, donec morbus deploratus evadat, & quamvis collecta aqua idoneis evacuetur remediis, (quod tamen difficillimum eſt, nè dicamus impoſſibile) non ſolùm revertitur, ſed etiam deterior evadit indies, & non tantùm incurabilis eſt, ſed brevi lethalis exiſtit, quia aquarum illuvies cordis arcem inundat,

Veterum Curatio.

Inſtituitur à vulgaribus curatio, ſeroſum humorem in pulmone, & thorace contentum exhauriendo, & novæ materiæ geneſim impediendo, ſed remediis, quibus id totum exequantur, carent; præſcribunt enim nimiam ſeroſitatem à parte affectâ evacuandam hydragogis, ut eſt radicum ſambuci, mechoacanna, jalap. gummigut, elaterium, ſed corpus, venas, vires, & ægrorum loculos exhauriunt, ut inquilinum hoſtem intactum relinquunt, nec quicquam de radice exciunt, cùm eo purgantia non pertingant, imò ſeroſi humores illic contenti copiam quandoque ità exagitant, ut extemporè ingens ſuffocatio ægrum apprehendat, & de medio tollat.

Diuretica, & ſudorifica frequenter uſurpant, quia ſeroſum humorum ad partem affectam confluentem avertunt, & per urinæ vias, vel corporis periphæriam detrudunt, at à poſteriori per præcautionem, & incrementi præventionem medentur.

Ad ſeroſi humoris quoque averſionem in cruribus, & tibiis cauteria aperiunt, ſed longa difficilis, & ſalebroſa via eſt, quà ſeroſus ille humor à thoracis cavitate ad crurum, & tibiarum pellem deferatur. Nec citati latices, duce ignorantia, in aperto vulnere perſonaliter comparent, licet puerilis medentum ſimplicitas, & infima vulgi fæx morbos per fontanellas exhauriri credat.

Hippocrates materiæ in thorace contentæ difficillimam perpendens evacuationem, quia viæ non ſunt patulæ,

patulæ, (at internum non conſideravit effectorem) in latere apertionem indicit, crudele ſpectaculum, quod à credulâ poſteritate in uſum receptum tot mortalium latera infelici ſemper eventu terebravit.

Pro ſeroſi humoris geneſi impediendâ, ad earum partium correctionem, quæ hanc ſuppeditant materiam, ſe convertunt.

Noſtra Curatio.

Noſtram de pulmonis hydrope curationem à ſex rebus non-naturalibus exordimur, undè

Aër ſit calidus, & ſiccus, vitetur ventoſus, frigidus, & craſſus.

Cibus ſit facilis coctionis, ac proindè omnia liquida fugienda ſunt, & omnia quæ latices augere poſſunt. Siccus conveniens eſt, ut carnes avium montanarum aſſæ potiùs, quàm elixæ, nàm ſic magis ſiccat. Piſces omnes vitandi, & niſi l.tis urgeat, ſalſi anteponendi ſunt, ut haleculæ, ſardæ, harynges, melondria, & tynnotum abdomen. Panis ſit biſcoctus modò æger rectè concoquere poſſit, quia vehementer exſiccat,& humiditatem abſumit. Inter fructus conducunt piſtachia, amygdalæ, nuces juglandes, & avellanæ. Prandium ſit largius, cœna verò parcior, & ſi æger incœnatus abibit, melius ſe habebit.

Potus quantò parcior erit, tantò utilior,& pro potu vinum convenit vetus, tenue, & album. Aqua vitanda, & ſi ulla aqua in uſu venit, in ea ſit decoctum cinnamomum, vel coriandrum, vel aniſum, vel liquiritia, & hæc ſitim tollit, verum potus cochleatim ſumatur. Vina etiam artificialia juvant, ut vinum abſynthii.

Motus moderatus prodeſt, citatus obeſt, *Quies* tamen multùm commendatur.

Somnus brevis eſſe debet: *Vigiliæ*, cùm magis ſiccent, magis juvant, quàm ſomnus.

Alvus mollis ſervanda, & urina diureticis ſollicitanda. Repletio fugienda, multùm inanitio prodeſt, præterquàm ex Venere facta.

Malignæ animi paſſiones coërcendæ ſunt, benignæ verò in ægro ſuggerendæ, & præſertim beata illa ſpes, quæ afflictorum medicina vocatur.

Pulmonis hydrops curatu valdè difficilis eſt, & recidivam pati ſolet. In eo purgantia per alvum noxia ſunt; in initio tamen hydragoga aliqua benigniora, ut *extractum mechoacan. jalap. gutta gamba* tentari poterunt. Maximoperè efficax eſt *Calomelanos Turqueti cum ſcammonii reſinâ*, cujus præparationem in *Pyrotechniâ* docuimus, & cœteris palmam præripit *ſambuci*, *ebuli*, & *bryoniæ eſſentia* ex noſtrâ deſcriptione, quia non tantùm latices, à quibus pulmonis hydrops occaſionaliter fovetur, evacuat, verùm etiam ſalem omnem reſolutum, corruptumque corrigit, atque foràs expellit. Si nihil boni per hæc moliatur medicus, ad diuretica confugiendum eſt. Juvat *abſynthii ſal cum propriâ aquâ exhibitum*, ut

℞ *Salis abſynth. fixi* ℈ j.
aquæ ejuſdem, vel
tincturæ ℥ ß.
eſſentiæ ejuſdem gutt. v. *m.*

Abſtineat à potu æger, quantùm fieri poterit, quòd ſi arentes ſitis excruciat fauces, *ſpiritu ſalis dulci* compeſcitur. Juvat interdùm ſudores excitare *guajaci*, *ſalſæ parillæ*, *ſaſſafras decocto*, de quo in paſtu etiam bibat æger. Quòd

Quòd ſi à vino nihil damni ægro immineat, vino utatur albo guajaci, vel ſaſſafras, quod valet etiam ad aſthma humidum. Vinum confici poteſt vindemiarum tempore, vel pro potu quotidiano *ſaſſafras tinctura*, utatur, quam deſcripſimus; hæc enim nectar eſt ob ingentem ſiccitatem, & moderatum calorem, ſed iis, qui extenuati ſunt, non convenit. Summoperè valet *Mercurius vitæ fixus*, ademptà ſcilicèt vi emeticâ, & catharticâ, nàm per ſudores purgat abſque ullo recidivæ timore.

Cognatum pulmonis hydropi malum ſunt Hydatides, veſiculæ ſi aquâ plenæ, quæ externam ejus ſuperficiem occupant, quæque ex ſeroſo, & tenui humore oriuntur, qui raram pulmonis ſubſtantiam tranſit, & ſub ejus membranâ, quæ denſior eſt, hæret, & ſubſiſtit.

Cap. IV.

De Empyemate.

EX pleuritide, & peripneumoniâ non rarò ἐμπύημα provenit, & eſtò empyema omnem ſuppurationem ſignificet, tamen puris collectionem in thoracis capacitate in ſpecie vulgares crediderunt, & quia nos autopſiâ, & rationibus pleuritidis, & peripneumoniæ affectam partem pulmonem eſſe demonſtravimus, ideòque in empyemate (præter multorum empyicorum diſſectionem) ipſum quoque pulmonem affici decernimus. Præterquamquòd *auctor lib. aph.* id ipſum aſſeverat, 10. *ſect.* 5. docuit: *Quicumque ab anginâ liberantur, iis ad pulmonem vertitur, & in ſeptem diebus pereunt; Si verò hos effugerint, ſuppurantur.* In coac. *Ex ſuppurationibus, quas pulmonum morbi excitârunt, ferè ſenes moriuntur, ex cæteris verò juvenes.* Et 5. *aph.* 15. *Ubi pleuritis in empyema tranſit, intra dies quadraginta pus per ſputum ejici debet, quod ſi non fiat, in phthiſim tranſit.* Et vulgares medici phthiſin pulmonis ulcus eſſe fatentur. Verumenimverò *auctor aph.* quiſquis ille fuit 44. *ſect.* 7. inquit: *Empyici debent uri, & ſecari inter quartam, & quintam coſtam in latere, ubi major eſt dolor.* Empyema itaque eſt puris collectiò in thoracis capacitate, ut vulgares ſentiunt, & non in pulmone, ut nos cenſemus, ſed quia in empyemate magna purulentæ materiæ ubertas, & ſputi colluvies per tuſſim excernitur, & hæc craſſa, & viſcida eſt, è thoracis cavitate in pulmonis ſubſtantiam penetrare non poteſt, nec tuſſi evacuari, quia pori non ſunt ſatis lati ad recipiendum; præterquamquòd pulmo in materiam purulentam deberet eſſe immerſus, aliter pus non attingens, impoſſibilis eſſet evacuatio, ac proindè res eſt magnis obvoluta tricis, pro quarum enodatione, quæ in noſtræ *Trutinæ Chirurgico-phyſica de vulneribus cap. De Anatomica thoracis, ejuſque partium hiſtoriâ, & propriè de Pulmonis anatome* diximus recenſeamus oportet; Pulmo plerumque pleuræ connexus non recipit; ità dicimus, quia multoties illi, nunc toto ambitu, nunc aliquâ parte fibroſis nexibus alligatur, & in ſectionibus invenitur ferè tertiæ hominum parti hanc connexionem contingere: nàm valdè multa occurrunt cadavera, in quibus pulmo per in-

numeras fibrillas pleuræ firmiter alligatur; imò multa, in quibus ipſa exterior pulmonis membrana pleuræ maximâ ſui parte adhæret immediatè, nec qui talem habent connexionem, ſalutis, vel reſpirationis incommodum præſentiunt, ſed inculpatè vitam degunt, & hic faciliùs, & frequentiùs in pleuritidem incidunt, quàm alii, quibus pulmo liber reperitur, & durante pleuritide, ſi ſuppuratio accederet, etiam pus ſanguinolentum, & ſputa purulenta ex latere affecto faciliùs, & citiùs expuere; in aliis verò, quibus pulmo à pleurâ liber eſt, pleuritidem minus frequenter contingere, eamque ſi ad ſuppurationem deveniat, nihil ejici, & rariſſimè ſolvi per puris expuitionem, ſed plerumque in empyema mutari. Ratio hæc eſt, quòd in priore caſu pus ex pleuræ apoſtemate poſſit immediatè defluere in ipſum pulmonis ſubſtantiam ei adnexam, atque unà cum pleurâ, fortè ob viciniam, nonnihil quoque inflammatam, & ſic expui; in poſteriore verò cùm non poſſit non defluere in thoracis cavitatem, è quâ non facilis in pulmonis poros detur introitus, & hoc aſthma ſiccari, & uri poteſt.

Signa.

Empyema aliud imminens eſt, aliud nuper factum, aliud verò confirmatum. Niſi pleuritis, vel peripneumonia debitis adhibitis remediis ceſſarit, & rigores, intenſior febris, & in parte pondus ſubſequatur, imminentis empyematis ſigna portendunt; juxta enim aph. intra 14. dies materia expurgari debet. 8. *ſect.* 5. *Qui pleuritide laborant, niſi intra dies, 14. supernè purgentur, iis in empyema fit mali tranſlatio.* Fit verò vomicæ ruptio circa dies 40. ut *aph.* 15. *ſect.* 5. *Qui ex pleuritide empyi fiunt, ſi à ruptione empyematis intra dies 40. repurgentur, liberantur, alioqui tranſeunt in tabem*, febris excitatur à puris confectione, ut *aph.* 47. *ſect.* 2. *Dùm pus fit, dolores, ac febres magis, quàm confecto.* Rigor à pure genito membranas vellicante, ponderis verò ſenſus à pure in unum locum collecto.

Nuper facti empyematis ſigna ſunt eadem, quæ in ſuppuratâ inflammatione obſervantur, quibus anhelitùs difficultas accidit à pure in pulmonis bronchiis imbibito, undè tuſſis, & ſputum exoritur purulentum.

Confirmatum empyema denotat febris, quæ de die mitior redditur, ſed lenta, & perpetuò infeſtat; circa veſperam exacerbatur, & noctù vehementior fit. Tuſſis valida, & frequens cum ſputo purulento. Adeſt anxietas, & cibi faſtidium. Sudores in ſomno ad quemlibet dormitionem circa cervicem, & claviculas erumpunt. Tandem ſicca tuſſis inceſſanter moleſtat, donec pedetentim ad phthiſin abeat, & marcor, necnon totius corporis ſubſequatur. Oculi concavantur, malæ ruborem contrahunt, ungues unci fiunt, muſculoſa prope manuum pollices caro conſumitur, tument pedes, crebræ puſtulæ in extimâ corporis cute, vel interdùm intra buccam erumpunt.

In quânam pulmonis parte, dexterâ, vel ſiniſtrâ pus lateat, facilè conjectari poterimus ex pondere, calore, & dolore, quia ubi pondus,

 calor,

licia colorabant; & fortè tali figurâ diſponebantur; cùm licia intertexta non difficile crucis figuram aſſumere poſſint, ut cuilibet manifeſtum eſſe poteſt, certè inquimus, talia non effutiiſſent. Undè mirum eſt animalia non ſolùm huic affectui, ſed innumeris aliis eſſe obnoxia: Ratio hujus eſt, quia & amicarum, & inimicarum rerum effluvia miſcentur, & quæ hoſtilia ſunt ab amicis caſtigantur. Concurrit ad hoc mala pulmonum conformatio, ob quam excrementa noxia retinentur caloris exceſſu, ſive defectu, qui vel diſſolutionem impedit, vel coagulationem acrium ſalium adjuvat.

Prognoſis.

Conſequitur ad empyema tabes tùm ratione cauſæ, tùm ratione ipſius affectûs; ratione cauſæ, quia dùm ſanguis acrior empyematis cauſa eſt, partes non nutriuntur, ratione ipſiuſmet affectûs, quia inquinat fermenta, quapropter digeſtiones vitiantur, & conſpurcat ſanguinem, & ſuccum alimentitium nutritioni reddit ineptum; obſtruit vias, per quas nutrimentum fertur, ut poros, ad quos defertur, Communicatur etiam ſanguini circulationis vi pus in pulmonibus collectum, præſertim verò continuò generatur, & conſequenter continuò fermentationem ſubit, & hac de causâ etiam aliarum partium defectus atrophiam inducunt.

Interdùm mala confirmatio à nativitate oritur, interdùm acquiritur, ſic quoque acre ſal, quod hujus affectûs veluti ſemen eſt, vel cum ſemine oritur, & poſteà matureſcit, & exaltatur, vel acquiritur. Incurrunt facilè in empyema ii, qui carnes habent tenuiores, quorum cruor conſumi nequit, quapropter niſi hi temperanter vivant, in ſanguinis ſputum facile incidunt, & conſequenter in empyema; incidunt autem in ſanguinis ſputum, ex eo, quia cruor ſuperfluus in carnis habitu remanens aceſcit, & vaſorum apertiones cauſat, & hac de causâ à 18. anno uſque ad 36. ſputum ſanguinis, & tabes præcipuè obſervantur.

Imminens empyema ſi opportunis tractetur remediis præcaveri poteſt; nuper factum difficilioris eſt curationis, & confirmatum nullam admittit, præcipuè ſi in tabem tranſivit; undè

Utplurimùm empyema in phthiſin tranſit, ut *aph.* 15. *ſect.* 5. *Ubi pleuritis, vel peripneumonia in empyema tranſit, intra* 40. *dies pus per ſputum ejici debet, quòd ſi non fiat, in phthiſin tranſit. In coac. Quibus tubercula in pulmone oriuntur, iis pus intra dies* 40. *ex quo fit eruptio expuunt, quos ſi ſuperent, utplurimùm tabidi fiunt.*

Cùm abſceſſus rumpitur, & febris eodem die mitior evadit, æger cibum appetit, non ſitit, pus album, læve, & æquale abſque dolore, & validâ tuſſi expurgat, bonum: Si verò febris non deſinit, ſed recrudeſcit, æger non appetit, & ſputum eſt flavum, nigrum, fœtidum, malum.

Si ſputum igni impoſitum graviter olet pernicioſum, ſi in aquam marinam pus injectum petet fundum, celerem denotat perniciem. Si alvi fluxus, & ſputi retentio ſupervenit, celerem ſignificat mortem, *aph.* 16. *ſect.* 7. *A puris ſputo phthiſis, & fluxus, cùm ſputum retentum fuerit, moriuntur.* Si pus per alvum ſecedat, lethale. In coac. *In pulmone*

mone pus colligentibus, pus per alvum ſecedere mortiferum. Si pus in utroque pulmonis latere lateat, periculoſius, at ſi in ſiniſtro quoque periculoſius, quàm in dextero.

Veterum Curatio.

Empyematis curationem adoriuntur vulgares, pectus inungendo *oleo chamomelino*, *liliorum*, *axungiâ felis*, *catuli*, vel emplaſtra, vel cataplaſmata, loco affecto ex emollientibus applicando ad ſuppurationem promovendam. Intra corpus *decocto ex ficubus ſiccis, uvis paſſis, jujubis, hordeo, malvâ cum ſaccharo* utuntur. Exhibent quoque per os *ex terebinthinâ, & ovi vitello digeſtivum* ad ulcus in thorace digerendum. Interim pro potu hordei aquam, & pro cibo ptiſanam, ſcilicet hordeum decorticatum, equorum potiùs quàm hominum alimentum, & farra præſcribant, quæ æger ſtomachus non facilè concoquit, cùm vis digeſtiva laboret, & actualis ignis non niſi poſt octo, vel decem horarum ſpatium concoquit.

Purgant, repurgantque *mannâ*, expectorantes *ſyrupos de cannis, praſſio, glycyrrhizâ*, *tuſſilagine &c.* pro quotidiano uſu cochleatim conſulunt. Ad multos dies, & menſes quolibet mane *Aſinæ lac*, inito tamen priùs conſilio, exhibent, at advertendum, quòd multùm confert *Aſina nigra*, & in otio refrigerantibus herbis eſt nutrienda, & quolibet manè pectenda, & non abſque ſale Aſina nigra eſſe debet, edocti ab illâ medicinæ parte, quæ analogiſmo morbos curat, nam cùm noſtrâ in hac urbe obſervârint, quibus nigri pallii eſt uſus, non ruſtico, ſed nobiliori, & delicatiori ſanguine natos, moribuſque ſimiliter urbanis ſtudere, pariter de aſinâ nigrâ crediderunt. His impoſturis pinguiores evadunt vulgares, & aſinæ nigræ, & miſelli ægroti in ſceleti formam redacti cum magnis æris, jacturâ, aëris permutationem facere tandem ſuadentur. Quibus omnibus incaſsùm adhibitis, ceu fieri ſolet, ut creſcat ab arte malum, Hippocrates medentium primus patriarcha urendos, aut ſecandos contulit in *aphor.* 44. *ſect.* 7. *Empyici debent uri, vel ſecari inter quartam & quintam coſtam in latere, ubi major eſt dolor.*

Paracelſiſtæ curationem peragunt medicamentis vel cauſam, vel affectum reſpicientibus, utunturque remediis ex ſulphure paratis. Præſcribunt *Paracelſi corollatum*, *perlarum lac*, & innumera alia, quæ vel parùm efficiunt, vel illorum genuinas ignorant deſcriptiones, arcana ſcilicet renovativa, quæ eminenti balſamo totum tingunt corpus, & pus in thorace contentum per ſenſiles meatus evacuant, ulcus tollunt, & tabem vel prohibent, vel auferunt.

Jactitant aliqui allata arcana ſe habere, ut etiam *lili tincturam*, *mercurium diaphoreticum*, ſed forſan falsò, ſibi, & aliis perſuadent, quod etiam de Auro potali dicendum eſt, ut fuſiùs ſuo loco diximus.

Noſtra Curatio.

Empyematis curationem non parùm juvat pars diætetica, quæ ut rectè procedat, in ſex rebus nonnaturalibus conſiſtat oportet, quadere.

ſtites ſufficienti copiâ ad partes reſpiratorias fluere non poſſunt, undè magnus niſus, & conamen oritur. In hoc paroxyſmo egregium medicamentum eſt *ſperma ceti* à ℈. j. ad ʒ. j. uſque, ſi in vino, vel juſculo calido propinetur; diſſolvitur enim ſperma ceti butyri inſtar, & facilè, ac ſine nauſeâ aſſumitur. Spermatis itàque ceti uſus tàm in aſthmate, quàm etiam in paroxyſmo eſt adeò certus & infallibilis, ut nunquàm medicum, & aſthmaticum defraudârit. *Brunnerus* tanquàm panaceam in paroxyſmo, ubi alias ſedari nequeat, ſequentem commendat compoſitionem:

℞ *Rad. fœniculi,*
aſari,
ireos florent. ana ℥ iij.
glycyrrh. raſæ ʒ. ij.
Coquantur in aquâ font. ad conſumpt. tertiæ partis.
℞ *Colaturæ* ℥. viij.
in quibus diſſolve
gummi ammoniaci ʒ. j.
oxymell. ſcillitic. ℥ ß.
ſyr. de braſſicâ ℥. j.
m. cochleatim propina.

Sequenti pulvere in aſthmatis acceſſione plurimos ſuffocatos, & quaſi laqueo ſuſpenſos ab inviſibili carnifice mirabiliter eripuimus, ut

℞ *Flor. benzoës,*
ſpermatis ceti ana ʒ. ß.
gummi ammoniaci ℈. j.
ſalis volatilis fulig. gr. xii.
flor. ſulphuris ℈. ij.
croci gr. iv.
m. pro iv. *doſibus.*
propina in aquæ cinnamomi cochleari.

Prodeſt ad aſthmatis paroxyſmum tollendum, vel ſaltem imminuendum *balſamus ſanguinis humani, elixir aſthmaticum, ſpiritus gummi ammoniaci, tinctura balſamus ſulphuris aniſatus.*

Jam aſthmatis humidi curationem tàm in paroxyſmo, quàm extra complevimus, in quo copioſa materia generatur, undè nomen deſumpſit, & excernitur: hæc non cauſæ occaſionali, ſed producto adſcribenda eſt, cùm immediata cauſa ſit proprium pulmonis vitium, injuria, & prava impreſſio, quæ mucilagines parit, & potiſſimùm ſenes, morti proximos, & phthiſicos adoritur. Agendum nunc de aſthmatis ſicci curatione, quod *Helmontius* caducum pulmonum vocat, *Lindanus* aſthma ſiccum appellat crampum, ſeu diaphragmatis convulſionem, nonnulli occultum aſthma, alij aſthma convulſivum nominant. Hæc aſthmatis ſpecies repentè invadit, non ſecus ac laqueus collo injectus, & citra ullam ſenſibilem excretionem ſolvitur.

Pro aſthmatis ſicci causâ aliqui falsò pulmonum infarctum maximo conamine ſtatuere ſtudent, & à flatibus in pulmonibus oriri ſtatuunt, attamen iſti flatulenti medentes inſufficientiam meditantes, flatibus terga verterunt. Alij ſeri colluviem in pulmonibus aſſignant, ſed fruſtrà laborant, qui eam conſtruunt. Quidam pravum pulmonum motum ob conſtrictionem adducunt, ſed unde parvus pulmonum motus ob conſtrictionem ortum habeat, ſub ſilentio involvunt. *Helmontius* falſiſſimæ hypotheſi innixus [illegible] pulmonem non moveri, ſed eſſe cribrum, per quod aër moveatur, ac proptereà in occulto aſthmate pulmonum poros obſtrui, & occludi, per quos aër ingreditur, & ex his occaſionibus tale

aſthma

aſthma timatur. Verumenimverò dicimus in hoc aſthmate vitium ineſſe muſculis convulſivis, primariò in diaphragmate, ſecundariò in reliquis thoracis muſculis, qui inſpirationi, ſive expirationi inſerviunt, ſed utplurimùm convelluntur muſculi inſpirationi ſervientes. Hûc etiam pertinet aſthma hyſtericum in mulieribus, ex utero enim acidum virus ſurgit, quod gulam ſtringit, & pulmonum lobos, & poros coarctat, & hùc etiam ſpectat aſthma hypochondriacum in viris; ſæpè nàmque mulieres hyſtericæ, & viri hypochondriaci inter varia ſymptomata inſignem anhelitûs difficultatem patiuntur, quod totum ortum ducit à convulſione diaphragmatis, & muſculorum thoracem moventium. Quod diaphragma, & muſculos convellit eſt acidum vitioſum, quod eſt nervis inimiciſſimum, hoc in abdominis plexibus, ſive in alio loco lymphæ communicatum has confuſiones, & mortis anguſtias excitat.

His ità perpenſis, aſthmatis ſicci curatio ab humido varianda venit, & quicquid epilepſiam, vel ſpaſmum curat, ſiccum aſthma curat, ideoque antiepileptica, antiſpaſmodica, vel antihyſterica pectoralibus maritata conducunt eaque juvant, quæ alkalina ſunt, quia acidas particulas obtundunt, dulcificant ut diluunt. ac ea, quæ nerveas demulcent fibras; ſubveniunt. In hujus mali curatione quandòque præmittitur vomitus, ſed ubi mali ſeminium in abdomine ſtagnat. Proſunt itàque omnia quæ in epilepſia, & ſpaſmo præſcripſimus, ut omnia cephalica, ut *caſtoreum, ejuſque eſſentia, & tinctura. Cinnabaris antimonij, vel nativus, ſal volatile ſuccini, ejuſque tinctura, eſſentia croci, ſpiritus fuliginis, vel armoniacum, ſal volatile cornu cervi, ſalviæ, roris marini &c. ſpiritus ſanguinis humani, balſamus ejuſdem ſanguinis humani n.d.* vel

℞ *Salis volatilis ſuccini gr.* viij.
caſtorei ℈. ß.
cinnabaris nativæ,
ſpermatis ceti,
aſellor. præp. ana ℈. j.
ungulæ alcis præp. gr. xv.
m f pulv pro tribus doſibus

propinandus in aquâ florum tiliæ.

Vel

℞ *Extract. lign. viſci querc.* ʒ. ß.
ſalis volat. c. c.
ſalis volat. fuliginis ana gr. vj.
lumbricor. præp. ℈. ß.
m f. pilulæ vj. *& deaurentur.*
doſi pilulæ iij. pro vice.

Vel

℞ *Spiritus ſang. hum.* ℈. ß.
eſſentiæ croci gutt. iij.
tincturæ ſuccini,
caſtorei ana gutt. vj.
ſpiritus fulig. gutt. v. *m.*

pro unà doſi, exhibetur in cochleari ſyr. flor. pæoniæ.

Vel

℞ *Spiritus lumbricor.*
ſcarabeor. ana ℥. j. ß.
ſpermat. ceti ſolut. ℥. j.
eſſentiæ croci ʒ. ß.
m. f. eſſentia ad gut xv. *propinanda.*

Ad acrimoniam ſalinam, vel acidam nervorum genus ſtimulantem delendam valent abſorbentia, invertentia, & præcipitantia antiepilepticis, & ſpaſmodicis prædictis permiſta, ut

℞ *Lapid. cancr. præp.* ℥. ß.
bezoar. orient. gr. iij.
ſpermatis ceti,
ſuccini præp. ana ℈. ß.
m. f. pulvis.

Externè pectori, & diaphragmati variæ adhibeantur inunctiones ſpirituoſæ, ut *ex oleis ſuccini, caſtorei, lumbricorum, lavendulæ &c. deſtillatis.*

Tandem præ omnibus medicamentis optatum ſucceſſum incantamenti inſtar tàm in paroxyſmo, quàm extra laudatum *laudanum ſ. opiatum* paucis granis in aquâ convenienti diſſolutis, & cochleatim exhibitis patrat, quod ſatis commendare nequimus in aſthmate ſicco; laudanum nàmque opiatum ſubtiles incraſſat partes, furentes denſat, efferatos figit ichores, acidiores temperat ſuccos, fibras convulſas placat, & pacat. Cave tamen, nè in aſthmate humido illud exhibeas, nàm mucilagines, viſcidaſque pituitas in pulmonum bronchiis & aſperâ arteriâ coagulando, ægrum ſuffocabis.

Pro coronide ſubjungimus utriuſque aſthmatis remedium ex arcanis petendum eſſe, & præcipuè ex illis, quæ vitiatæ parti novum robur infundunt, & ſpiritûs inſiti malam tollunt impreſſionem; verumenimverò hæc medicamina, quæ præſcripſimus multis prodeſſe, compluresque curatos comperuimus, & ſi à perito medico ſedulò adminiſtrentur, ſæpè curare poſſunt, eſtò in tàm horribili malo parvi videantur momenti, ut cecinit *Ovidius de Remedio Amoris*:

Parva necat morſu ſpatioſum vipera taurum:
A cane non magno ſæpè tenetur aper.

Cap. III.

De Pulmonis Hydrope.

Aſthmati pulmonis hydrops eſt, & licèt noviſſimè contingere videatur, frequentior tamen quàm vulgò creditur, contingit: quia perpetuò in ejus cognitione decipiuntur vulgares, undè rariſſimè cognoſcitur. Utinàm ignotum pulmonis hydropem aliorsùm non acciperent cum magno æris, & valetudinis diſpendio; multi enim empyema, nonnulli verò pervicaciter aſthma ſiccum hunc affectum eſſe opinantur, donec diſſectorum cadaverum tragædia veritatem in penetralibus ſepultam patefaciat.

Signa.

Signa ſunt: febris lenta, tuſſis ſpirandi difficultas, frequens & imminens ſuffocatio, quæ primo ſomni tempore aggreditur, & de nocte magis urget, adventante die, pedetentim lenteſcit, & hoc pathognomonicum eſt ſignum, quo ſolo pulmonis hydrops ab empyemate & aſthmate diſcriminatur. Dolor pectus gravans, & dùm ſe movet æger, aquæ fluctuatio percipitur. Si validus homo apprehenſum ſcapulis corpus ſurſùm, deorsùm, ac tranſverſim agitet, fluctuantis aquæ murmur exaudiri poteſt, ſi verò multo tempore, aure ad latera adhibitâ, audire tentaveris, ebullit intùs velut acetum. Sitis excruciat, appetitus dejicitur, accidunt animi deliquia, & cordis palpitationes. Color faciei pallidus ineſt, angues contrahuntur, ſæpè palpebræ, & pedes tument, ac quandòque aliqui facie, ventre, & ſcroto intumeſcunt.

Vulgares medici obſtinatè partem affectam in hoc affectu eſſe thoracis cavitatem contra anatomicorum cultrum, & ipſam autopſiam contendunt.

Veterum

Veterum Cauſæ.

Pro cauſâ cerebrum aliqui incuſant per aſperam arteriam illam ſeroſam materiam in pulmonem depluere: Sed improbabile eſt tantam à cerebro copiam extillare, nàm ſi in pulmones primò deſtillaret, qui hunc affectum incurrunt, antecedenti & diutinâ premerentur tuſſi, quod falſum deprehendimus.

Nonnulli rem altiùs trutinantes, ſeroſum humorem colligi pulmoni, vitio credunt, dùm is frigidus eſt, & debilis, ac ſuum non benè concoquit alimentum, ſed in aquoſum mutat humorem: At hic generationis modus falſus quoque deprehenditur, nàm alimentum pulmonis vitio degeneratum diutinâ contentione tuſſim, catarrhum, aſthma, vel ſpurium empyema generare deberet, & non hydropem.

Alii altioris indaginis modum rimantur: inquiunt enim in thoracis ſpecum ab hypochondriis tranſmitti ſeroſam colluviem, quandò ſcilicèt hepar, aut lien intemperie, ſcirrho, aut alio gravi morbo laborat: ſed huic generationis modo tramitem, quo ad thoracis ſpecum ſeroſus ille humor tenderet, aſſignare deberent, aliter eſſet anile figmentum. Viæ, per quas humor ille ſeroſus in thoracis cavitatem penetrat, non æquè conſtant; alii cæcos aſſignant ductus, quos neſciunt, & in ignorantiæ foveam cadunt; Nonnulli verò vaporis ſpecie humorem penetrare credunt, & ibi rurſùs condenſari. Si his deſtillationis artificium per alembicum innoteſceret, circa incognita forſan non delirarent. Demus, quòd hepar, & lien intemperie labo rent, aut alio gravi morbo, & vaporoſos generarent halitus: ſi frigida erit intemperies, hujus ſeroſi humoris reſolutio in vapores haberi non poteſt, nàm in frigido attenuatio in halitus non fit; ſi calida erit, utique vaporum reſolutio habetur, qui ut ad ſuperiora evehantur, patentes requirunt ductus, ut à loci frigiditate repercuſſi in ſimplicem, cryſtallinumque faceſſant humorem, & non in ſeroſum. Itàque caput potiùs ſcanderent, (quod ab *Hippocrate* ollæ operculo comparatur, & in cerebro condenſarentur, tanquàm in parte frigidiore, nàm cùm exſangue ſit, frigidum eſſe credunt) quàm in thoracis ſpecum peterent, qui actu non friget: ceſſat ergò illic condenſandi vaporis ratio. Nunquid huic vapori aliquod indicitur edictum, nè ultra thoracis concavum progrediatur? Præterquam quòd ſi alembico ſeroſus indatur humor, & levi urgeatur igne, ſub vaporis ſpecie totum id, quod evaporabile eſt, eluctabit in capitellum, remanente capite mortuo, & in aquam ſimplicem, & elementarem ſe condenſabit, non verò in ſeroſum humorem. In hujus mali aſſignandâ causâ ceſphant vulgarium ſcholæ; non negarimus tamen intra thoracis ſpecum lymphatica ob diſrupta vaſa exoriri poſſe. Hinc falsò ſcholæ hepar de hydropis crimine accuſant.

Paracelſi, ejuſque ſectatorum ſententia eſt, pulmonis, ſicut & omnem hydropem ex ſale oriri, quâ naturâ ſuâ in reſolutionem abire aptus natus eſt, & ſuperfluæ humiditatis hauſtu liquatur quam ſententiam non om-

nin

ninò improbabilem arbitramur, cùm id in tartari oleo per deliquium fabrefaciendo accidat.

Noſtra Cauſa.

Colligitur hæc aqua utplurimùm, quemadmodùm in ſectionibus obſervari poteſt, in quibuſdam veſiculis in pulmonum parietibus generatis, quæ interdùm folliculos habent.

Exoritur pulmonis hydrops, cùm aqua in pulmone colligitur vel vitio ipſius, vel chylificationis, (ut dicunt) vel hæmatoſis, vel vaſorum lymphaticorum occluſione, quibus latices purgantur nimij, quâ impeditur per hæc vaſa tranſitus, vel à lymphæ copiâ rumpuntur, vel liquoris acrimonia corrumpuntur; diſruptis, vel corroſis in pulmone vaſis lymphaticis, lympha in ejus veſiculas exſtillat, (eſt pulmo veſiculoſa ſubſtantia) & quò magis implentur, eò magis dilatantur. Pulmo poteſt eſſe male affectus vel ab ipſomet ortu, vel ab aliquâ causâ obſtruente vias, per quas pulmo ab aqueis excrementis expurgatur.

Progroſis.

Quò ad prognoſim attinet, aggeſtio primò incipit, deindè ſenſim, & ſæpènumerò intenſim augetur, donec morbus deploratus evadat, & quamvis collecta aqua idoneis evacuetur remediis, (quod tamen difficillimum eſt, nè dicamus impoſſibile) non ſolùm revertitur, ſed etiam deterior evadit indies, & non tantùm incurabilis eſt, ſed brevi lethalis exiſtit, quia aquarum illuvies cordis arcem pundat,

Veterum Curatio.

Inſtituitur à vulgaribus curatio, ſeroſum humorem in pulmone, & thorace contentum exhauriendo, & novæ materiæ geneſim impediendo, ſed remediis, quibus id totum exequantur, carent; præſcribunt enim nimiam ſeroſitatem à parte affectâ evacuandam hydragogis, ut eſt radicum ſambuci, mechoacanna, jalap. gummigut, elaterium, ſed corpus, venas, vires, & ægrotorum loculos exhauriunt, ut inquilinum hoſtem intactum relinquunt, nec quicquam de radice excipiunt, cùm eò purgantia non pertingant, imò ſeroſi humores illic contenti copiam quandoque ità exagitant, ut extemporè ingens ſuffocatio ægrum apprehendat, & de medio tollat.

Diuretica, & ſudorifica frequenter uſurpant, quia ſeroſum humorum ad partem affectam confluentem avertunt, & per urinæ vias, vel corporis periphæriam detrudunt, at à poſteriori per præcautionem, & incrementi præventionem medentur.

Ad ſeroſi humoris quoque averſionem in cruribus, & tibiis cauteria aperiunt, ſed longa difficilis, & ſalebroſa via eſt, quâ ſeroſus ille humor à thoracis cavitate ad crurum, & tibiarum pellem deferatur. Nec citati latices, duce ignorantiâ, in aperto vulnere perſonaliter comparent, licèt puerilis medentum ſimplicitas, & infima vulgi fæx morbos per fontanellas exhauriri credat.

Hippocrates materiæ in thorace contentæ difficillimam perpendens evacuationem, quia viæ non ſunt patulæ,

patulæ, (at internum non conſideravit effectorem) in latere apertionem indicit, crudele ſpectaculum, quod à credulâ poſteritate in uſum receptum tot mortalium latera infelici ſemper eventu terebravit.

Pro ſeroſi humoris geneſi impediendâ, ad earum partium correctionem, quæ hanc ſuppeditant materiam, ſe convertunt.

Noſtra Curatio.

Noſtram de pulmonis hydrope curationem à ſex rebus non-naturalibus exordimur, undè

Aër ſit calidus, & ſiccus, vitetur ventoſus, frigidus, & craſſus.

Cibus ſit facilis coctionis, ac proindè omnia liquida fugienda ſunt, & omnia quæ latices augere poſſunt. Siccus conveniens eſt, ut carnes avium montanarum aſſæ potiùs, quàm elixæ, nàm ſic magis ſiccat. Piſces omnes vitandi, & niſi ſitis urgeat, ſalſi anteponendi ſunt, ut halleculæ, ſardæ, harynges, melondria, & tynnorum abdomen. Panis ſit biſcoctus modò æger rectè concoquere poſſit, quia vehementer exſiccat, & humiditatem abſumit. Inter fructus conducunt piſtachia, amygdalæ, nuces juglandes, & avellanæ. Prandium ſit largius, cœna verò parcior, & ſi æger incœnatus abibit, melius ſe habebit.

Potus quantò parcior erit, tantò utilior, & pro potu vinum convenit vetus, tenue, & album. Aqua vitanda, & ſi ulla aqua in uſu venit, in ea ſit decoctum cinnamomum, vel coriandrum, vel aniſum, vel liquiritia, & hæc ſitim tollit, verum potus cochleatim ſumatur. Vina etiam artificialia juvant, ut vinum abſynthii.

Motus moderatus prodeſt, citatus obeſt, *Quies* tamen multùm commendatur.

Somnus brevis eſſe debet: *Vigiliæ*, cùm magis ſiccent, magis juvant, quàm ſomnus.

Alvus mollis ſervanda, & urina diureticis ſollicitanda. Repletio fugienda, multùm inanitio prodeſt, præterquàm ex Venere facta.

Malignæ animi paſſiones coërcendæ ſunt, benignæ verò in ægro ſuggerendæ, & præſertim beata illa ſpes, quæ afflictorum medicina vocatur.

Pulmonis hydrops curatu valdè difficilis eſt, & recidivam pati ſolet. In eo purgantia per alvum noxia ſunt; in initio tamen hydragoga aliqua benigniora, ut *extractum mechoacan. jalap. guttæ gambæ* tentari poterunt. Maximoperè efficax eſt *Calomelanos Turqueti cum ſcammonii reſinâ*, cujus præparationem in *Pyrotechniâ* docuimus, & cœteris palmam præripit *ſambuci, ebuli, & bryoniæ eſſentia* ex noſtrâ deſcriptione, quia non tantùm latices, à quibus pulmonis hydrops occaſionaliter fovetur, evacuat, verùm etiam ſalem omnem reſolutum, corruptumque corrigit, atque foràs expellit. Si nihil boni per hæc moliatur medicus, ad diuretica confugiendum eſt. Juvat *abſynthii ſal cum propriâ aquâ exhibitum*, ut

℞ *Salis abſynth. fixi* ℈ j.
aquæ ejuſdem, vel
tincturæ ℥ ß.
eſſentiæ ejuſdem gutt. v. m.

Abſtineat à potu æger, quantùm fieri poterit, quod ſi arentes ſitis excruciat fauces, *ſpiritu ſalis dulci* compeſcitur. Juvat interdùm ſudores excitare *guajaci, ſalſæ parillæ, ſaſſafras decocto*, de quo in paſtu etiam bibat æger.

Quòd ſi à vino nihil damni ægro immineat, vino utatur albo guajaci, vel ſaſſafras, quod valet etiam ad aſthma humidum. Vinum confici poteſt vindemiarum tempore, vel pro potu quotidiano *ſaſſafras tinctura*, utatur, quam deſcripſimus; hæc enim nectar eſt ob ingentem ſiccitatem, & moderatum calorem, ſed iis, qui extenuati ſunt, non convenit. Summoperè valet *Mercurius vitæ fixus*, adempatâ ſcilicèt vi emeticâ, & catharticâ, nàm per ſudores purgat abſque ullo recidivæ timore.

Cognatum pulmonis hydropi malum ſunt Hydatides, veſiculæ ſi aquâ plenæ, quæ externam ejus ſuperficiem occupant, quæque ex ſeroſo, & tenui humore oriuntur, qui raram pulmonis ſubſtantiam tranſit, & ſub ejus membranâ, quæ denſior eſt, hæret, & ſubſiſtit.

Cap. IV.

De Empyemate.

EX pleuritide, & peripneumoniâ non rarò ἐμπύημα provenit, & eſto empyema omnem ſuppurationem ſignificet, tamen puris collectionem in thoracis capacitate in ſpecie vulgares crediderunt, & quia nos autopſiâ, & rationibus pleuritidis, & peripneumoniæ affectam partem pulmonem eſſe demonſtravimus, ideòque in empyemate (præter multorum empyicorum diſſectionem) ipſum quoque pulmonem affici decernimus. Præterquamquòd *auctor lib. aph.* id ipſum aſſeverat, 10. *ſect.* 5. docuit: *Quicumque ab anginâ liberantur, iis ad pulmonem vertitur, & in ſeptem diebus pereunt; Si verò hos effugerint, ſuppurantur.* In coac. *Ex ſuppurationibus, quas pulmonum morbi excitârunt, fere ſenes moriuntur, ex cæteris verò juvenes.* Et 5. *aph.* 15. *Ubi pleuritis in empyema tranſit, intra dies quadraginta pus per ſputum ejici debet, quod ſi non fiat, in phthiſin tranſit.* Et vulgares medici phthiſin pulmonis ulcus eſſe fatentur. Verumenimverò *auctor aph.* quiſquis ille fuit 44. *ſect.* 7. inquit: *Empyici debent uri, & ſecari inter quartam, & quintam coſtam in latere, ubi major eſt dolor.* Empyema itaque eſt puris collectio in thoracis capacitate, ut vulgares ſentiunt, & non in pulmone, ut nos cenſemus, ſed quia in empyemate magna purulentæ materiæ ubertas, & ſputi colluvies per tuſſim excernitur, & hæc craſſa, & viſcida eſt, è thoracis cavitate in pulmonis ſubſtantiam penetrare non poteſt, nec tuſſi evacuari, quia pori non ſunt ſatis lati ad recipiendum; præterquamquòd pulmo in materiam purulentam deberet eſſe immerſus, aliter pus non attingens, impoſſibilis eſſet evacuatio, ac proindè res eſt magnis obvoluta tricis, pro quarum enodatione, quæ in noſtræ *Trutinæ Chirurgico-phyſicæ de vulneribus cap. De Anatomica thoracis, ejuſque partium hiſtoriâ, & propriè de Pulmonis anatome* diximus recenſeâmus oportet: Pulmo plerumque pleuræ connexus non recipit; ità dicimus, quia multoties illi, nunc toto ambitu, nunc aliquâ parte fibroſis nexibus alligatur, & in ſectionibus invenitur ferè tertiæ hominum parti hanc connexionem contingere: nàm valdè multa occurrunt cadavera, in quibus pulmo per in-

numeras

numeras fibrillas pleuræ firmiter alligatur; imò multa, in quibus ipſa exterior pulmonis membrana pleuræ maximâ ſui parte adhæret immediatè, nec qui talem habent connexionem, ſalutis, vel reſpirationis incommodum præſentiunt, ſed inculpatè vitam degunt, & hic faciliùs, & frequentiùs in pleuritidem incidunt, quàm alii, quibus pulmo liber reperitur, & durante pleuritide, ſi ſuppuratio accederet, etiam pus ſanguinolentum, & ſputa purulenta ex latere affecto faciliùs, & citiùs expuere; in aliis verò, quibus pulmo à pleurâ liber eſt, pleuritidem minus frequenter contingere, eamque ſi ad ſuppurationem deveniat, nihil ejici, & rariſſimè ſolvi per puris expuitionem, ſed plerumque in empyema mutari. Ratio hæc eſt, quòd in priore caſu pus ex pleuræ apoſtemate poſſit immediatè defluere in ipſum pulmonis ſubſtantiam ei adnexam, atque unà cum pleurâ, fortè ob viciniam, nonnihil quoque inflammatam, & ſic expui; in poſteriore verò cùm non poſſit non defluere in thoracis cavitatem, è quâ non facilis in pulmonis poros detur introitus, & hoc aſthma ſecari, & uti poteſt.

Signa.

Empyema aliud imminens eſt, aliud nuper factum, aliud verò confirmatum. Niſi pleuritis, vel peripneumonia debitis adhibitis remediis ceſſarit, & rigores, intenſior febris, & in parte pondus ſubſequatur, imminentis empyematis ſigna portendunt; juxta enim aph. intra 14. dies materia expurgari debet. 8. *ſect.* 5. *Qui pleuritide laborant, niſi intra dies,* 14. *supernè purgentur, iis in empyema fit mali translatio.* Fit verò vomicæ ruptio circa dies 40. ut *aph.* 15. *ſect.* 5. *Qui ex pleuritide empyi fiunt, ſi à ruptione empyematis intra dies* 40. *repurgentur, liberantur, aliqui tranſeunt in tabem*, febris excitatur à puris confectione, ut *aph.* 47. *ſect.* 2. *Dum pus fit, dolores, ac febres magis, quàm confecto.* Rigor à pure genito membranas vellicante, ponderis verò ſenſus à pure in unum locum collecto.

Nuper facti empyematis ſigna ſunt eadem, quæ in ſuppuratâ inflammatione obſervantur, quibus anhelitûs difficultas accidit à pure in pulmonis bronchiis imbibito, undè tuſſis, & ſputum exoritur purulentum.

Confirmatum empyema denotat febris, quæ de die mitior redditur, ſed lenta, & perpetuò infeſtat; circa veſperam exacerbatur, & noctù vehementior fit. Tuſſis valida, & frequens cum ſputo purulento. Adeſt anxietas, & cibi faſtidium. Sudores in ſomno ad quemlibet dormitionem circa cervicem, & claviculas erumpunt. Tandem ſicca tuſſis inceſſanter moleſtat, donec pedetentim ad phthiſin abeat, & marcor, necnon totius corporis ſubſequatur. Oculi concavantur, malæ ruborem contrahunt, ungues unci fiunt, muſculoſa prope manuum pollices caro conſumitur, tument pedes, crebræ puſtulæ in extimâ corporis cute, vel interdùm intra buccam erumpunt.

In quânam pulmonis parte, dexterâ, vel ſiniſtrâ pus lateat, facilè conjectari poterimus ex pondere, calore, & dolore, quia ubi pondus,

calor, & dolor, ibi morbus. *Hippocrates* linteum utrique lateri applicari jubet, & ubi citiùs ſiccatur, ibi pus latet.

Veterum Cauſæ.

Paracelſiſtæ in aſſignandis empyematis cauſis cum Galeniſtis concordant, cùm verò ad particularia deſcendunt, mirum in modum diſſident, & hoc ferè eſt in omnibus inter ipſos perpetuum litigium, quòd Hermetici ad ultimas, quas poſſunt, explicandas cauſas deveniunt.

Prima cauſa, quæ affertur, eſt pituita à capite, vel aliis partibus in thoracem illata, & ibi putrefacta, Galenici volunt hanc vel eſſe inſipidam, vel ſalſam. Salſedinis cauſam aſſerunt calorem nimium, vel hepatis, vel capitis, vel utrorumque. Hermetici hanc reſpuunt cauſam, & dicunt calorem eſſe tantùm cauſam excitantem, ideſt ſeparantem principia ab illo ſale, nàm quantumlibet urgeat calor corpus, ubi ſal non eſt, nunquàm ſal efficere ex illo poteſt. Salſus igitur latex in nobis eſt, & illum acquirimus à cibo, & potu. Cùm itaque ſal aſſumptum exaltatur, ideſt non diſpergitur, uti debet per ſingulas ſanguinis partes, vel non evacuatur à ſanguine, non eluitur à latice per vias à naturâ deſtinatas, tunc ſi impreſſionem in membris facit, membra erodit, ex quâ eroſione pus fit. Nec diſſident minùs de puris generatione, ut dicemus inferiùs.

Secunda cauſa eſt ſanguis in thoracem effuſus.

Tertia eſt inflammatio ſuppurata.

Effluit ſanguis in thoracem venâ vel ruptâ, vel nimiùm patente in ſuis poris, vel in anaſtomoſi, ſeu in oſculis. Multoties ſanguis magis quàm par eſt, ſubtilis eſt, & incolumi venâ fluit. Multoties acredinem habet, ob quam vel venam rumpit, vel earundem oſcula aperit.

Omnium harum cauſam afferunt Hermetici, cùm ſanguis non fixatur, uti debet, tunc ſubtilior, quàm eſſe deberet, redditur, & quia ſal fixat, ſalis deficientiâ non fixatur ſanguis, poteſt etiam aliquod eſſe in ſanguine, quod prohibet actionem ſalis fixativam, nimius enim latex aqueus, ſive phlegma, mercurius, & ſulphur immodicum &c. & hac de causâ ii, qui nimio abundant latice, facilè ſanguinis excretiones patiuntur. Acredines à ſale fiunt, ut docuimus, & hac de causâ phthiſici, qui ſanguinem habent acriorem facilè in hunc affectum incurrunt, ſic etiam ii, qui ad phthiſim ſunt procliviores.

Empyema apud vulgares diximus ſtrictiori ſignificatu pro puris collectione in thoracis cavitate uſurpatur, atque hinc empyemata ſpuria à veri empyematis ratione abhorrent, in quibus ſcilicet verum pus non obſervatur, ſed quid aliud puri analogum, quod comitem etiam tabem habere ſolet; poteſt autem hoc, & ferè ſemper ſolet in verum empyema degenerare, erosâ ab acri ſuâ energiâ pulmonis ſubſtantiâ.

Quod aſſerunt de pituitâ, ſive aliquo alio humore à capite in pulmones delabente, probabile non eſt, ex eo quia nihil per aſperam arteriam penetrare poteſt, quod tuſſi perpetuâ

petuâ antequàm penetret, non ejiciatur, ut præcipuè obſervamus, dùm bibimus, ſi caſu aliquo aliquid humoris in eam defluit: falſum ut igitur, quod aſſeruit *Hippocrates*, totum id, quod bibitur, ſive maximam illius partem in pulmones per aſperam arteriam penetrare. Neque exemplum obſervatum in ſectione vivâ quicquàm probat, nàm dùm excarnificatum moritur animal, doloris vi multa aguntur præter omnem illius animalis naturam.

Noſtra Cauſa.

Quod peregrinum igitur, & hoſtile, cùm aliundè empyema eſt, ad pulmones confluit, per vias, quas poſuimus, cùm de pleuritide.

Poteſt etiam effici empyema ab aëre inſpirato, qui multoties acria ſalia ſecum vehit ex mineralium, effluviis hauſta, quæ fixantur multoties cum pulmonum excrementis, illoſque lacerant, præſertim ſi pulmones pro cribro inſerviunt, ineſſe autem aëri ſalia acria, interdùm facilè admiſerit; qui pulviſculos in ipſo à ſolaribus radiis illuſtratos obſervavit, in quibus latitant interdùm hæc ſalia, atque hinc, qui propè mineralium fodinas vitam degunt, in empyema facilè incidunt. Communiſſimam igitur cauſam eſſe putamus attractionem atomorum acrium per reſpirationem; hinc enim quamplurimi chemiſtæ ſubitaneà morte occumbunt, & ſuis in lectis ſæpiſſimè mortui inveniuntur, quorum mortis proculdubio vomicæ præcipua cauſa ſunt, improviſà ruptione pus cordi communicantes, illudque obruentes, quæ conjecturaliter ipſis occultè ſuccrevêre ab intrò hauſtis acribus atomis rerum venenatarum, ac in igne evaporabilium, uti ſunt mercurius, antimonii flores, aquæ fortes, liquores arſenicales graduationibus eorum inſervientes, & ſimilia fuſionibus, ſublimationibus, & deſtillationibus ab ipſis parata, à quorum acribus vaporibus ſibi non cavent, & indeſinenter halitu introhauriunt, donec tandem acris aliquid in aliquâ pulmonum cavernulâ adhæreat, & ejuſmodi tuberculum procreet. Præterquamquòd, ut diximus, vita noſtra continuò, nedùm vegetantium, & animalium hauſtu verùm etiam mineralium; latent ſiquidem mineralia, & in omnibus corporum partibus natura abſtruſit, quibus non apertè, ſed furtivo quodam malo veſcimur. Vel aër, & aqua, quâ utimur quotidiè, varia ſalium genera, & mineralium intra ſe continet. Attamen non raro variâ iſtorum miſcelâ humana corpora agitata infirmantur, & tandem obruta malis concidere neceſſe eſt.

Obſervavit *Helmontius* in linteo aëri expoſito ſalinas haſce impreſſiones, & nos quoque paucis abhinc annis hîc vidimus linteorum licia aëri ſiccanda expanſa ſubfuſco, & rubiginoſo colore tincta, cruciſque figuram variè referentia, quod noſtri Galeniſtæ rerum naturalium veras ignorantes cauſas, ad occultas qualitates confugere non valentes, rudi vulgo tanquàm ominoſi eventûs fore talem rem prædicabant. Certè ſi probè noſſent inter cæteras omnis generis particulas vitriolatas quoque in aëre contineri, quæ linteorum

licia colorabant; & fortè tali figurâ diſponebantur; cùm licia intertexta non difficile crucis figuram aſſumere poſſint, ut cuilibet manifeſtum eſſe poteſt, certè inquimus, talia non effutiiſſent. Undè mirum eſt animalia non ſolùm huic affectui, ſed innumeris aliis eſſe obnoxia: Ratio hujus eſt, quia & amicarum, & inimicarum rerum effluvia miſcentur, & quæ hoſtilia ſunt ab amicis caſtigantur. Concurrit ad hoc mala pulmonum conformatio, ob quam excrementa noxia retinentur caloris exceſſu, ſive defectu, qui vel diſſolutionem impedit, vel coagulationem acrium ſalium adjuvat.

Prognoſis.

Conſequitur ad empyema tabes tùm ratione cauſæ, tùm ratione ipſius affectûs; ratione cauſæ, quia dùm ſanguis acrior empyematis cauſa eſt, partes non nutriuntur, ratione ipſiuſmet affectûs, quia inquinat fermenta, quapropter digeſtiones vitiantur, & conſpurcat ſanguinem, & ſuccum alimentitium nutritioni reddit ineptum; obſtruit vias, per quas nutrimentum fertur, ut poros, ad quos defertur, Communicatur etiam ſanguini circulationis vi pus in pulmonibus collectum, præſertim verò continuò generatur, & conſequenter continuò fermentationem ſubit, & hac de cauſâ etiam aliarum partium defectus atrophiam inducunt.

Interdùm mala confirmatio à nativitate oritur, interdùm acquiritur, ſic quoque acre ſal, quod hujus affectûs veluti ſemen eſt, vel cum ſemine oritur, & poſteà matureſcit, & exaltatur, vel acquiritur. Incurrunt facilè in empyema ii, qui carnes habent tenuiores, quorum cruor conſumi nequit, quapropter niſi hi temperanter vivant, in ſanguinis ſputum facile incidunt, & conſequenter in empyema; incidunt autem in ſanguinis ſputum, ex eo, quia cruor ſuperfluus in carnis habitu remanens aceſcit, & vaſorum apertiones cauſat, & hac de causâ à 18. anno uſque ad 36. ſputum ſanguinis, & tabes præcipuè obſervantur.

Imminens empyema ſi opportunis tractetur remediis præcaveri poteſt; nuper factum difficilioris eſt curationis, & confirmatum nullam admittit, præcipuè ſi in tabem tranſivit, undè

Utplurimùm empyema in phthiſin tranſit, ut *aph.* 15. *ſect.* 5. *Ubi pleuritis, vel peripneumonia in empyema tranſit, intra* 40. *dies pus per ſputum ejici debet, quòd ſi non fiat, in phthiſin tranſit. In coac. Quibus tubercula in pulmone oriuntur, iis pus intra dies* 40. *ex quo fit eruptio expuunt, quod ſi ſuperent, utplurimùm tabidi fiunt.*

Cùm abſceſſus rumpitur, & febris eodem die mitior evadit, æger cibum appetit, non ſitit, pus album, læve, & æquale abſque dolore, & valida tuſſi expurgat, bonum: Si verò febris non deſinit, ſed recrudeſcit, æger non appetit, & ſputum eſt flavum, nigrum, fœtidum, malum.

Si ſputum igni impoſitum graviter olet pernicioſum, ſi in aquam marinam pus injectum petet fundum, celerem denotat perniciem. Si alvi fluxus, & ſputi retentio ſupervenit, celerem ſignificat mortem, *aph.* 16. *ſect.* 7. *A puris ſputo phthiſis, & fluxus, cùm ſputum retentum fuerit, moriuntur.* Si pus per alvum ſecedat, lethale. In coac. *In pulmone*

mone pus colligentibus, pus per alvum ſecedere mortiferum. Si pus in utroque pulmonis latere lateat, periculoſius, at ſi in ſiniſtro quoque periculoſius, quàm in dextero.

Veterum Curatio.

Empyematis curationem adoriuntur vulgares, pectus inungendo *oleo chamomelino, liliorum, axungiâ felis, catuli,* vel emplaſtra, vel cataplaſmata, loco affecto ex emollientibus applicando ad ſuppurationem promovendam. Intra corpus *decocto ex ficubus ſiccis, uvis paſſis, jujubis, hordeo, malvâ cum ſaccharo* utuntur. Exhibent quoque per os *ex terebinthinâ, & ovi vitello digeſtivum* ad ulcus in thorace digerendum. Interim pro potu hordei aquam, & pro cibo ptiſanam, ſcilicet hordeum decorticatum, equorum potiùs quàm hominum alimentum, & farra præſcribant, quæ æger ſtomachus non facilè concoquit, cùm vis digeſtiva laboret, & actualis ignis non niſi poſt octo, vel decem horarum ſpatium concoquit.

Purgant, repurgantque *mannâ*, expectorantes *ſyrupos de cannis, praſſio, glycyrrhizâ, tuſſilagine &c.* pro quotidiano uſu cochleatim conſulunt. Ad multos dies, & menſes quolibet mane *Aſinæ lac*, inito tamen priùs conſilio, exhibent, at advertendum, quòd multùm confert *Aſina nigra*, & in otio refrigerantibus herbis eſt nutrienda, & quolibet manè pectenda, & non abſque ſale Aſina nigra eſſe debet, edocti ab illâ medicinæ parte, quæ analogiſmo morbos curat, nam cùm noſtrâ in hac urbe obſervârint, quibus nigri pallii eſt uſus, non ruſtico, ſed nobiliori, & delicatiori ſanguine natos, moribuſque ſimiliter urbanis ſtudere, pariter de aſinâ nigrâ crediderunt. His impoſteris pinguiores evadunt vulgares, & aſinæ nigræ, & miſelli ægroti in ſceleti formam redacti cum magnis æris, jacturâ, aëris permutationem facere tandem ſuadentur. Quibus omnibus incaſsùm adhibitis, ceu fieri ſolet, ut creſcat ab arte malum, Hippocrates medentum primus patriarcha urendos, aut ſecandos contulit in *aphor. 44. ſect. 7. Empyici debent uri, vel ſecari inter quartam & quintam coſtam in latere, ubi major eſt dolor.*

Paracelſiſtæ curationem peragunt medicamentis vel cauſam, vel affectum reſpicientibus, utunturque remediis ex ſulphure paratis. Præſcribunt *Paracelſi corollatum, perlarum lac,* & innumera alia, quæ vel parùm efficiunt, vel illorum genuinas ignorant deſcriptiones, arcana ſcilicet renovativa, quæ eminenti balſamo totum tingunt corpus, & pus in thorace contentum per ſenſiles meatus evacuant, ulcus tollunt, & tabem vel prohibent, vel auferunt.

Jactitant aliqui allata arcana ſe habere, ut etiam *lili tincturam, mercurium diaphoreticum*, ſed forſan falsò, ſibi, & aliis perſuadent, quod etiam de Auro potali dicendum eſt, ut fuſiùs ſuo loco diximus.

Noſtra Curatio.

Empyematis curationem non parùm juvat pars diætetica, quæ ut rectè procedat, in ſex rebus non-naturalibus conſiſtat oportet, quare

Aër vergat ad ſiccum, & ob hoc *Averroës 7. coll. c.* inquit conſueviſſe empyicos in Arabiam, & Æthiopiam mitti ob Cœli ſiccitatem, eapropter humidus, & frigidus fugiendus eſt aër.

Cibus ſit exſiccans, & extenuans, ut ſunt carnes columbarum, perdicum, aviculatum, piſces ſaxatiles, cancri fluviatiles. Conducunt nuclei pinæi, amygdalæ, piſtacina, paſſulæ. Vitentur cibi concoctu difficiles, acres, ſaliti, &c.

Potus ſit vinum pauciferum aquâ hyſſopi dilutum, generoſum exulet, at ſi magna adſit febris, à vino abſtinendum, aut ſi æger vinum non bibat, utatur decocto ex herbis vulnerariis, & præcipuè potionibus vulnerariis pro potu ordinatio.

Motus nimius vitetur, pectori namque malè affecto obeſt; *Quies* tamen potiùs imperanda.

Somnus, *& Vigilia* moderamen ſervent.

Alvi excrementa non retineantur, ſed more conſueto fluant, ſi non naturâ, ſaltim arte proritentur.

Animi paſſiones malignæ vitentur, benignæ verò multùm conferunt, & præcipuè ſpes, ſperet namque in Deo æger, & ipſe eum eripiet.

Curatio itaque omnis ad productum, & cauſas dirigenda eſt, pus tollendum, vel non augendum ſaltem, quapropter omnia, quæ excrementa generare valent, empyematicis prohibenda, & præſertim carnes, quæ licèt in ſanis ſanguinem laudabilem generare valeant, in iis tamen, in quibus fermenta digeſtiva laborant, ut in empyematicis accidit, carnes non probè concoquunt, & acorem induunt. Pulmoniaci igitur hac de causâ, ex iis, quæ partem nutrimenti dant, meliùs ſe habent. Debent prætereà alimenta aliquando tenacitatem habere, ut acorem mitigent, & ſanguinem fluxilem non reddant, quapropter javant *limaces*, *animalium extremitates*, *oſtrea*, & ſimilia. Debent autem oſtreæ, ſed quammaximè limaces imputritate excrementitia ſpoliari. Præparat limaces *Quercetanus*, cujus præparationem quiſque videre poteſt. Conferunt quammaximè *cancri fluviatiles*, præſertim ii, *qui diuturnè lacte aliti ſunt*, *vel eorum alkalia.*

Ad productum quoque reſpiciunt ea omnia, quæ diaphoretica ſunt, & quæ præter hæc, aciditatem deprimunt; cauſam etiam reſpiciunt *magiſteria cancrorum*, *margaritarum*, ſed hæc debent à menſtruo probè ſeparari. Ad utrumque etiam reſpiciant ſimplicia vulneraria, qualia ſunt *rhaponticum*, *roſa rubræ &c.* aut oleum, ex quorum uſu continuo quoſdam curatos fuiſſe authores aſſerunt; attamen uſurpandum eſt oleum, ſi aliqua adhuc continui ſolutio in pulmone ſentitur, ex quo talis conficitur compoſitio, quam nonnulli *Balſamum Samaritanum* appellant, ut

℞ *Olei olivar. lib. j.*
ſacch. albiſſ. lib. iij.
miſceantur ſenſim & caleſiant ad ignem, ut ſaccharum liqueſcat, poſtmodum aſſiduè agitando, infunde
vini generoſi calentis lib. ij.
(poteſt etiam inter agitandum vini ſpiritûs ℔ ß. *ſimul infundi)*
ſic mediante ſaccharo.
oleum, *vinum*, *& vini ſpiritus commiſcentur*, *& in nobile tranſeunt balſamum*,

balſamum quale ſamaritanum illum evangelicum habuiſſe rationabile eſt, qui vinum, & oleum vulneribus infudit. De hoc blſamo j. vel ij. cochlearia mane, meridie, & veſperi aſſumpta contra internas inſerviunt læſiones, extrinſecè in vulneribus miracula patrat.

Magnoperè conveniunt *vulneratiæ potiones*, quæ materiam evacuabilem vel inſenſibiliter diſcutiunt, vel per urinam, vel ſudoretenus reſolvunt, & ut unuſquiſque facilè habeat, parandi has potiones modum ſequentem inſcribimus, quæ ubique faciliter parari poſſunt:

℞. Betonicæ,
ſampſuc. ſicc. ana ʒ. ij.
conſolid. min.
ſantal. rubr. contuſ. ana ʒ. j.
corn. cerv. crud. limat. ʒ. ij. ß.
cinnam. contuſ. ʒ. j.
aquæ font. lib. j. ß.

Ponantur omnia in vas vitreum amplum, optimè clauſum, & bulliant in M. B. vel igne cinerum, vel arena per tres horas, poſt refrigerationem fiat colatura cum leni expreſſione. Hujus decocti ℞. uncias quatuor, & empyematico exhibe. Qui harum potionum varios concinnandi deſiderat modos, noſtram *Pyrotechniam* videat.

Quam maximè *Antimonium diaphoreticum* convenit, quotidiè bis aſſumptum, quia omne apoſtema interius ubicumque ſitum eſt, efficaciſſimè, ſed lentè tamen conſumit.

Conveniunt medicamenta, quæ ex ſulphure parantur, ut *eſſentia, balſamus, ſive tinctura, rubinus, lac, butyrum, cremor*, ſed præcipuè *balſamus ſulphuris terebinthinatus.* Ex floribus fiunt rotulæ, ut ex *floribus etiam benoini*, ut

℞. Flor. ſulphuris,
vel benoini ʒ. j. ß.
ſpec. diatragacanth. frigidi,
diaireos ana ℈. j.
bol. armeni ℈. ij.
ſem. papav. alb. ℈. ß.
ſacch. opt. ſolut. in
aqua roſ. ℥ iij. f. rotula.

Nos uti ſolemus *juribus conſumptis ex cancris fluviatilibus paratis, additis limacibus probè purgatis, ſantalo rubro, conſolida, rhapontico, quibus interdùm teſtudinem unam, vel alteram addimus.* Utimur etiam *jure conſumpto viperarum.* Debet continuò ſumere æger *ſantalorum rubrorum conſervam, & ex illis aquam paratam* bibere.

Cùm oritur affectus à lue Venereâ, juri conſumpto addendum eſt *gummi guajacum*, & parum vini, ad hoc ut balſamus guajaci juri adhæreat, & ſumere poteſt æger ℈. j. quòd ſi habeatur nativum, (ut nunc apud nos magna proſtat ubertas) quod ab inciſione arboris fluit, melius eſt, quia non habet partem menſtrui ſulphurei, quod morbo adverſatur; ſpiritus enim vini, quo gummi guajacum extrahitur, maximè huic affectui nocet, acriorem, & ſubtiliorem ſanguinem reddens, ut etiam aromata, & medicamenta purgantia; conferunt tamen forſan vomitiva ex ſale vitrioli parata, ſed miracula illa non efficiunt, quæ ab *Angelo Salâ* & aliis jactantur. Doſis ſit ℈. j. vel alterius pondere, & exhibeatur,

ità ut vomitum, ſi poſſibile eſt, ſolùm excitet, neque adhibendum eſt ægrotis debilibus. Juvat *papaveris ſemen, & opiata ex illius lacrymâ parata, præſertim pilulæ de cynogloſſâ*, ex eo quia ſanguinem incraſſant, ſomnum conciliant, & acredinem quodammodò depriment; ſed reverà hæc remedia omnia medicis magis conſulunt, quàm ægrotis: palliativa enim ſunt, & requiem aliquam parare videntur. Quapropter ægrotus medico fidem adhibeat, & ſperet ſe ab ulterioribus remediis convaliturum.

Juvant præcipuè aliquandò antipleuritica, quæ ſuo tempore adhibita forſan ægrotum reſtituunt.

Advertendum tamen, quòd cùm affectus hic oritur ex lue Venereâ, non eſt deſperatæ ſalutis, & interdùm à lue Venereâ non videtur proficiſci, ex eo quia parentes contraxerunt luem, & illius ſemina filio communicaverunt, à quibus ſuo tempore empyematis fructus prodiit; quapropter in hoc deſperato affectu ſemper tentanda ſunt remedia affectui adverſantia. Sed de hoc affectu opiparè de *lue Venereâ* egimus, & propriè *De Tabe ex venereo fermento productâ*.

Mirantur aliqui medici, quomodò guajacum acre, & mordax cùm ſit, huic affectui ſuccurrat, qui ab acribus generatur? Sed multoties ortum habet à lue, & guajacum balſamicum eſt, diaphoreticum, & vulnerarium, undè non ſemper ex nobis notis qualitatibus examinanda ſunt remedia; Urtica namque & burſa paſtoris ſunt acres, & tamen ſanguinem fluentem ſiſtunt.

Cap. V.

De Tuſſi.

Tuſſis multorum morborum ſymptoma, ut eſt aſthmatis, empyematis, pulmonis hydropis, pleuritidis, phthiſis &c. in cujus deſcriptione non multùm hæremus, cùm nullus unquàm inveniatur homo, qui eam ſæpiſſimè patiatur, eſtque homini tàm familiaris, ut etiam infantes & recèns natos fatiget, & abſque illius inſtitutione eam brevi addiſcant. Eſt ergò tuſſis motus naturalis pulmonum, aſperæ arteriæ, muſculorum thoracis, & diaphragmatis à materiâ inſtitutus ad reſpirationis organa per excuſſionem repurganda à pulviſculis, & aëreis atomis cum reſpiratione quotidiè hauſtis, undè quoties natura irritata videtur ab aliquâ causâ morbificâ circa thoracem, internas ejuſque partes exiſtente, motu convulſivo quærit, & tentat illam à pectore eliminare, & plurimo ſpiritu, magnâ vi foràs elatoeam extrudere conatur, & quia inepta eſſe ſolet materia moleſtans, primo impetu, & exſpiratione eam expellere nequit, tunc bis, ter, & ſæpiùs id tentare non deſinit, donec magnâ ſaltem ex parte intentum conſequatur finem, cùm conamen illud toties repetatur, quouſque ea materia propellatur. Sicut enim in ſternutatione cerebrum, in ſingultu, & vomitu ventriculus; ità in tuſſi thorax inſurgit,

&

& plurimo ſpiritu in pulmonem immiſſo, foràs iterùm celerrimè exploſo, atque impetu quodam id, quod moleſtum eſt expellere conatur. Etenim aſpera arteria, & ejus ramuli per pulmonum ſparſi, tunicâ intùs obducti ſunt, cui exquiſita vis ineſt ſentiendi ea, quæ moleſtiam pulmoni creant, ità ut minimum quodque in aſperam arteriam illapſum ſtatim ſentiat; atque ità tuſſim nihil excitat, niſi quod hanc membranam, quæ intùs aſperam arteriam, ejuſque ramos inveſtit, afficit: Sic igitur irritatus pulmo non ſolùm ipſe movetur, ſed & in auxilium thoracis muſculos, & diaphragma ſibi adſciſcit, & quod ſibi moleſtum eſt, expellere nititur. Eapropter tuſſis non ad veras refertur convulſiones, ſed ad convulſivos pectoris motus.

Tuſſis una eſt voluntaria, altera verò coacta; tuſſis nàmque cùm fiat per muſculos, imprimis diaphragma, qui muſculi thoracis certo modo voluntati obediunt, eſt actio media, ſeu miſta, partim animalis & partim naturalis: hinc fit, ut pro voluntatis imperio variè exſpirationem alterare, & ſic etiam tuſſim provocare queamus. Non raro tamen nobis nolentibus admodùm contumaces fiunt tuſſes, quæ ſunt præternaturales, & conſiderationi medicæ ſubſunt.

Duplicis autem generis tuſſis deprehenditur, nimirùm ſicci, & humidi. Sicca tuſſis eſt, quoties magno, & multò labore nihil excernitur, ſed irrito tuſſiendi conatu corpus univerſum concutitur, & defatigatur, quâ tuſſi inani, ſeu ſiccâ non raro tàm capitis, quàm hypochondriorum, aliarumque partium dolores contundentes, & lacerantes oriuntur. Ad hanc tuſſim ſiccam reducitur tuſſicula, in quâ æger ad tuſſim quidem ſtimulatur, & creberrimè tuſſit, ſed nihil excernit. Tuſſis humida eſt quandò concuſſionis iſtius ope humores, ſanguis, pus, lympha, mucus tenax, vel pituita tuſſiendo excreatu ejiciuntur, ex quocumque loco proveniant talia.

Differentiæ tuſſis ſunt, alia humida, vel ſicca, alia recens, vel vetuſta, alia per eſſentiam, vel per conſenſum.

Signa.

Tuſſis ſigna adeò ſole clariora ſunt, ut per ſe manifeſta ſint, & quandòque ità valida, & frequens eſt, ut ſi velit æger eam cohibere, nullatenùs ſimulare valeat; Undè proverbium emanavit, tuſſim, & amorem cælari non poſſe, quaderè citra ægri confeſſionem ab ipſamet medicus fit certior. Verùm cùm cauſæ, à quibus excitatur, variæ ſint, omninò ſignis opus eſt, quibus illæ cognoſcantur, nè Empiricorum more cum ægri pernicie cuilibet tuſſi quodvis remedium applicetur.

Si itàque à causâ occaſionali frigoris oriatur tuſſis cohibito ſpiritu, non ſolùm reprimitur, ſed etiam curatur: auctus enim tùm in organis calor occaſionalem frigoris cauſam corrigit, & æger calidis juvatur, ut cibo, & potu calido, & frigido læditur. Si à calore, ſitis moleſta eſt, quæ potiùs aëris frigidi inſpiratione, quàm potu ſedatur: calor circa pectus percipietur, aderit faciei rubedo, & pulsûs magnitudo.

Si tuſſis fuerit ſicca cognoſcitur à faucium aſperitate, & ſiccitate, ac à tuſſis parvitate, & ſicut tempore famis exacerbatur, & tempore repletionis, vel alterius humectationis ſedatur, & nihil expuitur. Signa humidæ tuſſis, ideſt illius in quâ expuitur, ſunt humiditates illæ, quæ educuntur interdùm copioſæ, quæ ſi frigidæ fuerint, cognoſcuntur ex ſitis paucitate, colore vultûs, temperamento frigido, & ſenili, & juvamento à calidis.

A catarrho tuſſis proveniens è ſignis catarrhi ſuprà propoſitis patet, & cauſis ut vehementior, & perſeverans, quandòque adeſt loquela rauca, & quandòque ità abolita, ut vix percipi queat. Si citra catarrhum à materiâ in pectore contentâ tuſſis concitetur, aderunt tales morbi, quos tuſſis concitatur, ut pleuritis, peripneumonia, empyema, phthiſis, pulmonis hydrops, grandines, calculi, vermes, & alij ſimiles morbi; in quibus materia tuſſim excitans in pulmone colligitur. Si aſperitas à cauſis externis inducta ſit, ut à fumo, pulveribus, cibis, vel medicamentis exaſperantibus, illæ per ſe patent. Si denique morbi extra thoracem, pulmonem in conſenſum trahendo quocumque modo, tuſſim inducunt, ex propriis illorum morborum notis cognoſcuntur, ut eſt ventriculi hydrops, hepatis, lienis tumores, inflammationes &c.

Veterum Cauſa.

Bardi vulgares putârunt intemperiem ſolam ſine materiâ tuſſim excitare, ſed leviorem, quàm cum materiâ; frequentiſſimè tamen, & majorem tuſſim intemperiem frigidam parere, quia frigus eſt pectori inimicum. Siccitatem præcipuè cum frigiditate conjunctam exaſperando, & irritando tracheam tuſſim excitare aquilonares conſtitutiones demonſtrant. Excitat etiam tuſſim intemperies calida, ut in febribus ardentibus obſervatur. Humiditatem quoque tuſſim excitare patet: Tuſſis itàque ab his intemperiebus excitatur, quoties nihil expuitur, & tuſſis arida, vel ſicca dicitur, quæ fauces tracheam, & pulmones exaſperat, nullo humore in his partibus exiſtente.

Vel fit tuſſis ab intemperie cum materiâ, quæ in aſperam arteriam, & pulmones incidit. Hæc materia varia eſt, ut humor pituiroſus in cerebro collectus, qui in aſperam arteriam, & pulmones depluit, & defluit, ac tuſſim excitat. Aut humor in his locis præternaturam continetur, ut in phthiſi, peripneumoniâ, & vomicâ pulmonis. Vel ab aliis vicinis partibus communicatus, ut in pleuritide, & pectoris hydrope fieri ſolet. Huc pertinent grandines, calculi, ac vermiculi in pulmone geniti, vel res externæ in tracheam illapſæ. Vel ad hos partes aliundè irruit, ut ſanguis è vaſe in pulmone rupto profluens, vel è vicinâ aliquâ parte vulneratâ, vel eroſâ in pulmones irruens. Vel excitatur tuſſis, hepate, liene, ventriculo intumeſcente, vel inflammato, ut & in hydrope, quia vapores aliqui ad reſpirationis organa tranſmittuntur, eaque ſive obſtruunt,

ſive mordicant; idque etiam in febribus accidere ſolet.

Galeniſtæ ſemper in qualitatibus, ſicut ſuos volutantur in cœno, & eorum medicina facta eſt caloris, frigoris, humiditatis, & ſiccitatis eloquium: Verùm intelligere non poſſumus, quomodò hæ crudæ qualitates omni viduatæ materiâ, & à corporibus abſtractæ agere poſſint, & tracheam, ac pulmonem irritando, tuſſim excitare. Sunt hæ qualitates immateriales, ac proindè in materiam agere non poſſunt, cùm inter materiale, & immateriale nulla detur proportio. Prætereà intemperies calida habet calefacere, humida humectare, & lenire, frigida frigefacere, & ſicca exſiccare, non verò tuſſim excitare, aliter febricitantes omnes, hydropici, frigidi, ut ſenes, & atrophici perpetuò tuſſirent, quod falſum obſervamus.

Quod de intemperie cum materiâ conjunctâ dicunt, & hanc eſſe humorem pituitoſum in cerebro collectum, & in aſperam arteriam, deindè in pulmones depluere; & tuſſim excitare aſſignant; etiam falſum deprehendimus; probavimus; namque in aſthmate, & in noſtrâ *Anatome cap. De Aſperâ arteriâ & Larynge* nil potulenti per epiglottidem in pulmonem ingreſſum habere, & penetrare poſſe abſque ſuffocationis periculo, vel ſaltim magnâ tuſſi antequàm penetret non ejiciatur. Ideòque nè aliqua ſubſtantia præter aërem in aſperam arteriam, ejuſque ramulos per pulmones diſperſos ingrediatur, caput aſperæ arteriæ epiglottide, ſeu operculo quodam ſapientiſſimus rerum opifex munivit, ut hic quidem aëri ingreſſus pateat, à cibi verò, potûſque pondere depreſſum eſculentis, & potulentis aditum deneget, nè ex cibo, potuvè in tracheam aliquid decidat, ſed clausâ epiglottide, in gulam cibus, & potus abeant. Quid tamen ſi fortuitò fiat, ut interdùm inter loquendum, & ridendum, & infantibus inter lac ſugendum accidere ſolet, ſuffocationis periculum indè imminet: à quo, ut natura ſeſe excipiat vehementiſſimam tuſſim excitare ſolet, quæ perſeverat, donec quod indebitè ingeſtum eſt, rejciatur, quod ſi non eveniat, mors præ foribus adeſt. Provideant igitur helviones, nè inter hanc rimulam cibus, vel potus ſe inſinuet, alias ſuffocationis periculum ſubeunt. Nota eſt *Val. Max. lib. 9. cap. 12. de Anacreonte* hiſtoria, qui cùm ſeniles vires ſucco paſſæ uvæ reficeret: unius acino, qui faucibus hærens, nec demitti, nec revocare poſſet, guttur premente, ſuffocatus obijt. Itèm *Fabius Senator* in lactis hauſtu uno pilo ſtrangulatus eſt. Jàm ſatis demonſtravimus nil à capite ad laryngem, vel pulmonem depluere, quod frequenter, & copiosè tamen per tuſſim excreatur; adeò ut nec locus fictæ deſtillationi, vel catarrho ſit integer.

Noſtra Cauſa.

Tuſſis cauſa eſt quicquid pulmones, aſperam arteriam, & quidèm tunicam, quâ intùs inveſtiuntur, moleſtat, & irritat. Irritationis locus vel eſt in aſperâ arteriâ, quæ ſenſibiliſſima eſt, præſertim quoad internam tunicam eandem inveſtientem; vel in œſophago, qui aſperæ arteriæ eſt connexus; vel in ipſis muſculis reſpirationis, aut in nervis eos moventibus.

Aſperæ arteriæ irritationes variæ ſunt & ex externis, quicquid cum aëre inſpiratur, & aſperæ arteriæ tunicam exaſperat, & irritat, huc imprimis pertinet pulverulenta inſpiratio, vel acida, vel fumoſa, quarum quælibet crebriùs in operationibus, & deſtillationibus Chemicis contingit, pulverem enim volatilem carbonum, cinerum, retu nque ſuarum calcinatarum, vel ſublimatarum halitu intremittunt, ut & vapores minerales acidos, aquarum fortium, metallorumque fumos à furnis aſcendentes. Item pulvis ex lino, dum pectitur, ex veteri tritico, dum cribro excutitur. Hæ acidæ, fumoſæ, vel pulverulentæ inſpirationes, & effluvia pertinacem, & intenſiſſimam excitant tuſſim, quia particulæ acidæ, & corroſivæ inſignitet ſunt aculeatæ, aſperam arteriam pungunt, quâ punctura oritur tuſſis. Similiter quicquid extrinſecus hauſtum aſperam arteriam irritat, tuſſis cauſa eſt: hinc quoties vel minutiſſima gutta potûs, parva mica panis, vel alterius edulii, aut ſimile quid, nobis invitis in ſpiritûs meatum illabatur, ex irritatione pertinacem concitat tuſſim ex modò dictâ ratione.

Inter irritamenta, quæ extrinſecus propter aëris inclementiam hyberno tempore hauriuntur, aër frigidus, regio Septentrionalis, hyems, venti boreales recenſentur; de quibus teſtimonium perhibet *Hippocrat. toto libro 3. aphoriſm.* & tùm maximè *libro de aëre, aquis, & locis.* Adeſt quandoque ſingulare in aëre vitium, & tuſſis epidemicè graſſatur, de quâ *Schenckius lib. 2. obſ.* de tuſſi habet exemplum tuſſis admodum ferinæ Romæ epidemicè graſſantis. Prætereà vigiliæ, nimiæ repletiones, potus valdè frigidus, quia ex *aphoriſm. 24. ſectio. 5.* habetur: *frigidum, ut eſt glacies, & nix, eſſe inimicum pectori, & tuſſim excitare.* Cibi nimiùm adſtringentes, nimiùm acres, ut piper, pirethrum, ſorbum, cytonium, dum in ſtomachum feruntur per œſophagum, ſpiritalibus viis eorum adſtrictionem, & acrimoniam impertiuntur, & tuſſim excitant.

Inter internas cauſas aſperam arteriam irritantes primum ſibi locum vendicat lympha nimis acida, vel nimis ſalſa, pro quâ notandum, quòd juxta tracheæ annulos ſitæ ſunt glandulæ, quæ pro membranæ humectatione continuò lympham pro faciliori vocis formatione ſuppeditant. Quando itaque ex catarrhi vitio lympha eſt nimis acida, & inde ad interiorem aſperæ arteriæ tunicam defertur, eam non poteſt non irritare, & contumaces tuſſes non excitare. Quandoque lympha eſt ſalſa, ut ex ſalſo oris ſapore innoteſcit, aſperam arteriam vellicat, & tùm excernitur, & tuſſim excitat. Tuſſis ex lymphâ acida, & ſalsâ nocturna eſſe ſolet; ſolet namque nocturno tempore ægros vexare, alio autem tempore parùm, aut nihil tuſſiunt: imò ſæpiùs lenta febris tunc temporis ægros fatigat. Prætereà cùm ægri circa veſperam lectum ingrediuntur, tuſſis ingraveſcit, quia acidæ, vel ſalinæ particulæ anteà immotæ jacebant, nunc à levi calore magis agitantur, & in ſpiritales impelluntur

ductus

ductus, ſic has irritant partes, & tuſſim efficiunt.

Locus irritationis quandòque eſt œſophagus, qui ſatis frequens eſt, & tamen parùm à medicis expenditur; œſophagus nàmque irritatus dat tuſſim, quia cum aſperâ arteriâ connectitur, ubi trachææ annuli deficiunt, & eſt pars membranoſa, & hinc facillimè irritatur aſpera arteria contigua, & ità per conſenſum fit tuſſis: dum enim aquam bibimus, aut aliquid aliud ſpirituoſum, eo tempore, quo per gulam tranſit, excitantur tuſſes. Similiter dum admodùm acida aſſumimus, ut exactè claudatur larynx, tunc obſervamus tuſſiculam, nunc leniorem, nunc aſperiorem, prout plùs, vel minus aſpera irritatur arteria.

Solet quandoque ſtomachus irritatus tuſſim excitare ferinam, & præcipuè quandò vitium circa orificium ſuperius hæret, quod diaphragmati connectitur: materia iſta ſæpiùs eſt tenuis, & ſalſa, raro craſſa, & tamdiù hæret orificia, donec pertinaci tuſſi concuſſus ſtomachus contenta eructet. Imò omnes infantium tuſſes ſemper in ſtomacho cauſam habent. Quandòque in febrium intermittentium paroxyſmo pertinaciſſima oritur tuſſis, & hæc ex ſtomacho ſuam cognoſcit geneſim, dùm fortis effervescentia in inteſtino duodeno fit, imprimis ex concurſu ſucci pancreatici, & bilioſi in principio paroxyſmi, tunc elevantur halitus acres, qui dùm ſtomachum vellicant, per hujus conſenſum cum diaphragmate iſtam excitant tuſſim. Qui in febrium intermittentium paroxyſmo tuſſes patiuntur, ordinariò ſunt hypochondriaci, & eorum ſtomachus plurimo abundat acido.

Tandem irritatio fieri poteſt in ipſis muſculis motis, aut in nervis eos moventibus, & ſic tuſſis excitari, quæ per conſenſum dicitur, & ſemper fit ſalvis pulmonibus, & tuſſis convulſiva dicitur, quia partibus nervoſis irritatis, & vellicatis ſpaſmodicæ criſpaturæ inferuntur, undè convulſiva oritur tuſſis.

Solet utplurimùm tuſſis ab aëris inclementiâ excitari, & præſertim ex repentinâ ejus mutatione ab uno extremo in aliud; cùm enim corpus humanum eſt valdè calefactum, pori cutanei valdè pateſcunt, per quos inſenſilis tranſpiratio celebratur: cùm itaque tale corpus excalfactum frigido ſeſe exponit aëri, multæ aëris particulæ in cutaneos poros apertos ſeſe inſinuant, eoſque anguſtant, quadere inſenſilis tranſpiratio ex parte inhibetur, & avolantibus per conſtrictos poros particulis ſubtilioribus, craſſiores remanent, quæ poſteà perpetuò ſubtilium particularum tranſportatione magis, magiſque craſſeſcunt. Si tunc materia hæc craſſa in muſculis, & membranis pectoris, & pulmonis hæret, nimiâ aciditate ſuâ, quam per moram acquirit, muſculos, & nervos vellicat, & tuſſim inducit.

Omne tandèm, quod irritat, & laceſſit aſperam arteriam, œſophagum, ſtomachum, muſculos thoracicos, & diaphragma tuſſim excitare diximus, & ex hac irritatione in harum partium tunicis lympha in acidam, ſalſam, vel inſipidam degenerat, & à partibus renuitur, & vellicatione tuſſim excitat;

vel

vel harum partium vitiatur digeſtio, & hinc humor nutritius depravatur, & in liquamen, mucum craſſum, & viſcidum tranſit, & tunicas incruſtans vellicat, ac tuſſes producit.

Prognoſis.

Tuſſis levis quidèm eſt affectus, & faciliter advenit, atque etiam non difficulter in junioribus robuſtis, & aliàs benè diſpoſitis, rursùs abit, ac pro ndè per ſe lethalis non eſt morbus: lethalis tamen eſſe ſolet, dùm alios comitatur morbos, ut pleuritidem, empyema, phthiſim, hydropem &c. Si frequens ſit, & diù duret, contemnenda; & negligenda non eſt, plerùmque ſanguinis ſputum inducere ſolet, vel propter vehementem thoracis motum, à quo ruptura vaſorum pulmonis fieri poteſt, & hoc præcipuè in adultis, quorum membra duriora concuſſionis violentiæ non facilè cedunt. Vel radicem figens abſque pulmonum læſione vix recedit, quippè continuâ concuſſione tandem exaſperatur, & incaleſcit tuſſis materia, & tempore progrediente acredinem, & ſalſedinem aſſumit, ac vaſa, & pulmonum veſiculas corrodit, undè ſputum ſanguinis, poſtmodùmque exulceratis, ac ipſa phthiſis. Si materia tuſſi non ejiciatur, intùs putreſcit, & tunc vel febrem putridam, ut dicunt, vel ulcus, & phthiſin gignit.

Tuſſis infantium, & adultorum vehemens, & diuturna rupturam, & herniam inteſtinalem infert: Sicuti non rarò magno conatu aliquandò vomitum protitat, & quandòque urina, aut etiam alvinæ fæces involuntariè protruduntur. Diuturna quoque, & violenta tuſſis in prægnantibus periculo non vacat; plerùmque enim abortum efficere ſolet. Infantium tuſſes diuturnæ, & vehementes, peſſimæ, quia reſpirationem, & ſomnum impediunt: ſæpè ex nimiâ concuſſione febres acutas, & epilepſiam excitant.

Tuſſis quæ anteà humida erat, ſi extemplò in ſiccam deſinat cum pulmonis gravitate, pulmonum exulcerationem minatur, & indè periculoſa eſt. Sicca tuſſis cum febriculâ, & quidèm ſi à cibo ingraveſcat, & æger nil expuere poteſt, febrem arguit hecticam. Si tuſſis diù perduret, & ſputum cohibeatur, perniciofum; nàm materia retenta putreſcit, & pulmones erodit, & exulcerat, undè ſequitur phthiſis, quæ mortem ante oculos ponit. Periculoſa eſt tuſſis, quandò eſt antiqua, vel acris, vel ſalſa materia excreanda, quia tunc pulmones, & vicinas partes exulcerate valet. Tuſſis vehemens interdùm ſuffocat, non tàm re aliquâ obſtruente, quàm iteratâ ſine intermiſſione, validâ efflatione, & quod aër inſpiratus, priuſquàm ad cor perveniat, è pulmone mox iterùm eliditur. Si hydropico tuſſis ſuperveniat, mors proxima eſt, nàm *aph.* 47. *ſect.* 7. habetur. *Aquâ inter cutem laborans, ſi tuſſi corripiatur, deſperatus eſt.* Seroſa enim humiditas ità tùm augetur, ut contineri tota in abdomine nequeat, ſed pars quædam in thoracem, & aſperas pulmonis arterias tranſponatur. Tuſſes à catarrhis in ſenibus periculoſæ ſunt, quia in his non maturantur, undè eos ad mortem uſque comitantur.

Tuſſis, quæ ex vicinarum partium

tium conſenſu fit, per ſe periculoſa non eſt, ſed ſublatis illis morbis, earumque cauſis, tollitur. Tuſſis cum modico conatu, alleviatione, multâ, & veloci expulſione, ſine labore, & fatigatione, abſque periculo eſt.

Veterum Curatio.

In tuſſis curatione primum concedimus locum noſtris Reverendis Barbatis, tanquàm inſignioribus in arte necandi, ac proindè ſi à nudâ intemperie tuſſis fiat, ſolâ victûs ratio in rebus non naturalibus magnoperè conducet, ità tamen, ut contrariis facultatibus ſit ſemper intemperiei oppoſita; undè ſi fiat tuſſis à frigidâ intemperie, aër calidus parandus eſt, juvat clamare, legere altâ voce: ad hæc prodeſt ſpiritum, quantùm fieri poteſt, retinere, cujus ratio eſt, quia ſpiritu retento magis caleſcunt pulmones, & pectus. Similiter prodeſt vini generoſi, aromatum, & ciborum calidorum uſus, ut nucleorum pini, amygdalarum, nonnulli commendant nuces aſſatas, & juvat etiam linteaminibus collum circumdando calefacere. Contrà, ſi à calidâ intemperie fiat, aër eligendus eſt, animi, & corporis quietem, taciturnitatem, frigidam potandam; & cibos frigidos ingerendos eſſe præcipiunt. Si à ſiccâ intemperie ortum ducat tuſſis, victus ſit humidus, convenit ante omnia lactis uſus. Convenit prætereà malva, potus aquæ hordei, ova ſorbilia, pilulæ bechicæ continuò ſub linguâ, & inter alia eff. runt balnea aquarum dulcium, & per epi ra im guttur, & aſpera arteria exſiccata irriganda. Si tandem tuſſis ab humidâ intemperie perveniat, moderatiſſimè, & citra ullam acrimoniam exſiccant.

Hanc medendi methodum pro tuſſis, aliorumque morborum curatione catus ille *Galenus* græcalico logiſmo in medicinam introduxit, innixus illi bardo axiomati æquè ruſticis noto: *contraria contrariis curantur*; opinatus nàmque fuit omnia corpora naturalia ex quatuor elementorum connubio prodire, & omnes eorundem activitates primis elementaribus qualitatibus conſignavit, quas ſicut contrarias invicèm aſſignat, omniumque corporum activitatem vi contrarietatis ſuſtentare putat, ità etiam omnia medicamenta vi ejuſdem contrarietatis agere, & morborum curationes perficere ſuadetur, cui doctrinæ omnis vulgarium ſynagoga ſe ſubſcribit. Hinc in tuſſi mente concipere non poſſumus nudam intemperiem tuſſis effectricem, contrariam eique oppoſitam qualitatem eandem curare, cùm iſtam nudam qualitatem, ſeu temperiem nullatenùs abſque ſubjecto, & à ſubjecto ſecretam naturaliter dari impoſſibile arbitremur, & ſicut miraculoſum eſt accidens ſine ſubjecto exiſtere, ità intemperiem nudam dari. Prætereà nudæ intemperiei nuda qualitas corriſpondere debet, quòd aliter in curatione præſcribunt vulgares, ac proindè hæ tuſſes à nudâ intemperie nullo modo dantur.

Pro tuſſi, quæ ab intemperie cum materiâ conjunctâ fit, tùm ad materiam fluentem à capite in pectus, cùm fluxam curationem dirigunt. In fluentem omnes intendunt nervos, ut impediatur, quò minùs in pectus præcipitetur.

Materiam fluentem intercipiunt,

vel in aliam partem à pectore avocant, vel ad motum tardam, & inertem reddunt. Materia fluens à capite frictionibus, ligaturis, cucurbitulis ſcarificatis, & non, errhinis, clyſteribus avocatur, & præſertim cauterijs, quandò alia non profuerint remedia, quæ vel in brachiis, vel ſupra commeſſuram coronalem, aut in occipitio aperiunt, & hic eſt modus, quo fluentem à capite materiam avocant. Cæterùm materia fluens ad frictionum, ligaturarum, & cucurbitularum lanienam extrinſeco imperanti non auſcultat, nec citata comparet, ut proſcribatur. Nec cauteria proſunt, imò obſunt, quia caput intemperant, infirmant, & magis obnoxium fluxionibus reddunt. Eandem intercipiunt materiam, pigram, & motui ineptam reddendo, & hoc modo reddita nullatenùs fluit, nec moleſtat: eam medicamentis dulcibus, refrigerantibus, & viſcidis, ad id conſequendum, compediunt. *Diacodion* ſummopere commendant tàm in formâ liquidâ, cùm in rotulis, itèm *ſyrupum de papavere albo*, *pilulas de cynogloſsâ*, quæ fluentem à capite ad pectus materiam incraſſant, & tuſſes demulcent.

Optima ſunt hæc medicamenta, & præcipuè pilulæ de cynogloſsâ, quibus nos etiam utimur, ſed magnâ indigent cognitione de tempore, quandò conveniunt, nàm quandoque hos multos ſuffocâſſe ægrotos obſervavimus; nàm humores fluentes incraſſando procedunt, quòd ſi quandòque in pulmones bronchia talis humorum craſſities defluxa ſit, talium pilularum uſu magis craſſeſcit, in gluten dureſcit, & adhærens, obſtrictis bronchiis, ſpiritum præcludit.

Magnopere *ſpecies diatragacanthi* tanquam utiliſſimas in compeſcendâ tuſſi commendant, tàm ſub formâ rotularum, quàm morſularum noctù ſub linguâ detentas, liquefactas, ac ſenſim, ſenſimque deglutitas, ut in aſperam defluant arteriam, ſed toto errant cœlo, ut ſuprà diximus, cùm in aſperam arteriam nihil præter aërem ingrediatur, & omne aliud illi eſt exoticum, & hoſtium ad tuſſim irritans.

Pro materiâ fluxâ eam per tuſſim evacuare ſtudent, quæ evacuatio peculiariter pectus reſpicit; propterea ut hanc evacuationem inſtituant, materiam præparent oportet, quæ ſi frigida ſit, ſic præparant;

℞. *Syr. de hyſſopo*,
praſſio,
jujubis ana ℥. *j.*
diacodii ℥ *j.* ß.
aq. tuſſilag. ℥. v. *m.*

& cochleatim pro lambitivo ſumatur. Pro materiâ calidâ

℞ *Syr. violacei*,
Syr. de liquiritiâ.
de tuſſilagine ana ℥ *j.* ß.
looch ſani, & experti,
de pulmone vulpis ana ʒ *iij.*
aqua hordei ℥ v.
m. pro lambitivo.

Præparata materia frigida, neceſſe eſt, ut purgetur, pro quâ

℞ *Pilul. de agarico*,
cochiarum ana ʒ *j.*
m. & cum ſyr. de hyſſopo
f. pilul. vii. *& deaurentur.*

Quòd ſi æger malit medicamentum purgatorium in formâ potûs

℞ *Decoct. pectoralis* ℥. v.
infunde rhabarb.

dein-

deinde f. expreſſio, & diſſ.
mellis violati ſolut. ℥ v.
elect. de pſyllio ℥ iij.
m. f. p.

Materiam calidam ſic evacuant:

℞ *Myrob. citriner.* ℥ ij.
ſemin. carthami ℥ iij.
paſſular. ℥ß.
flor. cord. p. j.
f. decoctio, &
in ſuff. quantitate
diſſolu. Manna Calabrina ℥ iij.
vel IV.
& f. potus.

Vel in formâ boli:

℞ *Caſſia recèns extracta* ℥ j.
agarici trochiſcati ʒjß.
m. cum ſacch. & f. bolus.

Verùm hæc medicamenta per alvum purgant, & totum reſpiciunt corpus, & nullatenùs pectus, nam nullum medicamentum habemus, quod à pectore purget.

Purgato corpore, cùm ea, quæ faciunt tuſſim, neque per alvum evacuari poſſint, neceſſe eſt ſenſibiliter per tuſſim peccantem materiam educere, ac proinde ea medicamenta, quæ ſputum promovent, adhibent, ut eſt *Syrupus glycyrrhizæ, ejuſque ſuccus inſpiſſatus, diatragacanthum, lohoch ſanum, & expertum, de pulmone vulpis, de pino, de ſcillâ, diapenidium*, deindè varios præſcribunt ſyrupos expectorantes juxta materiæ calidæ, vel frigidæ qualitatem, pro frigida ſunt *ſyrupi de hyſſopo, praſſio, glycyrrhizâ, capillorum Veneris, calaminthæ, de ſtœcade, oxymel compoſitum, ſcilliticum, mel roſatum.* Pro calidâ *ſyrup. violarum, papaveris, de jujubis, nymphæâ*, quibus *aquas hordei, vel glycyrrhizæ, capillorum Veneris, praſſii, calaminta, vel ſcabioſa* admiſcent. Nonnulli magnificant *hordei decoctum cum medicâ ſacchari quantitate paratum*, ſi propter nimiam irritationem fiat tuſſis. Si verò tuſſis fuerit antiquata, & ratione acrimoniæ ulcerationis periculum timetur, in tali caſu *Aëtius* laudat *ficus ſiccas in vino dulci madefactas*, & unà cum vino devorandas exhibet, vel *ſtyracem*, ſi avellanæ magnitudine fuerit devoratus.

Præter hæc interna externas emollientes adhibent inunctiones, ut *unguentum dialthea, oleum lini, amygdalarum dulcium, butyrum recens, axungiam anatis, anſeris, vel gallinæ.* Verùm hæ inunctiones pectoris poros ſuâ craſſitie, & unctuoſitate obſtruunt, & inſenſilem pectoris evacuationem impediunt, ac tuſſes adaugent. In diuturnâ, & contumaci tuſſi ad chinæ decocta confugiunt. Tandem in deſperatâ ad cauteria tùm actualia, tùm potentialia, & veſicatoria recurrunt.

Noſtra Curatio.

Pro tuſſis curatione exa à victûs ratio requiritur, & hanc, ut rectè procedat, à ſex rebus non-naturalibus deſumamus oportet, hinc

Aër temperaus, & ad ſiccum vergens ſeligatur, vitetur tamen quicumque aër frigidus, impurus, nebuloſus, fumoſus, & vaporibus refertus.

Cibus eligatur concoctu facilis, optimi nutrimenti, necnon in quantitate mediocris, vel potiùs ad paucitatem inclinans, ſed ille ſit temperatus, leniens, & pectus dilatans, ut blandis ſuis particulis partes mem-

branoſas demulceat. Vitentur cibi acres, ſalſi, aromatici, acerbi, acidi, qui ſerum fluxile reddunt, ab acribus enim, ſalſis, & acidis ſuccis fit harum partium vellicatio, eroſio, & ulceratio.

Potus ſit decoctum hordei cum paſſulis, & ficubus, vel *decoctum pectorale à Joanne Zuvelfero deſcriptum*, ut

℞ *Paſſular. min. mundat.* ℥ j.
ſebeſten,
jujubarum ana num. XV.
dactylorum num. VI.
caricar. ping. num. IV.
hordei purgati ℥ j.
glycyrrhizæ ℥ ß.
capill. Veneris m. ß.
hyſſopi ʒ ij.

Incidantur, miſceantur, infundanturque in aquæ communis, ℔. IV. *coque, & deinde cola*, & pro potu ordinario utatur æger. Nocet frigidiſſimi potûs larga, & affatim facta ingurgitatio. Vinum novum, tenue, acidum, ponticum, & auſterum maximè nocet ob acidas particulas, quas in ſe continet.

Motus ſit moderatus, vitetur diuturnus, & citatus, quia laticem acriorem reddit, & illum evaſat.

Quies nimia nocet, quia ſanguinem, & lympham ad motum reddit ineptum, pituitoſos craſſos, & acres cumulat humores, & nimia ſtagnatione vitium capiunt, & in acres degenerant: motus itaque, & quies intra convenientiæ limites coërceantur.

Somnus in tuſſi ſiccâ multùm prodeſt; utplurimùm namque illum opiatis captamus, unde ſpiritales humectantur ductus, & tuſſis delinitur; & quandoque felici cum ſucceſſu eliminatur: attamen diuturnus declinetur, nè nimia excrementorum aggeratur ubertas, & tuſſis congeratur.

Vigilia in tuſſi humidâ confert, nam magna tuſſis materia in vigiliâ excreatur, quæ ſomno retinetur, cùm ſomnus omnem tollat evacuationem, attamen ſomnus, & vigilia, datâ proportione quo ad tuſſim ſiccam, & humidam, modum non excedant.

Excreta, & retenta ſecundùm naturæ ritum procedant, eapropter ſi alvus ſcybala non deponat, veſica lotium non reddat, vel menſes non recurrant, arte provitentur, nè nimiæ ſeroſitates in corpore congerantur, & inordinatæ commoveantur tuſſes.

Animi pathemata eligantur benigna, maligna verò proſcribantur, nè tuſſium ſint irritamenta.

Quoad noſtram tuſſis curationem ſpectat, ante omnia cauſa eſt removenda, & irritamentum ſiſtendum. Cauſa interna vomitu removetur, & præcipuè ſi vitium in ſtomacho foveatur, ad hoſpitantem illic viſcidam, & mucilaginoſam materiam eliminandam, permittitur *vomitorium*, & deindè ſtomachica propinantur, inter quæ optimum cenſemus *Zedoariæ decoctum in vino paratum*, aut alia ſtomachica alibi deſcribenda. Sic etiam ſi vitium ſit in pectore convenientiſſimus erit vomitus; tuſſim namque inveteratam, & antiquatam citra vomitum curari laborioſum eſt. Vomitoria quæcumque tàm ex vegetabilibus, quàm ex mineralibus uſurpari poſſunt, quæ alibi opiparè deſcripſimus; hæc namq, dùm vomitum excitant, magnam tuſſis materiam tàm proximam, quàm remotam à pul-

à pulmonibus, & aſperâ arteriâ, viâ compendiariâ cum aliis humoribus ab aliis partibus unâ extrudant.

Si æger difficulter vomat, vel ob lympham ſalſam hæmoptyſis periculum immineat, ad laxativa per inferiora recurrendum eſt, & appropriata ſunt *agaricum*; hoc enim mucum craſſum, & viſcidum purgat à thorace, & totâ ſanguinis maſſâ, & ubi in tuſſi neceſſaria eſt purgatio, nihil melius eſt agarico. *Semen carthami* eandem habet proprietatem, & in tuſſi, & pectoris affectibus craſſos viſcidos, & mucilaginoſos humores unà cum aliis potenter purgat. *Agaricum* non uſurpatur in ſubſtantiâ, ſed tantùm in infuſis, vel decoctis a ʒ ij. ad ℥ ß. verùm zingiberis pulveris admiſſione, nè vomitum, vel cardialgiam conciter, corrigatur. Vel propinari poteſt *agarici extractum, vel agaricum trochiſcatum, vel ejus pilulæ.* Semen carthami rarò in ſubſtantiâ adhibetur, ſed tantùm ſub emulſionis formâ cum decocto feniculi, aniſi, vel cinnamomi à ʒ j. ad ʒ iij.

Verùm, ut verum dicamus agaricum, & catharmi ſemen alba ſunt, & purgando, latices ſua albedine imbuunt, unde facilè vulgares à tali colore allucinantur, & aliud pro alio conſpiciunt, & hinc humores craſſos, viſcidos, & mucilaginoſos ineptè evacuare credunt, ut etiam in rhabarbaro decipiuntur, quod bilem non evacuat, ſed humores quoſcumque ſuâ flavedine tingit. Eſt prætereà agaricum arboris fungus, ejuſque ſapor in initio dulcis, mox in diſtributione in amaritudinem tranſit, & omnes arborum fungi ſunt ſuccus excrementitius non aptus arboris nutritioni, undè non mirum eſt, ſi omnes, uti etiam agaricum, conjunctam habeant malignitatem, & aliquid veneni lateat in agarico. Tandem purgantia in pectoris affectibus noxia ſunt, quemadmodùm in phthiſi, in vulneribus, aliiſque pulmonum affectibus deprehenduntur; noxia, namque excrementa in pulmonibus, & pectore per laxantia non cedunt, cùm medicamentum à tali loco purgans non habeamus, & eſtò excreationes à purgatione imminui videantur, hoc ex diminuto latice evenit, adeòque ex pauciori alimenti diſpenſatione. Inſuper purgantia in pectoris, & pulmonis affectionibus totius generale robur ſternit, eapropter plus fellis, quàm mellis habent, & denique ex purgatione lympha redditur ſalſa, & exulcerationis diſcrimen impendet.

Irritamentum tuſſim excitans præ cæteris adimunt *opiata*. & in nocturnâ tuſſi ſunt egregia appropriatis miſta; nam præterquamquòd irritationem tollunt, lympham acidam, & ſalſam potenter demulcent. Unde vulgares ad ſerum tenue temperandum, perpetuò *pilulas de cynogloſſâ* uſurpant, quæ *opium, & hyoſcyami ſemen* capiunt: ſed hæ pilulæ ſunt nimis crudæ propter crudum opium, & impræparatum *hyoſcyami ſemen*, cujus compoſitio talis eſt:

℞ *Rad. cynogloſſæ ſiccæ,*
ſem. hyoſcyami,
opii ana ʒ iv.
myrrhæ tragloditicæ ʒ vi.
olibani,
caryophyllorum,
cinnamomi,
corimbi ana ℥ ij.

m. formentur pilulæ cum aqua roſarum.

Verùm hæ pilulæ magnam opii, & ſeminis hyoſcyami doſim in compoſitione admittunt, ac proindè horum ſulphur fœtidum, & crudum in inemendabilem veternum præcipitat ægrum, vel eum dementat: debent itaque ſex menſium ſpatio fermentari, & hac fermentatione ſulphur illud narcoticum, & crudum invertitur, & matureſcit, ac tunc propinari poſſunt, & miraculi adinſtar operantur: Hinc in tuſſi tàm ſolitariè adhibentur, quàm aliis appropriatis admiſtæ, ut

℞ *Pilul. de cynogloſſâ* ℈ j.
ſucc. liquiritiæ inſpiſſati ʒ j.
ſtyracis calamitæ ℈ ij.
m. cum ſyr. de hederâ terreſtri, & f. pilulæ XII. *& deaurentur.*

Doſis pilul. IV. quas tuſſiens cubitum iturus capiat, præmiſſâ cœnulâ. *Franciſcus de le Boë Sylvius* loco pilularum de cynogloſſâ ad temperandam lympham ſalſam, & acidam ſuſtituit *pilulas de ſtyrace*, quarum compoſitionem ita deſcribit:

℞ *Styracis calamitæ,*
ſucc. liquiritiæ inſpiſſati,
olibani,
myrrhæ rubræ,
Opii Thebaici ana ʒ ß.
croci or. ℈ j.
m. & cum ſyr. papav. alb. q. ſ. f. maſſa pilularum.

Doſis gr. ij. vel iij. ſemel, aut bis quotidiè aſſumpta.

Ad eandem lympham ſalſam, vel acidam temperandam egregium eſt *Laudanum opiatum cum ſuccino, & ſpermate ceti*, ut

℞ *Succin. præp. gr.* x.
ſpermatis ceti ℈ j.
laudani opiati gr. iij.
m. cum ſyr. de papav. alb. & formentur pilulæ iij.

pro tribus vicibus noctù ſumendæ.
Vel

℞ *Flor. benzoës* ℈ ß.
ſalis volat. ſuccini gr. viij.
liquiritiæ ſucc. inſpiſſati ʒ ß.
ſpermatis ceti ℈ j.
laudani opiati gr. IV.
f. pilul. viij. *cum ſyr. de praſſio, & inaurentur.*

Doſis pilul. ij. quas cubitum iturus capiat æger. Præter hæc, quæ lympham demulcent, gummata mucilaginoſa, ut *tragacanthum*, *& gummi Arabicum* commendamus. Eandem lympham corrigunt *lapides cancrorum*, *corallia præparata*, *margaritæ*; hæc namque omnem lymphæ aciditatem adimunt, ut patet, ſi hæc in acerrimum acetum injiciantur, omnis aceti aciditas dulceſcit. Miram habet energiam ad lymphæ ſalſedinem, & aciditatem corrigendam *ſuccus glycyrrhizæ inſpiſſatus*, ac proinde ejus ſyrupus eandem vim retinet. *Tinctura papaveris rhæados, & baccharum juniperi* lympham ſalſam emendat.

Ad lympham craſſam incidendam egregiè commendamus *ſyrupos de nicotianâ, praſſio, jujubis, hederâ terreſtri, hyſſopo, de botryde*, quorum formulæ in tyronum gratiam ladducuntur, ut

℞ *Syr. de praſſio,*
hederâ terreſtri ana ℥ j.
aquæ pomor. redolent. ℥ iij.

Sumatur cochleatim.
Vel

℞ *Syr. de hyſſopo,*
capill. Ven. ana ℥ j.

oxymel.

oximell. ſcillitici ℥vi.
aquæ tuſſilag. ℥ iij. *m.*
& eodem modo propina.
Vel
℞ *Syr. de Eryſimo Lobellii*
nicotianæ ana ℥ß.
diacodii liquidi ℥ j.
flor. benzoes ℈ ß.
aqu. hyſſopi ℥ v. *m.*
ſumatur parùm, & ſæpè pro lambitivo.
Vel
℞ *Syr. de botryde* ℥ j ß.
aquæ de praſſio ℥ iij.
ſpirit. gum. ammoniaci compoſiti ℈ j. *m.*
ſumatur per epicraſim, hi namque ſyrupi, quos deſcripſimus, ſunt pectorales, & materiam craſſam incidunt, attenuant, & facilè expectoratur.

Ad digeſtionum vitia, & errores corrigendos, & ad excrementorum producta inhibenda, quæ in pulmone, aliiſque proximis partibus generantur, unicè valet *eſſentia eleni, elixir proprietatis Paracelſi*, *vel Helmontii, elixir proprietatis per infuſionem, elixir pectorale in vino enulato, balſamus Catholicus, balſamus ſulphuris aniſatus, vel ſuccinatus*; ſed quia hæc ſpirituoſa ſunt, in principio quidem tuſſim exaſperare videntur, ſi verò ad tempus continuentur, neminem ſuâ ſpe fruſtrabunt.

Hanc eandem facultatem habet oleum ſacchari tàm ſimplex, quàm compoſitum. Quidam olei ſacchari loco, coquunt ovum ad duritiem, & exempto cortice diſſectum per medium, adempto vitello, albumen induratum ſaccharo replent, & ita nonnihil perforant, & in cellâ ſuſpendunt, & per deliquium ſaccharum tranſit in oleum egregium, quod arbitramur non eſſe inconveniens. Julepus vitalis tàm ſimplex, quàm compoſitus mirificè digeſtionum errores emendat, & tuſſi medetur. Expertum remedium ſunt *flores ſulphuris, & benzoës*, ut
℞ *Flor. ſulphuris* ℥ ß.
flor. benzoës ℈ j. *m.*
& in tenuiſſimum pulverem redige, cujus ℈ ij. in ovo ſorbili manè, & veſperi cubitum ituro ægro per quatuor dies continuos propina, & miraberis effectum: flores namque benzoës, & ſulphuris vocantur balſamus pectoris, & in morbis pectus affligentibus reverà ſunt egregium remedium. Quidam omnes curavit tuſſes per pomum excavatum melle roſaceo impletum, ſupra prunas poſitum, & ita ſub noctem devoratum.

Chocolata in quacumque tuſſi, ſive mucilago in ſtomacho, ſive in pectore hæreat præſentaneum eſt remedium, nam egregium eſt ſtomachicum, & pectorale.

In tuſſi convulſivâ conveniunt ſalia volatilia, *ut ſal volatile cornu cervi, ſuccini, urinæ &c.*

Præſervatio à tuſſi mirabilis eſt in majoribus illis uvis paſſis ziziphis, quas nos Itali *Zibibo* vocamus, macerantur in vini ſpiritu, & valdè turgeſcentibus, earum una, atque altera manè, & veſperi aſſumpta à tuſſi præſervat.

Tandem ſi tuſſis ſit ſymptomatica, & ab aliis malè affectibus partibus dependeat, tunc curatio ad earum defectus primariò dirigatur.

Cap. VI.

De Sanguinis ſputo.

MOrbum illum trutinandum aggredimur, quo fortè non alius vel cognitu facilior, vel curatione eſt difficilior, ac periculoſior, cùm non ſolùm phthiſin, ſed etiam certam mortem tandem minari ſoleat; illum hic intelligimus, in quo ſanguis ex aſperæ arteriæ, & utplurimùm à pulmonum vaſis protruditur. Hic nomine grajo αἱμόπτυσις, hæmoptoë, vel hæmatoptyſis dicitur, latinè ſanguinis exſpuitionem, ſeu per os rejectionem ſignificat, & eſt affectus, in quo ſanguis ſyncerus, & majori ex parte ſpumoſus ſcreatu excernitur. Hanc affectionem ad tuſſis genera quidam referunt, & reverà utplurimùm ad vehementem, & diuturnam tandem tuſſim ſubſequitur. Verumenimverò ſanguinis per os rejectionem ſignificat, & eam etiam, quâ ſanguis à capite, naribus, labiorum parte internâ, quæ dentes reſpicit, gingivis, palato, faucibus, columella, œſophago, ventriculo, hepate, liene, pancreate, utero, & locis vicinis per os rejicitur: tamen propriè hæmoptyſis, ſeu ſanguinis ſputum, de quo hîc agimus, eſt, cùm ſanguis tuſſi ex partibus reſpirationi dicatus, ab aſperæ nempè arteriâ, pulmone, & thorace citra inflammationem rejicitur. Hinc eſtò in pleuritide, & peripneumoniâ fiat ſanguinis rejectio, non tamen dicitur hæmoptyſis, ſed cruenta ſputatio. Eſt itaque hæmoptyſis ſymptoma in genere excretorum, quæ toto genere ſunt præternaturam è pulmone & vaſis ejus; nulla namque ſanguinis rejectio eſt ex naturæ inſtituto, ſed toto genere præter naturam, & eſtò naturali er in fœminis per uterum, & in quibuſdam cùm fœminis, tùm viris ſanguis per hæmorrhoides evacuari ſoleat, tamen naturaliter à pulmone nunquam evacuari ſolet. Profluvium ſanguinis è naribus laudamus, attamen comparatione ejus ad ea, quæ ex ore prodeunt, hoc facimus, illud namque è naribus rarò noxam infert, niſi multitudine excretionis.

Hæmoptyſis autem triplici modo contingere ſolet, vel per orificiorum venarum, & arteriarum dilatationem, quæ ſanguinis receptacula ſunt, quæ dilatatio, & apertio ἀναστόμωσις vocatur, vel per eorundem diſruptionem, quæ ῥῆξις appellatur, vel per eroſionem ipſorum, quæ Διάβρωσιν nominatur, juxta vulgare diſticon:

Diabroſis venas erodit, rixis eaſdem
Scindit anaſtomoſis has aperire facit.

Anaſtomoſi etiam accenſeri poteſt Διαπήδησις ſive ſanguinis rarefactio, quando ſanguis præ raritate, & tenuitate abſque apertione oſculorum venarum poros tunicarum earum permeat, & tranſcolatur more argenti vivi, quod corio incluſum, & compreſſum poros corii vi compreſſionis extendit, & tranſcolatur abſque corii diſruptione, vel apertione.

Signa.

Quod attinet ad ſigna, hæc difficilia ſunt partis mandantis ratione, ac proinde primò inquirendus eſt locus, ex quo vas læſum ſanguinem fundit, nec

nec ſine ratione, quia in hoc curando affecta tota vis in loci affecti cognitione poſita eſt. Partis autem mittentis indicia petenda ſunt ex aliquâ prægreſſâ indiſpoſitione hujus, vel alterius partis, hujus, vel illius regione præſenſâ, nimirùm gravitate, tenſione, vel dolore quodam in hoc, vel illo loco.

Prægreſſo enim capitis dolore gravativo, auriumque ſonitu, ac poſtmodùm ſanguine cum ſcreatu rejecto, ſanguinem à capite in os confluere cognoſces, & licèt tuſſim interdum moveat, major tamen illius portio ſcreatu excernitur, & titillatio percipitur in palato, qualis ex catarrho contingere ſolet; tùm etiam palatum inſpectum ſordidatum, & cruentum apparet, & tandem omnimodam facit certitudinem, ſi eodem tempore aliquid ſanguinis è naribus ſtillet.

A palato, faucibus, tonſillis, vel columellâ prodire cognoſcitur, ſi hæ partes rubræ exulceratæ, vel cruentæ apparent, & tunc ſimplici excreatu rejicitur ſanguis.

Si à gingivis fluat, deprehenduntur tumidæ, & rubentes, ac ſi digitis comprimantur, ſanguis exprimitur.

Verùm ſi à partibus inferioribus, & naturalibus fluat ſanguis, variis cognoſcitur modis, ſi enim à ventriculo deferatur, erit grumoſus, & niger, aderit nauſea, & evomitur interdum cibis, interdum pituitæ, aut bili commiſtis abſquè tuſſi.

Si fluat ab hepate, cognoſcitur primùm, quia ſanguis fluens eſt ſubalbibus, interdum flavus, & ſemper hujuſmodi rejectionem aliquis hepatis affectus, dolor nempe, tumor, aut aliud vitium comitatur.

Eodem modo ſi à liene rejiciatur, eſt niger, craſſus, & aliquis lienis affectus, veluti dolor, inflammatio, vel tumor diuturnus antecedit.

Si ex utero, prævia fuit menſium obſtructio, tumorque, & epigaſtrii dolor occurrunt.

Advertendum tamen eſt ſanguinem interdum ab hepate, liene, utero, aliiſque partibus in pulmonem tranſmitti, & per tuſſim excerni, & pulmo ſecundariò tantùm, & non primariò afficitur, quod ex prædictarum partium dolore, inflammatione, tumore, vel aliquo affectu dignoſcitur, & nullum, aliud in pectore adeſt, aut præcedit vitium. Quandoque ſanguis ab hepate, liene, pancreate, meſenterio, vel utero ad ventriculum fluere, & dolor has partes gravans turbare ſolet, & vomitu ſanguis nigricans, & grumoſus redditur. Et hæc ſunt ſigna, quæ à partibus naturalibus ſanguinem prodire denotant.

Sunt verò particularia hæmoptyſis ſigna, quibus ſanguis per tuſſim à partibus ſpiritualibus expuitur, & primùm ubi

Ab aſperâ arteriâ excluditur, tuſſis adeſt, ſed exigua, interdum ſolus ſcreatus, quemadmodum etiam in faucibus exiſtente vitio, fit; ſanguis exiguus eſt, ruber, calidus, tenuis, & dolor aliquis obſcurus circa pectus, & aſperam arteriam percipitur. Interdum ſanguis à capite labitur in aſperam arteriam, & inde poſtmodum per tuſſiculam rejicitur, ac propterea in hac re medicus judicium excultum habere debet, ut locum diſcernere poſſit.

E pulmonibus prodiens ſanguis percipitur, quia citra dolorem copioſus emanat, nam in pulmone ſunt vaſa ampla, & irrequieto agitatur motu, & à vaſe, in quo fit hiatus, neceſſariò magna ſanguinis copia funditur, & is floridus, fervidus, ſpumoſus, ſine dolore, & cum tuſſi prorumpit.

A thorace ſanguis exiguus profluit, niger, coagulatus, & grumoſus, quia cùm longum emetiatur iter, neceſſariò grumeſcit, nigreſcit, & dolor circa thoracem percipitur.

A venis ſi profluat ſanguis, erit craſſus, niger potiùs, facilè denſatur, & & citò cohibetur.

Ab arteriis ſanguis tenuior eſt, floridior, & magno impetu fluit, fervet, nec facilè refrænatur, quia arteriæ irrequieto motu moventur.

Modus ſolutæ unitatis his cognoſcitur ſignis, ſi enim per ἀναςόμωσιν venarum ſanguis feratur, cauſæ vaſorum orificia aperientes præceſſerunt, & ſanguis egreditur mediocri quantitate, & ſine dolore. Per διαπήδησιν affluens ſanguis ſeroſus eſt paucus, & ſine dolore. Per ῥῆξιν erumpens, copioſus eſt, ſi plethora præceſſit, vel cauſa aliqua externa vaſorum eruptionem efficere valens. Si denique per διάβρωσιν, ſeu venarum eroſionem ſanguis profluxerit.

Veterum Cauſæ.

Ut ſanguis præter naturam rejiciatur, vas aliquod ſanguiferum aperiatur neceſſe eſt, & niſi tale vas in pulmone, vel pectore pateſiat, ſanguis per ſputum exturbari non poteſt, cùm autem hæmoptyſis ſit ſymptoma, neceſſariò à morbo tanquam à cauſâ proximâ dependet: hujus cauſa erit, morbus organicus, vel communis. Organicus duplex eſt, vaſorum apertio, quæ græcis ἀναςόμωσις, & rarefactio, διαπήδησις dicitur. Communis etiam duplex eſt, vaſorum ruptio, ad quam refertur contuſio, ut etiam vulneratio, ſeu venarum inciſio, quæ rixis appellatur, & eroſio, quæ diabroſis nominatur. His poſitis, Galeniſtarum Synagoga quoad cauſas internas ſanguinis ſputum producentes duplex ſanguinis peccatum vel quoad quantitatem, vel quoad qualitatem aſſignant. Sanguis itaque in quantitate deliquens venas rumpit, aut illarum orificia pandit, & ἀναςόμωσιν, vel ῥῆξιν efficit. Idem ſanguis qualitate delinquens, ſi calidior, & tenuior ut per ἀναςόμωσιν effluere poteſt, quia calor orificia dilatat, & tenuitas efficit, ut faciliùs affluat. Eædem qualitates διαπήδησιν etiam efficiunt; calor enim vaſorum tunicas rarefacit, & tenuitas efficit, ut ſanguis per earum tunicarum poros faciliùs transfluere poſſit. Sanguinis denique acrimonia venarum tunicas exedit, & exulcerat, & διάβρωσιν producit. Id ipſum humores acres, vel ſalſi à capite deſtillantes, vel aliundè in pulmonem confluentes efficere poſſunt. Cauſæ externæ ſunt, quæ hæmoptyſim efficere poſſunt, vel immediatæ, vel mediatæ; Immediatæ ſunt ictus, caſus, vulnus, & id genus alia. Mediatæ ſunt, quæcumque ſanguinem augere, ut victus plenior, aut calidior, menſium, aut hæmorrhoidum ſuppreſſio, aut quæcumque calefacere, aut attenuare poſſunt, ut nimia exercitatio,

magnus clamor, æſtus. Longa in ſole mora, & alia quamplurima ſunt ſanguinis ſputi cauſæ occaſionales.

Sed has barbatorum cauſas ponamus in Trutinâ, ut quanti ponderis ſint, percipiamus, & primò ſanguinis peccatum quoad quantitatem hæmoptyſim producens venas rumpere, ac earum orificia reſerare non adeò facilè arbitramur; non enim venas ex chartâ emporeuticâ natura conflavit, ut diſcindantur, vel dehiſcant. ſed ſanguinis conceptabula ex triplici librarum genere contraxit, ut per has contrahi, & dilatari poſſint juxta ſanguinis copiam, vel inopiam: ideòq; efferveſcat, turgeſcat ſanguis, & vehementiſſimo impetu circulari per venas, & arterias feratur, ſynochamque conciter febrem, nam per hoc hæmoptyſim producet, ſed vel ſenſim ceſſabit, vel per hæmorrhagiam à ſarcinâ moleſtante ſe extricabit, ut ſine febre etiam in juvenibus quotidiè talis ſanguinis copia per nares, tanquàm multum in dolio efferveſcens ſe per ſuperius orificium, profluit. Nec vera plethora datur, cùm plus poſſit adeſſe ſanguinis, quàm à viribus naturalibus elaboretur, quòd ſi daretur plethora, non reperiretur niſi in mulieribus, in quibus tanta generatur copia, ut ſingulis menſibus per genitalia expurgatur, quòd ſi non contingat, ſæpè per alia loca, per mammas, nares, vomitum, oculorum canthos, hæmorrhoides, & non per hæmoptyſim fit eruptio. Hoc idem contingit in viris nimio ſanguine exuberantibus, quæ ſtatis periodis per hæmorrhoides ſanguinem fundunt, habet namque natura ſua emunctoria, per quæ ſe copiâ exonerare ſolet, præterquamquòd natura non deficit in neceſſariis, nec abundat in ſuperfluis.

Secundò hæmoptyſis cauſam ſanguinem in qualitate peccantem aſſignant, pro quâ calor primo potitur loco, qui venarum orificia aperit, & ſanguis effluit, ſed ſi hoc evenire deberet, in nullo alio calore erumperet, non in febri ardenti, & æſtuosâ, vel in hypocauſto, quod non obſervamus. Nec ſanguinis acrimonia, vel humores acres, & ſalſi venarum tunicas exedere, & exulcerare valent, nam in ſcorbutico, hypochondriaco malo, aliiſque morbis, in quibus acres, ſaliique abundant humores, & etiam venarum genus his ſcatet ſcoriis, nunquam pulmones exulcerari, & hæmoptyſim inferri, ſed potiùs hi excrementitii, acres, ſalſuginoſi ſucci ad univerſale cutis emunctorium ſuas exerere actiones deprehendimus. Præterea iſti acres, ſalſique humores vaſa, & pulmonum ſubſtantiam exedere poſſunt, ſed ſenſim, & potiùs ſordidum ulcus, & phthiſim, quàm hæmoptyſim excitare poſſunt, & ſic deindè ſi ſanguis tuſſi educeretur, proveniret potiùs ex ulcere, quàm ex hæmoptyſi.

Noſtra Cauſa.

Exploſimus de hæmoptyſi Galeniſtarum cauſas, quia hoc eſt noſtrum inſtitutum, attamen nunc ab his circa cauſas parùm, aut nihil diſſidemus, & ulteriùs inquirimus.

Pro noſtrâ itaque ſtabiliendâ hæmoptyſis causà, occaſionales primò rimabimur cauſas, & externæ ſunt

omnes illæ, quæ ſanguinem in quantitate vel qualitate plus juſtò ſupra legitimum naturæ terminum evehunt, ut victûs ratio nimiùm ſanguificans propter ciborum euchymorum, vel potuum plus juſto refectivorum uſum, ceu ſunt victus plenior ſanguinem multiplicans, vina generoſa optimè nutrientia, vel diæta nimiùm calefaciens, ut aromata, cibi ſalſi, calidi, acres, & vina meraciora pleniùs potata, vehementia corporis exercitia, nimius curſus, equitatio, venatio, ſaltatio in choreis, luctatio, Veneris palæſtra, ac proptereà athletæ, & laniſtæ facilè in ſanguinis ſputum incurrunt. Sic nimiæ vociferationes, ira, aliæque tùm animi, tùm corporis excandeſcentiæ, ponderum elevationes, ſpiritûs retentiones, & pectoris compreſſiones. Item ab externâ violentiâ ſanguinis ſputum contingere poteſt, ut caſus ab alto, percuſſiones, vel vulnera. Eodem modo multa, quæ corporis conſtitutionem in fervorem adigunt, ut fit à ſolis, & balneorum calidiſſimorum æſtu, præſertim ſi caloris in frigus, vel frigoris in calorem repentina accedat alternatio, ceu quamplurimi eo modo hunc ſibi cudunt affectum, nimirum vel aëris frigidiſſimi inſpiratione poſt ingentem corporis calefactionem, vel potûs frigidi aſſumptione æſtuante corpore ubertim, & repentinâ deglutione ingurgitati, quâ contrariorum concurſione nil niſi intermedii corporis deſtructio ſuccedit, ut obſervamus candentes ſilices aquæ frigidæ ſubitò injectos mox fragileſcere, & in pulverem diſſilere. Item ſi ferventi oleo frigida aqua ſubitaneè infunditur, tantus excitatur ſtrepitus, ut oleum mox omne conflagret. Contingere etiam poteſt hic affectus à menſium, hæmorrhoidum, vel hæmorrhagiæ retentione, ubi ſtagnans ſanguis, & ſimul vitioſam aſſumens qualitatem apertionem, vel ruptionem, vel eroſionem producere valet. Hinc eruimus viros magis ſanguinis ſputo obnoxios eſſe, quàm mulieres, quia hæ ſingulis menſibus per muliebria purgantur; ſi enim aliquæ hac menſtruâ priventur purgatione, facilè in hunc affectum incidere ſolent: ſic viri ordinato hæmorrhoidum fluxu laborantes, hoc affectu non corripiuntur, ſi verò ſupprimantur, in hujuſmodi labuntur affectum.

Aliæ ſunt cauſæ internæ præternaturales, ut tuſſis, vomitus, menſtruorum, vel hæmorrhoidum ſuppreſſio. Aliæ ſunt naturales, aliæ non-naturales. Inter naturales cauſas eſt calida, & ſicca corporis conſtitutio, habitus corporis athleticus, plenus, pectoris anguſtia, venarum ſtructura, & inter has ætas recenſetur, ut habetur *aph. 29. ſect. 3. Juvenibus autem ſanguinis ſputitiones, tabes &c.*

Cauſæ internæ hæmoptyſin producentes ſunt quantitas, vel qualitas ſanguinis naturæ modum excedens, quantitas enim ſanguinis vaſa extendit, unde ruptio, vel dilatatio contingit; qualitas verò vitioſa, ſive nimis calida, vel tenuitas ſanguinis efficit, ut facilè per poros caliditate magis dilatatos permeet, vel arreptâ acrimoniâ tunicas erodat. Nimia caliditas efferveſcentiam parit, quemadmodum nimius calor ahenis, & ollis ſubſtructus liquorem intùs contentum in efferveſcentiam,

ſcentiam, & ebullitionem redigit, ut prioti ſpatio ampliùs contineri nequeat, ſed inſurgit, ſummum vaſis tranſcendit, ac ebulliendo effluit, vel ſi exitus denegatur, vas diſrumpit, & foràs erumpit. Ità etiam ejuſmodi nimiùm incaleſcens, & efferveſcens ſanguinis vaſa tendere, vel aperire, vel rumpere poteſt.

His ita perpenſis, intimiùs hæmoptyſis cauſam perſcrutamur, pro quâ notamus, quòd inteſtinus motus, & circularis ſanguinis agitatio dicitur fermentatio, quæ à duplici ſale, acido, & alkali volatili regitur, quorum concurſu, actione, & reactione reliquæ particulæ nimis commoventur, & agitantur. Quando horum ſalium actio in legitimis ſe continet terminis, nempe cùm non ſit unius, vel alterius exceſſus, vel defectus, ſed debitam hæc ſalia inter ſe proportionem ſervant, nullo exiſtente exceſſu, vel defectu juxta exigentiam, tunc placida, moderata, & mitis ſuccedit ſanguinis fermentatio, & omnia ſunt in pace, & ex iſtâ inculpatâ ſanguinis fermentatione inculpata ſalus habetur. Læditur quandoque hæc placida fermentatio ob hujus, vel alterius ſalis exceſſum, & tunc impetuoſæ excitantur efferveſcentiæ, vehementes ſuſcitantur tempeſtates, tumentes inundationes, & vortices, ac veluti procelloſum æquor præſcriptos tranſilit fines, ſanguis in empituosâ fermentations venarum, arteriarumque fibroſam texturam extendit, ſolvit, divellit, & rimas, & hiatus facit in pulmonem arteriis, vel venis, præcipuè ſi hæc vaſa debilem, & teneriorem nacta ſint compagem, & texturam, quod contingere poteſt à vehementi corporis incaleſcentiâ, & ab omnibus illis cauſis, quas recenſuimus.

Vel pendet à vitioſâ ſanguinis qualitate, ut dicunt vulgares, & qualis ſit hæc vitioſa ſanguinis qualitas, non explicant, ſed nos dicimus, quòd ſi ſanguinis fermentatio exceſſum habeat in ſale acido, vel alterius energiæ, quod non deſpenſetur, in ſanguine exaltatur, & corroſivam adipiſcitur indolem, & vaſa ſanguifera ſcindit, perfodit, exedit, facit hiatus. Quandoque provenit à nimiâ ſanguinis fluiditate, vel ſeri abundantiâ, vel ſale volatili ſimul, & acri ſanguinis maſſam non tantùm fundente, ſed etiam ſolvente, & per venarum, vel arteriarum texturas teneriores tenuitate ſuâ penetrante, & ſanguinem eliminante. Solvitur etiam continuum, quando ſanguis uno ictu, & impetu delatus per teneriotis texturæ vaſa, ſeu anguſtiora, ſeu tantæ molis non capacia, indeque fibras dilatans, atque ita per rimas raptus effluit.

Prognoſis.

Superna ſanguinis rejectio ſemper mala cenſetur, ut habetur *aphor. 25. ſect. 4. Sanguinem quidem ſuprà ferri, qualiſcumque ſit, malum; infrà autem, bonum cùm niger dejicitur.* Omnis enim vaſorum apertio, quæ ſanguinem effluere ſinit, pernicioſa eſt, quia vitæ theſaurus profunditur, & purpuream vomit ille animam, & hic affectus adoleſ-

adoleſcentibus eſt familiaris, & hic aphoriſmus de ſanguine à pulmone prodeunte intelligitur, ac proindè præſentiſſimum mortis periculum imminet ex arteriæ magnæ pulmonaris rupturâ, undè per extravaſatam ſanguinis copiam neceſſariò cor ſuffocetur oportet: quippè quandoque tanta ſanguinis copia profunditur, ut pelves, & magna vaſa brevi temporis ſpatio complentur, unde æger actutùm animam cum ſanguine fundit.

Sanguis è pulmone rejectus niſi intra tres, vel quatuor dies non curetur, superveniente inflammatione, & in ſuppurationem verſâ, ulcus producit, à quo phthiſis emanat. Si pulmonis vena, vel arteria rumpatur, & ſanguis excernatur, & ſoluta unitas conſolidetur, non tàm periculoſum malum portendit, quàm is, qui in pulmonum ſubſtantiâ detinetur, nàm ob moram grumeſcit, & avolantibus ſpirituoſis particulis, ſuppuratur, ut patet *aphoriſm.* 20. *ſect.* 6. *Si in ventrem ſanguis præter naturam effunditur, neceſſe eſt ſuppurari.* Tùm pulmonum ſubſtantiam corrumpit, & ulcus generat, ut *aphoriſm.* 15. *&* 16. *A ſanguinis ſputo puris ſputum ſequitur, à puris ſputo phthiſis, & tandem ſuccedit mors.* Et hoc modo intelligitur aphoriſmus: *Sanguinem quidem ſuprà ferri, qualiſcumque ſit, malum.* Profectò pulmo exulceratus maximum vitæ periculum minatur, cùm indè ſuppuratio, & tabes certò metuenda ſit, & nulla ſuperſit ſalutis ſpes; nàm pus glutinationem inhibet, imò circumſtantes depaſcitur partes, & vaſa corrodit. Prætereà pulmo, ſicut & cæteræ partes vulneratæ, vel ulceratæ quietem, non motum exigunt: at pulmones irrequieto agitantur motu, quare ſanationis ulla ſalutis ſpes ſupereſt. Inſuper pulmonum ulcera, ut expurgentur opus eſt, ſed expurgari aliâ non poſſunt viâ, niſi per tuſſim, & tuſſis ſemper ulcus magis apetit, idcòque hujuſmodi pulmonum ulcera penitùs ſunt exitialiſſima. Addimus, quòd in ſpongioſo membro hoc, quale ſunt pulmones, ſanies non ſolùm firmiter adhæret, ſed ex unâ pulmonis veſiculâ in aliam facili viâ tranſit, undè non poteſt non fieri, quin de die in diem pulmo ſic conſtitutus magis exulceretur, reſpiratio impediatur, calor incrementum ſumat, corpus contabeſcat, & mors præ foribus adſit, ut inquit *Ovid.* 1. *de Ponto.*

Cernis, ut è molli ſanguis pulmone remiſſus,

Ad ſtygias certo limite ducat aquas?

Non ſemper tamen ſanguinis ſputum timendum eſt, cùm interna viſcera, putà hepar, lienem &c. præſervet; hæmoptyſis namque ſæpiùs critica eſt, & à magnis quandoque liberat morbis. Contingit interdum talis ſanguinis excretio innoxiè, naturâ motu quodam critico ſanguinem ſuperfluum excernente, ut multoties obſervamus quaſdam mulieres menſtruorum ſuppreſſione laborantes, ſingulis menſibus ſanguinem è pulmone per illius venarum anaſtomoſin abſque noxâ excreviſſe, & pro menſtruâ purgatione

gatione inſerviviſſe, nihilominùs centies melius fuiſſet, ſi non per iſtam, ſed ordinariam naturæ viam talis èductio facta fuiſſet. Vehemens quoque cephalalgia non nunquàm ſanguine ex ore prodeunte ſolvitur.

Sanguinis ſputum, quod ex pectore pervenit, minùs periculoſum eſt, quàm quod ex pulmone; hæc namque ſanguinis è pectore excretio triplici gaudet beneficio, præ eâ quæ fit in pulmone; Primum, quia pectoris vaſa minora ſunt; Secundum, ſanies in pectoris cavitatem effunditur; Tertium, quia pectus magis carnoſum eſt, ideòque pectoris ulcera faciliùs carne replentur. Sputum ſanguinis diù durans, & medicamentis idoneis, non obediens, in tabem tranſit. Si ſanguinis ſputum in valetudinario fiat, periculoſius eſt, quàm ſi robuſtiori contingat. Vomitus ſanguinis ſine febre, ſalutare, cum febre pernicioſum ſignum judicatur juxta *aphoriſm.* 37. *ſectio.* 7. *Quicumque evomunt ſanguinem, ſi ſine febre quidem, ſalutare: ſi verò cum febre, malum. Curatur verò acerbis, & refrigerantibus.* Poſt ſanguinis fluxum ſingultus, aut convulſio, malum portendit. Sputum ſanguinis, ceu primarius morbus magis eſt periculoſus, quam ſi eſt morbus ſecundarius, quale eſt in pleuritide, & peripneumoniâ, quia ſecundarius rupturam apoſtemat s ſignificat, ac pus evacuari denotat. Si ſanguis à faucibus, gingivis, linguâ, vel palato egrediatur, nullius erit periculi; ſi verò à ventriculo, quandoque mali ominis eſt quia *ſanguinem ſupra ferri, malum.* Si à capite, propter periculum nè pectori læſio communicetur, periculum minatur. Si ab aſperâ arteriâ, aut pectore, maximum adeſt diſcrimen, quia ſi ibi ſanguis retineatur, in pus convertitur, & pulmonem exulcerat, quod utrumque malum lethale.

Ratione cauſatum διαπήδησις minùs periculoſa eſt, ἀναστόμωσις magis, ῥῆξις adhuc periculoſior, & διάβρωσις periculoſiſſima; niſi enim intra tertium, vel quartum diem conſolidetur, inflammatio ſuccedit, deindè ſuppuratio, tùm ulcus, & tandem φθίσις.

Veterum Curatio.

Medici vulgares, optimâ victûs ratione inſtituta, hæmoptyſis curationem triplici indicatione perficiunt. Prima fit ſanguinem à pulmone revellendo, Secunda malam illius qualitatem corrigendo; Tertia venam apertam claudendo. Ideòque ſi vitium ſit à cauſâ internâ, ea tollenda, putà ſanguis copioſus, & ad partem affluens, revellendus, calidus, & acris refrigerandus, & mitigandus; humores acres evacuandi; ipſum verò vas, è quo fluit ſanguis, occludendum. Eapropter ſi ab anaſtomoſi ſanguinis ſputum originem ducat, vas obturandum, & adſtringendum. Si à vaſis rupturâ, unire, & agglutinare oportet. Si à corroſo, ſarcoticis opus eſt, quò deperditum regeneretur. Si à diapedeſi provenit, denſare, & incraſſare decet. Sanguis in pulmone concretus, ſiquis adſit, diſſolvendus & detergendus.

Pro quibus intentionibus adimplendis dicunt, quòd ſi ſanguis in quantitate peccet, illum à pulmone revellunt, & illius lateris venam tundunt,

dunt, in quo gravitas, aut punctio percipitur, & in paucâ quantitate educunt, modò ab unâ parte, modò ab aliâ ad duarum unciarum pondus pro ſingulâ vice, bis, vel ter eâdem die: iterum poſterâ die ſemel, aut bis, ſi vires valent. Poſt venæ ſectionem in brachio, ſaphænam aperiunt, & ſic revulſionem ad diſtantiſſima celebrant, imprimis ſi malum à menſtruorum ſuppreſſione geneſim ſuam agnoſcat juxta *aphoriſm.* 31. *ſectio.* 5. *Mulieri ſanguinem evomenti menſtruis erumpentibus ſolutionem fieri.* Si hæmoptoicus hæmorrhoïdibus ſit obnoxius, utiliter ſedis venas, admotis hirudinibus, aperiunt.

In nullo morbo indocile Galeniſtarum genus magis de ſanguine humano, quàm in hæmoptyſi triumphat, hîc barbaries de humano ſanguine impunè ludit, hîc laniena, & carnificina exercetur, hîc ſanguinarii medici, quaſi jurati humani generis hoſtes, benè ſoluti Tantaleam exſatiant ſanguine ſitim. Phlebotomia non eſt tantùm barbarum, & beſtiale inventum ab Hippopotami fabellâ derivatum, ſed à Belzebub dœmoniorum principe in medicinam intruſum, qui humano gaudet ſanguine. Sunt iſti Galeniſtæ ſanguinarii velut hirudines, & humano ſaginantur ſanguine. Huſque modò hi carnifices, & laniones viguerunt, quia *Galeni* doctrina viguit, at nunc hæc declinare cœpit, & ipſi quoque declinare cœperunt, ac proindè tanquàm falſarii, quia in falſam Galeni doctrinam jurârunt, otioſi in pharmacopoliis proſtant, præſtolantes, ut conducantur. Undè meritò de his dicendum eſt: *Cur ſtatis hic totâ die otioſi? Quia nemo nos conduxit.*

In hæmoptyſi ubertim exhauriunt ſanguine venas, quia ejus cauſam ſanguinem in quanto, hoc eſt plethorâ, & plenitudine ineptè peccare credunt. Plethora, ſeu ſanguinis plenitudo nihil aliud eſt, quàm ſanguinis boni, & laudabilis redundantia, verùm hujuſmodi plethora rariſſimè, nè dicamus unquam, occurrit, & vix tot medentum myriadibus unus reperitur, qui eam realiter adnotaverit: ideòque de verâ plethorâ jure ambigimus, niſi quid pro quo accipere velint; etenim natura nunquàm in neceſſariis deficit, nec in ſuperfluis redundat, eapropter ſi daretur, & hæmoptyſim produceret, utique ultrò ſanguinis miſſionem admitteremus.

Duplicem aſſignant plethoram, unam quò ad vaſa, alteram quò ad vires, quibus præſentibus, ni venæ ſectione extemplo occurratur, metus eſt, ne vaſa in primâ nimis diſtenta diſrumpantur, vel dehiſcant, & ſic internis inflammationibus, ſanguinis expuitionibus, hæmorrhagiiſque præbeatur occaſio; vel in ſecundâ vires ita obruantur, ut dirigendæ machinæ impares effectæ, ejuſdem everſionem facilè permittant. Verùm hæc differentia quoad vaſa, & vires percipi nequit, quomodò ſanguinis copia vaſa ad diſruptionis metum diſtendens, vires non obruat, & redundantia viribus infenſa, vaſa pariter non diſtendat, cùm implicet ſanguinem ſuprà conſuetum naturæ modum excreſcere, quin uno, eodemque tempore, & vaſa non diſtendat, & vires

non

non obruat. Verùm quemadmodùm hæc differentia non datur, ità neque plethoram naturæ moleſtam aſſignari poſſe cenſemus.

Multa de plethorâ dicenda forent ſed tempus non ſuppetit, qui plura cupit, aureum illud opus *Hæmophobiæ Triumphum* legat, quem Lugduni excudendum curavit Anno 1697.

Joannes Baptiſta Vulpinus Aſtenſis Celeberrimus Medicus, Vir omnigenâ eruditione refertus, amicus noſter cordialiſſimus, cujus nomen, & dogmata perpetuò veneramur.

Tantummodò hic hujus Clariſſimi Viri Epiſtolam mihi conſcriptam adnectere lubet, in quâ ſanguinis miſſio doctiſſimè, & ſolidiſſimè confutatur.

CLARISSIMO, AC OMNI GENERE VIRtutis, & Eruditionis Ornatiſſimo Viro

DOMINO

CAROLO MUSITANO

PHILOS. ET MED. PROFESSORI.

S. P. D.

JO. BAPTISTA VULPINUS

MED. ASTENSIS.

NEſcio an Dominationis Tuæ in notitiam adhuc devenerit, Opuſculum Apologeticum ſub nomine Phebotomiæ Liberatæ à Domino Matthæo Georgio Medico Albiganenſi, tribus ab hinc annis Genuæ impreſſum. Doctiſſimus Vir iſte nobiliſſimum præſentis ſæculi ornamentum de Hæmatoſeos Officinâ, cruoriſque circulo perſentiens, pro plethorâ tamen, revulſione, derivatione,&c. cæcam adhuc paſſionem enutriens contra Dominum *Dominicum la Scala* Meſſanenſem Medicum Clariſſimum inſurgens, ejuſdem phlebotomiam damnatam, quam ingenti cum ſaniorum applauſu evulgavit ſic inſectatur, ut eam nedum convellere, ſed & evertere in totum fere contendat, & quia

Tunc tua res agitur paries cum proximus ardet.

ideò pro communi tutelâ ſequentem Epiſtolam quàm legendam ti-

bi demiſſam (laconicè tamen) quia cum viro Doctiſſimo res agitur, eidem exarare duxi.

CLARISSIMO DOMINO
MATTHÆO GEORGIO
MEDICO ALBICANENSI.

PErvenit diebus tantummodò elapſis per viam Genuæ, & beneficio Reverendi Patris Matthæi à Cadralio Religioſi Capucini, Iatriceſque Profeſſoris Eximij Apologeticus Dominationis tuæ tractatus, contra *Dominicum la Scala*, eoque attentè perlecto, ſtupui quomodo, Vir omni Doctrinæ genere ornatus, quique è *Galeni* Claſſibus in totum ferè diſceſſerat, erga phlebotomiam tamen, ſervili adhuc mancipio ſic alligetur, ut quaſi nobiliſſima ars, poſt tot floriosiſſima hujuſce ſæculi lucra, citra crudele [hoc ſupplicium exerceri non poſſet, ceu pro aris, & focis] in ejuſdem patrocinium decertans Clariſſimi *la Scala* theſes infringere, immanique cenſurâ expungere nitatur. Perpendi utriuſque argumenta, & utut illa Domini *la Scala* tuo genio infirmiſſima ſint, meo tamen ſic adhuc arrident, ut ab iiſdem diſcedere validiſſima tua, me hactenus minime cogant.

Suppono itaque D. T. Naturam, & non pro deaſtrâ humani automatis œconomiam, ex conſilio, ut antiquis audiebat, regentem, ſed pro fluidorum pabulum, calorem, vitamque, motu præbentium, quo, quandiù liberè fruuntur ſanitatem, præpedito verò, morbum, quandoque & mortem inducunt, accipere.

De putredine pariter cum ipſis haud convenire, Doctiſſimus tuus Tractatus, eadem ferè iejunus, febrileque ſyſtema novum, non à ſanguine derivatum, luculenter euincunt. Ergo ſi ſanitas in libero fluidorum motu conſiſtit, cur ſi infirmus commiſſa ſibi ſtadia metiri vix valet eundem eductione magis infringere? ut currat equus avenâ, non vulnere opus habet. Dices per levem eductionem non deprimi, ſed erigi vires, cur ergò tanto emolumento pueri, ſenes, valetudinarij, imò malignè habentes ſaniorum conſilio fruſtrantur? Porro ad quid vires inter ſcopos reponere?

Di-

Dices in iiſdem copiam, aut pletoram minime occurrere: Ingrata reſponſio? Quid enim levius quam in vaſe undique pervio, ubi liquor ſemper extillans, ob magna diſpendia, reparari jugiter poſſit, copiam ad diſruptionem effingere? Obiter ſi copia? vel mali, vel boni: ſi boni? quid mali? ſi mali? quid boni? ſi poſt detractionem talis remanet, qualis educitur? & ſi ab alijs præſidiis correctio attenditur: cur non magis à principio viribus integris quam eductione jam fractis? Dices effluia detenta hanc facere, ſi priuſquam erumperent hanc non patrabant, cur erumpentia? Prætereà ſi pori vel nulli cum Clariſſimo *Gliſſonio*, vel ſi qui ſunt, vita ſuperſtite, eorundem occluſio è Doctiſſimo *Sanctorio* eſt merum commentum, quid effluviorum detentio, ore præſertim, & naribus libertate fruentibus? Verbo ſi æſtate magis, quam hyeme ægrotamus, quid pororum occluſio? Dices eductione quantitatem minui, reſiſtentiam tolli, fluida ad motum cieri, ſecretiores facilitari, diapneuſtiam promoveri &c. falſum, nàm fluida obices, turgida magis, quam depreſſa, infringunt. Reliqua, ſi vena ſecta ſuccedunt? Plaudite Atrophici, Hydropici, Valetudinarij, Tabidi, ſanitas jam preſtò eſt: aſt Pallores, Aſphyxiæ, Anaudiæ, Lipothymiæ, imò mortes in venæ ſectione haud raro evenire conſuetæ à tam ſtrenuo præſidio cujus occaſione fortè langueſcunt, eos jam dehortatur. Dices revulſionem pariter fieri: abſit quod retractio in partem oppoſitam, revulſionis lege importatam à conſtanti ſanguinis motu, valvularumque obice impetrari queat: Jordanes enim non niſi miraculo converſus eſt retrorſum. Dices derivationem quoque ſuccedere: quidem in hydrope, abſceſſu, aliiſque ſtagnationibus, non verò à ſectâ venâ à quâ quo plus educes, magis allicies. Dices quantitatem ſemper imminui, ſed ad quid quantitas, ubi qualitas urget? Tandem febrili ſyſtemate non ita tamen novo, quin ab *Helmontio*, *Borello*, *Cole*, *Entio*, *Mortono &c.* jam evulgatum non ſit, tractatum concludis: ſed quid ad *Scaligerum*, *Entium Truſtonum*, *Iunghen*, *Sinapium*, aliosque Poliatros, qui ſpiritus animales minime norunt, adduces. Verbo ſi ſanguis non peccat, cur mulctatur? Siſte ergo Vir Præſtantiſſime, & ingens

illud talentum à ſummo Jeovâ impetratum tutiorem in uſum converte, ſic etenim Iatricem, ut in alijs doctiſſimè jam reformaſti, ubi autopſiam ut ipſe feci in conſilium adduces à Phlebotomiæ præjudicio liberari pariter poſſe luculenter agnoſces, eaque omnia, quæ ex Mechanicâ, Hydroſtaticâ, Diapneuſtiâ, aliiſque doctiſſimis principiis contra Clariſſimum *la Scala* obtrudis, mera eſſe paradoxa credulis tradenda enim tandem concludens. *Vale.*

Quandoque pro venæ ſectione cucurbitulas ſcarificatas ſcapulis, & dorſo, vel non ſcarificatas hypochondriis, & inguinibus admovent: Cæterùm cutim ſcarificant, innocentem ſanguinem educunt, & noxium non accingunt, nec avertunt à pulmone.

Extremarum partium ligaturas per intervalla toto curationis decurſu celebrant, quas non ſaltem inutiles, verùm etiam pernicioſas arbitramur, quia ubi fiunt ligaturæ, ſanguis intropellitur, & conſequenter verſus locum affectum, undè magis profluvium excitatur. Deindè ligaturæ vel fiunt debiles, vel validæ; ſi debiles inutiles ſunt; ſi validæ, tormentum potiùs ſunt, quam medicamentum. Tandem ſi ſanguinis ſputum ligaturis compeſcatur, dùm partes ligatæ ſunt, nihilominùs cùm relaxantur, fluorem magis excitent.

Si ſanguis malâ qualitate peccet, corrigentia, & temperantia adhibent, ideoque ſi ab acri ſanguine, & bilioſo humore referto fiat vaſis apertio, vel eroſio, ſtatim in ipſo morbi inſultu humorem bilioſum purgant; verùm purgantia calida, & fortia vitant, nè humorum acrimoniam augeant, eoſque validè commoveant, quare aloën, & ſcammonium proſcribunt. Si periculum non ſit in morâ, præparant humores, ut

℞ *Syr. de portulacâ:*
myrrh. ana ℥. j.
aquæ plantag. ℥ iij.

Deindè medicamentis adſtringendi vi præditis, & eo nomine humores minimè commoventibus, quæ medicorum grex compreſſiva vocant, utuntur, ut

℞ *Pulp. tamarind.* ℥. ß.
diaſabeſt. ſine ſcammonio ʒ iv.
caſſiæ recens extract. ℥ j.
m. f. bolus. Vel

℞ *Rhabarb. elect.* ʒ. j.
myrobol. citrin. ʒ ß.
Infundantur in aquâ plantaginis, in expreſſione facta diſſ. rhabarb. ʒ. ß.
ſyr. de roſis ſiccis ℥. j.
fiat potio.

Verùm purgantia non debent eſſe calida, & fortia, quia humorum acrimoniam augerent, eoſque valdè commoverent.

Corpore ſufficienter expurgato, ad ea confugiunt medicamenta, quæ ſanguinem immodicicè fluentem ſiſtunt, tenuem incraſſant, & acrem obtundunt, ità ſunt emplaſticâ, & adſtringenti vi præditâ, & venarum oſcilla reſerata occludunt, ut

℞. *Boli Armen. terræ ſigillatæ,*
corall. rubr.
lapid. hæmat. ana ʒ. ß.
ſacch. roſacei ℥ ß.
album. ovi cum aquâ plantag.

for-

fortiter agitatum num. j.

m. f. l. ochl. quo frequenter utatur.

Sanguinem draconis ad omnem venarum apertionem internam conglutinandam mirè commendant ad ℨ. ß. in aquâ plantaginis, vel portulacæ.

Vel propinant ſequentem opiatam, ut

℞ *Conſ. roſ.*
ſymphyt. maj. ana ℥ j.
bol. armen.
terræ ſigillat. ana ℨ j.
cum ſyr. roſ. ſicc. m.
fiat opiata,

quæ teneatur in ore frequenter, & ſenſim deglutiatur.

Vel propinant ſequentem julepum, ut

℞ *Syr. de ſucc. myrtill.*
roſis ſiccis,
portulacâ ana ℥ j.
Lapid. hæmat.
trochiſ. de ſpodio ana ℨ j. ß.
aqu. burſæ paſtoris,
centinodiæ,
plantag. ana ℥ iij.
m. f. julapium. quod
detur ter actû frigidum.

Mirè decantatur *Urtica ſuccus*, & reverà magnum eſt remedium ad ſanguinis ſputum cohibendum, nàm multi, poſt alia incaſſum experta remedia, tanquàm deploratì relicti, hoc ſolo ſucco convoluerunt. Sumitur ad quinque vel ſex dies ſingulis diebus ad ℥ iv. manè jejuno ſtomacho. Imò & ipſa urtica in jure pulli cocta, & manſa eundem præſtat effectum.

Cœterùm ſedulò cum adſtringentium uſu procedendum eſt, nàm ſanguinem intrò in pulmones impellunt, ſputum ſupprimitur, ſpirandi difficultas oritur, & ſuffocationis periculum imminet, vel ſanguinis putrefactio, & pulmonis ulcera ſubſequuntur. Quæ de urticæ ſucco ferunt medentes, ſanguinis nempè fluxum, ſeu hæmorrhagiam, nimium menſium, & hæmorrhoidum fluxum, ſanguinis ſputum, ac vomitum ſiſtere vera experimur, & nos multoties ejus ſuccum in talibus affectibus experti ſumus, quod cùm expertiſſimum ſit, negare non poſſumus, quomodò verò id ſuccedat, neſcire profitentur, quia urendi virtutem habet per aculei puncturam, deindè per humorem acrem, qui circa baſim aculei conſitus eſt, cùm aculei ſunt cavi, undè quandò cutem perforât, penetrat ſimul ſuccus, & ſalina vis communicatur parti, ubi ſalinâ ſuâ acrimoniâ ardorem concitat, & partes fermentativas fermentat, & fit tuberculum. Hac igitur de causâ potiùs ſanguinis fluxum, & ſputum concitare in hoc morbo deberet; acria n. in hoc affectu ſunt cauſæ ſanguinis excitativæ. Unum tantùm dicere poſſumus, quòd mirabilis Deus in operibus ſuis, de malo bonum, de veneno antidotum, & de tenebris lucem ſplendeſcere facit.

Ea medicamenta, quæ ſanguinis ſputum ſiſtunt actu frigida propinant, verùm frigida ſunt pectori inimica non ſolùm, ſed etiam ſanguinem intropellunt, fluxum augent, & ſpiritum reddunt difficilem.

Si his medicamentis ſanguinis ſputum non cedat, ad opiata gradum faciunt, ut ſunt *theriaca recens quatuor menſium, philonium Romanum, requies Nicolai, pilul. de cynogloſsâ ſemina hyoſcyami, papaveris albi, &c. ut*

℞ *Syr. de papavere alb.* ℥ j.
requ. Nicolai ℨ j.
aquæ polygon. ℥ *iij. m.* Vel
℞ *Aquæ portulacæ* ℥. *iij.*
ſemin. papaver. alb. ℨ *j.*
f. emulſio, in quâ diſſ.

pilul. de cynogloſſâ gr. XII.
terræ ſigillatæ,
lapidis hæmatitis an. ℨ.ß.
ſyr. cydonior. ℥ j. ß. *m.*
Detur horâ ſomni.

Vel

℞ *Syr. de ſucco myrtill.*
cydonior. an. ℥ ß.
theriacæ recentis ℨ j.
corallior. rubror. præparat.
diatragacanthi frigidi an. ℨ. j.
ſucci urticæ depurati ℥. IV.

Dùm remedia ſanguinem ſiſtentia propinant, clyſteres præſcribunt, quaſi podicis ſtercus ſanguinis ſputum cuderet.

In toto curationis decurſu, ſi ſanguinis concreti in thorace contenti ſuſpicio ſit, oxycrato illum diſſolvunt, ſed hoc ob acetum tuſſim excitat, & ſanguinem cohibitum ad ſputum concitat, nec acetum ſanguinem ſiſtendi proprietatem habet. Vel utuntur mumiâ, vel pulveribus ad caſum, & percuſſionem cum ſyr. de papavere rhœados. Vel ſanguinem hirci propinant, ſed perperàm agunt, nàm hæc ſanguinem grumatum diſſolvunt, & liquant, & illum fluxiliorem reddendo, ſputum facilitant, & malum augetur; concedimus tamen hæc medicamenta propinari poſt totalem ſanguinis ſputi ceſſationem, ſed magnâ conſideratione opus eſt, nè ſanguinis ſputum ſollicitent.

Sedato totaliter ſanguinis ſputo, quater in anno hæmoptoicum purgant, excitato cauterio in tibiâ dextrâ, vel ſiniſtrâ, prout hepatis, vel lienis vitio ſuccedat affectus.

Tandèm lactis aſinini chalybeati uſum per menſem integrum ad hujus morbi præcautionem præſcribunt, tùm ad hepar refrigerandum, tàm ad phthiſim præcavendam.

Noſtra Curatio.

Expedit ĩ G leni laium bardâ, & truci hæmoptyſeos curatione, noſtram præſcribamus petæ pretium eſt, cui illicò occurrendum, nàm malum pernicioſiſſimum eſt, & miſerrimi hęmoptoici ſunt veluti hoſtiæ, & oves tanquàm ad occiſionem, quæ jugulari præſtolantur, imò actutùm jugulantur, dum purpuream emittunt animam, ideòque in tanto rerum diſcrimine non cunctandum in diæteticâ, vel eâ omiſsâ, ad pharmaceuticam expertis medicamentis extemplò confugiendum, ut aufugientem animam intra corpus, quoad licet, detinere poſſimus: verùm quia quandòque malum dat inducias, unam, atque alteram pagellam, diæteticam, & pharmaceuticam abſolvemus, undè ut rectè procedamus, illam in ſex rebus non-naturalibus rimabimur, quarum primus eſt

Aër, qui temperatus eſſe debet, undè veteres hæmoptoicos in Ægyptum mittere ſolebant propter temperatam illius cœli conſtitutionem; inclinare debet magis ad frigiditatem, contrà verò vitandus eſt calidus ob ſubtiles, & aculeatas ſalinas particulas, quas vehit, pulmoni, ipſiuſque vaſis infenſas. Vitandus quoque frigidus, qui propter rigidas ſuas particulas per moram, & ſtagnationem nactas, & continui ſolutionem, & exulcerationem faciendam, ſolus ſufficere poteſt. Vires æger Solares radios, ventumque meridionalem, atque lucentem forum. Hæmoptoicis rerum rubrarum aſpectum prohibent vulgares, nè imaginatione commotâ ſanguinis fluxus concitetur; certum eſt imaginationem, & ſpiritus à rerum externarum aſpectu moveri, nimirùm & tenebræ, & color niger timorem incutit, & triſtitiam parit; contrà verò color albus

albus, & lucidus exhilerat; undè etiam color rubeus, cujus natura in fulgore quodam conſiſtit, ſpiritus non parùm movet, & notum eſt barros, bubalos, tauros, gallos Indicos rerum rubrarum aſpectu ad iram concitari. Libenter cum vulgaribus conveniremus, ſi ſanguinem ſpuentes eſſent barri, bubali, tauri, vel galli Indici, facilè ad iram concitarentur, & ex hac in ſanguinis ſputum. Unum tantummodò hujuſmodi ægrotis aſſiſtentes admonitos eſſe volumus, ut ſanguinis exturbati aſpectum celent, nè tali intuitu ægri terreantur & in ſyncopen, ac mortis agonem labantur.

Cibus ſit refrigerans, adſtringens, vi emplaſticâ, imo viſcosâ, atque glutinosâ pollens, ut lac, caſeus recens non ſalitus, cremor hordei, farra, oryza, lacti incocta, lagana; conducunt carnes damarum, leporum, cuniculorum, phaſianorum, aviculatum, gallinarum, columbarum, perdicum, Inter carnes præſtant inteſtina, cerebella, pedes vitulorum, ſuum, hædorum, gelatinæ ſine aromatibus tàm carnium, quàm piſcium. Ex piſcibus optimis ſunt ſaxatiles, glutinoſi, ut cancri, ranæ, anguillæ, cochleæ, teſtudines, polypi, & alii, qui carnibus glutinoſis ſunt prædici. Abſtinendum à cibis ſalitis, aromatibus, acribus, & dulcibus. Inter olera optima eſt plantago, portulaca, & omnium urtica, item lactuca, endivia, cichorium. Abſtineat tandem à crapulis.

Potus ordinarius ſit aqua deſtillata plantaginis, urticæ, vel ſanguiſorbæ, & pulmonariæ, vel aqua hordei, emulſiones amygdalinæ, lac caprillum. Extraordinarius ſit vinum rubellum, & unâ ex his aquis dilutū, ſi vires ſint imbecilles. Vitetur vinū generoſum, & album.

Motus omnis corporis vitetur, & præcipuè pectoris, clamores, cantus, cachinnus, tuſſes, ſternutationes, ſuſpiria, & capitis agitationes, quia immedicabilem pulmonum, eorumque vaſorum rupturam inducere poſſunt, ut & proſcribantur ſaltatio, curſus pilæ luſus, equitatio, ars digladiatoria, vectio curruum, &c. quæ omnia, quia nimiâ corporis agitatione fiunt, hæmoptyſin inducere valent.

Quies corpori imperanda eſt, & æger in lecto ſe contineat, nec indè ſurgat, niſi hæmoptyſeos ſuſpicione ſublata.

Somnus, quantùm fieri poteſt, ſit nocturnus, & protrahatur, quia omnem ſupprimit evacuationem, & dormiat pectore elevato æger, & potiùs ſupinus, quàm pronus, & vitetur ſomnus diurnus

Vigilia diù protracta humores acuit, particulas ſpirituoſas abſumit, & ſanguinem acriorem relinquit, ideòque mediocritatem habeat, ſed ſemper ſomnus vigilia ſit prolixior.

Alvi excrementa quotidiè vel naturali, vel artificioſo modo excernantur; hinc menſes, hæmorrhoides, & hæmorrhagiæ retenti, quia ut plurimùm hæmoptyſeos in causâ eſſe poſſunt, omni conatu ad naturalem, & priſtinum deducantur ſtatum.

Animi paſſiones vehementiores vitet hæmoptoicus, & animi tranquillitate fruatur. Maximoperè vitanda eſt ira, quia eſt accenſio ſanguinis circa præcordia, quæ ſpiritus reddit rebelles. Sic filiæ iræ vitandæ, ut rixæ, anxietas, impatientiæ furores, contemptiones, incontinentiæ, &c. quæ ſpiritus in furorem agunt, & majorem ſanguinis effervescentiam pariunt, undè pernicioſiſſimi oriuntur morbi, & præſertim hæmoptyſes;

tyſes. Sanguinis ſputo obnoxius fugâ immodicæ Veneris connubia vitet, & ſi quandóque ad coitûs voluptatem trahatur, non ardenter coëat, nec multùm ſe fatiget, ſed leniter, & tanquàm ex joco coëat, nè in operatione, & præſertim in ſeminis ejaculatione tantus inordinatus motus, æſtus, tot motuum varietates, & corporis motus quaſi involuntarii ſuccedant.

Peragratis ſex rebus non-naturalibus, à quibus optimam victûs rationem pro hæmoptyſeos curatione elicuimus, ad pharmaciam deveniendũ pro quà primo purgantia præſcribimus; nàm hæmoptici non facile catharſim ferunt, quia facilem in phthiſim habent diſpoſitum, & hunc ad phthiſim terminabilẽ ſanè habent, quia cognatos pectoris affectos patiuntur, & omnes iſti copioſiſſimè etiam à levi cathartico non ſine noxâ purgantur. Prætereà purgantia ſanguinẽ à ſordibus non purgant, imò in majorem adigunt efferveſcentiã undè vitioſæ particulæ ſanguine vectæ erodentem nanciſcuntur indolem, quæ per vaſa pneumonica unà cum ſanguine circulantes, malum intendunt; proſcribantur itaque purgantia tanquã noxia, cùm humores non ſanguinẽ purgent, & tantùm ſanguinem ab omnibus vitioſis particulis medicamenta repurgantia præſcribi debent.

Phlebotomiæ præſidium omninò in hoc morbo execramur; non n. ſanguis quantitate peccat, quod ſi quandoq; vigeat, quæ nunquàm obſervata fuit, niſi quid pro quo, ex ſanguinis rejectione, & exactiſſimâ diætâ primis diebus antequàm ad phlebotomiam deventum ſit à vulgaribus, jàm abſumpta eſt. Si quantitate peccat, ſanguinis qualitas non ipſe ſanguis, internis ablegandа eſt. Si ſuppreſſi menſes, hæmorrhoides, vel hæmorrhagiæ ſubducendi ſunt; nàm non ſanguinem in quantitate conſtituunt, ſed in paucâ qualitate, & hæc tollenda eſt à ſanguine, & naturalis, ac debitus curſus concilietur: non n. phlebotomia peccatum tollit in qualitate, ſed in quantitate. Hoc maledictum itàq; præſidium à maledictis Galeniſtis præſcribatur, non verò à nobis, qui admodùm ſcrupuloſi ſumus. & noſtras manus à ſanguine humano hucuſq; immaculatas cuſtodivimus. Hæmoptycorum ſanguis ſit ſuper Galeniſtas, & Galeniſtarum filios, eorumq; hæredes, & ſucceſſores, & contra hos vindictam clamitet ante thronum Dei: *Vindica Domine ſanguinem noſtrum qui effuſus eſt.*

Noſtra itàq; curatio internis tantùm peragitur medicamentis, quæ tres indicationes habet curativas, quarũ Prima eſt, ut ſanguinis ſputio extemplò ſiſtatur. Secunda, ut particulæ ſalinæ acidæ, vel alterius indolis exaltatæ emendentur, & corrugantur. Tertia ut continui ſolutio adeò ferruminetur, ut nullus ambigendæ phthiſis locus relinquatur.

Ea medicamenta primam complent indicationem, quæ vaſa pneumonica aperta adſtringẽdi vi prædita ſunt, ut tùm acida, tùm auſtera, *ut plantago, ſyr. de roſ. ſiccis, pomum cotoneum, ſanguis draconis, piloſella, urtica, myrtillus, tormentilla, crocus martis adſtringens, &c.* Vel, quæ ſanguinem incraſſandi vi inſignita ſunt, ut *portulaca, ſymphytum majus, opium, &c.* Vel, quæ emplaſticam habent energiam, ut *terra ſigillata, hypericum, gummi Arabici, &c.* & ex his varia medicamenta, variis modis elicita; ut

℞ *Syr. de ſucco plantaginis, de ſymphyto an.* ℥. ß. *croci martis adſtringentis* ℈. ß. *terræ ſigillatæ* ʒ. ß. *lapid. hæmatit.* ℈. ß. *aq. portulacæ* ℥. iij. *m.*

Vel

Vel

℞. *Syr. corall.*
de roſ. ſiccis an ℥ß.
lacrymæ ſanguin. dracon. ℈ß.
gummi Arabici ʒj.
aquæ piloſellæ ℥iij. *m.*

Vel

℞. *Succi urticæ hortenſis depurati* ℥iij.
extracti hyperici ʒj.
ſperniolæ Crollij gr. v.
ſyr. de portulacâ ℥j. *m.*

Vel

℞. *Aquæ radic. urticæ* ℥iv.
ſyr. de roſ. ſiccis ℥j.
ſp. vitrioli ℈j. *m.*

Ubi ſanguinis ſputum his medicamentis reſiſtit, tunc ſanguis debitâ ſuâ conſiſtentiâ orbatus eſt, & orgaſmo à ſpiritibus animalibus impetuosè in cor, & arterias irruentibus excitato, exagitatus, quia ruptis arteriolarum oſculis, & factâ apertione cum impetu effluit, ad opiata confugere oportet; hæc enim ſanguinenm incraſſant, & furentes compeſcunt ſpiritus, quæ multis alijs admiſceri poſſunt, eſtò ſolitariè ſint validiſſima, & omnem fluxum tollant, ut

℞. *Syr. cydonior* ℥ß.
terræ exanimatæ vitrioli ℈ß.
lapid. hæmatitis ℈j.
nepenthes gr. ij.
aq. burſæ paſtoris ℥iij.
m. detur cochleatim.

Vel in formâ electuarij:

℞ *Conſervæ roſ. antiquæ* ℥ß.
conſervæ de ſymphyto ℥j.
terræ ſigillatæ ſp. vitrioli irrorat ʒj.
extracti rad. tormentillæ ʒjß.
croc. martis adſtringentis ℈j.
trochis de carabe ℈j.
laudan. opiati gr. vj.
D. Car. Muſitan. Trutina Medica.
m. cum. ſ. q. ſyr. de urticâ,
& ſ. a. f. electuarium.

Doſis ad caſtaneæ magnitudinem pluries in die.

Vel

℞. *Syr. de ſymphyto Fernelij* ℥j.
laudani cydoniati gr. iij.
coralliorum. rubr præparat. ʒj.
aq. piloſellæ ℥iv. *m.*

Vel

℞. *Pilul. de cynogloſſâ* gr. xv.
ſperniolæ Crollij gr. x.
ſucci acaciæ inſpiſſati. ℈j.
m. cum mucilagine ſymphyti q. ſ.
f. pilul. vj. *deaurentur*
pro duabus doſibus.

Vel

℞. *Lapid. hæmatitis præparat.* ʒß.
ſperniolæ Crollij gr. xij.
laudani opiati gr. iij.
m. f. pulvis dividendus in duas doſes.

Si ſanguis ſit nimio ſero dilutus, non abs re erit illum à nimiâ ſeroſitate eripere reſinâ jalapæ, ſed tutiùs id efficies medicamentis diureticis.

Ad acrium, acidarum, ſalinarum, vel alterius energiæ particularum, ac humorum acrium emendationem, correctionem, & ſanguinis effervescentiam ſiſtendam præſtantiſſima ſunt medicamenta opiata, quæ præſcripſimus; hæc námque, & quodcumque opiatum ſtrenuus eſt ſpirituum animalium, ſalium acerrimorum, & acriũ humorum domitor, & corrector, & præter hæc his commendamus emulſiones ex ſeminibus, frigidis dictis, tàm majoribus, quàm minoribus, adjectis *amygdalis dulcibus* pro guſtu, quibus admiſcemus *lapides cancrorum, ſtibium diaphoreticum, C. C. præparatum, ebur præparatum, magiſterium perlatum.*

magiſterium coralliorum, &c. ut

℞. *Aquar. portulacæ,*
plantaginis an. ℥iiſ.
ſemin. peponum mundat. ʒß.
papaver. albi ʒj.
f. emulſio, in quâ diſſ.
laudani ſine opio gr. v.
lapid. cancror. ℈ß.
magiſterij perlarum ℈j.
ſyr. papaver. rhœados ℥j.
pro duabus doſibus,
& frigida una medietas propinetur.

Sedato ſanguinis ſputo, tertia reſtat indicatio, ut ſcilicèt continuum ſolutum ità obſeretur, nè impoſterùm reſeretur, ad hunc obtinendum finem ea medicamenta adhibenda ſunt, quæ adſtringentia, conglutinantia, & conſolidantia appellantur, à nobis deſcripta, quibus ea immiſcenda ſunt, quæ ſanguinem grumatum fluxilem reddunt, & reſolvunt, ut

℞. *Syr. papaver. rhœados* ℥j.
ſanguinis hirci ʒj.
mumiæ transmarinæ ℈j.
aq. flor. tiliæ ℥v.
m. pro linctu.

Vel

℞. *Syr. hyperici n. d.* ℥jß.
extracti bellidis ʒj.
lapidum cancror. fluvial. ℈ij.
ſacchari perlati,
ſpermatis ceti an. ℈ß.
aq. flor. papaver erratici ℥v.
m. pro linctu.

Cave in hæmoptœ à calidis, volatilibus, & ſpirituoſis eſſentijs, quia ſanguinem magis commovent, particulas acido-ſalinas impetuoſè agitant, & ſpiritus in furorem redigunt, atque adeò magno impetu facto, vaſa diſtendunt, & ſanguinis ſputum vel augent, vel periculum inducunt, nè affluxus cohibitus citra ſalutis ſpem iterùm erumpat.

Vulneraria potiones ad continuum ſolutum optimè ferruminandum tutiſſimæ ſunt, & unâ fideliâ plures dealbamus parietes, ſanguinis nempè grumos diſſolvimus, & continui ſolutioni medemur, ne impoſterùm dehiſcat, & ſic futuræ phthiſi proſpicimus:

℞. *Herbar. Alchimillæ,*
ſtellariæ,
saniculæ,
bellidis rubræ,
pulmonariæ maculoſæ an. m. ß.
radic. conſolidæ mediæ,
tormentillæ,
liquiritiæ an. ℥ß.
flor. bellidis,
hyperici,
balauſt. an. p. ij.
ſantali rubri ʒiij.
nucleor. pini ℥j.
aq. pulmonariæ ℔iij.
coque in duplici vaſe, cola.

℞. *Dictæ potion. vulnerariæ* ℥v.
ocul. cancror. ʒj.
edulcora cum ſyr. de hyperico,
vel ſymphyti majoris ℥j.

Sumatur manè, & ſerò. quouſque qui ſanguinis ſputo fuit obnoxius, tutus eſſe poſſit in futurum. Quòd ſi aliqua phthiſis ſuſpicio adſit:

℞. *Syr. de hederâ terreſtri* ℥j.
alkali cancror. fluvial. ʒj.
aq. de hederâ terreſtri ℥iij.
m. pro linctu.

Vel

℞. *Maſſæ pilul. de cynogloſſâ* ℈ß.
pulv. anti-hectici Poterij gr. vj.
m. cum ſyr. de cancr. fluv. q. ſ.
& formentur pilulæ duæ, & deaurentur.

CAPUT

CAPUT VII.

De Phthiſi.

ILlud miſerabile morbi genus tractandum aggredimur, phthiſim putà, quæ non paucis diebus, ſed longo pòſt tempore perimit, nec per criſim judicatur: Cœterum tamdiù vitam Libitinâ pejorem ſpondet, donec à tabifico viro abſumptis omni humido, & carne, oſſa ſuperſint. Eſt Veneris lue crudelior, ſed hæc nunc nobiſcum amicabiliter negotiatur. Eſt ipſâ peſte miſerabilior, nàm hac cædibus Provincias, & Regna depopulante, vel non omnes inficiuntur, vel infecti curātur. Sola phthiſis ſine medelâ graſſatur, &

Mors eſt ante oculos, & opem medicina recuſat.

Infelix ille, quem ſemel hæc dira, & diuturna lues apprehenderit, nàm à morbi initio ad finem uſque citra omnem ſalutis ſpem vivit, & moritur, moritur, & vivit, & intuentibus triſte ſpectaculum, putà σκέλετον, quaſi exſiccatum cadaver ſpirans repræſentat, ut meritò cum *Ovid. lib. 4. Triſt. elegiâ 6.* dicere poteſt:

Vixque habeo tenuem, quæ tegat oſſa, cutem:

Hoc vitæ ſpiraculum ad capillorum caſum, vel deficientem tuſſim, vel diarrhœam uſque perſeverat. Eſt formidabile morbi genus, quia contagioſum, & non tantùm viventes, ſed etiam utenſilia inficit, ac proindè tot miſeriarum cumulo accedit, ut ab affinibus, conſanguineis, domeſticis & familiaribus ſub miſerabili ejuſdem morbi ſupplicio declinetur. Refert *Lazarus Riverius cent. 1. obſ. 35* de quadam muliere viduâ, quæ phthiſim contraxerat ex marito, qui ante duos menſes phthiſicus perierat. Et eâdem *cent. obſ. 99.* de aliâ muliere, quæ phthiſica interijt, & poſt unum, aut alterum menſem illius ancilla, quæ diù, noctúque illi miniſtrabat, in hanc effectum incidiſſe. Et *cent. 4. obſ 92.* obſervat phthiſim per contagium prognatam in mulierem, quæ mammas viro phthiſico, qui poſtmodùm perijt, lactandas præbuit, quæ mulier ſubindè poſtmodùm ſororem ſuam 15. annorum infecit. Inſuper refert *Schenkius* in obſervationibus adeò phthiſicorum ſputa eſſe contagioſa, ut medicus ſputa phthiſicorum olfaciens, exindè phthiſicus factus ſit, & idem ex *Fracaſtorij* relatione refert phthiſicorum veſtes poſt biennium contagium phthiſicum propagaſſe. Imò ædes, ubi phthiſicus degit, vel perijt, inhabitabiles redduntur ob halitus, excrementa, & ſputa, quæ pavimentum, tecta, & parietes inficiunt, & eſtò ea aquâ maris, vel aceto abluant, vel calce dealbent, laterem lavant.

Sed inſolitum ante noſtros oculos monſtrum ſe offert, quod eſt Al... venuſtam Hippocraticam habens faciem, dequo meritò dicitur:

Adducitque cutem macies, & in aërea ſuccus
Corpus omnis abit, vox tantum, & oſſa ſuperſunt.

& adhuc vivit, quaſi inter mortuos ſe per Urbem trahit, & ſchedulas ſalutis, quâ caret, caro venundat pretio, ſed miſeris imponit ægrotis; illos namque tabe ſolo intuitu inficit, & crudeli morte perimit. Graditur paulâ magno & alumnorũ ſatellitio, quibus proxim, quam ex *Doleo* ad unguem exaravit, enucleat: cùm verò præceps Boreas

perflat domi ſe tegit, ne à Boreâ recipiatur,& in cœli cauſâ inter Zodiaci Beſtias collocetur. Nec mirũ,nam Medicus iſte non eſt Phyſicus, ſed Phthiſicus, non Medicus, ſed ſalute Mendicus, nec equidẽ ſcimus an ſit Phthiſicus,an Atrophicus,ac Tabidus, cùm horum morborum ſit congeries, unde in lecto perforato decumbere deberet, & non viſere infirmos.

Præterea eſt Neapoli Probatica Piſcina, ubi medicorum languentium magna multitudo jacet, nàm alij ſunt Claudi,alij Cœci,alij Gibboſi,alij Edẽtuli,alij Calvi,alij Hernioſi, alij Podagrici,alij tandèm Hypochondriaci flatuoſi,ac Scorbutici, & quiſq; ſuos patitur manes:non eſt inventus unus,qui optimâ potiatur ſalute,de quibus dicimus: *Trahit equus aſellum*,alij verò ſe trahunt. DEUS ob ſuam miſericordiam unumquemq;fidelem Chriſtianum ab horum medicorum ungulis eripiat, quia ſi ſeipſos curare neſciunt, nec alios curare poterunt. Alij ad complementum penè Medicaſtri ridiculos ſe oſtendunt & pedeſtres magnâ energiâ totam percurrunt Civitatem,trahentes poſt ſe ſcholam Cavenſem,putà maximo alumnorum ſatellitio ſtipati. Alij ſunt formoſi ephebi, ſed hi velut Ganymedes nectareas patri Jovi miniſtrant dapes. Et alij tandèm tot Adònides, velut Novelli ſponſi quaſi ad nuptias pergunt & ad ægrè thalamum accedentes cum ſponsâ, & non ægrâ ſermocinari videntur.

Poſtremò ridiculos illos arbitramur medicaſtros juvenes, qui poſtquàm plures principalium morborum codiculos (ſed neſcimus,an ex proprio, vel alieno marte conditi ſint) memoriæ tenaciter mandârunt,non ampliùs medicinam excolunt,hos prolixo verborum, authoritatum, & medicaminum apparatu recitant in conſultationibus, & periti apud medicinæ ignaros, & præſertim apud bardum vulgus habentur. Quibuſdam Monachis Prædicatoribus non abſimiles ſunt,qui poſtquàm aliquod Quadrageſimale nacti fuêre,illudq;edidicerunt,nunc in hac, nunc in illâ Civitate,& paſſim eaſdem recitant conciones.

Affectus, de quo in præſenti capite agimus, græcè dicitur φθίσις, vel φθόη,latinè conſumptio, contabeſcentia pulmonalis, corporis extenuatio, totius corporis conſumptio, macies, exulceratio, & ulcus pulmonum. Eſt phthiſis totius corporis extenuatio, & macies cum febre lentâ,& tuſſi purulentâ à pulmonis ulcere ortum habens.

Verùm nomen phthiſis latè patet, & generale eſt, & omnem corporis conſumptionem ſignificat, à quacumque causâ & in quacunque parte fiat. Strictè verò, & uſitatiùs phthiſis dicit omnem contabeſcentiam,quæ alicujus viſceris nobilioris corruptelam ſequitur. Ità ſiquis ob purulentum hepar contabeſcat, ſi quis ob purulentos renes, & ſimilia viſcera corrupta contabeſcat, tunc phthiſi laborare dicitur. Cujuſcumque itàque partis ſit ulcus, ſemper ſequitur phthiſis, & hinc ſupputati renes dant phthiſim renalem, à ſuppuratis pulmonibus datur phthiſis pulmonalis,à ſuppurato jecore phthiſis jecoralis, à ſuppurato meſenterij abſceſſu phthiſis meſenterica datur; ſed hîc notamus, quòd viſcus nobile eſſentialiter læſionem contrahere debet, quippe ſi per accidens læditur,ut in febribus putridis,quas dicunt,evenit, eo uſque læſio duraverit, quo

quò uſq; humor ſuâ præſentiâ turbatur redeunte priſtinâ temperie, læſio ceſſabit: ſed quoties ſubſtantia mẽbri principalis per ſe læditur, nunquàm ceſſabit, niſi integra ſubſtantia læſa illius membri reſtituta fuerit, dummodò morte non præveniatur infirmus.

Datur vomica pulmonis, & hæc à phthiſi differt, ut abſceſſus ab ulcere, nàm vomica eſt pus purum, album, læve, & æquale, quod citra excretionem in ſuis membranis incluſum in pulmonibus hęret, ubi verò tale pus non excernitur, dicitùr vomica, cùm verò expurgatur, & ulcus ſupervenit ſordidum, dat phthiſim. Verùm, quia pulmo ex omnibus partibus maximè externis injurijs, à quibus inſigniter lędi ſolet, expoſitus eſt, frequentiſſimè exulceratur, & ex ejus ulcere fit phthiſis, cum quâ hectica, ſeu lenta febris copulatur. Hæc febris interdùm ulceribus partium externarum inſignioribus conjũgitur. Nos tantùm hîc agimus in particulari de phthiſi, quę pulmonis ulcus conſequitur, & præſertim à ſanguinis ſputo geneſim ducit, ut habetur: Ad ſãguinis ſputũ, proveniẽs ſępè à pulmone, ſequitur puris ſputum, & ad puris ſputũ phthiſis, & tandèm ſuccedit mors.

Pręter phthiſim eſt alia contabeſcentię ſpecies, ut ἀτροφία, quę totaliter nimię corpulentię eſt oppoſita. Eſt atrophia deficiens nutritio, & quidèm deficit manifeſtè carnis muſculoſæ & pinguedinis ratione, non itèm ratione cartilaginum, oſſium, aut parenchymatum viſcerum; hęc n. non abſumuntur, utut partes muſculoſę abſumptæ atrophiam conſtituunt: Quandò ſola pinguedo deficit vocatur *macies* quandò verò caro ſimul abſumitur, nec reſtituitur, dicitur *tabes*.

Hęc atrophia vel eſt particularis, vel univerſalis. Univerſalis frequens eſt, quandò totum corpus non nutritur. Particularis verò eſt rarior, quę unam, alteramvè occupat tantùm partem, & hæc propriè *aridura* vocatur, vel atrophia particularis.

Atrophię univerſalis cauſa eſt vel alimenti defectus, vel alimentum nutritioni ineptum; Eſt nutrimenti defectus, vel quia non generatur in ſtomacho, ut contingit, vel ob inediam voluntariam, aut quandò alimenta parùm nutriunt, aut vitioſa aſſumuntur. Deficit nutritio, quandò partes nutritię non diſtribuuntur, vel vitio vaſorum, quia obſtructa, ut vitio glandularum meſenterij obſtructarum, & tunc tumefactę, aut ſcirrhoſę, ac ſtrumoſę; vel quia vaſa nimis hiant, ut in cœliacâ paſſione.

Decantata eſt tabes in Angliâ, quæ originem ſumit à meſenterij glandulis ſtrumoſis, & ſcirrhoſis. Atrophia rara eſt adultis, frequens verò infantulis; corripiuntur infantuli frequenter, quia ventriculum habent humidum, & inflatum, & dolores compreſſivos vitio meſenterij denegantes nutrimento tranſitum, & debitam diſtributionem.

Deficit nutritio, quandò nutrimentum aſſimilatum nimis evacuatur, & eſt nimia ſanguinis effuſio vel per nares, vel uterum, vel hæmorrhoides; tales namque ſanguinis evacuationes depauperant his evacuationibus obnoxios rore nutrimentitio, undè non poteſt non ſequi atrophia. Hûc pertinet nimius motus, qui nutrimentitium rorem exhaurit ſub formâ ſudoris per glandulas ſubcutaneas. Solet hæc atrophia ſuccedere ex longo al-

vi profluuio; Hahc gignit fluor uterinus albus mulierum, qui tandèm in atrophiam, & maciem degenerat. Tandem nimia Venus, in quâ cum ſpermate nutrititius ſuccus exhauritur, tabem, & atrophiam inducit. Hùc etiam ſpectat *tabes dorſalis*, quæ contingit his, qui pollutionibus nocturnis ſunt obnoxij, quia rorem nutrimentium exhauriunt. Cognovimus nos quendam Sacerdotem, qui dùm mulierem aſpiciebat, vel Veneris curas animo volutabat, vel obſcœnos percipiebat ſermones, toties inuoluntariè ſemen excernebat, præter nocturnas involuntarias pollutiones, de quibus anxiè querebatur, tandèm atrophicus ex tabe dorſali perijt. Hùc facit affectus noviter maritatorum, quem vocant tabem dorſalem, vel hecticam novorum ſponſorum, quandò hi cum ſponsâ præcipuè pulchrâ inſatiabiliter coëunt, non aliter, ac ſi deficeret: ſed in Veneris palæſtrâ debet eſſe modus, quia nunquàm expletur, imò quò magis exercetur, eò magis reaccenditur, & tandèm rorem, ſeu ſuccum nutrititium nimis exhauriunt, quod ſponſæ non ſuccedit. Undè taliter in dorſo ſucceſſivè extenuantur, ſpina prominet, & vermiculationis ſenſus cum titillatione ſubitò per dorſum recurrente percipitur.

Atrophia ex nutrimenti vitio oritur, quandò ipſum nutrimentum eſt nimis aſperum, aut acre, & ſalſum, aut alio peregrino vitio conſpurcatum, & ineptum, ut corpus nutriat, nec de partium indole eſt, ac proindè reſpuitur. Id vel propter vitioſam nutrimenti generationem in ſtomacho, vel propter vitiatum, vel infectum nutrimentum in maſsâ ſanguineâ anteà vitiatâ.

Inter tabem in genere refert *Celſus* cachexiam, ſed perperam, nàm eſtò in hac univerſum corpus laxum, & humidum conſpiciatur, non proptereà extenuatur, ſed potiùs augetur: tamen in eâ verum augmentum non eſt, ſe potiùs muſculoſarum partium à pituiroſo, & crudo ſanguine repletio; partes enim ipſæ ſecundum ſuam eſſentiam bono alimento deſtituuntur.

Signa.

Quòad phthiſis ſigna attinet, cùm hæc recens curationem ſuſcipiat, inveterata minimè quidèm, imminentis, incipientis, & conſummatæ ſigna deſcribere operæ pretium arbitramur.

In principio affectus hic difficulter cognoſcitur, & tunc facilè curatur, ac proptereà imminentis, & incipientis ſigna, quæ futuram indicant, diligenter expendemus, ut ſi poſſibile eſſet, tàm perniciosus morbus præcaveatur. Imminentis itàque ſigna ſunt reſpiratio difficilis, tuſſis ſicca, & tenuis, tuſſiendi cupiditas diuturna, ſputum rotundum diutiùs apparens; quod materiam craſſam à calore excedente in pulmone condenſari indicat. Itèm ſputum ſolito amarius, & acrius ſalinâ, vel muriacâ indole redolens perſentitur, ac calor tenuis, qui vix ab ægroto percipitur.

His additur diſpoſitio, nempè prava thoracis conformatio, quæ in ijs reperitur, qui thoracem habent anguſtum, collum longum, & ſcapulas pro-

prominentes alarum modo, & in avium ſimilitudinem, partem thoracis anteriorem anguſtam, poſteriorem autem latam habent; quare & parvitatem, & malam conformationem thoracis ſimul poſſident. Thoracis anguſtia caloris nativi penuriam, mala conformatio ejuſdem imbecillitatem ſignificat. Si n. calidum inſitum plurimum, ac vegetum fuiſſet, thorax amplus, & magnus, extenſâ ab eo validè materiâ, formatus fuiſſet; tanta autem, & talis eſt hæc diſpoſitio ad tabem, ut eam *Hippocrates* nativam tabem appellaverit, quòd ab intimis ortûs primordijs, & naturæ principijs concepta ſit. Quamobrem neceſſarium ferè videtur ità affectos in phthiſim tandèm incidere, niſi ab alijs gravioribus præveniantur morbis. Notandum eſt hîc obiter eos, qui talem habent diſpoſitionem, ſi gravi aliquo, & acuto corripiantur morbo utplurimùm interimi. Cùm n. in his calor nativus ſit paucus in quantitate, & debilis in virtute, cauſis morbificis vehementibus facilè ſuccumbit. Ideò cautiores medicis in hujuſmodi naturis, & habitibus volumus, ſi gravis aliquo morbo corripiantur, mortem potiùs, quàm ſalutem, aut ſaltèm grave periculum præſagire.

Diſpoſitio hæreditaria non leve imminentis phthiſis indicium præbet, ut ſi familia illa phthiſi ſit obnoxia, parentes, vel fratres, aut ſorores phthiſi perierint, vel ſi phthiſico famulatus quis fuerit, vel phthiſici veſtibus uſus, vel habitaverit in illis ædibus in quibus phthiſicus perierit, vel alio contagij modo malum contractum fuerit.

Ætas juvenilis in diſpoſitis ad hunc morbum producendum maximè idonea eſt, habetur ex *Hippocrates aph. 9. ſect. 5. Tabes fiunt præcipuè ætatibus à decimo octavo, uſque ad trigeſimum quintum.* In illâ n. ætate adeſt maxima ſanguinis copia ruptioni venarum efficiendæ idonea: adeſt etiam ejuſdem ſanguinis tenuitas, & acrimonia apertioni, aut eroſioni vaſorum producendæ diſpoſita. Contrà verò in pueris catarrhi humido multo hebetantur; in ſenibus frigore torpent; cùm in mediâ ætate, propter rationes dictas, frequentiùs exulcerent. Adde, quòd in juventute plurimi errores committantur in victu, à quibus pravorum humorum copia cumulari ſolet, & prava qualitas maſſæ ſanguineæ induci, tùm etiam ob vehementiora exercitia in curſu, luctâ, ſaltu, armis, & inſolatu, ruptio vaſorum in pulmone, & ab eâ phthiſis excitari poteſt.

Incipientis phthiſeos ſigna ſunt tuſſis frequentior, quàm anteà fuit. Frequentior quidèm, quia plurima irritatio, pauca verò expurgatio, undè natura iteratis vicibus perficere conatur, quod unicâ, non poteſt. Fortior autem eſt tuſſis, non ſolùm quia major puris acrimonia expultricem acriùs ſtimulat, ſed etiam quia, emaciatis ſolidis partibus thorax quoad cavitatem eſt amplior factus, undè fit tuſſis quædam rauca, & reſonans, ut in illis rebus contingit, quæ ex cavo, & recondito loco reſonant.

In thoracè gravi as percipitur, quæ ex materiâ in pulmone congeſtâ exoritur; in eodem thorace antè, & retrò acutus percipitur dolor. Temporis progreſſu tuſſis fit vehementior, & moleſtior, pulmo à particulis ſalinis, & muriacis lancinatur, & ad expulſionem irritatur, & cùm ſufficienter ea materia non expurgetur, morâ intenditur, & acuitur, ac pulmo magis irritatur, & vehementior exoritur tuſſis. Sputa excreantur flava, cinerea, vel ſubviridia, purulenta, & ſubindè cruenta, & quandòque per totum hujus morbi curſum nihil ſanguinei in ſputis conſpicitur. Corpus lentè febricitat, quæ febricula indies duabus circiter horis à ſumpto cibo exaſperatur, & manuum volas reddit calidiores. Ventriculus inflatur, abdomen intumeſcit, appetitus proſternitur, mox depravatur, mox caninus evadit, ſitis interdum intenditur. Quandòque intumeſcunt pedes ob humores in pedum tubulis reſtagnantes, & vaſa lymphatica tandèm exedunt. Sputa primùm albida, amariuſcula, & lævia ſunt, ac ſenſim craſſeſcunt, colorantur, putreſcunt, ac fœtent, tùmque eorum halitus adſtantibus fit gravis, & teter, corpus à febriculâ illâ lentâ, & hecticâ conſumi incipit, quæ conſumptio in carpis manuum, & carne muſculosâ pollicum incipit.

Confirmatæ phthiſis ſigna ſunt notabilis corporis emaciatio; ſanguis n. phthiſicorum, quia acris eſt, non nutrit, ſed potiùs corrodit, & pulmonem exulcerat, & ſuccus nutritius ad pulmonem converſus puris ſpeciem aſſumit, & per ſcreatum citra dolorem expectoratur, & totum corpus ſenſim emaciatur, reliqua corporis ſucculentia à calore febrili in ſomno aucto in ſudorem reſolvitur. Hic febris calor magis exacerbatur noctù, quàm die, quia noctù fiunt majores colliquationes, & evaporationes. Sudores hi copioſi, & acidum ſpirantes præſertim nocturno tempore emaciant ægros, quia ſuccus alimentitius ad partes nutriendas cùm deferatur, ob acrimoniam, & acorem ſalinum non poteſt apponi, nec aſſimilari, cùm non ſit de indole partium renuitur, & per poros deletos elabitur, ac per corporis periphæriam effluit, & hi ſudores colliquativi dicuntur.

In hoc affectu frequentes eveniunt lipothymiæ tùm ob puris vicinitatem, tùm ob congeriem per cor circulantem, & quia puris ſcoriæ quandòque cerebro impertiuntur, deliria fiunt. Pulſus nunc inæqualiter ſe habet, nunc debilior, nunc frequentior, nunc durus, nunc mollis: mollis quidèm ob materiam humidam arterias humectantem; duri autem ubi calor corpus exſiccavit. Cùm ſuperficies ægrorum manu tangitur, calor acer percipitur, qui oritur à ſale volatili copioſo per corporis poros exhalante. Febris ſemper lenta, ſed aliquot horis à paſtu invaleſcit cum levi genarum rubore. Exacerbatur poſt paſtum, quia novum accedens nutrimentum ſive rectè, ſive depravatè in ſtomacho elaboratum cum ſanguine ſe miſcet, & ex hac miſcelâ novus fomes, novuſque ignis additur igni,

& reces exoritur efferveſcētia, augetur circulatio,&nova pugna propter irregularem miſturā, & partium figuram, undè poſt paſtum non poteſt non augeri febris. Urinæ quandóque purulentæ apparent, interdùm rubræ, ac nonnuuquàm rubicundam arenam ferè cinnabaris pulveriſatæ inſtar ad matulæ fundum deponunr. Aliquandò urinis innatat pinguedo, & materia oleaginoſa,&hinc etiam febris dicitur colliqnativa;pinguedo,&oleoſitas in urinâ oritur, quia puris acrimonia multas particulas pingues,&oleaginoſas cum al'js particulis ſolidarum partium abradit,&ſolvit,quæ particulæ oleaginoſæ cum urinâ excernuntur, & ob earum levitatem urinis non permiſcentur,ſed ſupe. ficiei innatant.

Reſpiratio eſt difficilis nō ſolùm ob partium imbecillitatem, vel etiā quia pulmonis bronchia infarciuntur tùm à puris copiâ,quę ab ulcere in ea trāsmittitur,tū à multis excrementis, quæ in debilitato pulmone congeruntur, quibus accidit,quòd ipſe pulmo ulcere debilitatus,& ſæpè magnâ ex parte conſumptus,materiam collectam ſatis rejicere non poteſt.

In conſūmatâ tandèm phthiſi,& inveteratâ pus indies magis fœtidū redditur, & ſæpè putris pulmonū portio, ac bronchiorum, & vaſorum pulmonis ramenta,aut cruſtulæ quędam tuſſi excernuntur. Fauces ſono implentur, & veluti per arundinem ſibilum reddunt. Pedes intumeſcunt, pediculi in nonnullis copioſè generantur, cutis aridior,& nigrior evadit.Ungues fiūt adunci,quadere *Hip.Phthiſim* morbnm ferinum appellavit, eò quòd phthiſicorum ungues curventur perindè ac ungues ferarum:habent tabidi carnes, quibus ungues adhęrent, conſumpt s, atque ijs conſumptis, cùm non hab ā: ſuſtentaculum ungues, & ſint t r ei, neceſſariò curvantur, Ægri faci m nduunt Hippocraticam, nares nempè acuminantur,oculi concavantur, tempora collabuntur, aures frigeſcunt, & contrahuntur, cutis circa frontem, & manuum volas dureſcit. Faciei olor palleſcit,liveſcit, nigricat, cadavereſcit. Accidit tandèm capillorum defluvium, quia cutis pori ·b humoribus acribus invertuntur,& capillorum radices deſtruuntur. Vel decidunt quia in phthiſicis omnis humid.tas exhauſta eſt, & capilli eâ humiditate privati decidunt, non aliter ac ab arboribus, adventante autūno,frondes decidunt. Alvi fluxus ſupervenit, quia pori ſunt obſtructi, & quævis humiditas effluit, undè ſputa ſupprimuntur, & mortem accelerant,quæ utplurimùm placidiſſima,&cum rationis reten.ione ad extremum uſque halitum, eſſe ſolet.

Hæc, quæ attulimus ſigna non in ſingulis obſervare licet, ſed in aliquibus plura, & in alijs pauciora obſervantur, Pathognomonicum ſignum, quo phthiſis cognoſcitur,eſt tuſſis frequens, reſpiratio difficilis, corporis emaciatio,lenta febris,& excretio purulenta; ſiquis enim plebejus hominē viderit pallentem, imbecillum, tuſſientem, macie confectum, hunc verâ pthoë laborare pronunciat,ut *Aretaus* ſcribit.

In confeſſò eſt apud omnes phthiſim eſſe pulmonis ulcus,cujus certiſſimum ſignum eſt pus per tuſſim rejectum,& quò ulcus ſerpit, & ſordeſcit, eò pus excernitur,& ſputa ſordida, & copioſè purulenta excernuntur. Verùm quandóque pus excerni videtur,

ſed reverà non eſt pus, ſed quid puri ſimile, quod pro pure aliqui accipiunt: non eſt ſemper verum pus, ſed affluens corporis latex, puris ſpeciem mentiēs, & id non tantùm hîc, ſed etiam in alijs affectibus imponit; in ophthalmiâ nāque ſimiliter occurrit, & tamen non eſt verum pus, aliter oculi vera contraherent ulcera, quod tamen utplurimùm non faciunt, & citra exulcerationem cōvaleſcunt. Sic in coryzâ affluēs hic latex, qui in principio ſub aquosâ formâ apparebat, in fine in ſpiſſum, glutinoſum, flavum, & ſubviridiuſculum liquamen mutatur. Sic in dyſenteriâ, & teneſmo unà cum ſanguine excrementum puri analogum excercernitur, & affecti ſine exulceratione ſaneſcunt. Eodem pariter modo contingere poteſt in pulmonum catarrho, cùm non certò conſtet in vehementi tuſſi pulmonem eſſe exulceratum, ac pus ſubeſſe, & ſcreari. Accipiunt medici quid pro quo, & facile decipiuntur, & ægrotos decipiunt, ac interdùm quiſpiam bardus medicus putat, concurrente vehementi tuſſi, pulmonem eſſe exulceratum, pus excerni, ac lac caprinum, & roſarum conſervam præſcribit, quibus catarrhus demulcetur, & ſubſiſtit, & deceptus clamitet ſe phthiſim exulceratam ſanâſſe. Eſt hæc materia, quæ excernitur, vulgarium pituita craſſa puri ſimilis nimis cocta ob moram, imò in causâ eſt interdùm materia catarrhalis in pectus delata, præſertim in juvenibus, quæ ad quandam puri ſimilem conſiſtentiam deducitur, undè cùm putreſcat, fiunt febres putridæ vulgarium, & hinc corporis macies ſequitur, phthiſis reverà non eſt, nec aliqua ſubſtantiæ pulmonis læſio, cùm macies, reſtauretur, & putatitius phthiſicus convaleſcat, & affectus hic à verâ phthiſi diſtinguitur.

Ad explorandam veram phthiſim, quæ ex ſputo purulento ex pulmone exulcerato ortum ſumit, ſputa examinant an gravia, an fœtida ſint juxta *aph.* 11. *ſect.* 5. *Qui phthiſi moleſtantur, ſi ſputum, quod extuſſiunt, grave oleat injectum carbonibus, &c.* Undè ſolent ſputa ſupra ardentes carbones injicere, vel in vas aqueum infundere, & unum memoratu dignum apud *Hip. in coac. prænot.* animadvertimus, ubi videtur ſignificâſſe apud medicos nō nullos morem fuiſſe explorandi hæc ſputa in aquâ marinâ, & in vaſe æneo. De vaſe æneo certè firmam non invenimus rationem, at de aquâ marinâ eſt aliqua ratio; quandoquidèm certum eſt aquam marinam pondera faciliùs ſuſtinere, quàm aquam dulcem, ut forſan ob hoc veteres ad explorandam ſputorum phthiſicorum gravitatem antepoſuerint aquam marinam dulci: ſed hoc ſignum plerumq; eſt fallax, & medici falluntur, nàm pituità viſcida cunctatione nimis cocta prout in ſpleneticis, & ſcorbuticis ponderat, & ob gravitatem in aquâ marinam, vel dulcem calidam fundum petit. Explorant deindè ſputa, an ſint purulenta, & fœtida, ea igni, vel carbonibus accenſis injecta, ſi fœtidum odorē reddunt, ſed maximè fallūtur, nàm vulgares pituitam diù retentam, & nimis, quàm par eſt, concoctam, & putridam carbonibus injectam fœtorem exhalare obſervavimus. Neque phthiſim hariolari licet, quia ſanguini ſputum præceſſit, nàm ex asperâ arteriâ tuſſi excerni potuit, quo ſanguine reſtincto, & ſupervenienti tuſſi cum materiæ catarrhalis

nimis coctæ excretione phthiſim augurari non poſſumus. Neque ex alijs partibus omne pus fœtidum eſt, ut quiſquam obſervare poteſt, ſed ſaltem in ulceribus ſordidis, & putridis, nec *Hip.* in omni phthiſi ſputum graviter olere intellexit, ſed in lethali ſaltem, & perniciosâ; rarò námq; omnis fœtor à verâ phthiſi abeſt, quod vel anhelitus fœtidus teſtatur, & ipſi ęgri expuentes ferè gravem percipiunt odorem. Viſio itáq; quolibet alio ſenſu certior eſt, nō modò in ijs, quæ rejiciuntur, inuendis, ſed & in ægrotantis ſpecie conſiderandâ. *Veterum Cauſa.*

Pro immediatâ ulceris pulmonis, ſeu phthiſis causâ aſſignant vulgares humorem acrem, & erodentem, qui vel aliundè in pulmonē influit, vel in ipſo generatur. Influit à cerebro debili pituita acris, & ſalſa catarthū efficiens, quæ pulmonem exulcerare facilè poteſt. Hanc ſententiam mutuati ſunt vulgares ab *Hip. lib. de glandulis*, ubi ſcribit: *Pituitam deſcendentem à capite in pulmones in ipſis interdùm retineri, & retentam putreſcere, putreſcentem verò exedere pulmones, atque iis exulceratis fieri tabes, qua ad ſanitatē nūquā perducuntur.* Atq; idem confirmat *ſect. 7. aph. 38. Si pituita in pulmonē delabens vigeſimo die detineatur, in pus converti.*

Optima quidèm eſt vulgarium ſententia ab *Hip.* cōfirmata, ſed nimis trivialis: Statuunt cerebrum pituitæ collegium, & quaſi crudorum excrementorum colluviarium, quæ ad infernas partes quaſi ignobiliores, ut ſe exoneret, detrudit, & ſicut gutta cavat lapidē, itá pituita deſtillás in pulmonē, illū exulcerat; attamen vias, per quas à cerebro ad pulmonem hæc pituita dupluit, aſſignare deberet. Statuunt aſperam atteriam, cùm nulla alia ſit via, ſed hæc eſſe nequit, cū tantùm hujus aditus aëri pateat, nec quicquam tolerare poteſt, quod tuſſi non rejiciatur, ut patet, ſi aquę gutta, vel mica panis fortuitò infra epiglottidem incidat, nec tuſſis ceſſat, donec ab exotico ſe extricet. Nec hunc affectum cōcomitans tuſſis à pituitâ depluente à cerebro excitatur, ſed ab excremētis in pulmone genitis turbatæ digeſtionis vitio, & hinc à vulgaribus fallacia committitur, ut logici dicunt, non cauſa ut cauſa. Prætereà non ſemper (cum vulgaribus loquimur) pituita putreſcēs in pulmone illū exulcerat; ſæpè námq; in catarrho pituitam putridā excerni obſervamus, nec tamen pulmo exulcerationē concipit. Ad id, quod dicunt vitiosā pulmonis conſtitutionē, nempè mollē, & tenellam pulmonis ſubſtantiam concurrere, dicimus pulmonis ſubſtantiā non eſſe à naturâ ex chartâ emporeticâ conflatam, ut facilè diſcerpi poſſit, ſed conſtat, ex *Marcelli Malpigij* acutiſſimi pulmonis perſcrutatoris obſervatione, ex pluribus membranis extēſibilibus, quæ veſiculas conſtituunt ad aëris ingreſſum turgeſcentes, & regreſſum ſubſidentes: ſi itáq; molli ſubſtantiâ compactus ſit pulmo, firmioribus tamen membranis conſtitutus eſt, ut perpetuò reſpirationis, & exaſperationis motu agitari poſſit. Inſuper iſta pituita à cerebro in pulmonē deplučs, illumq; exulcerās, nō tantùm pulmonē ſed etiam à cerebro ad pulmonē uſq; à termino à quo ad quem, exulcerare deberet, quod nullatenus obſervatur.

Inter cauſas antecedentes præcipuè recenſentur humores vitioſi in toto corpore collecti, qui, ubi à cauſis externis commoventur, ad cerebrum tranſmittuntur, & indè in pulmonem confluunt. Hûc pertinet menſium, hæ-

morrhoidum, aut alterius evacuationis conſuetę ſuppreſſio, quæ materiam catarrhis, & fluxionibus ſuppeditat. Alias verò cauſas externas adducunt, ut eſt aër impensè calidus, aut frigidus; calidus n. humores acres in capite contentos fundit, & liquat, & in pulmonem præcipitat; frigus conſtringendo, & comprimendo, ejuſdem humoris defluxum promovet. Hinc noxius eſt aër in primis autumnalis, qui inæqualitate frigoris, & caloris acres, & ſalſas deſtillatione concitat, undè apud *Hipp. aph.* 10. *ſect.* 3. *Autumnus tabidis malus.* Secundò, ad phthiſim producendam maximè cõferunt cibi, potuſque acres, & ſalſi, & qui caput hujuſmodi vaporibus replent, ac denique omnes aliæ cauſæ tùm internæ, tùm externæ, quæ hęmoptoen inducere ſolent, cùm ea plerùmque in phthiſim degeneret. Sed hæ cauſæ ſatis ſuperque exploſæ manent, cùm non à cerebro, tanquàm à ſuperiori tyrãno fiat phthiſis, ſed provenit pulmonum labe impertitâ.

Vel tales humores acres, & erodentes à vicinis partibus in pulmonem influere ſolent, ut pleurâ, mediaſtino, aſperâ arteriâ, &c. & inprimis ex earum partium inflammatione ſuppuratâ, ut pleuritide, peripneumoniâ, empyemate; verùm hæ affectiones in pulmonibus fiunt, ut in proprijs capitibus diximus, nec aliundè humoros ad pulmones deferuntur.

Generatur hic affectus in ipſo pulmone è vaſe illius rupto, vel eroſo, aut, ex vulnere aperto ſanguis effuſus putreſcit, aut à variolis ulcus in eo relinquitur, aut à diſruptâ pulmonis vomicâ, quod ultrò concedimus.

Cauſa Noſtra.

Phthiſis, ſive ulceris pulmonis cauſa ſunt particulæ acido-ſulphureæ, vel ſalino-muriaticæ, quæ corradendi, & exulcerandi vim habent, ut patet ex ſpiritibus, putà ſulphuris, nitri, aliorũque acidorum adhibitione, & applicatione ad partes carnoſas, ubi ab ijſdem albedine, & materiâ purulentâ apparentibus corrodi manifeſtiſſimè obſervamus. Hæ particulæ vel in ſtomachi officinâ ejus vitio originaliter progignuntur ob cruditatem putridam, acidam, vel nidoroſam, quandò alimenta in ſtomacho pervertuntur, & vitioſum acorem, aut etiam ſalſum, depravatum nanciſcuntur ſaporem, & nutritius ſuccus his conſpurcatus particulis in maſſam ſanguineam delatus eam inquinat, & vitiat, & ſucceſſivè ſuâ acrimoniâ ſalinâ lympham inficit; undè ægri ſe habere ſalſum in ore ſaporem matutino tempore conqueruntur, & muriam vix eſſe ſalſiorem, quæ omnia ex ventriculo oriri manifeſtum eſt ex putridâ ejus cruditate. Præter hanc acrimoniam ſalſam de ſapore cinereo conqueruntur, qui incipientis ulceris in pulmonibus ſignum eſt. Deindè conqueruntur de piſcium, aut carnium putridarum ſapore, qui tales ſi perſeverant, neceſſariò tandèm ex corruptione ſtomachi, & ſanguinis degenerant in phthiſim. Hæ particulæ unà cũ ſanguine circulantes per pulmonem tranſeunt, & in principio acrimoniâ ſalinâ bronchia, & pulmones ad tuſſiculam parvam, & ſiccam ſtimulant, deindè crebriorem excitant, & ſtagnationis maleficio acriores, & ſalſuginioſiores redduntur, exaltantur, & activiores ad corrodendum fiunt; hinc concutiendo pulmones, & vellicando, eorum ſubſtantiam, veſiculas, atque vaſa corrodunt, imò & ſanguinem per διάρρωσιν extravaſatum in pus convertunt.

Eodem pariter modo menſium, hæmorrhoidum, & aliûs evacuationis conſuetæ ſuppreſſio phthiſim progignere potis eſt, quia in tali ſanguine ſuppreſſo nimiâ morâ particulæ ſalſo-acres, quibus ſcatet, indies exaltantur, & intenduntur, ac circulationis lege primò tuſſim excitant aſſiduam, poſtmodùm mollem pulmonis ſubſtantiam ſenſim exedunt, vaſa corrodunt, & ſanguinis ſputum efficiunt, vel ſine hoc phthiſim inducunt exulcerando.

Similiter prægreſſa peripneumonia, & pleuritis ſuppurata, ſeu malè curata ſæpiùs poſt ſe phth ſim, ſi à rupturâ non purgentur, relinquunt. Uvulæ abſceſſus, vel angina quandò rumpitur, & indè materia purulenta ſi ad pulmones deſcenderit, & diutiùs in his ſtagnârit, & diutiùs in his ſtagnârit, ſalſedine ſuâ pulmones corrodit, & ulcus producit, & phthiſim.

Inter cauſas externas, quæ phthiſim excitare poſſunt, numerandum eſt contagium, undè phthiſis morbus contagioſus eſt, & promptiùs communicatur attractione halitûs alterius phthiſici, undè tuta non eſt non tantùm compotatio ex eodem poculo, & commanducatio cum hujuſmodi ægroto, ſed nec etiam in eodem cubiculo commoratio, nec ingreſſus, ubi phthiſicus degit, imò nec tuta eſt converſatio nec cubiculum, neque veſtes, non tantùm dùm ægrotat, ſed nec etiam poſt obitum, obſervamus nàmque conſanguineos, affines, ac phthiſico ſervientes eodem corripi affectu. Undè faciliùs, & promptiùs hujuſmodi contagium inter conſanguineos, & affines communicatur. Siquidèm μιάσματα illa, quæ à phthiſicorum pulmonibus exhalant, & cubiculi totius aërem inficiunt, ab alijs in pulmonem attracta, ſimilem communicant morbum.

Eſt præterea phthiſis morbus hæreditarius, & integras familias eodem affectu interjiſſe obſervavimus non ſolùm propter impreſſum characterem à ſemine parentum, ſed etiam propter commercium illius qui primus hoc affectu actu laboravit. Sic ex calculoſo calculoſam, podagrico podagroſam, epileptico epilepticam, apoplectico apoplecticam, gallico gallicam prolem utplurimùm gigni obſervavimus: quidni ex phthiſicis parentibus malum hoc hæreditarium in liberos, & ſtirpes transplantari poſſit? Semen nàmque ſanum à ſanis, à morboſis verò parentibus morboſum decidit, & hæc diſpoſitio eſt mala thoracis conformatio, ac nativa ſubſtantiæ pulmonis debilitas, & flacciditas; nàm ut liberi parentibus ſimiles ſunt quoad externa lineamenta, ità & quoad partes internas. Hæc prava diſpoſitio in liberos per morboſas ideas transfertur, vel per fermentum exoticum, quod tempore, creſcit, matureſcit, & defectus hæreditarios patefacit: non minùs liberi morborum, quàm bonorum parentum ſunt hæredes, ſic divites divitem hæreditatem, pauperes pauperem legant liberis. Hinc in quibuſdam familijs tanquàm morbus hæreditarius graſſatur phthiſis; nullâ n. humoris ad pulmones deſtillatione, aut tranſmiſſione accedente à capite, ut Galenici cum *Hippocrate* perperàm inſinuant. Hinc in contrahendis hymenibus magna ſolertia in familiæ electione adhibenda eſt & neceſſum eſt, ut ſciatur, an morbis hæreditarijs ſit obnoxia.

Inſpirata maxima phthiſis cauſæ ſunt, quia vaporetenus hauſta ob particulas acutas, & acres pulmones

exedunt,corroduht,& phrhiſim brevi tempore inducunt, ſic aquatum fortium deſtillatores, abſque operarionibus chymicis, vel metallicis nimiùm indulgenres,& metallorum fumos inſpirantes, itèm qui calcem,& gypſum tractāt,prout murarij,& parietum dealbarores plerūmq;phthiſici moriūtur ob particulas ex iſtâ ſubjectâ materiâ reſilientes acutas,ſubtiles,& volatiles pulmoni infeſtas. Undè experientiâ docti omnes novas domos inhabitare timēt,ni longo pòſt tempore,imò nec quiſpiam in conclavi recèns calce obducto,putà dealbato,dormit; particulæ n. tales acutæ, ſalinæ volatiles non tātùm ſanguinē volatiliſant, ſed etiam arteriolarum tunicas diſcindunr,quibus diſcuſſis, ſanguis neceſſariò effluit,quem ſequitur puris ſputum.

Frigida aëris inſpirario,aura borealis multùm facit ad phthiſim,nàm pulmones,pluſquàm par eſt,refrigerat,& proprium pulmonis nutrimentum degenerare facit,imò ſanguinem ipſum quaſi coagulat, & ſanguis coagulatus efficit,ut pulmones difficiliùs moveātur, & proptereà cùm facultas magnâ vi eos movere conatur, contingit, ut venę diſrumpātur,& ulcus,ac phthiſis ſequatur:volitāt in aëre varia corpuſcula,quæ furtim hauſta varias ægritudines pulmonib.inferunt. Hoc quoq; facit mora in ſpecubus ſubterraneis. Hùc pertinent regionum cōditiones, quæ frigidæ ſunt. Columellâ privati phthiſi tenranrur,quia aër frigidus ab uvulâ non temperatus, rhoracem ingrediens,pulmones refrigerar. debilitar,intēperat, & ad phthiſim diſponit.

Cibi ſaliti,fumatæ carnes.& piſces hunc affectum producere poſſunr, ut & potus frigidiſſimi, immodica vini meracioris ingurgitatio, & præcipuè potus vini acidi,&tartarei ad phthiſim diſponit,unde in Moraviæ,& Auſtriæ Provinciis phthiſis quodammodò eſt endemia propter vinum acido-tartareum crebriùs hanſtum. Itèm lapſus corporis ab alto, vel gravium rerum in corpus delapſus, pectoris violenta percuſſio,pulmonis cōtuſio,læſio,&c.

Prognoſis.

Phthiſis eſt ſæpè morbus chronicus, & ſicut in principio difficillimæ, ità temporis progreſſu omninò impoſſibilis eſt curarionis,&ſanationis impoſſibilitas non una, ſed multiplex eſt,ac perindè eò major,cùm vis unita ſit fortior:primò n. omnia medicamenta in ſtomacho immutantur,& vis medicamentoſa tanro longo irinere adeò debiliteſcit,ut vix quicquam integris viribus ad pulmones deferatur, undè ægroti medicos maledictis aggrediūtur, quia omnia medicamenta in nihilum redeunt. Secūdò,curatu impoſſibilis eſt non tàm ob cōtinuum exulcerati pulmonis motum,quàm ob aſſiduam tuſſis moleſtiam,nec pulmonis ſanies in molli,& ſpongioſâ illâ carne hærens citra tuſſim validā expurgari poteſt, quin pulmones indies magis lædantur, & lacerentur, quia ulcus,ut ſaneſcat, quiete indiget; continuus n. motus conſolidationem inhibet, ut proindè ulcus in juncturâ in parte externâ topicis adhibitis efficaciſſimis medicamentis ob illius partis motū,qui eriā coërceri poteſt,non niſi vix longo pòſt tēpore curari obſervamus. Prætereà in phthiſi adeſt aliqua pulmonis portio deperdita,quę nullâ arte reſtaurari poteſt;in ulcere nàmq; ſemper aliquid in ipsâ parte aufertur à causâ erodente.Ad hæc adde,quòd ulcus

cus, ſputum, febris, & macies omnino contraria expoſcunt remedia, ita ut febris, & macies humectantia exigant, quib. tamẽ ulcus plùs ſordeſcit, ulcus verò exſiccãtia, quib. ſputa inhibẽtur, & febris aũgetur. Interdùm tamẽ quibuſdam ulcus ſanatum videtur, cruſtâ ſuperinductâ, quæ levi tamen occaſione decidens morbum renovat, & ægrum ad priſtinum reducit ſtatum.

Phthiſis, quæ ob ulcere parvo, & nõ diuturno provenit, eſtò curatu difficillima ſit, non tamẽ omninò eſt incurabilis, ſed aliqua curationis ſpes affulget, (hæreditaria, & quæcumque altas egit radices nunquàm curatur) cùm non pauca curatorũ phthiſicorm apud obſervationũ collectores reperiantur, exempla; ſi vires robuſtæ ſint, ſputum album, æquale, unius coloris, & facilè expectoretur, catarrhus aliò divertatur, febriſq; indè minuatur, ſi appetitus vigeat, ſitis abſit, alvus quotidiè compacta, & aſſumptis convenientia depo-nat. Si æger bono ſit præditus habitu, in ætate puerili, aut pectus habeat amplum, & hirſutum, ac tandèm ſi curatio idonea maturè adhibeatur.

Eſt phthiſis malum quandóq; brevi interficiẽs, & præſertim ſi morbo acuto ſuperveniat, quandóq; diuturnum, & ad multos perſeverat annos. Refert *Avicennas* ſe mulierem phthiſicam vidiſſe, quæ per 23. annos vixerit: & *Matthæus de Gradibus* aliam mulierem phthiſim, quæ circa furnum, & ignem quotidiè occupabatur plus 28. annis vixiſſe.

Appetitus proſtratus in phthiſi, malum, præſertim elevatis ſimul hypochondriis à flatibus, atque ventriculo ab humorum vitioſorum malè affecto, de quibus phthiſici conqueruntur.

Si phthiſicorum ſputum carbonib. injectũ malè oleaaut, t pedes tumeant, aut capilli defluant, vel alvi fluxus ſuperveniat, aut ſputum ſupprimatur, vel facies Hippocratica appareat, mors in propinquo eſt. Præterea pulſus rarior debilis cum reſpiratione difficili, & tuſſi vehementi, & immani vitam in periculo eſſe denotat. Itèm pediculorum abundantia, animi deliquia, ſudores colliquativi, urinæ oleaginoſæ, & pingues, convulſiones mortem præ foribus expectare ſignificat. Phthiſici plerúmque veris, aut autumni tempore, quandò folia prorumpunt, aut deciduut, moriuntur.

Veterum Curatio.

Phthiſis curatio ad tres præcipuos ſcopos digitur à vulgaribus, ut expurgetur ulcus, reficiatur pars conſumpta, & ulcus conſolidetur, non neglectis ſymptomatibus, & accidentibus, nempè febre, & corporis extenuatione, quæ phthiſim inſeparabiliter comitantur. Verùm hæc accidentia nequaquàm removeri poſſunt, niſi ulcus ſanatum fuerit, ideóque ad ulceris curationem totaliter reflectunt, & omnia impedimẽta quæ naturam à curatione avocare poſſunt, removere conantur.

Primò itáque, ſi humores in toto redundent corpore, & in caput affluant, & deindè in pulmones depluant, illos evacuant, & corpus à cacochymiâ liberant, nè malũ foveantur, & augeatur, ac cętera ſymptomata nè graviora reddantur. Undè ad fortiora in principio recurrunt medicamenta ad catarrhum acrem, & ſalſum, præcipuam ulceris cauſam potentiùs revellendum: deindè ad blanda purgantia per intervalla repetita, verùm primò corpus ſyrupis expectorantibus utdè liquiritiâ, pomis, tuſſilagine, ſucco violarum, jujubis, praſſio,

praſſio, &c. cum aquis appropriatis præparant, deindè purgant, ut

℞. *Hordei integri p.* ß.
liquiritiæ raſæ,
paſſul. mundat. an. ℥iij.
jujubar paria ij.
Flor. bugloſſæ,
violarum an. p. ß.
coquantur ad ℥iij.
in colaturâ diſſolve
rhabarbar. in aquâ ſcabioſæ
cum ſantalo citrino infuſ. ℈iv.
mannæ ℥j.
ſyr. roſ. ſolu-. ℥ß.
f. potus.

Vel

℞. *Mannæ* ℥ij.
exhibe in pulli juſculo.

Vel parari poteſt bolus, ut

℞. *Caſſiæ recens extractæ* ℥j.
pulv. liquiritiæ ℈j.
m. cum ſaccharo,
f. bolus.

Cæterùm, ſi corpus fuerit emaciatum, & febris actualiter depaſcat, purgantia non tantùm valida, verùm etiã lenientia tuta non ſunt, quia acrimoniam non evacuant, imò exagitant, febrem, maciem, & ipſum malum augere, vires dejicere, vel diarrhæam concitare poſſunt: validioribus itaque, & lenientibus purgantibus, & etiã clyſteribus nullus eſt locus; alvus propterea potiùs ſtyptica, quàm lubrica ſervetur. Poſt purgantia ad phlebotomiam cõfugiunt vulgares, ut eorum mos eſt, verùm in phthiſi nullatenùs ſanguis in quantitate, ſed potiùs in qualitate peccat, & extenuatis ſanguinem detrahere eſt voluntariè hujuſmodi ægrotos Libitinæ litare, & quia ſanguinis, ſeu vitæ balſami, quo maximè indigent phthiſici, ſubtractio nunquàm proficua, imò nocua ſemper fuit; quaderè ſanguinem phthiſicis potiùs infundẽdum, quàm detrahẽdum exiſtimamus. In phlebotomiæ teſtimonium adducunt *Hip. 5. epid* 2. qui in hiſtoriâ illius viri in Oeniadis narrat ſe in eo ægroto vidiſſe cuncta alia remedia fuiſſe vana, confugiſſe ad ſanguinis miſſionem uſque ad animi defectum, curaſſe illum tabidum. Habent etiam hiſtoriam relatam à *Galeno 6. epid.* illius mulieris, quæ erat mirum in modum extenuata, & cui ſe cum magnâ utilitate detraxiſſe ſanguinem in magnâ copiâ narrat, & perfectè curata fuit. Verùm *Hip.* aut *Galeni* auctoritas non valet; ſiquidèm *Hip.* illum curavit virum, qui non erat verus phthiſicus, ſed conſumptus, & extenuatus propter ingẽtem extenuationem à nimio calore factam. Undè ſanguinis miſſio non abſq; ratione ſibi contulit: quemadmodùm in Romanâ illâ contulit, quoniam ex ſuppreſſis menſibus in eam corporis conſumptionem inciderat.

Ad revellendos humores à cerebro in pulmones deplüentes cauteria ſuper commiſſuram coronalem applicant, ſed eò magis caput fluxionibus obnoxium reddunt. Vel ſetaceum cervici admovent, vel fontanellas in brachijs aperiunt, undè major extenuatio, & macies, quàm par eſt, conciliatur.

Decoctum *ligni guajaci* per longum tempus continuatum ad pulmonis ulcera ſananda miris encomijs decantant *Franciſcus Arcæus*, *Ingraſſias*, *Fracaſtorius*, & *Eraſtus*, ac multos phthiſicos curâſſe teſtantur. Optimum quidèm remedium, ſed corpus exſiccat, & emaciat, nec pulmonis ulcus ſanat, febrem caliditate ſuâ auget, & ſudores movet, qui in

phthiſi

phthiſi peſſimi ominis ſunt.

Alij commendant ſequens ex *radice chinæ, & ſalſa parilla cum herbis pectoralibus decoctum*, ut

℞. *Radic. chinæ, ſalſæ parillæ an.* ℥j. *fol. ſcabioſæ, tuſſilaginis, hederæ terreſtris, ulmariæ, capillor. veneris, caryophyllatæ totius an. m.*j *hordei integri p.*j. *liquiritiæ raſæ, uvarum corinthiac. an.* ℥j. *coquantur ad lib. ij. colaturæ adde ſacchari roſ.* ℥iv.

capiat ℔. ß. *in die*. Cœterùm chinæ, & ſalſæ parillæ decoctum inſigniter exſiccat, & ſudores movet, & tot vegetabilia decocta ſtomachum laxant, & diarrhœam concitare poſſunt.

Laudant *conſervam roſarum* annum non excedentem, è cujus largo uſu multos penè deſperatos phthiſicos convaluiſſe teſtantur. Undè refert *Avicennas* mulierem quandam phthiſicam, & morti deſtinatam ejus uſu ità curatam fuiſſe, ut non ſolùm ſana, ſed & pinguis redderetur; vim n. abſtergendi, & conſolidandi roſis ineſſe, ſaccharum etiam abſtergere, & ſimul nutrire inquiunt. De hujus conſervæ in phthiſi efficaciâ fides ſit apud vulgares, at ſi hos imitari velis, in plurimis, & ferè in omnibus hæc conſerva roſarum antiqua fallet. Roſæ abſtergendi, & conſolidandi vim non tantùm habent, ſed etiam laxandi. Confert hæc phthiſi, quia adſtringit, & conſolidat ulcus pulmonum, ſed præmiſſis ulcus mundificantibus, ſed hoc opus, hic labor eſt, nàm ulcere purificato, conſolidatio eſt totius naturæ opus. Adhibetur vel nudè, vel adduntur pulveres appropriati. *Poterius antihecticum* ſuum admiſcet, alij *terram ſigillatam, vel lapidem hæmatitem*, ut

℞. *Conſerva roſ. antiq.* ℥j. *terræ ſigillatæ, vel lapid. hæmatitis* ʒj. *m.*

Saccharum abſtergere, & ſimul nutrire (ut dicunt) eſt omninò à veritate alienum, nàm potiùs putrefacit, cùm poſitum ſupra carnem recentem eam in putrilaginem degenerare facit, & fermentat, ac aciditate ſuâ latente ſanguinem, laticem, & nutrimentum inficit, ac pulmonibus nocet. Poteſtnè nutrimenti, & medicamenti rationem habere ſaccharum? Antiquorum ſaccharum, quod ſyruptis, alijſque medicamentis commiſcebatur, alterius conditionis erat, quàm noſtrum.

Adhibent *balnea aquæ dulcis* tepida ad corporis extenuati humectationem: Cœterùm hęc potius hecticis ſimpliciter, quàm phthſicis conducunt. Et in phthiſicis, eſtò ad hecticam declinent, non habent locum, niſi ulcus ab omnibus ſordibus repurgatum, & conſolidatum ſit, & corpus exſiccatum balneo ad alimentum rectiùs ſuſcipiendum præparandum ſit, ſed poſt repurgatum, & conſolidatum pulmonis ulcus corpus ſpontè nutritur citra balneorum ope.

Lac commendant, quod nos maximè commendamus, quia habet, & medicamenti, & nutrimenti rationem; optimè n. corpus nutrit, ſanguini optimam præbet materiam, vitioſorum humorum acrimoniam temperat, parte ſerorâ ulcus abſtergit, caſeoſâ conſolidationi inſervit, butyraceâ humectat, corporis emaciationi reſiſtit. Laudant vulgares lac aſininum, (ſimilium facilis eſt conventus) quia tenuius, & ſeroſius eſt, & ad ulcus abſtergendum commodius. A minori ad majorem quantitatem aſcendunt, & eâ quantitate, ut concoqui poſſit, illudque jejuno ſtomacho pro-

pinant, & nè acido coaguletur, aliquid ſacchari admiſcent.

Dioſcorides ſulphur vivum exhibet, & hinc chymici contra phthiſim medicamenta ex ſulphure, ut flores ſulphuris, balſamum, & lac, parata commendant: ſed de his ſulpureis medicamentis aliter rationabiliter ſentit *Sennertus contra Crolliũ in Baſil. Chym.* qui ſcribit, quòd *lac ſulphuris ſit balſamum humidi radicalis, vireſque confortet naturales, hecticis, & aridis peculiariter ſuâ confortatione proſit, ſi cum aquâ cinnamomi miſceatur.* Verùm, ſi ad trutinam revocetur lac ſulphuris, & alia medicamenta ex ſulphure parata, rectę rationi non reſpondet, nàm humidum radicale augendo non procedit, ſed potiùs exſiccando agit, ut lignorum decocta. Non eſt lac ſulphuris humidi radicalis balſamum, & hecticis propriè dictis, ſeu tabidis à febre ſine pulmonis ulcere prodeſſe poteſt, cùm rationi, & experientiæ repugnet; humidum nàmq; radicale non niſi alimentis humectantibus conſervatur, & reſtauratur: at ſulphur utpotè minerale non alit, ſed ignis inſtar conſumit, & exſiccat, & ſudores potenter movet, undè tantùm abeſt, ut hecticis ſit utile medicamentum, ut potiùs ijs plurimùm nocere poſſit, imò lactis ſulphuris uſu plurimos in phthiſim incidiſſe obſervatum eſt. Idem dicendum eſt de balſamo ſulphuris, qui nunquàm pulmonis ulcerum conſolidationem promittit, quomodocumque paratus etiam in levioribus pulmonum vitijs ſæpiùs magno vitæ diſcrimine in uſum vocatus fuit, imò aliqui ex nimio iſtius balſami uſu in phthiſim inciderunt. Et nos tàm balſamum ſulphuris aniſatum, quàm terebinthinatum in parvâ doſi cum ſyr. de hederâ terreſtri duobus phthiſicis bis propinavimus, & ſanguinis ſputum iterùm concitavit. Calida itàque, & ferè ignea medicamenta ſint procul à phthiſicis, & tantùm abſtergentia, & conſolidantia lenia veniant in uſum, nàm, ulcere non abſterſo, fruſtanea ſunt ea, quæ exſiccant medicamenta.

Propinant interdùm ad ulceris abſterſionem, & conſolidationem varia expectorantia, ità ſunt *looch de pulmone vulpis, de pino, de ſucco caulium ſanum, diacodion tàm in formâ liquidâ, quàm in tabellis, diacaridion. Itèm ſyr. de althæâ, de ſymphyto, papavere erratico, de hyſſopo, de nicotianâ, &c.* Verùm quia vulgares ſemper dulcibus hærent, potiùs obſunt, quàm proſunt, ideò in phthiſeos curatione parùm uſurpari debent ob rationes ſupra allatas.

Summoperè pro ulcèris conſolidatione laudãt *pulveres Haly Abbatis*, ut

℞. *Semin. papaver. albi* ℥j. *gummi Arabici, amyli an.* ʒiij. *ſemin. portulacæ, malvæ, althææ, an.* ℥. *cucurbitæ, cucumeris, citrulli, cydonior. an* ʒvj *ſpodij, ſucc. glycirrhizæ, tracaganthi an.* ℥iv. *f. pulvis.*

Doſis ʒj. *in ſyr. de jujubis, vel papavere.*

Prætereà ad ulcus exſiccandum ſuffumigia uſurpant, & illa ore, naribuſque frequenter attrahenda imperãt, ut

℞. *Gummi hederæ* ʒiij. *thuris* ʒj. *myrrhæ* ʒß. *ſuccini* ℈j. *benjoini, ſtyracis an.* ʒß. *hypociſt.* ℈ij. *ſemin. coriandri, roſ. rubrarum, ſantal. rubr. an.* ℈j. *pulveriſentur, & excipiantur mucilagine gummi tragacanthi, vel reſinâ laricea. Fiant trochiſci ſuper prunas injiciendi.*

Quantùm ſint bardi vulgares, ex his ſuffumigijs quiſque colligere poteſt, ſpe-

perant horum fumum pulmonem penetrare, & ulcus exſiccare; eſt námque fumus pulmoni inimicus, & tuſſim excitat. Si phthiſicus totam ſalutis ſpem in ſuffumigijs reponit, de ejus ſalute conclamatum eſt. Eſt aër optimæ notę, ut in Stabijs, ad quas *Galenus* ex Grętiâ phthiſicos mittebat, nec tamen in tali aëre, quem continuo potabant ęgri curabantur: conſiderate nunc, ſi fumus talium aromatum, & rerum reſinoſarum pulmonis ulcus ſanare valeat?

Febrem habitualem medicamentis humectantibus, & refrigerantibus extinguere conantur: ſed fruſtrà laborant, nàm febris non eſt cauſa mali, ſed tantùm accidens conjunctum.

Exterius pectus manè, & ſerò ſequenti linimento refrigeranti, & lenienti inungunt, ut

℞. Gummi tragacanthi, Arabici an. ℥j. *infundantur in aquâ roſaceâ per diem, & noctem, adde*
ol. violacei ℥ij. *ſ. butyri recentis* ℥ß. *ſal. prunellæ* ʒij. *camphoræ* ℈j. *lactis mulie-bris* q. ſ. *miſceantur in mortario, & f. unguentum.*

Verùm hoc unguentum pulmones non penetrat, & tantùm extimam thoracis partem inficit, & poros obſtruit.

Tandèm ad maciem, & extenuationem reſtaurandam, aut impediendam præter victum ordinarium utuntur varijs deſtillatis, gelatinis, electuaris reſtaurantibus, morſulis, juſculis conſumptis, præſertim ex vituli hepate, & pulmonibus, imò aliqui ex vituli meſenterio, hepate, & pulmone julapia conficiunt, ſed eſt vilis annona, eritq; nimis barbus, & ridiculus ille medicus, qui phthiſicum extenuatum pinguem reddere conatur, niſi phthiſeos cauſam priùs evellat; nàm optimus quiſque cibus refectivus in phthiſici corpore corruptioni ſubjacet, & potiùs detrimentum, quàm quicquam emolumenti afferat, cùm *corpora impura, quò magis nutries, eò magis lædes.*

Noſtra Curatio.

Expediti à vulgarium curatione noſtram proponimus, ſed quia vera phthiſis eſt prorſus incurabilis, nos ejus curationem inſtituere piget: attamen quandóq; in medicinâ accidunt monſtra, ut deſperati, & omni ſalutis ſpe deſtituti etiam ſanitati reſtituantur. Pręterea curationem proponimus, ut ſaltim, qui huic malo ſunt obnoxij, præſerventur, vel ſi phthiſici integræ ſanitati reſtitui nequeant, ſaltim medicamentorùm ope diutiùs optatam vitam protrahant. Sunt medicamenta, quæ à proprietate phthiſim curant, ſed hæc non omnibus dantur, nec typis mandantur, nè margaritæ antè porcos vulgares proijciantur, quorum, tanta eſt copia, quanta muſcarum in Apuliâ cum maximè calet. *Avenzoar* narrat ſe à paſtoribus audiviſſe, quòd oves pulmonem ulceratæ quodam naturæ inſtinctu quærunt herbas, ut ſibi medeantur, quibus inventis, ab hoc eripiuntur malo, & hoc paſtores cognoviſſe inquit ex pulmonum cicatricibus, quas in occiſis ovibus inſpexerunt. Eapropter nos audaciores redditi curationem aggrediemur, & noſtra medicamenta in propatulo ponemus, & quæ à proprietate hunc morbum curare poſſunt, cordatis ſeligenda relinquimus. Nec curationem auſpicari poſſumus, niſi à fonte diætetico, qui auxilij eſt locupletiſſimus, cujus ſolius munere quandóque graviſſima tol-

luntur mala, ſine quo fruſtrà laborant medici. Conſiſtit in recto ſex rerum non-naturalium regimine, ut noxia declinentur, & proficua obſerventur.

Aër, quem phthiſicus haurit, ſit temperatus, ſerenus, ac mitis, vitetur in nimio calore, & frigore excedens, ac ejus ſubitæ mutationes. Fugiatur intensè frigidus, nàm frigidus aër poſt corporis calorem ſubitò inſpiratus variarum inflammationum, & conſequenter phthiſeos, cauſa exiſtit: frigus verò temperatum, & humidum phthiſicis non inconveniens eſt. Autumnalis frigidus aër nocuus, & tabes inter affectus, qui autumno proveniunt, recenſetur. Siccus aër maximè nocet, quia nimis exiccat, ac propterà emaciatis obeſt. Vitetur aër particulis acribus, acidis, ſalinis, corroſivis malè configuratis, & contagioſis conſpurcatus, quia pulmonibus infenſæ ſunt, eorumque ulcus magis exaſperant. Sit itàque aër temperatus, putà alkalicis particulis refertus; hæ nàmque acidas, acres, ſalinas, corroſivas emendant, & inimicas amicè corrigunt, & hac de causâ antiqui phthiſicos ad Stabias mittebant, locum præcipuè ſiccum, ideſt alkalicis particulis imbutum ob Veſuvij Montis vicinitatem, qui Ætnæ inſtar, perpetuò flammam, cineres, & particulas alkalinas evomit. Sed hunc aërem fuſiùs *cap. de Febre Hecticâ* trutinavimus. Prodeſt talis aër, ubi ſpes aliqua recuperandæ ſalutis affulget; ſi n. de ulceris curatione deſperetur, & æger ad extremam maciem redactus ſit, talis aër ulcus non ſanabit, ſed ægro mortem accelerabit. Maximoperè aëris mutatio hujuſmodi prodeſt ægrotis, quadere Angli plures tuſſientes, aut tabidi, auſtrales Galliæ Regno gregatim petunt. Si aër naturaliter medicamentoſus haberi nequit, arte parandus erit, undè *Plinius* ſcribit, quòd phthiſici vivant in ſaltibus, ubi pix naſcitur, eò quòd aër ille pulmonis ulcera exſiccat, & conglutinat: poſſunt ergò etiam ligna reſinoſa, & arbores piceæ in conclavi haberi, vel incendi.

Cibus ſit boni ſucci, digeſtionis facilis, & multi nutrimenti, ut corpori extenuato robur concilier, in quem finem conducunt hepata gallinarum, teſticuli gallorum, carnes vitulinæ, caponum lacte altorum, columbarum, gallinarum, & pullorum farre nutritorum, contuſæ, vel indè parta juſcula, vel elixæ. Commendantur cancri fluviatiles, quia ſale volatili alkali conſtant. Itèm caro cochlearum, limacum, oſtrearum, ranarum fluviatilium, teſtudinum, & animalium extremitatum, & ex his brodia parata; putant vulgares has habere nutrimentum ſolidum, & viſcoſum, ac proptereà partibus conſumptis agglutinari, nec à lentâ febre reſolvi; ſed errant, nàm ex his pars ſpirituoſa educitur, & juvant, quia acidum abſorbent ob alkali temperatum, quod continent. Commendantur farra, priſana hordeacea, quia frigida, & humida, ut credunt, ſed quia temperato alkali ſunt prædita. Inter fructus laudantur dactyli, paſſulæ, ficus pro ſecundâ menſâ ob dulce nutrimentum, quod generant. Similiter nuclei pinearum, piſtachiorum, amygdalarum dulcium, qua-

tuor

tuor ſemina majora frigida putata, & indè paratæ emulſiones, & hæc ſuo lentore mucilaginoſo acres, & acidas particulas obtundunt. Circa cibū duo notamus, unum eſt, ut edulia mutentur quia cùm in hujuſmodi infirmis facilè appetitus imminuatur, niſi ciborum varietate ſuſtententur, non ægrè cibos faſtidiunt. Aliud eſt, ut cibus ſæpè exhibeatur, ſed in medicâ quantitate, quia coctio, cùm in phthiſi ſit valdè imbecilla, oportet, ut vires reſtaurentur, juſtam ciborum copiam exhibere, ſed ut concoqui poſſint cibi in paucâ quantitate, & ventriculus non obruatur. De lactis uſu hùc transfer ea, quæ *capite de Febre Hecticâ* dicemus, nàm utriuſque eadem eſt ratio. Vitentur omnia acida, acria ſalſa, & muriatica, quæ talem conditionem nutrimento, & ſanguini communicant. Fugiantur eodem modo cepæ, ſinapi, allia, porri; Vitentur dulcia, quia morboſum gerunt acidum occultum.

Potus ſit aqua hordei cum paſſulis, vel decoctum ſantali, radicis chinæ, vel glycirrhyzæ, verùm ſi abſtergendum ſit, aqua mulſa benè diluta, vel aqua hordei cum pauco melle conducit; ſi glutinandum, aqua hordei, in quâ ſaccharum roſaceum ſit diſſolutum. Vinum maximè conducit, ſed in modicâ quantitate ſumptum, non generoſum, minùs acidum, aut auſterum, quia ventriculum roborat, nutrit, ſpiritus, & vires adauget. Potus frigidior, & nimiæ potationes vitentur. Aqua vitæ, tanquàm aqua mortis, fugiatur.

Motus ante comeſtionem convenit, ſed deambulationes ſint mediocres, verùm ſi æger debilis, geſtetur thedâ, vel ſede geſtatoria à duobus viris. Vitetur cantus, vel clamor, cùm pulmones magis moveat, & conſequenter eorum ulcera refricat.

Quies nimia nocet, quia humores cunctatione torpidiores, & acriores redduntur, verùm poſt cibum quies neceſſaria eſt.

Somnus magis neceſſarius eſt, ſed non ſit immoderatus, nè ſputa in ſomno retineantur, & malum augeatur.

Vigilia non ſit nimis protracta, nàm humores reddit acriores, coctionem vitiat, ſpiritus reſolvit, & phthiſicos macilentiores facit: ſi itàque nimia ſit, temperatè opiatis abigatur.

Excernenda excernentur, & *retinenda* retineantur, ac proindè alvus nimis ſtricta non ſit, cujuſmodi emaciatis frequens eſſe ſolet ob ſiccitatem, & talis alvus aliquam ſecuritatem phthiſicis portendit, verùm, ſi ſui muneris oblita fuerit, blandè in dies admoneatur, ſed nimis non fluat. Hæmorrhoides, & menſtrua per ſuos proprios ductus naturâ, vel arte fluant, nè per vaſa pulmonaria debilitata ſe exonerent, & cùm exitus denegetur, ſaltē aliquid remaneat, quod aceſcere, putreſcere, & malum accelerare poſſit.

Animi paſſiones malignæ, ut iræ, rixæ, Veneris uſus, niſi malum à ſemine ſuppreſſo excitatum fuerit, terror, mœſtitia, invidia, metus, &c. vitentur, quia ſpiritus animales turbant, & ſanguinis maſſam acrioribus particulis infarciunt, vel ſanguini remoram inducunt, & deindè illum coagulant. Benignis itàque paſſionibus, ut falſo gaudio, fictâ animi tranquillitate, & vanâ ſpe, quæ miſeros fallunt, phthiſicus ſublevetur.

Curationem pharmaceuticam eò dirigamus oportet, ut cauſa, quæ ſan-

 guinis

guinis maſſam inficit, tollatur, acrimoniæ acidæ, ſalinæ, & vitriolatæ mitigentur, & maſſa ſanguinea ab omnibus recrementis abſtergatur, nè pulmones exedantur, & conſummata, ac deplorata phthiſis quibus tractetur remedijs, & tandem ut ſymptomata ſedentur.

Cauſa, quæ ſanguinem inficit maſſam, primaria eſſe ſolet ſtomachus, qui alimenta non benè conficit, ſed ejus vitio particulæ acido-ſalinæ progignuntur, & deindè in ſanguinis maſſam ſe intrudunt, ut in hypochondriacis, & ſcorbuticis obſervamus, ac proindè primò ſtomachi ratio habeatur: quapropter, incipiente mali ſuſpicione, ſtatim vomitoria, quæ apprimè neceſſaria ſunt, præbeantur, & reiterentur, ſintque blanda, ut *aqua benedicta* ab *Hartmanno* in hoc affectu commendata, *noſtrum hippocras emeticum*, *tartarus emeticus*, *aqua Æſculapij*, vel ex vegetabilibus *aſari decoctum*, & præſertim ſi ventriculus peccantibus humoribus, & in primis bilioſis, nàm ſemper ad phthiſim proclives, & phthiſi affecti de oris amaritie, & amarulentis ſputis conqueruntur, turgeſcere, & nauſeare videatur, tunc illa alijs evacuantibus palmam præripiunt; unico n. vomitorio plùs evacuari poteſt, quàm ſex ſedibus. Evacuat vomitorium non tantùm peccantes à ventriculo humores, ſed in illo nixu etiam recrementa ex pulmonibus. In phthiſi verò perfectâ, ubi urget difficilis materiæ excretio, *Bartholetus*, & *Sylvius* inſigniter vomitoria commendant, quia præter ſordes in ventriculo aggeſtas pectoris ſaburram, & materiam purulentam ex pulmonibus inter vomendum in illo vehementi conatu copiosè educunt, nec alia via adeò, imò compendiaria ad purulenta ſputa excernenda, quàm per ſuperiora, tuſſi comitante in vomitionis actu. Verùm magnâ cautelâ opus eſt, vomitiones nàmque non uſquè adeò tutæ ſunt, ubi jàm actu pulmonum læſio, ſeu exulceratio ſuſpicabilis eſt; facilè enim etiamnùm plùs lædi, vel vomitus ſanguinis excitari poſſet.

A vomitu ea conducunt medicamenta, quæ ſtomachum corroborant, ut *elixir proprietatis ſine acido*, *elixir Helmontij*, *Paracelſi*, *balſamus proprietatis*, *pulveres ſtomachici*, *ſpiritus ſalis coagulatus*, *elæoſaccharum citri*, & *alia*, quæ alibi deſcripſimus. Vitriolationum chalybis uſus non omittendus, quia in roborando ventriculo, & tollendis obſtructionibus vix par habet; ſi verò pulmonis læſi, vel exulcerati ſuſpicio adſit, vitriolata utut acida, vel aquæ acidulæ minerales, vel arte paratæ Diabolo pejus fugiantur, quia inſigniter tabidorum pulmones læſos lædere pergunt, cùm vitriolum virulentum ſit phthiſicis, eorumque pulmones exedat.

Purgatoria medicamenta prorſùs exulent, non tantùm fortia, ſed etiam lenia, quia à leni purganti etiam liberaliter evacuatur, nec acres particulas educit, & à pulmone nihil exturbat, imò craſſa, vel purulenta saburra in pulmone contenta magis exagitatur, & acrimonia magis augetur, & tales ægros à purgatione veſperi pejùs, & crebriùs tuſſire experientiâ conſtat. Omnia medicamenta aloëtica, tanquàm malefica proſcribimus, phthiſicis nàmque nocent, quia venarum orificia aperiunt, & ſanguinis ſputum concitant.

Ad

Ad acrimoniam acidam, vitriolatam, ſalinam, & realgarinam unà cum ſanguine, quæ vehitur, & ſuo circulo per pulmones itque, reditque viam toties aciditate ſuâ corroſivâ illos lædere, & exulcerare valet, corrigendam totos intendimus nervos, ut phthiſis imminens avertatur, & incipiens in ſuâ primâ geneſi inhibeatur, vel curetur. Ad hunc conſequendum ſcopum decocta conducunt, quæ acre acidum temperant, & corrigunt, ac ſuo alkali volatili, & temperato caſtigant, & ſordes pulmonem exedentes, & exulcerantes reſolvunt, & inſenſibiliter, vel ſenſibiliter per univerſale corporis emunctorium, ſcilicet per cutem, vel ſaltem per diureticas vias exturbant, & ſanguinis diſcraſiam corrigunt:

℞. *Limatura ligni guajaci* ℥iv. *cortic.* ℥j. *ligni aloës* ʒj. *ſaſſafras* ℥jß. *ſemin. aniſi* ʒij. *cinnamomi electi* ʒj. *ſantali citrini* ℥jß. *infunde in aquæ ferventis* ℔v.

in alembicum cum capitello cæco ponantur in loco calido per 24. horas. Deindè ſenſim coque vaſe optimè tecto, & amoto igne, ac frigefacto alembico, colatura cautè defundatur. Doſis ℥v. quas edulcora *cum ſyr. de ſymphito Fernelij* ℥jß. *vel conſervâ roſ. antiquâ.* Hæc decocta ad plures dies reiterentur in aurorâ, & æger ſtragulis benè tectus dormiat, ſi poſſibile eſt, & ſudores expectet. Si phthiſis à Lue Venereâ ortum ducat, præſtantiſſimum eſt hoc decoctum, præter ea, quæ libro de *Lue Venereâ deſcripſimus.* Relictis in fundo alembici materialibus affunde aquæ cæleſtis lib. iv. & appoſito capitello cæco bulliant ad ſeſqui horam, & circa finem injice cinnamomi acuti ʒij. frigefacto vaſe, cola pro potu ordinario.

Vel

℞. *Radic. chinæ in taleolas diſſect.* ℥ij.
trium ſantalorum an ʒj.
ligni ſaſafras ℥j.
infunde in aquæ hordei deſtillatæ ℔viij.
& ſtent in loco calido per diem, & noctem poſtmodùm bulliant ad medietatis caſum, & injice
paſſul. major.
corinthiacarum an. ℥j.
coque ad crepatur. & in fine adde
cinnamomi opt. ʒijß.
remove ab igne, & defunde. Doſis ℔ß:
& edulcora cum ſyr. de hederâ terreſtri.

Vel ℞. *Salſæparillæ minutim inciſæ* ℥ij.
radic. chinæ diſſectæ ℥j.
ſantali citrini ʒijß.
ligni aloës ʒj.
dactylor ſine oſſib. paria iij.
paſſul major. ſine arillis ℥ij.
radic. tuſſilagin.
pulmonariæ an. ℥j.
fol. bellidis minoris p. j.
hederæ terreſtris m. j.
infundantur omnia in
aquæ caleſtis ℔v.
in vaſe vitreo, quod capitello cæco clauditur, ſtent in loco calido per diem civilem. Tum demùm bulliant ad horas ij. *frigefacto vaſe, decanta ad lib.* iij. *Colaturæ adde aq. cinnamomi* ℥j:
ſyr. de papavere rheados ℥v.

Doſis ℔ß. manè, & ſerò, tribus, vel quatuor horis ante cibum.

Prodigioſum eſt *decoctum antiphthiſicum, in noſtrâ Mantiſſâ deſcriptum,* in phthiſi imminenti, & inchoatâ, cùm nunquàm confirmata curetur; phthiſim námque imminentem avertit, quia acidum, acre, vel ſalſum in ſanguine, & latice corrigit, temperatque inchoatam phthiſim, & pulmonum ulcus, ex quo pus toti ſanguinis

maſſæ communicatur, undè non tantùm lenta, & habitualis febris ſuam cognoſcit geneſim, eliminatur, & tabes lethalis profligatur, mundificat, conſolidat, ſanat, & ſanguinem pure conſpurcatum repurgat, & abſtergit, ut

℞. Radic. ſymphiti majoris, ariſtolochiæ rotundæ an. ℥ß. *fol. hederæ terreſtris* ℥jß *plantaginis, ſcabioſæ, cynogloſſæ an. m.* j *ſaniculæ, hyperici an. m.* ij. *radic. chinæ in taleolas* ℥j.

Infunde in aqua ſtillatitia ſaniculæ ſ. q. & poſt 24. *horas bulliant, & de hac colaturâ* ℞. ℥xij *quibus diſſolve ſucci purificati perſicariæ, pirolæ an.* ℥jß. *edulcoretur manûs Chriſti perlata ſ. q. vel balſamo Peruviano liquido fortificetur pro uſu.* Doſis ℥ij. ad ℥iij. manè & veſperi.

Ad acido-acres particulas peccantes in ſanguine, & latice, ac pulmonibus inhærentes demulcendas, ut omnem lædendi, & exedendi activitatem deponant, alia ſuppetunt medicamenta; hæ námque particulæ & fomes niſi maturè abigantur, quæcumque optimæ notæ medicamenta propinata nullius ſunt momenti, imò infeſta obſervamus, & ægel ſemper ruit in pejus. Hæc ſunt, quæ acidum abſorbent, infringunt, concentrant, cicurant, dulcificant, quia alkalino temperato ſale prædita ſunt, & anti-acida vocantur, ità ſunt *lac, & magiſterium perlarum, antihecticum Poterij à nobis in febre hecticâ deſcriptum, manna, ſeu ſaccharum aluminis, oculi, & alkali cancrorum fluviatilium, ſtibium diaphoreticum, vel magacanthum frigidum,* quibus addi poteſt nonnihil de laudano opiato, quo ſolo humorum acrimoniam, & tuſſim tollimus, quæ ab acrimoniâ dependet, ut

℞. Anti-hectici Poterij ʒß. *ſtibij diaphoretici* ℈j. *oculi cancror.* ℈ij *pilul. de cynogloſſâ* ʒj. *M. cum ſyr. de hederâ terreſtri, f. pilul.* xx. *& deaurentur.* Capiat æger unam in aurorâ, & alteram poſt cœnam.

Cùm in phthiſicis ſanguinis æſtum animadvertimus à particulis acido-ſalinis, ad eum ſedandum conducunt emulſiones ex *ſeminibus frigidis majoribus, & minoribus, amygdalis dulcibus, papavere albo, & lactuca,* quibus addes laudani opiati gr. j. Hæ námque emulſiones lentore ſuo mucilaginoſo, & oleoſitate acido-acres particulas infringunt, & demulcent, & omnem vim corroſivam obtundunt, ut

℞. Semin. melonum mundat. ʒß. *amygdadal. dulcium mundat. num.* viij. *ſemin. papaver. albi* ʒj. *lactucæ* ℈j. *f. emulſio in aqua nymphææ* ℥iij. *laudani opiati* gr. j. *ſyr. de hederâ terreſtri* ℥j. *præbe poſt cœnam.*

Sunt nonnulla, quæ ex vegetabilium Regno acrimoniam corrigunt, & dulcificant, *ut folia endiviæ, portulacæ, veronicæ, lactucæ, tuſſilaginis, nymphææ, violarum, ſantala omnia, &c.* ex quibus varia concinnantur medicamenta, quia volatili alkali temperato prædita ſunt, ut

℞. Radic. tuſſilaginis,
liquiritiæ,
ſcabioſæ,
helenij an. ℥ß.
fol. pulmonariæ,
hederæ terreſtris,
bellidis minoris,
eryſimi an. m. j.
flor. roſarum,
bellidis minoris,
tuſſilaginis,
violarum,

ſca-

ſcabioſæ an. p. ij.
ſantalorum omnium an. ʒj.
coque in. ſ. q. aquæ com.
colaturæ adde
ſyr. de praſſio ℥ij. *vel* iij.

Capiat æger ſubindè hauſtum bis, ter, vel quater in die.

Pro temperandis his particulis, & præcipuè nocturnâ tuſſi ſiſtendâ, & copioſo ſputo coërcendo optimum remedium eſt *laudanum opiatum, & maſſa pilularis de cynogloſſa*, cujus largas doſes præ alijs ægris diù citra noxam phthiſici ferre, & diù conſervari poſſunt, imò eò opiata gratiora ſunt, quia vigilias nimium urgentes curant, ut

℞. *Anti-hectici Poterij* ℈j. *lactis perlarum* ʒß. *laudani opiati* gr. xij. *conſervæ flor. papav. rhæados, hederæ terreſtris ana.* ℥ß. *ſucci liquiritiæ inſpiſſ.* ʒiij. *balſami peruviani liquid.* ʒj. *m. optimè, f. opiata. Doſis* ʒj. *poſt cœnam.* Vel

℞. *Sacchari Saturni* ℈ß. *Anti-hectici Poterij* gr. xij. *laudani opiati* gr. ij. *m. cum ſ. q. balſam. Peruviani, f. pilul.* iv. *& duabus horis ante cœnam aſſumantur duæ.* Vel

℞. *Magiſterij Perlarum, ſtibij diaphoretici an.* ʒß. *magiſt. lapid. cancr.* ʒj. *tragacanthi* ʒij *pilul. de cynogloſſâ* ʒß. *m. & cum ſyr. de cancris fluviatil. q. ſ. f. pilul.* xij. *& deaurentur.*

Doſis pilul. ij. *poſt brevem cœnam.*

Conveniunt opiata in phthiſeos principio, & augmento, ſed in ſtatu, cùm difficilior eſt anhelitus, aut quandò multa ſputa viſcida excreanda ſũt, tunc cautè uſurpanda veniunt, aut, quod melius, penitùs prætermittenda, nè ſputa incraſſetur, excretio impediatur, & phthiſicus ſtrangulatus pereat.

Imaginãtur vulgares phthiſim à deſtillationibus à cerebro in pulmonem depluentibus fieri, idq; à tuſſi aſſiduâ augurantur: at talis tuſſis non fit à putatitijs deſtillationibus, ſed excitatur à lymphâ acri acido-ſalinâ in maſſâ ſanguineâ, quæ pulmones in ſuo circulo ſuis aculeis titillat, pungit, & ad tuſſiẽdum, quod exoticum eſt, urget, & quia hæc lympha eſt depravata, in circuitu caput afficit, & ægroti de capite lamẽtantur; rentur vulgares ideò à capite tanquàm intemperato deſtillationes guttatim, non ſemel, ſed ſæpè cadentes in pulmones depluere, illos cavare, & exedere, ac proindè toto errant cœlo.

Præbent vulgares opiata ad has ſiſtẽdas, & incraſſandas fluxiones in cerebro, nè in pulmones depluentes, illos exulcerent, ſed ex pilularum de cynogloſſâ exuberanti doſi materia excreanda in pulmonibus incraſſatur, & ſiſtitur, & ex harum aſſumptione ægrotos ſuffocatos, integro manente cerebro, obſervavimus.

Phthiſis conſũmata, & perfecta nunquàm curari poteſt, per hæc tria tamẽ medicamenta, putà per legitimum lactis, & vulnerariorum uſum, ac per aëris mutationem diutiſſimè vita protrahi poteſt. Si itáq; phthiſis perfecta fuerit, & jam ulteriùs altiores egerit radices, & æger planè emaciatus fuerit, ad lactis uſum, tanquàm ad ſacram anchoram, recurrendum eſt, ſeroſâ nẽpè parte non tantùm abſtergit, ſed etiã ſanguinis, & laticis acrimoniã demulcet, & corrigit, caſeoſâ conſolidat, & butyraceâ humectat atq; utrùm prodeſſe poterit: Verùm ſi phthiſis ex ſtomachi vitio ſuam cognoſcat geneſim, niſi hic priùs corrigatur, facilè in ventriculo aceſcit, & corrumpitur, cum tenerrimum ſit, & facilè inficitur, & coagulatur, & poſtmodùm plus nocu-

menti, quàm emolumẽti expectandũ. Si acidum vitioſum in ventriculo hoſpitetur,& lateat, illud, antequàm cura incipiatur, per anti-acida abſorbeatur, aliàs lac aſſumptum coagulatur, undè maxima noxa emergit. Si febris urgeat putrida,nocet, nàm *febricitantibus lac dare,malũ.* Si diarrhœâ phthiſicus affligatur, lactis uſus proſcribatur. Animalia,ex quibus lac emulgendum eſt, non debent eſſe gravida, & optimis herbis anti-phthiſicis, balſamicis, & vulnerariis alta eſſe oportet. Lactis uſus ad minimum per tres menſes continuandus eſt,& æger,qui lacte utitur,illud debet ter in die ſumere ad ℔ß.& vix alium cibum ſumere,idque per aliquot hebdomadas, donec corpus proficere, & vires augeri cernamus,poſtmodùm in dictũ lac aliquot micas panis infundere, & optimè ſe habens edulia cõcoquere poteſt.Sumpto lacte, moderato exercitio corpus moveatur,ut faciliùs diſtribuatur,nec longâ indiget in ſtomacho coctione, cùm ſit cibus facillimæ coctionis, ut dicunt vulgares,imò chylus anteà benè præparatus.

Muliebre præ cæteris lac, tanquàm ejuſdem naturæ, & corpori humano familiariſſimum, ut primum alimentũ, pro ægri refectione maximè excellit, quia præ cæteris eſt nimis ſubtile, ocyus ſe diffundens,&meliùs nutriẽs. Quantùm nutriat hoc,videri poteſt in infantibus,qui potenter ſolo tamẽ lacte nutriuntur: verùm phthiſicus muliebre lac ab uberibus ſugat,&nutricẽ conducat,eamq; optimis nutriet cibis, ſi inveniatur, quæ phthiſicum lactare velit ob infectionis ſuſpicionem.

Poſt muliebre lac aſininum, & ex aſinâ nigrâ commendãt vulgares,quia frigidius,humidius,& tenuius,ac minùs coagulatur. Miramur tamẽ vulgares tantas dotes Arcadico pecori attribuiſſe, & in tantam ſuſtuliſſe gloriam, quòd ejus lac humanum genus phthiſi correptũ reſtauret,cùm olim Ægyptij adeò abominati ſint non tantùm propter imperitiam,ineptias,&contumelioſam naturam, quàm quòd victimis ſit inhabilis (Deus enim in ſacris Hebræorum hoc animal ove commutari juſſerat) judicatur. Præterquam quòd,qui lacte aſinino aluntur, naturam, & mores induunt aſininos, nàm infantis mores à nutricis lacte formãtur: Si itàq; homo aſininam nutricem habeat,ejus naturam,& mores induit, &hac de causâ *Chryſippus* doctam nutricem infanti oratori futuro dandã eſſe cenſebat.

Poſt aſininum caprinum quoque phthiſicis perutile eſt, adſtringentius tamen habetur. Itèm equinum,vaccinum,& bubulum commendatur, omnibus curationis intentionibus adimplens.Debet lac calidum ſumi ab ubere raptum, & nè aceſcat, coaguletur, grumeſcat,& caſeſcat,addi aliquid de *ſaccharo roſato,vel ſimplici,vel ſale*,ſed nos *ſyr.de menthâ, vel ejus ſuccum* lacti immiſcemus;mẽtha námq; experta eſt contra lactis coagulationem, quòd lacti impoſita non ſinit illud aceſcere, coagulari, & in caſeum condenſari,ac proindè uſitata eſt mulieribus ad impediendam lactis coagulationem,quę valdoperè nocere,& varia mala inducere ſolet,quę præcavet mentha. Hinc ceu ſecretum à quibus habetur in lactis coagulo,recipiunt mentham viridem,contundunt,& cataplaſmatis inſtar mammis applicant,quod per plures dies faciunt,cataplaſma renovãdo

quo-

quotidiè, vel cataplaſmatis loco decoctum menthæ cum linteis fomenti inſtar mammis admovetur, coagulum reſolvitur, & ulteriùs impeditur.

Præterea phthiſi perfectæ decocta vulneraria ex vegetabilibus antiphthiſicis conducunt, quæ ſi eam non curant, ægrum ſaltem diutiuſculè vivere ſinunt, & omnia, quæ in imminēti, & incipienti deſcripſimus. Juvant *ſyrupi de hederâ terreſtri*, *cancris fluviatilibus*, *nicotianâ*, *praſſio*, *&c.* pro lâbitivo, quia viſcidam, purulentamque materiam pulmonibus adhærentem expurgant. A ſolutivis, & ſudoriferis cave, nè illa poſt ſe diarrhœam relinquant, & hæc ſudores colliquativos concirent.

Tandèm ex vegetabilium Regno *terebinthina Cypria* commodiſſimè cum alijs aſſumitur, & præſertim ubi adſunt internarum partium ulcera, quoniam detergit, & purificat ulcus. Aſſumitur etiam etiam in *ovo ſorbili*, *vel in vino calido, vel in ſyr. de hederâ terreſtri:* ſed nauſeoſum eſt medicamentum, & præcipuè cum ovo ſorbili digeſtivi vulgaris ſpeciem habet, præſtat balſamus Peruvianus terebinthinæ loco. Hac occaſione cujuſdam medici recordamur, qui pilulas de terebinthinâ cuidam fœminæ phthiſicæ propinabat, & has auro cariores ſub ficto balſami ſolaris nomine vendebat. Verùm magnū in phthiſi arcanū inter vegetabilia eſt *herba bellidis cum butyro frixa*, & ſæpiùs comeſta tàm cruda, quàm in edulium cum carnibus cocta, ex quâ etiam acetaria fieri poſſunt.

In phthiſi hæreditariâ ea, quæ deſcripſimus, propinari poſſunt ad miſeram vitam producendam, & *Boyle ſpiritum ſanguinis humani rectificatum* in hac phth ſi deſperatâ mira præſtitiſſe refertur.

Diarrhœa colliquativa ſi ſupervenerit, utut ferè peſſimi ſit ominis, abſorbentia poſtulat, ut eſt *terra ſig llata*, *cryſtallus montana præparata*, *c rnu cervi uſti*, *extractum radic. torm n illæ*; & ſimilia conducunt, quæ v l :nt quantum valere poſſint, nàm virus illud laxativum, & colliquativum non eſt abſorbendo.

In imminenti, vel incipienti phthiſi aëris mutatio maximoperè prode'', & præſertim ad exteras regiones peregrinatio; mutando enim aërem, & cibum multi ab hoc morbo fiunt incolumes. Utiliſſimum quoq; eſt phthiſicis navigare, quia ſicut externa navigan ium ulcera ſiccantur, & facilè ſanantur: ſic pulmonum ulcera frequenter ab aëre marino ſicco, & ſalſo tacta ſanantur, aut ſaltim præſervantur; undè veteres phthiſicos in Ægyptum mittebāt potiùs propter navigationem, quàm propter illud Cœlum. In phthiſi confirmatâ, & deploratâ aëris mutatio inſervit tantùm pro accelerandâ morte.

CAPUT VIII.

De Cordis Palpitatione.

Noſtræ vitæ primordia, ex quo primum obumbrari proſpiciuntur, tùm potiſſimùm in admirabili cordis machinâ, veluti totius operis fundamento excitantur, quippè quod primum extruitur, & perenni motu, vitâque agitatur, & vivit, cor eſſe cuilibet in naturæ operâ curioſus exquirenti autopſia monſtravit. Hinc cùm uſus tàm apud veteres quoque comperto fuiſſet, nonnulli pro certo habuere in ſolo corde tanquàm in nobiliori

biliori ſolio animam præſidere. Etenim cùm vitalis aura è corde prodeat, atque ab ipſo ſanguis nè dùm promanet, verùm vitæ charactere ſignetur, quinimmò plerique ſanguinis, totiuſque corporis incendiarium cum antiquis, & præcipuè cum *Galeno* credere non ſunt veriti; meritò tantùm ſoli cordi tribuêre, quantùm ex reliquis membris fortaſſè nemini. Certè nec ſine ipſo vivere, nec vel aliquo affligatur malo diutiùs ab hac vitâ degere nobis omnibus, qui hanc terram incolimus, datur. Sæpiſſimè videmus aliquo affectum incommodo totum corpus, & ipſam mentem miſerrimè agitari; hinc luctus, hinc dolor omnis, & triſtes ejulantium voces; hinc denique omnis animi conſternatio promanat, ſic quoque contrà riſus, gaudium, voluptas, omniſque animi hilaritas ex corde pendere certum. Prætereà nonnulla ſunt, quibus affectum cor vita cum ipſo extinguitur, niſi quantùm poſſibile ſit adjumento ſimus, quippè vario morborum genere non raiò afficitur; nimirùm eryſipelate, tumoribus, inflammatione, ulceribus, aliiſque gravioribus, in quibus deſcribendis non immoramur, quia ut incurabiles, ità cognitu difficiles, ut in extinctis non niſi anatome comprehendat; ſed tantùm agere nobis eſt animo de palpitatione, lipothymiâ, & ſyncope, quia licèt perniciosi ſint affectus, quandò idiopathicè patitur, minùs tamen periculoſiores erunt, ſi ſympathicè excitentur.

Eſt cor, inſtar rotæ molendinariæ perpetuò aquarum inſultu agitatæ, membrum irrequietum, quod aſſiduo ſuo fermento occupatur in efficiendo è cruore in dextro ſinu ſanguinem arterialem in ſiniſtro, & ex hoc ſpiritum vitalem ad animæ ſubſterniculum. Hic ſanguis per fermentationem calorem, & motum acquirit, totuſque per corporis diaphæreſim abſque omni fæce, aut capitis mortui reſiduo in auras exhalat, cùm ſit de naturâ gas. Fermentatio hoc in ſiniſtro cordis ventriculo fit, ex quâ calor, & motus, ideóque vitalitas, ut videre eſt in fermentationibus; eſt tamen ejus ebullitio æqualis, ac pulſus ſubindè æqualis, quia à naturâ rerum omnium effectrice, & moderatrice fit. In hoc ſiniſtro ſinu efficitur cordis digeſtio cum ſanguinis mutatione in ſpiritum vitalem, ſed non totus ſanguis vertitur in ſpiritum purum, quia non poteſt ob celeritatem, & vehementiam, nec debet. Hinc per arterias in totius corporis partes defertur, quibus calorem, & motum impertitur. Nec calor, qui in effervеſcentiâ ſuboritur, eſt à corde, ſed à vitâ; undè conſpicuum eſt calorem tantùm eſſe vitę noſtræ adjacens, & concomitans judiciũ, non autem fundamentum primarium. Spiritus iſte vitalis merum eſſet cadaver, niſi à vitâ, quæ eſt lux, irradiaretur, iſta lux eſt in ſpiritu, hic cùm per arterias in totum deferatur corpus, debet ſibi utrobique eſſe continua, quod eſt luci proprium, aliàs extinguеretur. Ideò arteriæ apertæ manere debebant, ità quidèm ut nunquàm compreſſæ dudùm maneant; jure igitur merito duplici, forti, & duriori tunicâ non injuſtè veſtiuntur, quare, & pulſum eaſdem dilatare conveniebat, nec ità comprimi, ut tota prorsùs in ſe concidat: Quòd ſi quandóque contingat aliquod peregrinum in ipſius cordis ſinus decu-

detrudi,ut ejus valvulæ obſtruantur, ſeu ipſius fibræ præter conſuetum naturæ ordinem contrahantur,& ſpiritus vitalis, qui eſt de naturâ gas, exitum non reperiat,tunc partem attollit,quæ ſuâ gravitate iterũ concidit,cor palpitat, cùm ejus ſpiritus non liberè permeare, & totam cordis ſubſtantiam penetrare queat, undè motus inordinatus oritur, & aſſuetus interrumpitur, & fit palpitatio.

Eſt itáque palpitatio immoderata cordis concuſſio per vehementem διαςολὴν, & συςολὴν moleſtam, ut illud,à quo naturalis ipſius motus arctatur, attollitur,& concidit,à ſe pellat, Solet interdum iſta concuſſio ità vehemens eſſe,ut (*Fernelio* referente) animadverſa ſit vicinas quandóque coſtas ab eâ fuiſſe fractas, eaſque, quæ ſupra mammas ſunt, de propriâ ſede propulſas, ſed fides ſit penes authorẽ.

Signa.

Cordis palpitatio eſt affectus ità ſenſibus manifeſtus,ut conſpicuè palpitationẽ in ſe ipſo æger percipiat,& adſtãtes cordis regioni manũ admoventes vehementẽ illam percipiant concuſſionem,qui motus aliquandò etiam in pulſibus eluleſcit. Imò viſui interdùm ſeſe objicit in jugulo inſultans arteriarum motus. Quandóque auditu comprehenditur,ut *Foreſtus* refert.

Cauſarum varietates palpitationem producentium ex ſuis ſignis non difficillimè diſcernitur; nàm ſi à vapore, vel flatu ortum ducit, acceſſio eſt repentina,& à levi corporis motu excitatur,& facilius etiam diſcutitur.Reſpiratio interdùm erit difficilis, & interdum tremor contingit, oculorum tenebræ, aurium ſonitus,& non rarò circa aliquam vaporem dolor ſubitò evaneſcens percipitur.

Si ab humorib. generatur,malũ non ità ſubitò invadit, & diutiùs perſeverat, quàm cùm à vapore, & flatu originem ducit.

Quæ per aliarum partium conſenſum exoritur palpitatio,ex propriis illarum partium affectarũ ſignis dignoſcitur.Si inappetentia, nauſea,vomitus, & ſtomachi morſus, ventriculi conſenſum indicat.

Moleſta circa lienem, aut pancreas pulſatio,aut aliùs lienis affectus, cauſã occaſionalem in iis partib. latitantem portẽdit,à quâ vapores,& flatus ad cor demandantur. Si à meſenterio, hepate vel aliis partibus, erunt harũ partium ſigna obſtructionũ,quib.arteriæ comprimuntur, vel flatûs abundantia oritur, vel ob illarum calorem ferveſcit nimis, quàm par eſt, ſanguis.Si menſium ſuppreſſio,& affectiones hiſtericæ,palpitationẽ ab utero exoriri ſignificãt.Si à veneno palpitatio ortum ducit, dignoſcitur adducendis c. de Ictero,ubi fuſiùs de venenis agimus.Si tumor palpitationis ſit cauſa, notabilis in pulſu apparet varietas, & cordis motus à naturali valdè recedit,& admodùm inæqualis eſt, & inordinatus. Si tumor erit calidus,ingens in corpore erit inflammatio,ſitis, anhelitus,ſuccedit lipothymia, & tandèm mors. Si verò ſit durus tumor, affectus eſt aſſiduus, ut æger pedetentim, & ſine evidenti cauſâ contabeſcit. Si caro, vel quidpiam aliud ſolidius cordi adnaſcatur,palpitatio à morbi ortu ad mortem uſque ægrum excutiat.

Difficulter aqua in pericardio exuberans cognoſcitur, verùmtamen conjectari poteſt,quia malum aſſiduũ eſt, & ægrotantes cor velut intra aquam ſuffocari ſentiunt,& tandèm ſi affectus ſit continuus, ſine causâ manifeſta,

ut hectcâ, vel atroph â correpti emaciantur.

Veterum Cauſæ.

Vulgares medici ſemper intra intemperiem ſe volutantes, calidam, vel frigidam intemperiem aſſignant poſſe cordis palpitationem excitare: ſed toto errant cœlo, nàm ſi verùm hoc eſſet, febricitantes, & hydropici ſemper cordis palpitatione laborarent, quod falſum quiſque deprehendit.

Aſſignant quoque in palpitatione per eſſentiam, cùm aqua in pericardio contenta copioſiùs coacervatur, vel in minimâ copiâ adeſt, & conſequenter ab eâ cordis calor non mitigatur: Sed hæ cauſæ modo præſertim, quo ab ipſis explicantur, cauſæ veræ non ſunt horum affectuum, & præſertim ab aquâ in pericardio cordis æſtus non temperatur, quemadmodùm aqua in lebete poſita non temperatur ignis, nec aqua, quæ in ipſomet ſanguine eſt.

Noſtra Cauſa.

Dicemus igitur nos, & veriùs tremores, & palpitationes ortum ducere, cùm quid peregrinum à partibus ad cor tranſmittitur, vel inſenſile, vel per effluvium, vel ſenſile.

Partes præcipuè, à quibus tremores, & palpitationes ſunt, numerantur ſtomachus, inteſtina, meſenterium, hepar, lien, uteres, &c. A ſtomacho oritur palpitatio, cùm benè digeſtionis munus in eo non perficitur. Ab inteſtinis, cùm peregrina excrementa in iis coagmentantur, à quibus æthereaciborum pars inficitur. Ab hepate cùm non probè, vel per obſtructionem, vel ob aliam cauſam fit ſanguinis percolatio. Ab utero verò, cùm excrementa congeruntur in illo, à quibus ſanguis inficitur. Poteſt etiam contingere venatum palpitatio, vel arteriarum vitio, cùm ipſarum parietes excrementis ſcatent, præſertim vitriolatis, à quibus veluti corrugantur, quapropter ſanguis non poteſt liberè per illas tranſire. Multoties oritur ab ulcere alicujus partis, & præſertim cordis in cujus ſubſtantiâ interdùm coagmentantur ſalis, & terræ damnatæ portiones, à quibus flatus, & palpitatio.

Prognoſis.

Quoad prognoſim ſpectat: cordis palpitatio periculoſus, & non contemnendus eſt affectus ob impeditum naturalem cordis motum, inevitabilem ad vitam conſervandam, & licèt quandóque non videatur morbus ità violentus, ſolet tamen temporis progreſſu interimere. Undè *Galenus 5. de loc.aff. c. 2. hanc obſervationem poſteris conſignavit: Omnes, qui juvenes, aut declinante ætate ſanè ſine ullo manifeſto ſymptomate cordis palpitatione correpti ſunt, omnes ante ſenectutem mortuos eſſe, alios per febres acutas, alios, cùm ſani degerent, ſyncope correptos, alios citra ſyncopen apoplectico more.* Palpitatio idiopathica periculoſior eſt, imò deplorata, quàm quæ per ſympathiam ab utero vel ab aliis partibus excitatur, hæc verò illâ frequentior eſt. Itèm periculoſior illa, quæ excitatur ab internâ causâ, quàm quæ ab externâ, niſi magna ſit cauſæ externæ vehementia, vel alicujus vulneris inſignioris. Palpitatio ſæpiùs recurrens, tandèm de medio tollit, & quidèm ſi ab affecto pericardio proveniat, lentè necat, & in tabem deducit. Si à cordis tumore, vel à ſolutâ unitate ortum ducit inſanabilis eſt, & deplorata. Periculum etiam eſt, ſi à causâ venenatâ, & malignâ excitatur, tales ægri

rarò

rarò mortem effugiunt, ſed ci ò intereunt.

Veterum Curatio.

Curationem abſolvunt Galenici ſanguinis miſſione ex *Gal. precepto 5. de loc. aff cap. 2. teſtantis ſe nunquàm inutiliter venam ſecuiſſe*, ſed hæc maximè obeſt, quandò ſtomachi defectu oritur, ut etiam defectu cordis, videtur non prodeſſe, quia ſanguinis motus minuitur, quapropter vapores non excitantur, & materia, à quâ palpitatio excitatur, magis contumax redditur. Hac de causâ forſan obſervat *Gal. 5. de loc aff. cap. 2. Qui cordis palpitationem patiuntur ſenectutem non attingunt*, ſcilicèt quia curati per ſanguinis miſſionem. Qui palpitationem patiuntur utplurimùm in ſanguine ſaturninæ auſteritatis quandam habent miſtionem, quæ quantulacumque ſit in circulatione ad cor perveniens, non poteſt dulcedini ſolari non adverſari, ac efferveſcentiam quandam non excitat, præcedente aliquo gravi animi pathemate, nempè metu, terrore, triſtitiâ, & ſimilibus, quæ ſanguinem adhuc magis depravant, ut non ægrè è coloris vultus talium depravatione obſervari poteſt. Mentis inops eſſet ille, qui vini optimæ notæ bociam haberet, & in eam muſcam incideret, ſi cum muſcâ vinum profundere, & non à vino muſcam extrahere vellet. Si aliquod peregrinum in ſanguine irrepſit, peregrinum remove, & ipſum ſanguinem permitte ſubſiſtere. Crediderim tùm adjumentum aliquod præſtare poſſe ſanguinis miſſionem, cùm à plenitudine foveiur affectus (ſed cordis palpitationi obnoxij vix plethorici ſunt, & ſemper in ſanguine alicujus vitij [illegible] ctur; juvenis [illegible] forte ſanguinis miſſione extr [illegible], ut etiam cum evacuatione, id quod menſium ſuppreſſionem facit, dummodò non ſint excrementa in utero genita.

Exhibent deindè ſyr. cordiales, ſcilicèt *borag. de pomis, exhilarantis D. Laurentii cum aquis cordialibus, ut bugloſſ. borag. &c.* quibus admiſcent confectiones cordiales, ut *alkermes, elect. pliris, diamargarit. diamoſc. ſpec. diambr. arom roſ. theriac. &c* ex quibus varias concinnant compoſitiones, ſemper tamen admiſcendo *auri folia*, tanquàm inſigne cordiale, & jubent, ut cochleatim aſſumat æger. Præſcribunt etiam conſervas cordiales, ut *flor. borag. bugloſſ. caryophyll. noſtratium, cortic. citri, &c.* Sed fruſtranea ſunt cordialia, quia exoticum non expellunt hoſtem intra larem admiſſum. Si palpitatio robuſtum, & benevalentem ſternit, quomodò permittet conſternatum fortificari? Quomodo n. civis ſe fortificabit, cùm hoſtem domeſticum ſe fortiorem penes receperit?

Cordis regioni epithemata reiterato applicant concinnata ex *aquâ roſ. borag. acet. roſ. vin. odorifer. ſpec. de gemm. calid. ligni aloës, margaritar. & corall preparat. &c.* Vel *accipiunt aromat. roſ. & diamoſc. an.* ℈ ij. *flor. bugloſſ. & citri an.* ʒß. *pulv. macis, caryophyll. citri an* ℈ j *& indunt in ſacculum ex ſindone rubrâ quem vino albo irrorant, & cordis regioni applicant.* Sed ſi hæc calida applicant, cordis vires diſſolvunt; ſi frigida calorem labefactant, & ſpiritum reddunt difficilem; ſi tepida nullum afferre poſſunt juva-

juvamen,cũ majoris activitatis ſit cordis calor, quàm horum epithematum activitas, Nullatenùs conjicere poſſumus, quomodò per cutim, muſculos, pleuram, thoracis ſpatium, pericardiũ, & muſculoſam cordis ſubſtantiam, in hujus ſinus horum medicaminum virtus penetret. Præterea tota humani corporis cutis poroſa eſt, primò, ut id, quod à nutrimento ſeparatur, per corporis circumferẽtiam ſub halitûs ſpecie pellatur; ſecundò, ut ſanguis per διαφέρειν totus ſpiret, & in auras exhalat. Cutis pori ità à naturâ ſunt fabrefacti, ut quiſque ſuas habeant valvulas, quibus ab intrò extrà inſenſibili, ſive ſenſibili tranſpiratione pellant, & ab extrà ità exactè occluduntur, ut nihil omninò intrò recipere poſſint; hac tamen naturæ lege tantùm ſolutus eſt mercurius, ob analogiam, quam cum vità animali, & corpuſculorum conformatione cum poris habet, qui tàm in fumi, quàm unctionis formâ intrò ſe inſinuat in oſſa non ſolùm uſq; verùm etiam in medullas. Hinc liquet, quàm impoſtorius ſit epithematum uſus, quæ licèt ſub formâ calidâ applicentur, partis poros recludunt, attingunt tantùm peripheriam, & ob maximam diſtantiam centrum intactum relinquunt.

Frictiones, & *cucurbitulas* vanidas quoque arbitramur, cùm partem non attingant affectam, nec cauſam morbi occaſionalem, ſed tantùm innocuam divexant cutim, ut inquilinum evocent hoſtem.

His parùm, vel nihil proficientibus, ad catharticum deveniunt medicamẽtum, ut vitioſos purgent humores, ſed fruſtrà laborarent, ſi palpitatio eſſet per eſſentiam, quia omnibus remediis præcluſus eſt aditus; prodeſſe tamen poterint, ſi per aliarum partium conſenſum excitetur palpitatio, medicamenta non violenta, ſed lenia ſæpè repetita requirit, ut vitioſus humor per ἐπικράτειν auferatur.

Frequẽter clyſteres purgantes, & carminantes injiciunt, quaſi ani ſtercus in corde palpitationes excitaret.

Noſtra Curatio.

Cordis palpitationis curatio duplex eſt, una in paroxyſmo, altera extra. In paroxyſmo de diætâ nulla habenda eſt ratio, extra verò apprimè neceſſaria eſt, quare ante omnia alia huic rectæ vivendi rationi incumbẽdum eſt, quæ non ſolũ in cibo, & potu, ſed etiã in ſex rebus non-naturalibus cõſiſtit; quare

Aer ſit purus, ſerenus, & ſiccus; vitãdus omninò nebuloſus, pluvius, ſalſus, infectus varijs exhalationibus; qui aere ſuaviter olentibus corrigi debet.

Cibus ſit optimæ notæ, boni ſucci, ut probus generetur ſanguis, & qualis ſãguis, tales ſpiritus. Undè conveniunt carnes pullorum, perdicum, caponũ, gallinarum, vitulorum, avicularum, & venationis, quæ condiri debent, ſive elixentur, ſive aſſentur, caryophyllis, cinnamomo, nuce moſchatâ, macere, pipere, alijſque aromatibus, tùm herbis, tùm radicibus. Inter olera borago optima eſt, jura conſumpta primum tenent locum, & deindè ova recentia, inter quæ eminet potio Chocolaris quotidiè exhibita. Vitentur cibi flatulenti, frigidi, craſſi, viſcidi, ſalſi, acidi acres, & omnis ingurgitatio. Similiter omnes fructus, lacticinia, omnia paſtilla, carnes, & piſces fumo induratos fugere oportet. Panis aniſo, coriandro, vel fœniculo condiatur,

Po-

Potus ſit vinum mediocre, odoratum, putà appianum, vel creticum, vetus potiùs, quàm recens, dulce, aquâ boraginis, vel meliſſæ dilutum. Vitentur vina generoſa, vel ſulfurea, aluminoſa, acida, & auſtera; hæc n. ſanguinem, & ſpiritus in furorem agunt, & cor ad motum extraordinarium incitatur. Nimiam vini ingurgitationem declinare oportet, quia vini bibones cordis palpitatio ut plurimùm exercet. Si æger vinum non bibat, utatur decocto cinnamomi, aniſorum, ligni ſaſſafras, vel aquâ ſtillatitiâ boraginis, vel meliſſæ. Fugiãtur aquæ paluſtres, puteales, pluviales, niveæ, ciſterninæ, ac cœteræ vitioſæ.

Motus corporis ſit moderatus, quia flatus, & vitioſos exhaurit humores; immoderatus vitetur, eò quòd ſanguinem, & ſpiritus exaltat, in furorem ipſos concitat, & facilè illos ad ſpaſmodicos inſultus cor ſollicitat, undè non ægrè palpitatio ſuboriri poteſt.

Quies nimia nocet, quia deſidioſi utplurimùm cordis palpitatione affliguntur; nàm ſanguinis maſſa quodammodò ſtagnans craſſa, & viſcida redditur, nec à recrementis per tranſpirationem expiatur, ac vitium contrahit, & conſequenter acrior, & vellicans fit, & per cor circulans palpitationem inducit.

Somnus non ſit immodicus, nàm ſpiritus reddit torpidos, & conſequenter ad debitas functiones peragendas inhabiles efficit, & ſanguinem unà in motu ſegnem facit. Cordis palpitationi obnoxios admonitos eſſe volumus, nè incomitati dormiant, quia hic morbus noctù interdùm adeò repentè, & impetuosè aggredi ſolet, ut niſi ocyſſimè ſubveniatur, ſuffocationis periculum imminet.

Vigilia protracta particulas ſpirituoſas in ſanguinis maſsâ abſumit, & ſanguis vapidus, effœtus, viſcoſus, & acris relinquitur. Somnus itàque, & vigilia modum non excedant, aliter malum.

Excernenda, & retinenda ſecundum naturæ inſtitutum recurrant, aliàs multorum pravorum affectuum ſunt in causâ. Alvi excrementa reſpondeant arte, aut naturâ. Menſes, hæmorrhoides, & hæmorrhagiæ ſuppreſſi ad debitum redigantur fluxum, nè vitioſæ particulæ in ſanguine retentæ illum varijs ſordibus inficiant, & planè vitient: ſi nimis, quàm par eſt, decurtant, coërceantur. A repletionibus, & exinanitionibus nimijs prorsùs abſtinendum.

Animi paſſiones graves omninò vitentur, & præcipuè ira, ob quam quandóque in membris quidam tremor conſpicitur: quidni, & in corde palpitationem terror, timor, triſtitia, & inſperatum gaudium excitare poſſunt?

Ex his, quæ diximus patet palpitationis curationem per eſſentiam abſolvi ijs, quæ ſanguinem purificant, & excrementa à corde fugant. *Helmontius* probat *olea deſtillata aromatum ſimplicium cordialium in ſalem volatilem tranſmutata cum ſuo alkali per artificioſam circulationem.* Nos verò ſequentia medicamina commendamus propriâ obſervatione comprobata, ut

℞. *Tincturæ alkermes* ʒij. *ß. julep. cinnamomi* ℥j *ol. citri eſſentialis* gt. v. m.

Memorabilis eſt *lapis bezoar geminus,* non adulteratus, ut

℞. *Lapid. bezoar* gr. viij *magiſt per-*

lar. corralliorum an. ℈ß. *aq. cinnamomi* ℥j. *m.*
exhibe quotidiè uſque ad morbi remiſſionem. Vel.

℞. *Julep. lapid. benzoar cochlear. ij. tinctur. ligni aloës* ʒij. *oleo cinnamomi* gut. iij. *julep. caryophyllor.* ℥ß. *aq. cinnamomi* ℥ß. *m.*

℞. *Elixir. propriet.* ʒij. *balſam. vitæ* ℈j. *ſpiritus meliſſæ gut.* viij. *julep. vital. compoſiti* ℥j. *m.*

& quam plurima alia ſunt è chymicorum penu petenda; nos ſelectiora comprobata deſcripſimus, quæ hunc affectum non tantùm pacare, verùm etiam unitim, & ſeorſim averruncare poſſunt; quia excrementa in ſanguine, & præſertim vitriolata obtundunt, & immutant, deindè per urinæ vias, vel diaphæreſim ſanguinem purificant.

Nonnulli commendant *rhaponticum ad* ℈ij. *in vino exhibitum, vel vinum, in quo rhapontici radix macerata fuerit.* Alij hanc probant aquam, ut

℞. *Cordium cervi, porci an. num.* iij. *caryophyllorum, galangæ, cinnamomi an.* ʒiij *ſemin. baſiliconis, macis an* ʒijß. *macerentur in* ℔. vj. *vini, & deſtilla impoſito in alembici roſtro,*
ambræ moſchi an. ℈ß.

Extrahitur etiam *ſuccus ex cordibus vervecum, ut*

℞. *Cor vervecis, imple caryophyllis cõtuſis, vel confect. alkermes, & hyacinth. & impone in duabus patinis vitreatis, paſtâ occluſis rimis, & igne cinerum ſuccum extrahe.*

Ad ſucci imitationem ſequens *liquor ex cordibus* parari poteſt utiliſſimus, ut

℞. *Corda vervecis, vel porci n.* iij. *in taleolas ſecta, & vino albo lota, cinnamomi, caryophillorum an.* ʒß. *ſemin. ocymi, acetoſæ an.* ʒj. *vini albi, aquar. meliſſæ, boraginis, roſarũ an.* ℥ij. *cõfect. alkermes* ʒij
Bulliat inter duo vaſa. De hoc liquore capiat æger cochlear. ij. manè, & veſperi.

Sed ità regioni cordis applicandorũ medicaminum invaluit uſus, ut non videatur melioris notæ medicus apud ſtolidum vulgus, niſi in medendo hæc præſcribat, deſcribemus itáq; *ſacculũ, & unguentum cordiale,* quod odore tenus vitales valet recreare ſpiritus:

℞. *Cinnamomi, coſti veri, caryophyllorum, ligni aloës, ſuccini albi præparati, ammoniaci veri, cubebæ, ſantalor. omniũ an. m. j. moſchi, ambræ, zibeti an.* gr. iv. *ol. citri, aurantiorum an.* gr. v. *f. ſacculus.*

Quòd ſi aliqua deſint fac ſacculum, ex *caryophyllis, ligni aloës, ſantali citrini, flor. aurantiorum, & citri cum ſindone rubrâ, qui irroretur vino albo, & aquâ roſ. & cordis regioni applicetur.* Pro unguento.

℞. *Unguenti roſ.* ℥ß. *axungiæ porcinæ* ʒiv. *ol. aurantiorum. citri* ℈j. *moſchi, ambræ an.* gr. iij. *f. unguentum.*

Cùm cordis palpitatio per conſenſum ſit, hæc remedia etiam per os aſſumenda ſunt, & cordi applicanda, quia productum reſpiciunt, ſed perſpiciendũ eſt, quàm maximè ad cauſam partiũ.

In palpitatione ab utero conveniunt anti-hiſterica, & præcipuè *elixir uterinum in aquâ meliſſæ diſſolutum, tinctura ſuccini, ejuſque oleum, eſſentia granorum chamæactes, ſal Jovis umbilico inunctum, &c.* & ſi nihil aliud ſit ad manus, detur *caſtorei* ℈ß. *in aquâ meliſſæ.*

Si palpitatio à ſtomacho ortum ducat, vomitoria, & ſtomachum corrigentia conveniunt.

Si ab affectione hypochondriacâ, ejus curatio ex infrà dicendis patebit.

Si

ſi à veneno deplorabilis habetur curatio, & nè conclamatum relinquamus ęgrum exhibenda ſunt alexipharmaca juxta veneni diverſitatem, de quibus ſuo loco.

CAPUT Ultimum.

De Lipothymiâ, & Syncope.

Cordis motus, qui pulſus dicitur, eſt vitæ noſtræ ſubſterniculum, & quò debilior eſt pulſus, eò minus vita, & vires vigent, & pulſu deficiente confeſtim, ſupeiſtite vita, omnia deficiunt. Quoties cor pulſat, toties in homine vitam exiſtere profectò fatemur. Siquandòq; accidat à pulſatione ceſſare, vita eſt inter ſpem, & metum, quia omnes deficiunt actiones, membra langueſcunt, calore deſtituta torpent, & lethale oboritur frigus; à corde n. per ſpiritum vitalem omnibus membris vitalis affluit calor, cujus beneficio ſuas perficiunt actiones, & eo deficiente, etiam in agendo deficiunt.

Alij dantur affectus, qui maximè ad ſyncopen collimant, ab eâ tamen ſecundum magis, & minus differunt, atque ſummam virium imbecillitatem, & animi deliquium ſignificant: Sed hæc vocum varietas tyronum mentem non debet in confuſionem adigere; cor n. unum eſt, quod in virium imbecillitate patitur, eſtò in uno vehementiùs, in altero verò minùs, & ſemper eadem remedia cordialia in vehementiori, ac mitiori adhibentur. Ἔκλυσις eſt leve animi deliquium, quia multi animæ ſedem in cordis parenchymate ſtatuunt, λειποθυμία, λειποψυχία, & ἀποψυχία gravius, ſyncope graviſſimum, quæ ſi eo uſque deveniat, toto in corpore aboliatur pulſatio, ἀσφυξία dicitur, quæ eſt gradus ad mortem proximus.

Aufertur in ſyncope motus in toto corpore, nec propterea ſyncope eſt cerebri, ſed cordis affectus; ſenſus, & motus ceſſat, quia ſpiritus vitalis cerebro à corde non communicatur, atque ità vitali ſpiritu in cerebro deficiente, etiam actiones animales, & naturales deficiunt, quia cerebri, & aliarum partium actiones unicus ſpiritus vitalis peragit, eoque collabente omnes alias actiones labi neceſſe eſt.

Λειποθυμία eſt inceptanea animi defectio cum partium extremarum perfrigeratione, & virium exolutione abſque ſudore, quia vires non ità collabuntur; vox, & ſenſus non intercipiuntur, nec vitali robur omninò diſſolutus exiſtit.

Συγκοπὴ eſt animi defectus, & præceps virium lapſus cum intermiſſione ſpiritus vitalis, abſque eo quod in cerebrum ſcandat, in quâ omnes vires ſimul repentè concidunt, vox, ſenſus, & motus intercipitur, pulſus eſt extremè rarus, & obſcurus, interdùm nullus, quia intercipitur ſpiritus, qui eſt cordis motor. Extrema, ut manus, pedes, naſus, & auriculæ frigent, quia cordis calor intercipitur. Tempora, cervix, thorax, & pectus circa cordis foveam frigido madent ſudore, quia ſpiritus vitalis ſolidas regens partes, eas deſerit, & ad interiora confugit, & humidum partium ſolidarum rectore deſtitutum ad exteriora defluit. Facies, & labia palleſcunt. Vividus, floridus, tumiduſque carnis habitus vitali lumine deſtitutus, perit, & ſtatim vultus ipſe rugoſior concidit,

& lurideſcit, quia ſpiritus, qui anteà placido rubore velut omnia vivificabat mox, atque alienâ aurâ ſubactus mutatur, totumque corpus quaſi enervatum jacet, omniſque ſenſus deficit.

Signa.

Syncopes ſigna, vel reſpiciunt ſubjectum magis ad ſyncopen pronum, vel paroxyſmum imminentem, vel præſentem, vel tandèm cauſas illam producentes.

Subjecta ad ſyncopem magis prona ſunt homines debilitate quâdam nativâ, vel acquiſititiâ à morbo affecti. Itē puſillanimes, mulieres potiùs, quàm viri, & virgines præſertim, quæ menſtruas patiuntur purgationes, & gravidæ mulieres; tùm illi, qui rarâ ſunt præditi texturâ, melancholici, &c. *Sani à purgatione incidunt in animi deliquium. In his, qui pravo cibo utuntur, purgatio excitat ſyncopen, aph. 37. ſect. 2.*

Improviſa anxietas, perturbatio animi, capitis gravitas, vertigo variegata, coloris faciei mutatio, ut etiam pulſus frequens, ſubita ejus mutatio imminentem ſignificant ſyncopen. Utiliſſimum, imò ſummè neceſſarium imminentem prævidere ſyncopen, ut quantùm fieri poteſt, præcaveri poſſit, quia medicus, qui ſyncopen non prævidet, aut prævisam non annunciat, hominis per ſyncopen mortui homicida eſt.

Præſentem oſtentant ſyncopen præceps virium lapſus, pulſus rariſſimus, formicans, obſcurus, & tandèm abolitus; totius corporis, & præſertim extremorum frigiditas; ſudor frigidus circa pectus, collum, & thoracem; faciei, & labiorum color pallidus, & lividus. In lipothymiâ non adeſt ſudor, & pulſus manet. Cauſarum ſigna ex ipſis patebunt cauſis.

Diſtinguitur ſyncope ab alijs affectis cognatis, proprijs ſignis; ab apoplexiâ, quòd in eâ adeſt cum ſtertore reſpirationis læſio, & pulſus non inſigniter mutatur, niſi inſtante morte: in ſyncope pulſus ferè aboletur, & reſpirationis libertas permanet; ab epilepſiâ, quòd in eâ adeſt convulſio: in ſyncope ſecùs; ab uteri ſuffocatione, quia in eâ ità aufertur reſpiratio, ut ægrotantes ſuffocari videantur, & pulſus non admodùm immutatur, neque faciei color, quia ſtatum ſervant naturalem, imò frequenter rubicundior videtur: in ſyncope reſpiratio non læditur, ſed pulſus ferè aboletur, & facies pallore perfunditur. Quandòque cum uteri ſuffocatione copulatur ſyncope, & tunc non percipitur pulſus.

Veterum Cauſa.

Rentur vulgares lipothymiæ, & ſyncopes ſubjectum eſſe cor (differunt hi affectus penes gradus, ità ut ſi cauſæ ſint leves, lipothymiam, ſi fortiores ſyncopen producunt, imò una eſt via ad alteram,) & cauſas eſſe ſpirituum defectus. Cauſæ internæ immediatæ proponuntur à *Galeno 5. de loc. affect.* ubi ſcribit, cor eſſentialiter affici ab intemperiebus tùm ſimplicibus, tùm compoſitis, ſ. cum materiâ, & proptereà hunc morbum ab intemperie produci, & non impoſſibile judicat bilem, pituitam, vel melancholiam in

cor

cor ingredi, & ſic ſyncopen inducere: ſed has Galeniſtarum nænias non explodimus, nàm fruſtrà eſſet tempus terere, cùm fuſiùs has refutet *Argenterius.*

Cauſæ internæ, ſed mediatæ ſunt ſexus, & ætas, nàm mulieres, & decrepiti huic affectui ſunt obnoxij. Temperamentum, & corporis habitum inter has cauſas recenſent, ſiquidèm delicati corpus facilè ſyncope tentantur.

Externas plures referunt, & primò cùm cauſæ venenatæ, & malignæ cor afficiunt, & ſpiritus vitales venenatis, malignis, endemicis, & putridis halitibus obruunt, ut accidit in febribus peſtilentibus, malignis, colliquativis, & hecticis. Vel ab aſſumpto veneno, vel ab aliarum rerum venenoſarum aſſumptione. Aut à rebus putridis, & corruptis, quæ cordi infeſtas exhalationes imperceptibiliter cõmunicant, ut ex utero, ejuſque putidâ ſentinâ, à corrupto, & retento ſanguine menſtruo, vel ſemine, vel à pravis, & vitioſis humoribus in ventriculo ſtagnantibus, illumque gravantibus. Vermes in aliquo loco ſtabulantes. Vel aër malignus, & venenatus, morſus, vel ictus, vel halitus animalium venenatorum corpori impertitus, & communicatus. Hùc etiam pertinent quædam peculiares antipathiæ, cùm quidam rerum alijs non ingratarum odorem, conſpectum, vel præſentiam ferre non poſſunt, ſed eâ de causâ animo deficiunt. Sic tetrì odores nonnullis eundem præſtant effectum, imò verò ſuaves quibuſdam mulieribus. Vel cauſæ eſſe poſſunt, quæ calorem diſſipant, & ſpiritus reſolvunt, ut febres ardentes, aëris æſtus, balnea calida, hypocauſta, nimius corporis motus, nimiæ perturbationes, ira, voluptas maxima, ſive gaudium effuſum, timor ſubitus, & vehemens, quibus multos ſyncope correptos, & multos mortuos legimus. Curæ, animi anxietates, vigiliæ, inedia diuturna; Venus nimia, dolores vehementes, ut colici, oculorum, dentium, oris ventriculi, & aliarum partium, quæ magnum cum corde habent conſenſum. Itèm evacuationes nimiæ, ut ſanguinis per uterum, hæmorrhoides, nares, vulnus, phlebotomiam. Vel humorum fluxus immodicus, vel aquæ, ut empyicorum pus, aut hydropicorum aquæ ſi ſubitò evacuentur. Abſceſſûs ruptio, vel apertio. Alvi nimius fluxus, evacuatio corporis confeſtim, acceleranter, & ſuperabundanter facta, ægritudines diuturnæ, & acutæ, vomitus bilis æruginoſæ, urina, ſudores, bulimus, inquibus magna ſpirituum conſumptio, evenit. Itèm percuſſio, vel alliſio violenta verſus ſiniſtram mammam, vel ſtomachi orificium.

Quandóque ſanguinis, & ſpirituum ſubitò ad cor confluxus graviſſimam ſyncopen infert, ut de quadam nobili virgine refert *Riverius cap. de ſyncope.*

Optimæ ſunt lipothymiæ, & ſyncopes cauſæ à vulgaribus adductæ, ſed hæ tantùm ſunt occaſionales, & non immediatæ; nàm ſpirituum vitalium pendet à cauſis, quæ ſanguinis partem in corde vel coagulant, vel activiorem partem fixant, vel ipſum cor ad motum reddunt ineptum, vel volatiles ſanguines partes reſolvuntur, vel aliæ regenerantur, vel ſpiritus vitales ſuffocantur.

Noſtra Cauſa.

Cauſa hujus affectûs immediata eſt ſpirituum vitalium defectus, qui pendet ab illis cauſis, quæ ſanguinis partem coagulant in corde, vel ipſummet cor reddunt ad motum ineptum, vel activiorem ſanguinis partem fixant. Pars primariò affecta eſt cor.

Sanguinem in corde coagulat acidum, quia ut acor ſtomacho eſt gratus, & ordinarius ſapor: ſic extra ſtomachum omnis aciditas eſt p. n. & hoſtilis; imò ità venis eſt hoſtilis, ut non poſſit non intra venas tranſire ſine noxâ. Undè cruor aceſcens coagulatur, & ſi profundiùs in venis eveniat, ſemper peſtilens aliquod pathema inſurgit. Si acidum liquorem per ſyringam intra venas immittes, experieris me vera docere. Prætereà à ſanguine ſyncopen ortam vidit *Petrus Salius* in puellâ 14. annum agente, quæ *cùm per diem capitis gravitatem, vertigines, & anxietatem paſſa eſſet, die ſequenti ſubitò extincta eſt Secto poſt mortem cadavere, in arteriâ magnâ, & in venâ cavâ totus ſanguis apparuit coagulatus, ut apprehenſo illius altero principio, ità integer ex venâ, & arteriâ educeretur ſanguis, ac gladius è vaginâ extrahi ſolet.*

Si acidum, quod ſanguinem coagulare ſolet, ſit nimis exaltatum, & intra venas evenerit, activiorem ſanguinis partem fixare valet, quia ſanguis intra ſe magnam ſalis balſamici portionem habet, quæ acidi attactu ſtatim fixatur. Sanguinem coagulat viperæ, aſpidis, ſcorpionis, &c. venenum.

Multoties à ſanguine craſſo oritur ſyncope, quia bonus non ſit, non ſanguificationis, ſed digeſtionis vitio, ſi pars ciborum ætherea magnam phlegmatis quantitatem admiſtum à ventriculi calore ſollicitatam ſecùm rapiat, ſanguis craſſus conficitur, reſolutâ per diaphæreſim parte in ſpiritum vitalem reſolubili, remanet pars ſpiritu vitali deſtituta, & neceſſariò ſanguis coagulatur, idcòque cor ad motum reddit ineptum.

Ut plurimùm partes omnes ſanguinis volatilitates evacuantur, ſive diſſipantur. Hujuſmodi evacuatio vel eſt ſenſilis, vel inſenſilis; ſenſilis ipſius ſanguinis ſit primò per os, nares, alvū, hæmorrhoides, phlebotomiam, & vulnus, ſecundò aliorum humorum, qui eſtò ſint excrementitij, ſi major eorum copia excernatur, magna ſpirituum diſſipationem faciunt, & ſyncopen. Talis humorum excretio fieri ſolet per vomitum, ſeceſſum, urinam, ſudores, magni abſceſſûs apertionem, & præcipuè introrſùm, ut habetur *aph.* 8. *ſect.* 7. *A tuberculi interni eruptione animi ſit defectio.* Sic etiam extrorſùm, ut ſi hydropicorum aquæ, aut empyicorum pus ſubitò evacuetur. Inſenſilis evacuatio fit ex corpore per diaphęreſim apto, & contentorum tenuitate, calore nimio, balneo, vel laconico calidiori, immodico labore. Evacuant etiam pertinaces vigiliæ, diuturna inedia, inexplebilis laſcivia, & Veneris palæſtra ſupra vires exercitata, indicibile gaudium, ęgritudines longæ, & acutæ. Itèm dolores immanes cordis, ventriculi, inteſtinorum, renum, & omnium partium nervoſarum, & in primis earum, quæ magnum cum corde conſenſum habent. Deniquè omnia immoderata, & exceſſiva animi pathemata, ut ſunt perturbationes animi nimiæ, ira, & alia, quæ non modò animi deliquium, verùm etiam

ipſam

ipſam mortem repentinam inducere poſſunt.

Oritur tandèm lipothymia, & ſyncope à ſpirituũ vitalium ſuffocatione; ſuffocantur enim ſpiritus vitales, tunc cùm virulentum gas, ſive quid nimium redolens fracedinem aëri intermiſtum intra vitæ noſtræ domicilium inſpiratum, ſive quovis modo receptum, ſive genitum, ſpiritus vitales ſub ſe comprimit per ſui violentam exaltationem, & tandèm exſufflat, ità evenit in noſtri Aniani cryptâ, ſepulturis, ciſternis, fodinis, carbonum fumo, ubi viventia nimiâ fracedine, & gas virulento ſternuntur. Ità quoque in febribus ſyncopalibus, malignis, morbillorum, & violarum eruptione, à vermibus, & ex utero exhalatione cordi infectâ. Hùc referri poteſt ſpirituum vitalium concentratio, ut accidit in terrore panico, immenſo mærore, timore, &c.

Prognoſis.

Quod ad prognoſim attinet: ſyncope pernicioſus eſt affectus, præcipuè ſæpiùs repetens de medio tollit, ut habetur *aph.* 41 *ſect.* 2. *Qui ſæpè, & vehementer animo linquuntur, ij derepentè moriuntur.* Quia ſyncope eſt gravior affectus, qui vitæ fontem opprimit, ejuſque ſpiritus exolvit, undè mors neceſſariò ſubſequitur. Omnis ſyncope mala, at peſſima, quæ excitatur in corpore debili, quæ antiqua, & quæ confirmata. Syncope, à quâ æger non reſtituitur poſt faciei irrorationem cum aquâ roſaceâ, poſt vini exhibitionem, poſt πταρμικα etiam, lethalis. Cùm quis à ſyncope ſibi redditur non ſtatim ſalus promittenda eſt, nàm ſi pulſus non reſtituitur, nec color vividus redit, & æger frigidus ſemper manet, mox in ſyncopen relabitur, ex quâ vitæ diſcrimen impendet. Si cor primariâ affectione laborat, ut phlegmone, eryſipelate, per febres acutiſſimas, vulnera præſertim ſiniſtri ventriculi, auxilium non admittit. Qui ob magnam crudorum humorum copiam in ſyncopen incidunt, ſi ventriculus, & hepar in his inflammatum fuerit, deplorata eſt ſalus. *Deliquium in muliebri fluxu, malum. aph.* 57. *ſect.* 5. Lipothymia licèt ſit mitior affectus, adhuc tamen eſt valdè periculoſus, quia facilè mutatur in ſyncopen.

Veterum Curatio.

Vulgares ſyncoptici in ipſo paroxyſmo à quacumque causâ in faciem vel aquam frigidam, ſi alia non ſuppetit, confertim, & violenter projiciunt, ut ſpiritus tali frigiditate revocentur, & excitentur. Quòd ſi non eveniat, enervum excruciant corpus vociferatione, agitatione, narium compreſſione, digitorum contorſione, pilorum emulſione, validis frictionibus, arctis ligaturis, & cucurbitulis: ſed afflicto non eſt addenda afflictio, & in tantâ cruciatuum lanienâ non poteſt non fieri magna ſpirituum reſolutio, malum non acquirere vires, & ex defatigatione non deficere.

Extra paroxyſmum vires roborant varijs medicamentis cardiacis ut ſyrupo *exhilarante D: Laurentij, boraginis, de cortic. citri, pomis, & cinnamomo*; *vel confect. alkermes, de hyacinto, elect. de gemmis, &c.* vel

℞. *Syr. de cortic. citri, de pomis, boragine an.* ℥j. *aq. meliſſæ, de pomis redolentibus an* ℥iv. *elect. de gemmis* ℈ij. *aromatic. roſ.* ʒj. *confect. alkermes* ʒij. *diacinnamomi* ʒijß. *vini odoriferi* ℥iij. *m, detur cochleatim.*

Cordis regioni varia *epithemata* applicant, ut

℞. Caryophyllorum, cinnam. an. ℈ij. *oſſis de corde cervi* ʒj *cortic. mali citri* ℥j. *ligni aloës* ʒß. *roſarum m. j. ſpec. elect. lætificantis Galeni* ʒij. *moſchi, croci an* gr. iij. *vini odoriferi* ℔ß. *aq. meliſſæ, cardui benedicti, majoranæ, bugloſſæ, vini malvatici an.* ℥iv. *m. f. epithema pro cordis regione.*

Deindè nullâ poſtpoſitâ morâ, ſi cauſa ſit ſanguinis copia, venam ſecant jecorariam: ſed errant, nàm huic affectui obnoxij tantùm eſſent plethorici, & ſanguinem mittere eſt ſpiritus exhaurire, vires, quæ in hoc morbo neceſſariæ ſunt, tollere, vel ſaltem minuere, quod hoc malum efficit, eſt quid exoticum in ſanguine latens, & non ipſe ſanguis, quia merè paſſivè ſe habet: tota itáque curatio non ad ſanguinem dirigenda eſt, ſed ad id, quod ſpiritus fixat, vel reſolvit. Si verò aliorum humorum copia peccet, corpus juxta humores peccantes purgant. Sed non abſque virium diſpendio, & ſpirituum reſolutione. Si ſit intemperies calida, curatur, ut febris; ſi verò frigida confectione de hyacintho, & alkermes cum ſyr. de corticibus citri, & de pomis.

Extra paroxyſmum cauſarum diverſitatem reſpiciunt, & juxta illas medicament propinant. Si à venenatis, & malignis halitibus lipothymia, & ſyncope ortum ducat, varijs alexipharmacis, & cardiacis occurrunt. A veneno hauſto, antidota exhibent, vel vomitum provocant, & ſi deinde ventriculi ardor ſentiatur, lac, butyrum, & juſcula pinguia præbent. A vitioſis humoribus in ventriculo, vomitum concitant. A vermibus, contra vermes ſubminiſtrant. Ab immodicâ evacuatione, theriacâ, cibo, potu, & ſomno reficiunt ægrum. Si ab utero, uterina uſurpant medicamenta, pedes magis, quàm manus fricant, cucurbitulas coxis, & inguinibus admovent, & grave olentia ſuffumigia uſurpant, vitando odoramenta. A nimiâ diætâ, ſenſim reficiendus eſt. A nimio ſudore coërcentibus utuntur. A nimiâ ſanguinis evacuatione, &c. proprijs remedijs ex capitibus proprijs ſubveniunt.

Curatio Noſtra.

In lipothymiâ, & ſyncope victûs ratio convenit, quia collapſas reficit vires, debiles roborat ſpiritus, & fugientes ad cordis arcem revocat. Undè extra paroxyſmum magna ſolertia in victu inſtituendo adhibenda eſt, cùm hujuſmodi victus maximè ad amputandas omnes cauſas externas, quæ hos affectus inducere ſolent, neceſſarius ſit, & præcipuè ſex res non-naturales adducamus oportet, à quibus hi affectus progigni poſſunt, ſi his ſiniſtrè utamur, quibus etiam dextrè uſurpatis, à tali morbo ægrum eripere valent.

Aerem itáque eligere oportet ſerenum, lucidum, & ab omni inquinamento, & ſorditie depuratum, potiùs ad frigidum, quàm ad calidum vergens, qui ſi haberi nequeat, arte parandus erit, irrorationibus factis aquâ angelorum, roſarum, aurantiorum, citri, aceto, ſpargendi ſunt etiam odores per cubilia, quibus ſpiritus reficiuntur, & cor mirificè confirmatur, non quòd odores nutriant, ſed ſpiritus refici experientiâ conſtat.

Cibus facilis coctionis convenit, & talis naturæ, ut nutriat, & non oneret, ideſt non nimiâ quantitate ingeſtus,

ſtus. Conducunt juſcula carnium, & jura conſumpta aromaticis condita, teſticuli pullorum, chocolata, ovorum vitelli magis, nàm albumen difficilè coquitur, & hi cibi dentur ordine, & tempore convenienti, ætati quoque, & ſexui congrui. Si reſolutione, & conſumptione, ut vigiliis, ſudoribus, aliiſque ſuperfluis evacuationibus, & inediâ malum ortum ſit, paulatim, & aſſiduè nutrire oportet, etiamſi febricitent, & in ipſis acceſſionibus, & in principio, & paulò ante acceſſionem, quod in cæteris prohibetur, nàm *cibum dare nocuum eſt*; Undè in paroxyſmo hujus mali roborandæ ſunt vires alimento, quæ eſt communis omnium curatio, quamvis ex plenitudine oriatur, nàm ſaltem ſpirituum defectus adeſt, qui niſi reficiantur, periculum, nè innatus extinguatur calor, imminet; ad præcipitem námque lapſum citiſſima requiritur inſtauratio: *Quæ n. longo tempore extenuata ſunt corpora, lentè reficere oportet, quæ verò brevi, breviter.*

Potus ſit vinum potens, odoratum, ſuave, & clarum, ut citiſſimè in alimentum tranſeat; vinum námque ſpiritus potentiſſimè reparat, & vires reſtaurat, undè potiùs inter cibos, quàm inter potus recenſendum eſt: eſt itáque cibus, quia nutrit, eſt potus, quia bibitur, & eſtò aqua potetur, non tamen nutrit, ſed omnes corporis ſordes diluit, eſt vinum palato gratiſſimum, & ſtomacho utiliſſimum, Italicè dicitur *conforta ſtomaco*, cor exhilarat, eſt inſigne cardiacum, & tutiſſimum vitæ noſtræ præſidium, ideóque priſci ejus plantam vitem, quaſi eſſet vita, vocârunt; attamen moderatè bibendum. Vinum in omnibus, quos ſyncope apprehendit, offerre convenit, nàm in his, quibus non convenit, aliquandò aliquid vini dare cogimur, non quo affectum curemus, ſed ut periculum in præſens depellamus. Extra paroxyſmum, ſi æger vino non ſit aſſuetus, aquis cordialibus, vel cinnamoni decocto utatur.

Motus omninò vitetur, quia multi ſpiritus exhauriuntur, & particulæ ſalinæ avolant, remanente acido.

Quies ità neceſſaria eſt, ut etiam ſyncoptici ad alvum exonerandam non aſſurgant.

Somnus ſit moderatus, nec conſueto tempore longior; ſi tamen ſyncope ob magnum dolorem, magnos labores, immodicam famem, aut gravia animi accidentia, accidat, ſomnus diutiùs protrahatur, nàm animum recreat, & mirâ dulcedine totum perfundit corpus: ſpiritus quoque laboribus, curis, ſtudiis, vigiliiſque conſumptos reficit, fugientes retardat, & novos progignit. Idque hîc obſervandum præcipit *Gualterus Bruele*, quod medicum quaſi requirat adſtantem, ut obſervet qualiter æger in ſomno ſe habeat, & qualiter tempore vigiliarum, & ſecundum hoc ſomnum admittat, aut vigilia imperetur; ſi n. dùm vigilat, pulſus, faciei color, anhelituſque ſibi magis conſtent, à ſomno interpellabitur; ſi verò eadem accidentia meliùs ſe habeant tempore ſomni, ut dormiat potiùs conſulemus.

Vigilia ſit moderata, immoderata námque ſpiritus conſumit, & vires exhaurit.

Excreta, *& retenta* ſecundùm naturam moderemur oportet, nàm nimiæ excretiones ſyncopen inferunt, ut repetitæ, & vehementia purgantia, vomitus enormes, phlebotomia larga, nimij ſudores, hæmorrhoides, menſtrua, lochia immoderata, empyicorum puris, & hydropicorum aquæ evacuationes unâ vice factæ hunc affectum concitant. Immoderatus Veneris uſus omninò proſcribatur.

Animi paſſiones à rectâ ratione coërceantur, nàm immodicæ tam benignæ, quàm malignæ, ut gaudium effuſum, ira immanis, amor vehemens, mœror profundus, ſtudia aſſidua, curæ anxiæ, lucubrationes protractæ, fervida zelotypia, ardens cupiditas, timor panicus, æmulatio, invidia, &c. ſyncopen excitare, & ſyncopticis multum obeſſe poſſunt.

Curatio lipothymiæ, & ſyncopes peragi debet juxta cauſarum diverſitatem, ex quibus pendet; attamen urgente paroxyſmo, à quacumque fiat cauſâ, in eo curationis ſcopus conſiſtit, ut quàm citiſſimè fieri poteſt, paroxyſmus, qui non dat inducias, ſolvatur, donec mali cauſæ benè diſcerni poſſint. Interim tantùm vitæ noſtræ cum inquilino hoſte conflictum ad tollendum feſtinare debemus, quia magis urget. Confeſtim itàque liquor aliquis odoratus, efficax, & frigidus, violenter, & confertim in languentis faciem projiciatur; ex tali enim ſuavi frigiditate ſpiritus vitalis foras revocatur; tàm etiam aliquod oleum odoratiſſimum ſtillatitium, ut *angelicæ, cinnamomi, caryophyllorum, cortic. citri, vel ex eis paratus balſamus cinnamomi, caryophyll. n. d.* naribus illini debet, ſuavi enim fragantiâ lapſæ recreantur vires, fœminarum naribus ſua violentiâ non admoveantur, (præter *ol. ſuccini, ejuſque balſamum*) ſed potiùs fœtida, ut ſunt *combuſtarum plumarum fumus, ſulphuris, criſtæ reum, aſa fœtida, & ſimilia*, nè uteri ſuffocatio concitetur, atque ità modum pejoreretur. In languentis os immittatur *vinum generoſum vetus*; vix enim magis, & citiùs vires, quàm vinum reficit, ſed citiſſimè *vini ſp. aqua, ol. cinnamomi, balſamus vitæ, tinctura hyacenthi, alkermes, elixir vitæ, & proprietatis.* Multùm confert *aqua perlarum*, cujus deſcriptio ità ſe habet.

℞. *Aquar. quatuor cordial. an.* ℥ij.
manus Chriſti cum, vel ſine perlis ℥j.
magiſt. perlarum ʒß.
ſuccin. alb. pulveriſati ℈ij.
aq. Langij ℥j.
m. detur cochlear. ß.

Cordis regioni epithemata, inunctiones cordiales, & ſacculos admovent, ſed præ cæteris ſacculus ex folijs, & floribus meliſſæ utilior eſt, qui cum vini ſpiritu aſperſus dextræ applicetur mammillæ calidè.

Jactitant vulgares *aurum* tanquàm inſigne cordiale omnibus cordis affectibus ſuccurrere, undè limatum, & in folia redactum cardiacis conditis immiſcent, languentibuſque propinant, quaſi ſtrutionum ſtomachos ferrum digerentes habeant. Verùm impoſſibile eſt aurum metallorum fixiſſimum à debili calore, & ventriculi fermento digeri, & actuari poſſe, quod igne vehementiſſimo reliqua metalla vincente, lapideſq; conſumente, non uritur, ſed purius, & perfectius redditur: donec ad ſummum ſuæ perfectionis gradum devenerit, & tunc in igne tanquàm ſalamandra jubilabit. Non aurea

rea majorum ſæcula ad nos refluxerunt, quibus theſauri adeò vileſcunt, ut labia, mentum, barba, œſophagus, inteſtina, & ſtercora ægrotorum obryzo incruſtentur auro. Hanc taceremus inſaniam, & prodigalitatem, niſi ægri quoque magno indè tentarentur incommodo, dùm ſcilicèt ventriculi actio, & ſucci alimentitij tranſitus per ventriculi, & inteſtinorum fibras, ejuſmodi aureis corpuſculis intervenientibus, turbaretur. Nàm quædam intra fibras ſe, inſinuarent; quædam citra alterationem, ut ingeſta per alvũ cum excrementis inauratis deſcenderent, reliqua verò corporis œconomiã turbarent. Aurum lim â comminutum, aut foliatum medicamentorum compoſitionibus admixtum nullum alium habet uſum, niſi ut vulgi oculos paſcat. Verùm dùm fallaci hoc auri fulgore plebis oculos demulcere volumus, ſaltim eâ ratione id præſtemus, nè ſumptuum, & crumenæ pauperum immemores, illis fortunas, & ſanitatem inſanâ hac noſtrâ prodigalitate eripiamus.

Auri vires roborando cordi, ſpiritibus vitalibus, & ſanguini mundificando dicatas eſſe tradunt propter mutua cordis, & auri effluvia ſympathica, & magnetiſmum inter aurum, & cor, quod alienum à veritate eſſe rationes allatæ in *noſtrâ Pyrotechniâ* convincunt; applicari quidèm poſſet extrinſecùs majori in copiâ, atque proculdubio majori cum utilitate, vel nullo diſpendio. Hoc unum ſcimus, aurum in crumenâ geſtatum corroborando, & lætificando cor præſentaneum eſſe contra melancholiam remedium.

Extra paroxyſmum pro curatione legitimâ remedia peti debent à cauſarum diverſitate in hunc modum: Cùm igitur coagulatus eſt ſanguis, ad coaguli ablationem noſtra dirigenda eſt intentio; volatiles ſanguinis partes debent reſtitui, cùm ablatæ ſunt, & remedia debent eſſe penetrantia, & quia urget affectus *eiixire vita* res peragenda eſt.

Sed juvant quàm maximè id, quod efficitur ex ijs, quę coagulationem auferre poſſunt, tale eſt *dictamnum Cretenſe*, hoc miſceri poteſt cum *radicibus angelicæ*, & alijs appropriatis; hæc enim ſanguinis etiam volatiles partes reſtituunt, ut

℞. *Dictami Cretici,*
angelicæ,
caryophyllatæ,
pentaphyllæ,
imperatoriæ,
zedoariæ,
ſcorzoneriæ,
petaſitidis,
cardiacæ,
cortic. aurantiorum,
citri, & flor. eorundem.
fol. abrotani.
cardui benedicti,
baſilicons,
lavendulæ,
meliſſæ,
roris marini,
ſemin. citri,
baccar. juniperi,
caryophyllorum,
macis,

Digere hæc omnia ad libitum in igne, irrora vino generoſiſſimo in ſ. q. ſpatio xxiv. *horarum. Deſtilla deindè lento igne B. vel cinerum moderato. Spiritui extracto junge*
caryophyllatæ,
dictami Ooo 2 *con-*

contrajervæ q. ſ. ad extrahendum
tincturam
addita ligni aloës portione,
moſchi,
ambræ.
ol. roſ. deſtillati,
citri,
aurantiorum,
& roris marini.

Doſis gutt. aliquot in vino generoſo, vel alio liquore convenienti. Si aliquot deficient ex ſimplicibus duplicanda erunt alia. Eodem ſpiritu cordis regio, & tempora inungantur. Idem præſtat *aqua theriacalis.*

Si accidat, quia calor nimius partes ſanguinis volatiles reſolvat, tunc frigida conveniunt; à quibus ſi fermentatio ſit nimia, cohibeatur.

Quæ à craſſo ſanguine oritur, cauſarum inveſtigatione maximè indiget, nam multoties ſanguis bonus non fit, non ſanguificationis; ſed digeſtionis vitio, propter quam alimentitius ſuccus craſſius transfertur ad cor; obſervandum eſt igitur tunc, quod lædit digeſtionem, nam ſi humores crudi in ſtomacho exiſtentes, hi ſunt vomitu evacuandi, ſed cautè cum hoc agendum propter virium diſpendium.

Quæ per conſenſum ventriculi, non communicatâ totali cauſâ ad cor, fit ut plurimum ex acido exaltato; tunc corrigenda eſt aciditas, & proſpiciendum eſt præcipuè ſtomacho, nam interdum ex ipſomet calore in ventriculo excitato ſyncope accidit, ut obſervatur in quibuſdam febribus ſyncopalibus.

Si ab aliis cauſis ortum ducat ſyncope, juxta cauſarum diverſitatem adhibenda eſt curatio.

D. CAROLI

D. CAROLI MUSITANI

IATRIAS PROFESSORIS,

TRUTINÆ MEDICÆ

LIBER TERTIUS,

DE IMI VENTRIS AFFECTIBUS.

RATI ſumus ſępiſſimè pro eo quod memoriæ proditum invenimus, & longo rerum humanarum uſu edocti ſumus Naturam omnium matrem iniquiùs, & uti novercam cum ſolo ventre ſe geſſiſſe, ut pro certo habuimus, cùm primùm de formando homine, ſingulisque ejuſdem membris conſilium agitari ceptum fuerit, malè pro ventre in ſententiam iviſſe, illumq; inauſpicato condi debere, moleſtoq; operi addici, ſemperq; anguſtiâ premi. Fertur tempore, quo ſingulis membris ſuum cuiq; conſilium, ſuus ſermo fuerat, nec alieno arbitrio, ſed ſuopte magis genio vivere, magiſque propriâ prudentiâ regi placebat, ſingulas corporis partes ſermonem habuiſſe, ipſas ſolummodò corporis ſervitio addictas, ſuoq; operi cuncta in ipſo fieri, ventrem autem in medio quietum alieno labore ſaturari; alienáque induſtriâ omnia ſibi quærere, nec ipſius ullum in noſtro corpore eſſe miniſterium; quapropter conſpirâſſe, nè manus cibum miniſtrarent, nec os acciperet datum, nec dentes conficerent: cùmq; in ſuâ ſen-

tentiâ permanſiſſent aliquandiù, evenit inediâ, corpus paulatim languescens tabo, palloreque affici, proindè conſilium iiſdem peſſimum fore cognoverunt. Sed ultimus non fuit hic ventris labor, nec maximus, ſiquidèm ex quo primum Galenicorum agmen terris incubuit; nec acriùs unquàm in ventrem ſævitum, nec miſeriùs afflictum conſpicimus. Si caput langueat, ſi oculi caligent, dentes doleant, pedes infirmentur, ſi tandèm quælibet corporis pars vel minimo afficiatur incommodo, illicò venter culpatur; quapropter potionibus, pharmacis, clyſteribus, & ſexcentis hujuſmodi turbant, enervantque ſummo labore, languoreque afflictum ad extremæ ſuæ exitium perductum, corpori potiùs exitio ſit tali potiri viſcere. Quod plerique ut ventrem à tot ærumnis ſublevarent, atque à tantâ injuriâ vindicarent, grande opus aggredi conati ſunt: in ipſo animam locare non ſunt veriti, quippè partem excellentiori ſenſu præditam agnovêre; ſed etſi magno molimine in id incubuêre, incaſſùm tamen hæc tentârunt. Etenim nunquàm Galenicis cordi fuit violentas manus, vel parùm à ventre cohibere, ſemperque pro hoſte habuerunt. Sed ità ſe res habent, quæ in hoc orbe incerto curſu agitantur ſub adverſis ortæ auſpicijs, ſiniſtroque Jove progenitæ infelici fato ſursùm, deorſumque volvuntur in æternùm, & ultrà. Profectò nunquàm querelis parceremus, atque pro ventre cauſam ageremus, niſi modum illis ponere res ipſa expoſceret, alijſque quæ in hoc libro tractare eſt animo, forſan Galenicos à tot injurijs cohibere ſpes nobis foret.

CAPUT I.

De Ventriculi Actione.

PRiuſquàm ad Ventriculi affectus perveniamus, de hujus viſceris actione aliqua præmittemus. Ventriculus eſt membrum princeps, ſine quo nulla corporis pars conſiſtere poteſt, eſt omnium unica culina, & ceu radix, quia non ſecùs ac arbor à ſuâ radice viret: ſic omnes reliquæ partes omnem ſuccum, & ſanguinem à ventriculo obtinent.

Certa, & indubitata eſt ventriculi actio, ſed dubius, & obſcurus talis actionis modus hactenùs fuit. Nemo eſt, qui ventriculi actionem eſſe, ut ingeſtos cibos diſponat, & præparet, ut eorum nobilior eſſentia à fæculentijs ſeparata intùs pro animantis nutritione accipi poſſit, ambigit. Hanc ciborum in ventriculo præparationem vetuſtiſſimo illo quo chyloſim appellavit *Hippocrates*, quæ vox minimè quidèm cremorem quendam deſignat, ut perperàm credidit *Galenus*, ſed ſpecialem quendam præparationis modum, quem à calore promoveri arbitratus eſt *Hippocrates*, & *Ariſtoteles* elixando, ſcilicèt in humido concoquendo.

Eri-

Eriſiſtratus adjudicavit confici in ventriculo cibos per triturationem quandam, quâ comminuti transmutantur, quod verum de pennatis ſibi quoque perſuaſit *Harveus.*

Aſclepiades inepta de hac re protulit; fuit enim voti, in ventriculo cibos nullo modo concoqui, ſed crudam materiam, ſicuti aſſumptam eſſe in corporis partes deduci.

Galenus coctionem à calore promotam cum *Hippocrate* ciborum in ventriculo confectionem vocavit, addidit ille, id quod nunquàm *Hippocrates* ſomniavit, ſcilicèt ex coctione chyli, ſeu albi cremoris generationem.

Recentiorum plerique & præcipuè chymiſtæ cùm animadvertiſſent in piſcium, & aliorum frigidorum animantium ventriculis ſine ullo calore ingeſta cibaria confici, & transmutari, obſervâſſent quoque quamplurima ab animantibus calidis deglutita per elixationem, quàm per concremationem inalterabilia in eorum ventriculis confici; neque per calorem, neque per elixationem ciborum confectionem in ventriculis fieri, ſed omninò aliter credidêre: Undè cùm experti eſſent in mechanicis ſpagyricis metalla, ſolida corpora à quibuſdam liquoribus acidis ſine calore diſſolvi; Experientiâ quoque cùm didiciſſent cibos in animantium ventriculis, dum conficiuntur, vehementer aceſcere, ac tandèm cognoviſſent lienem animantium ſubacido, auſteroque ſapore eſſe refertum, ex rebus iàm manifeſtis hoc quod ſequitur, conſtruxêre theorema: Ex liene per vas breve venoſum in ventriculum refunditur liquor quidam acidus, qui ingeſtis cibis inſperſus, & commiſtus eos reſolvit, & in chylum convertit; taleinque conficiendorum ciborum modum, licèt abuſive, & falsò, fermentationem dixêre.

Tandèm *Thomæ Cornelij* conſummati in Philoſophiâ viri opinionem legimus, quæ ciborum confectionem in ventriculo fieri ſuadet: ſupponit inter ventriculi tunicas glandulas quaſdam lenticulares, ex quibus liquorem quendam album, acidumque effluere aſſerit, quem menſtrui diſſolventis loco cibis commiſceri credit; addit quoque effluvium quoddam ſpirituum in ingeſtos cibos è vicinis partibus egeri, quod maſſam movet, & agitat, ad quod conferre quoque multùm exiſtimat motus quidam fibrarum membranæ interioris ventriculi, quibus omnibus aſſociatâ ipsâ ciborum fermentatione, eos confici, & transmutari in chylum indubitantèr credit.

Sub iàm multiplici itaquè opinionum diverſitate latet adhuc veritas, & penitùs eſt in obſcuro, verùm, ut de illis judicium tradamus.

Dicimus ciborum confectionem in ventriculo ſive per corruptionem, reſolutionem, ſive per elixationem minimè tribui calori, & probatur.

Primò, ſi per calorem efficienter, & effectivè fieret, ubique quicquid ab animantibus ingurgitaretur, ſi foveretur gradibus caloris proportione reſpondentibus calori viventium, chylum generaret, quod falſum eſt; gradus enim caloris correſpondentes

ca-

calori viventium, ſi inſtrumento, quo ambientis temperamentum menſuratur, æquè menſurarentur, vix frigidam tepefacerent aquam, ut immutarent cibos in hoc aliquid: Aſt licèt per falſi ſuppoſitionem calorem viventium tantæ eſſe efficaciæ concedamus, ut cibos elixet, corrumpat, vel reſolvat, ac conſtituamus calorem extra viventem ejuſdemmet energiæ, quâ cibi in ollâ elixentur, putreſcant, vel reſolvantur, non propterea ex dictis caloris actionibus chylus reſultabit. Caloris proprium eſt calefacere, non autem cibos in chylum convertere, nàm extra viventium ventriculos, ſi calor in cibos agat, alterabit illos quidèm, ſed non convertet in chylum.

Secundò, tamen ventriculi duriſſima oſſa, avium lapides, ſilices, & vitrum digerunt, ſtrutionis, imò hominum, quibus ſtomoma ad deobſtruendum propinatur, ferrum reſolvunt, ac in partes dividunt; id caloris activitate fieri impoſſibile eſt, cùm ſubjecta materia ſilicis, ferri, vitri non ſolùm temperamento caloris gradui, ut eſt animantium, ſed potentiſſimo actuali igni reſiſtat.

Tertiò, febrientium ventriculi vehementiori æſtuant calore, ac non febrientium, itàque ſi calor eſſet, qui efficienter cibos digereret, coctio in febribus celeriùs, & efficaciùs expedietur ob caloris exuberantiam, quod eſt ſimpliciter falſum: igitur licèt calor vim confectricem ciborum in calidis animantibus comitetur, nullo modo ipſe ſolitariè acceptus munus confectionis ciborum in alimentum perficit.

A calore fieri coctionem *Galenus*, ejuſque diſcipuli perſuadent.

Primò, quia coctio eſt elixationis ſpecies; fit enim in humido, elixatio autem à calore fit.

Secundò, pueri, qui calore abundant, perfectiùs concoquunt, & hyeme, in quâ calor innatus abundat, perfectiores celebrantur coctiones.

Tertiò, coctio ubi imminuta eſt, calidis juvatur medicamentis, & ij, qui ſtomachum habent frigidum, malè concoquunt, medicamentis reſtituuntur calidis.

Quartò, qui benè valent, aſſumpto cibo, parùm refrigerantur in extremis partibus, ex eo quia calor concurrit, ut coctionem efficiat, ad ventriculum, & hac de causâ in ſomno meliores fiunt coctiones.

Ad argumentra reſpondemus, &

Ad primum, negamus coctionem eſſe elixationem; humidum enim requiritur, ut probè fiat fermentio, non ut elixetur alimentum, nàm alioquin piſces, quibus non eſt calor elixationi idoneus, non concoquerent.

Ad ſecundum, pueri meliùs concoquunt, quia fermentum habent validius, quòd ſi validius non eſſet, à calore nimio forſan puerorum evaneſceret, ſive deprimeretur, non aliter ac deprimitur à calore nimio furni paſtæ fermentum, quòd ſi pueri calore exuberanti meliùs concoquerent, etiam febricitantes id efficerent, præſertim qui ſimul cum febre haberet ſtomachum frigidum, ut ſunt hi, qui quotidianâ laborant, & quia fermentum à febrili calore de-

deprimitur; febricitantes non probè concoquunt.

Neque valet effugium de calore præternaturali, qui ſpecie non differt à naturali, quapropter febres multos præternaturam tollunt affectus, ut convulſiones, apoplexiam &c.

Ad tertium, negamus conſeqûentiam; calor enim non eſt, qui efficit, ſed qui adjuvat coctionem, ideò calore diminuto non probè fit coctio in illis animantibus, quorum fermentum indiget calore, ut actuetur.

Ad quartum, dicimus non eſſe verum, quod aſſeritur, neque frigeſcunt extremæ partes in perfectè ſanis, dùm alimenta concoquuntur, ſed dato, quod frigerent, ad ſummum ſequeretur ex hoc, quòd calor eſſet quid adjuvans coctionem. Neque verum eſt in ſomno meliores fieri coctiones. Hyeme autem animalium fermentum magis exaltatur, quia magis unitur, nec per cutis poros minuitur. Falſum expreſsè obſervamus calorem hyeme eſſe intenſiorem in animalibus, quòd ſi verum eſſet, de calido innato, & influo, quem vocant verificaretur; nàm etſi minora hæc eſſent pollerent majori intenſione, & conſequenter efficaciùs agerent.

Altera ſecta, quæ ciborum comminutionem, & in atomos triturationem in nutrimenti converſionem fieri credidit, præcedenti minùs ſubſiſtit; etenim comminutio per ſe tranſ mutationem non inducit, lapis in ſubtiliſſimum pollinem, ſeu atomos contritus, & comminutus lapidem eſſe non deſinit, frumentum in farinam redactum, adhuc indolem conſervat.

Tertia ſententia, quæ à liene per vas breve acidum ſuccum mendicat pro ciborum tranſmutatione, Pſeudochymicorum fuit, quos ſequuntur ex Galenicis quamplurimi, qui tranſmutationum radicem minimè intelligentes, hoc invenêre commentum, quod omninò falſum eſt, &

Primò, quia lien arteriali ſanguine per ramum cæliacum in ipſum deſcendente turget, non autem ſucco acido.

Secundò, quia lien à ventriculo trahit, non autem ventriculus à liene, ut in affatim potantibus apparet.

Tertiò, jejuni ventriculi aciditatem non continent, ſed tantùm dùm cibis ſunt repleti, à quibus aciditas producitur; nàm ſi à liene illam ſugerent, adhuc jejuni acidum eructarent.

Quartò tandèm, quod iſti Pſeudochymici cùm obſervâſſent corallia, uniones, metalla, & ſimilia acidis liquoribus, & fortibus aquis diſſolvi, & in calcem, & pulveres comminui, credidêre per illam comminutionem ea corpora tranſmutata eſſe: ſed id omninò falſum eſſe experientiâ patet, nàm metalla à fortibus liquoribus diſſoluta, licèt calcem mentiantur, ignis fuſione priſtina corpora recuperant, ſic corallia, & uniones ſi oleo tartari per deliquium ab eorum reſolventibus repercutiantur, in vaſis fundum in formâ pulveris præcipitant, qui nihil niſi corallium, & unio eſt. Igitur cùm acidi liquores tan-

tantùm comminuant, non autem tranſmutent, abſque fundamento eorum inventum in tranſmutationem ciborum in ventriculo introductum eſt.

Pſeudo-chymici, & quamplurimi èx Galenicis his rationibus ſuam ſententiam probare credunt, &

Primò, quia alimentum dùm concoquitur, in acidum mutatur, unuſquiſque èxperiri poteſt: Sed hæc mutatio in acidum non fit à calore, quia aciditas à frigore eſt, & ſi à calore, à calore puſillo: ergò ab aciditate, ſivè à liquore acido in ſtomachum confluxo.

Secundò, quia coctiones acidis adjuvantur, & avium linguæ voraciſſimarum acidæ ſunt.

Tertiò, multa in ventriculo digeruntur, quæ calore vel æquali, vel intenſiori indurantur, ut oſſa, & alia multa, quæ calore humido non comminuuntur, in ſtomacho digeruntur, quæ acidus liquor comminuere valet, ut experientia teſtatur. Primi generis ſunt ova, quæ quamvis bulliant, ſemper duriora fiunt.

Quartò, liqūore acido in phialâ infuſo cum alimentis, fit quædam analoga chylificatio, & ſi in digeſtione perſeveres, etiam ſanguificatio.

Undè procedat acor ille ciborum, infrà, & harum rationum reſponſiones patebunt.

Quarta ſententia, quæ glandulas lenticulares pro eodem acido menſtruo ſupponit, eiſdem rationibus refellitur. Adde, quòd dictæ glandulæ præterquàm Thomæ Cornelio noſtro authori; nèmini ampliùs hactenùs apparuēre.

Allatis ſententijs ſic perpenſis, nunc noſtram proponemus, & antequàm eam ſtabiliamus, aliqua notanda, quæ rem planiorem reddunt, præmittere debemus.

Primò itàque notandum eſt; quòd non integra ciborum ſubſtantia, quam animantia ingerunt, in eorum nutrimentum tranſmutatur, ſed pars quædam illius ſubtilis, ſpirituoſa, & ſalſa; nàm craſſa, fæculenta, & inſulſa per inteſtina ab animantibus excernitur, quod adeò verum eſt, ut probatione non indigeat: ergò actio ventriculi in cibis ingeſtis non eſt ſimpliciter tranſmutans, & cauſa efficiens, ſed diſponens ad ſeparationem ſubtilis à craſſo, nutrimenti ab excremento.

Secundò, quòd hæc ſeparatio nutrimenti ab excremento occaſionaliter tantùm promoveri à ventriculo poteſt, ſed efficienter, & effectivè ab ipsâ parte in cibis alibili fieri neceſſe eſt: nàm ventriculus judicio electivo præditus non eſt, quo purum ab impuro ſecernat. Verùm pars ætherea, ſubtilis, & ſpirituoſa, quæ in nutrimentum abire ſolet, à vitali ventriculi robore ſollicitata ſe movet, & in motu poſt ſe fæculentam partem inertem relinquit.

Tertiò, quòd hæc ſeparatio fieri non poteſt à ventriculo, & in locis diverſis, ſcilicèt

ſit in unum locum ſe recipiat nutrimentum, in alterum, quòd excrementum eſt; nàm præterquamquòd in ventriculo una eſt cavitas, & unum ſpatium abſque ſepimentis, caret ventriculus hoc ſeparatore, qui exactè illud ſeparationis munus exerceat: neceſſe igitur eſt, ut ea ciborum pars, quæ nutrimentum eſt, eodem motu, quo ſe ab excremento ſeparat, eodem inquam motu in ventriculi tunicas ſe inſinuet, ut in loca nutrimenti ſe ferat; excrementum verò in cavitate ventriculi relictum ſua deindè petat loca, inteſtina ſcilicèt.

Quartò, quòd cùm brevis ſit mora, quâ ſecundum naturæ inſtitutum cibus in ventriculo detinetur, evenire faciliter poteſt, ut pars nutrimenti illo octo horarum ſpatio integra non ſeparetur, & aliqua ejus portio in excremento profundior remaneat: in inteſtinis itáque in quibus longior eſt mora, pars nutrimenti in excremento reſidua eodem ferè motu integram ſui ſeparationem moliri credendum eſt, ſe in tunicas inteſtinorum inſinuare, exſuctumque excrementum foràs indè deturbandum relinquere.

His ità animadverſis, quæ à nemine ſani judicij in dubium verti poſſunt, quia ex ipſâ rei naturâ vera appatent, cunctis perpendendum proponimus, quæ induſtria ſit naturæ facilior, & quo artificio uti poſſit ad ſeparandum à fæculentijs, quod inutile eſt, & animali pro nutrimento proportionatum; nàm ſi id aliquo modo aſſequemur, facilè deindè erit intelligere, quomodò in ventriculo id evenire poſſit; natura enim ubique eſt eadem, & pro iiſdem finibus, iiſdemque ubique utitur medijs, eò magis ut in ſecundo notando monuimus, ſeparatio puri ab impuro pendet ab ipſo puro ſeparabili, quod ex celeritate motûs impurum deſerit, non autem à ventriculo, & ab agentibus externis, quæ promovent tantùm motum puri, ut ab impuro diſcedat: Itáque ad id mechanicè intelligendum proponemus naturæ quoddam opificium, quod unuſquiſque experiri poteſt, & quod proponimus ex fundamento intelligere.

Demus ex muſto ab uvis recenter expreſſo, quod pro unâ parte adaptetur dolio; pro alterâ verò parte vitreis deſtilletur vaſis, hæc in deſtilatione aquoſum liquorem inſipidum reddet, vix ab aquâ ſimplici diſtinguibilem, uſque dùm muſtum in liquidæ picis conſiſtentiam exſiccetur, ac tunc oleum ſubcitrinum eructabit, quod præcedenti liquori ſupernatabit: reliquum deindè carbonizabitur, quamcumque Vulcani torturam ſpernens, niſi aperto conflagetur æthêre. Altera verò pars muſti in dolio adaptata temporis intervallo efferveſcit, aceſcit, tranſmutatur, & in acidulum vinum abit, abſque eo quod ab extrinſeco aliqua acitas, menſtruum acidum, vel quid ſimile illi adjungatur, quia ſpiritus in muſto deliteſcens, dùm moveri incipit,

pit, effervescentiam in muſto parit, & fermentali motu ab ambagibus concreti ſe in ſuperficiem extricat. Si deſtillabis, & vix perceptibili calore vinum urgeatur, puriſſimum dabit ſpiritum in tenuiſſimum vaporem in refrigerij loco in cryſtallinum liquorem oleoſum, diaphanum, acutum, & omninò cremabilem, qui integram vini eſſentiam ſecum refert. Ipſo enim abſtracto ſpiritu, quod remanet, vinum non eſt, ſed phlegma ignavum, quod ſi igne ſollicitabis, aquoſum eructabit liquorem uſque ad omnimodã ſui exſiccationem, quæ vix partem fæcum muſti reſpectivè carbonizatam proprio gravidam ſale præſtabit.

Sciendum itàque eſt, quòd in omnibus univerſi corporibus, ac præcipuè in vegetabilibus, de quibus nunc nobis eſt ſermo, latet pars quædam ætheræ naturæ, quæ eſt illa, quæ dat formam ſpecificam, & proprietates eſſentiales conſtitutivas talis corporis: hæc pars, quæ ſui natura mobilis, ſpiritualis, ac calida eſt, in profundis ſuis latibulis tenacitate materiæ coërcetur contra ſuam indolem, quæ ætherem ſemper petere cupit; hæc pars multoties ex ſeipſâ, ut in muſto diximus, ab aliquo agente externo concitata, ut in panificio, ſe movere incipit, ac materiam, quæ illam cogit, ſubigere, ità ut ſuam acquirat libertatem. Dùm pars iſtaætherea hæc omnia molitur, totum corpus, & ſe movere, & effervescere obſervamus, quem motum, & effervescentiam fermentum, ideſt fervimentum, & fermentationem dicimus, in quâ evenit, quòd pars ætherea à materiæ compedibus ſe extricat, ac ubi prius in fundo latebat, ſe in ſuperficiem recipit, & materiam, quæ antè erat in ſuperficie, in fundum præcipitat, quod evidenter apparuit in ſuprà allatâ de muſti, & vini deſtillatione: quippè muſti deſtillatio, in quâ fermentatio, & motus partis ætheræ non præceſſerat, aquam ſimplicem reddidit; dùm deindè per fermentationem pars ætherea ſuam ſubegerat materiam, & in ſuperficiem ſe receperat, quo medio muſtum in vinum redegit, tunc pars ætherea vini, ſcilicèt ſpiritus primò in deſtillatione venit. Conſtat itàque mechanicè ſeparationem puri ab impuro in vegetabilibus fieri non poſſe, niſi per fermentationem, quæ fermentatio aliud non eſt, niſi motus partis ætheræ in corpore gliſcentis, quo in ſuperficiem propriæ materiæ fertur.

Hinc notandum, quòd abuſivè, & falſò imperiti hoc fermentationis nomen in actionem, quâ liquores acidi, ſalſi, ſivè fortes in aliquibus corporibus exercent, transferunt; ex eo quia ab actione liquoris acidi in corpus motus quidam, & effervescentia reſultat: nàm quoties motus effervescentiæ ab intimis corporis partibus non pendet, qui ab externo liquore fit, fermentatio non dicitur, ſed corporis patientis corroſio, quod patet in metallis, quæ quamvis in liquorem per aquas fortes diſſolvantur, & in diſſolutione obſervatur effervescentiæ motus, quia metalli partes internæ illum motum non fecêre, licèt metalla tranſmutata appareant, in eadem tamen reducuntur metalla, abſque eo quod nil paſſa fuerint, quòd ſi eorum partes internæ mo-

motum illum concitaviſſent, amplius in metalla reduci non potuiſſent.

Demonſtratum credimus hactenùs eſſe ſeparationem puri ab impuro in vegetabilibus tantùm per fermentationem fieri poſſe, quæ ab internis corporis concitatur; videamus nunc, an ſapor corporis mutetur per fermentationem intrinſecam, & ſi mutetur, quis ſapor fermentatis rebus ſuperveniat?

Propoſitionem univerſalem, & invariabilem in hoc proponimus, ſcilicèt quòd in corpore quolibet vegetabili, quod intrinſecâ effervеſcentiâ fermenteſcit, ceſſat innatus ſapor, & acidus in eo producitur. Propoſitio probatione non indiget, nam experientiâ patet: vinum, cereviſia, panis fermentatus ex fermentatione acida fiunt, & ratio eſt; quia pars æ herea, quæ in corporis fermenteſcentis ſuperficiem venit, ſalis indolem præſefert, qui propter materiæ heterogeneitatem acidus apparet, ſuam ſalſedinem nanciſcitur, ut vini ſpiritus ſalſus ex acido vino.

Totum id, quod attulimus minimè quidèm ex imaginatione, probabilitate, vel conjecturâ ortum ducit, ſed ex demonſtratione mechanicâ, quæ nos docet ſeparationem puri ab impuro in vegetabilibus alio modo fieri non poſſe, niſi per fermentationem intrinſecam in vegetabilibus, ob quam fermentationem ſapor acidus etiam ab intrinſeco illi advenit in ſuâ materiâ, à quâ ſi ſeparetur, ſalſus evadit.

Acidum hunc liquorem chymici melioris notæ ab effectu meliori ratione fermentum dixêre. A *Paracelſo tract. 2. de ente veneni cap. 7. Alchimiſta ventriculi* vocatur, & hac de causâ: *In longis lævitatibus inteſtinorũ ſi acidus ructus ſuperveniat, qui priùs non erat: Signum bonum.* Ex aphoriſmorum authorè *aph. 1. Sect. 6.* quia alchymiſta ventriculi in ventriculum rediens, quod priùs non faciebat, concoquit alimenta, quæ priùs ob illius abſentiam deijciebantur inconcocta, cruda, & non fermentata. Fermentatio hæc reſpectu diverſorum exaltatione differt, undè alius digerit alimentum, quod alius, & alius digere non poteſt. *Paracelſus* ait, qui acetoſitate ex cupro extractâ utitur, is cuprum etiam digerit, & ſic de omnibus metallis vitriolis intelligendum eſt. Cùm igitur de Strutione dicitur, quod omnia digerit metalla, verum eſt, quia in omnibus metallis acetoſitas vitriolata eſt, in ſolo auro nullum eſt vitriolum, eam acetoſitatem habens, quam ſtrutio à ſuâ naturâ habet, idèò metallum conſumit; Homo autem, qui eâ caret, attè ejus ſtomachus juvandus eſt, & ſic confortandus, ut omnia, quæ aliàs à naturâ, & proprijs viribus nunquàm conſumere poſſet, facilè digerat, & conſumat. Sic qui igitur ab aſſumpto chalybe malè ſe habeat, remedijs chalybem ſolventibus ſublevandus eſt.

Nunc viventium cogitatione, dè ventriculis, qui neceſſariò ex vegetabilibus cibis, ſivè animalibus eſſe debent, noſtrum feramus judicium; nàm ibi non aliter rem evenire percipimus, ac de muſto in vinum mutato, deque alijs ſuprà allatis exemplis retulimus: etenim tranſmiſſis in ventriculum cibis, ſpiritus æthereus, qui in eorum latibulis continetur, non ſolùm propriâ energiâ, ſed calore foventis, & amplexantis, ventriculi excitatur;

ſe movere incipit, producitque in totâ maſsâ effervеſcentiæ motum, quo motu à latibulis materiæ in maſſæ ſuperficiem ſurgit, maſſam reddit acidam, & cum amplexante ventriculo init commercium; ubi attentè notandum eſt, quòd motus effervеſcentiæ, & acidus ſapor in ciborum maſſa ab illo ſpiritu æthereo abſolutè fiunt, nihil adminiſtrante ventriculo præter calorem vitalem, cujus præſentiâ ſpiritus ille ad motum celeriùs ſe accingit, ſollicitaturque, ut quàm citiùs poteſt, à ſuâ materiâ ſe extricet, ut purus in corpus ſe recipiat.

Ex jàm dictis intellexiſſe vos credimus, quo naturæ artificio pars pura, ſubtilis, ſpiritualis, & alibilis ab ingeſtis in ventriculum cibis à craſſitie materiæ ſeparetur; ſupereſt, ut veſtigemus, quomodò pars illa ſpiritualis, & nutritia intra corpus ſe recipiat, ut nutriat, & pars fæculenta in inteſtina deſcendat, ut indè foras expellatur.

Ut id vobis innoteſcat, attendite, quòd dùm muſtum per ſpiritûs effervеſcentiam fit vinum, poſtquàm ipſe omninò ſuam ſuperavit materiam, quieſcit, & ab effervеſcentiâ deſiſtit; nàm gaudet ſe continere ſuam materiam, in quâ priùs continebatur, ſed ſi vinum, in quo jàm ſpiritus iſte quieſcit, in retortâ ponatur vitreâ, & levi urgeatur calore, ſtatim aufugit, & inertem, inſulſamque ſuam relinquit materiam. At in ventriculo viventium ſpiritus ciborum, dùm ſemel ſe movere cœpit, nũquàm à motu deſiſtit, nàm ventriculi calor moventis indeſinẽter illum ſollicitat, ut ſuam deſerat materiam. At quia ſuperficiem maſſæ ciborum immediatè mẽbrana interna ventriculi ſequitur, illámq; arctè amplexatur, ſpiritus à calore indeſinẽtèr ſollicitatus, poſtquàm maſſam ciborũ ſuperavit à motu nõ deſiſtit, ſed ſuâ ſubtilitate in amplexãtes ventriculi tunicas ſe inſinuat, & per earum fibras per univerſum diſpergitur corpus, impertiendo illi calorem, & robur. Hinc eſt, quòd famelici immediatè poſt aſſumptum cibum reſtaurantur, & nutrices immediatè poſt prandiũ lac in uberib. ſentiunt, quod ciborum ſaporem præſeferre ſolet; quæ evenire non poſſent, ſi chyli generatio ex cibis poſt decem horas expectanda eſſet, ac deindè ejus in ſanguinem mutatio, ut falsò hactenùs creditum eſt.

Hoc modo utili ſubſtantiâ ab inutili ſeparatâ, & per corpus diffusâ, videndũ quid de parte fæculentâ, in vẽtriculo relicta eveniat. Naturę lege impoſitũ eſt pyloro, ſivè orificio inferiori ventriculi, ut ſe non aperiat, niſi cibis in ventriculo fermentatis, in ejuſdem vẽtriculi tunicas ſpiritus ille fermentatione excitatus ſe trãſmittat, ſcilicèt cùm ſpiritu illo depauperati ex acidis iterùm dulces, ſive inſulſi cibi devenêre, nàm aciditas, ut ſuprà innuimus, ab illo ſpiritu fuit producta, qui quoties in mẽbranas tranſivit, materiam illam non acidam relinquit, non ſecus ac ſi à vino ſpiritus deſtillatur, quod remanet in vitro nihil acidi, nihil acuti ampliùs habet; quoties ergò vẽtriculi membranæ ſpiritũ à fermentatione in maſſa ciboru elevatum emunſêre, reliquũ paulatim à pyloro in duodenum tranſmittitur; cui operi adeò accuratè pylorus vacat, ut ſi ſui incuria aceſcens adhuc cibus, & ſpiritu adhuc luxurians in inteſtina deſcendat, ſtatim tormina, diarrhœæ, Cœliacæ, aliaque inteſtinorum mala excitantur.

Eſt

Eſt tamen hîc animadvertendum, quod non omnis ſpiritus ille æthereus, qui in ciborum maſſâ latet, per traditã fermentationem in ventriculo educitur, ſeparaturq; ſed illa portio, quæ ad motum promptior eſt, nàm altera pars illius, quæ in compactioribus materiæ partibus profundius latet, inter illas remanet, quæ, quia fæculenta, ignava, & viſcida eſt, cùm non ſit de ventriculi indole, corrugatione ejus fibrarum per pylorum in duodenũ exprimitur. Verùm quia ſenſitivorum vita altioris eſt indolis, quàm vegetabilium vita, dùm illa integra eſt, & aliquo impedimento non urgetur, non quieſcit, niſi ab ingeſtis cibis vegetabilium vitam, ſivè eſſentiam omninò emungat, ſibi ſubjiciat, & eorum cadaver adeò immutet, ut in excretis, neque vix ſignum ingeſtorum ciborum remaneat. Undè poſtquàm fęculę ex fermentatione reſiduæ ſub pylorum deſcenderunt ſpiritibus à ventriculo depauperatæ motum fermentalem ex ſe ipſis excitare non potuerunt; propterea remanſiſſent partim mutatæ, & partim non mutatæ, ſi tali inconvenienti à principio generationis non conſuluiſſet natura, conſtruendo ſcilicet fellis folliculum ſub hepatis cavo, in quo amariſſimus liquor produceretur, adhoc ut pars excrementitia à felle ſpreta in duodenum flueret. Undè ciborum reliquijs ſe immiſcet, & tali menſtruo in liquorem reſolvuntur, ut fuſiùs capite de Ictericia. Hinc reliquus æthereus ſpiritus, qui anteà in centro ligabatur, ad ſuperficiem evocatus, per talem materiæ diſſolutionem ſe movet, & in inteſtinorum membranas ſe inſinuat, non ſecus ac altera pars ſe in ventriculi mẽbranas inſinuavit. Quod omninò fæculentum eſt, & à ſpecificis ciborum qualitatibus penitùs liberatum, paulatim trãſcolando in inteſtinũ colõ, in fęces craſſeſcere incipit, ut per inferiora inteſtina facies deturbetur.

Diximus, quòd Spiritus ille, ſivè ciborum eſſentia, quæ tàm in ventriculo ſeparatur per fermentationem, quàm in inteſtinis per reſolutionem, non aliter in ſtomachi, & inteſtinorum villos recipitur, ac rerum ſapores in linguam, & palatum recipiuntur, & deindè minimè quidèm per meſaraicarum, & lactearum tubulos, ſed fibrarum rectitudine per univerſũ corpus diffunditur, illudq; nutrit, & recreat, dùm adhuc ſanguinis proprietates non acquiſivit.

Pro completâ tamen rei notione examinandum ſupereſt, an chylus, ſivè lacteus cremor, quem vulgares è cibis per coctionem ſequeſtrari pro ſanguinis generatione credunt, ſit in naturâ, vel tantùm in medicorum phantaſiâ: ſed hæc chyli è cibis generatio ità in inviolabilem tranſivit legem apud illos, qui aliorum placitis abſque rei examine ſe ſubſcripſerunt, ut malunt credere, quàm exquirere. At neque ad hanc uſq; ætatem viguere, atque Philoſophantium oculis nubem obduxerunt, ulteriùs ad poſteros promanent, noſtras cõjecturas in medium proferre neceſſe dijudicamus, quibus pro virili exquiremus, an reverà à cibis chylus educatur. Vindicandum nàq; duximus hominum mentes ab hac quoque rerũ ignoratione multifariàm; primò nàmq; multis rationibus, atq; obſervationibus talem chylificationem fieri non poſſe conjiciemus; Deindè nullas uſq; adeò repertas fuiſſe vias, per quas chylus ad hepar, vel cor vehi poſſit, demonſtrabimus; Poſtremò quod de hac re nós ſentiamus, & quonàm pacto ciborũ eſſentia corporis ſuſtentatio-

ni,

ni cedat, apertum faciemus.

Jàm primum omnium ſatis conſtat octo, vel decẽ horarum ſpatio cibos in ventriculo digeri, quapropter iſto medio tẽpore, vel prope digeſtionis finẽ tùm maximè chylus deberet abũdare, vel aliqua ſaltẽ inſignis, noſtriſq; oculis manifeſta portio; quòd ſi lubeat quolibet digeſtionis tempore ventriculũ ſecemus, profectò nulla chyli, vel minima pars, ejuſq; reliquiæ obſervãtur: albicans quippè materia, qualis illa chyli eſſe creditur, quam ut talem tùm potiſſimùm *Aſellius, Pecquetus, & Bartholinus* in lacteis, & ſacco lacteo oſtẽtat: Cur in ipſo ventriculo, in ipſo fonte nunquàm apparet, ſed vel aceſcens cibus, vel peractâ digeſtione, vẽtriculi tunicis dumtaxat ciborum reliquiæ adhærentes inveniantur? Inſuper quolibet coctionis ſtatu ſi totus cibus vomitu ejiciatur, ſaporem, halituſq; non niſi valdè acres dabit, nec quicquam lactei cremoris intermiſcebit. Profectò mirari ſubit, ubinàm natura chylum ſeponat, & in quâ cellulâ diligentiſſimè cuſtodiat.

Cùm ergò nullæ ſint in vẽtriculo cellulæ, ubi chylus aſſervetur, quæsò attẽdamus diligenter, quo pacto à reliquis ciborum fæcibus ſeparari poſſit. Communiter tradunt pylorum, collectis cibis etiã perfectè elixatis, reſerari; hinc quæreremus, vel ſolus chylus effluit, vel reſiduæ fæces, vel chylus inutili excremento permiſtus; ſi primum dicãt, quarè pylori orificio jàm patente ſolummodò chylus, non etiam intermiſtæ fæces extruduntur? Cuilibet notũ ſat eſt, vaſis oſtio aperto, quicquid in ipſo condebatur, continẽter excidere, nec in dubium cadit pylori orificiũ nõ ſatis eſſe amplum, ut fæcibus aditũ in inteſtina præbere nequeat; ſi ſecundũ in eodem vado laborandùm, cur non etiam chylus? Denique ſi fæces chylo permiſtę in inteſtina deducentur, certè fæcibus chylus inquinatus per univerſi corporis partes derivari deberet, quippè nullus adeſt itã ſedulus eductor, qui purum ab impuro educat, nec magnetica aliqua vis, occultavè qualitas, & reliquæ vulgaris ſcholæ tricæ huic cõjecturæ occurrere poterit; quin etiam urgeat, ſi inter digerendum talem ſeparationem fieri quis putaret.

Sed putant plerique cum antiquis elixatos cibos in tenuia inteſtina deſcendere, quorum meliorem ſuccum meſeraicæ inteſtinis adhærentes exugunt, reſiduamq; maſſam puriori ſubſtantiâ nudatam relinquunt, hinc per truncum venæ portæ ad hepar confluere; quorum opinio, quàm infirmo nitatur fundamento, autopſiâ manifeſtum reddemus. Etenim meſeraicæ ſanguine turgidæ ſemper conſpiciuntur, non candicant lacteo chyli ſucco, ſuaſque habent valvulas ab *Harvejo* detectas, atq; à *Columbo*, aliiſq; obſervatas; nutriuntur inteſtina arterioſo ſanguine per arterias meſeraicas ad ipſas derivato, quem poſteà vitali lumine ornatum venæ meſeraicæ ad hepar remittunt, ut evidenter ligatura demonſtrat: ligentur venæ meſaraicæ, tunc illas videbimus, quà inteſtina reſpectant, intumeſcere, quà verò hepar, inanitas. Prætereà miſeraicarum oſcula ità natura conſtruxit, ut chylo non pateat aditus per ipſa, & quod maximè conducit, ipſarum orificia ultra convexam inteſtinorum membranam non protenduntur; Certè ſi huic muneri eſſent addictæ in ipſo inteſtinorũ cavo ſua orificia terminata conſpicerentur, ut illa immediatè ciborum

maſſæ

maſſæ chylo intermiſtæ admota ſuo poſſent officio fungi. Excurrunt meſeraicæ venæ ſuper inteſtinorum tubulos, inq; varias ramificationes diducuntur, & in tenuiſſima capillamenta extenuantur; ſua oſcilla non niſi cum arteriis meſeraicis communicant, nec ſuas anaſtomoſes cum aliis participant, ut non obſcurè microſcopium nobis monſtravit.

Johannes Pecquetus aliam ingreſſus eſt viam à vulgaribus, ut hanc rem aperiret: putavit reſpirationem tale munus obire, chyli nempè ex inteſtinis in lacteas exprimendi (ſed an chylus ſit lacteus iſte liquor, qui in lacteis, ſacco lacteo, aliiſque vaſis *Aſellij*, & *Pecqueti* invenitur, poſt pauca dicemus) ſiquidem ultra inteſtinorum motum, qui ipſam quoque contentam materiam dilatat, & premit, exiſtimavit omnia reſpirationum organa, parteſque ipſis adjacentes, quæ reſpirationis motui obſequuntur, hanc chyli exſuctionem peragere; etenim diaphragma, muſculi intercoſtales, tùm interni, tùm externi, pulmones, abdominis muſculi, aliorumque ſe moventium machinæ, dùm perenni motu pectus, & abdomen modò amplum modò anguſtum reddunt, ſubjectas quoque partes vel premunt, vel ampliant; indè fieri cenſuit abdomine ſuâ preſſione inteſtina digeſto cibo premente, & pectore reliqua vaſa in lacteas meſeraicas, lacteas thoracicas, & dextrum cordis ventriculum exprimi chylum, & ulterius excurrere per omnes chyliferos ductus: non ſecus ac ſi herbarum ſuccus, vel aliquid ſimile in ſaccum intruſum manu modò premente, modò ampliante interſperſum liquorem in ſubjectum vas excipiat.

Ingenioſa eſſet profectò *Pecqueti* conjectura, niſi ad nobiliores, utilioreſq; uſus, reſpirationem fuiſſe inſtitutam, uſq; adeò non innotuiſſet, & ultro eam nos ſequuti fuiſſemus, ni quoque mechanicæ leges (ſi noſtra nos non fallat opinio) impedimento eſſent, quominùs hanc *Pecqueti* conjecturam amplecteremus. Etenim (miſſum faciamus, quod hic quoque repetere poſſemus, cur non etiam fæculentiarum portio aliqua exprimatur) libenter *Pecqueto* conceſſerimus, dùm animal reſpirat muſculos intercoſtales internos, dum coſtas verſus abdomen trahunt, & una ſimul diaphragma verſus idem abdomen protuditur, pectus longius, & conſtrictius reddendo, nè dum ſubjectas in pectore partes premere, & urgere, verum etiam ope muſculorum abdomini inteſtina comprimere; ſed quoque concedere debebit *Pecquetus* non ſolum inteſtina, verum etiam venas lacteas debere comprimi, & omnia reliqua vaſa ſub abdomine contenta: non enim talis preſſio uno in loco fieri poteſt, ſecus verò in reliquis pariter ſubjectis, imò fortior preſſio in lacteis eſſe debet; perreptant hæc inteſtina, illaque multis in locis vinciunt, non aliter ac capreoli ulmo adhærent. Itàque impoſſibile intellectu eſt, nec uſquàm experientia nobis monſtravit torculare ſuppoſitas res non æqualiter premere, vel aliquas omninò, reliquas verò nullatenus ſtringere. Cum ergò hoc evidentiſſimè ità eſſe appareat, quo pacto Lactearum tubuli preſſione occluſi chylo repleri poterunt.

Prætereà (ut ad ſatietatem hæc quoque congeramus) mechanica lex ſat

ſat nobis oſtendit liquorem in aliquo, exempli causâ, ſacculo incluſum, cui multi ſunt peranguſti meatus, ſit verò unus dumtaxat amplus cùm aliquâ vi premimus, per patens potiùs oſtium prodire, quàm per reliquas vias; quilibet námque obſervare potuit in collectis aquis, cùm extra alveum erumpunt; quippè illac ſuum capiunt iter, quà liberior ipſis via aperitur, etſi plures ſurculi alijs pateant: tali pacto crediderimus in hac chyli derivatione in lacteas fore, ut eveniret, nimirùm abdomine inteſtina premente per hiantes potiùs, & ſatis amplos inteſtinorum tubos chylum ultrà ducere, & ad rectum uſque derivare, quàm per exiliſſimas lactearum venas.

Videamus nunc, an aliqui ſuperſint præter meſeraicos, per quos chylus vehi poſſit? Nos certè ſemper credidimus nullos ineſſe, quod cùm ſæpiùs tentâſſemus, noſtræ ſententiæ firmiùs adhæſimus, quippè quod pluries nobis licuit experiri, non obſcurè illuxit, ut hanc rem animo diutiùs conceptam manu aſſequeremur. Satis conſtat internam œſophagi membranam, illamque ventriculi ad rectum uſque inteſtinum continuari, nec præter vas breve, & ductum cholidochum in ventriculum, & jejunum inteſtinum hiantes, aliud vas, vel orificium reperiri, filo horum oſcula ſtrictè ligavimus, admiſſo deindè per œſophagum copioſo ſpiritu, donec ad ligaturam uſque excurreret: tunc maximè diſtentis ventriculi, & inteſtinorum fibris, membraniſque obſervavimus præter has nullas ex reliquis circumſtantibus partibus ſpiritu vel tantillùm inflari; quod neceſſe erat, eo vel maximè ſi chyliferorum vaſorum oſcula in inteſtina hiâſſent, vel valvulas ex inteſtinis in meſenterium ſpectantes, & ducentes habuiſſent: ſed quia verebamur, nè flatus ſatis potenter, & copioſè inflâſſet, & ſingulas permeâſſet, œſophagum circumligavimus, & manu ſtomachũ ſedulò ſtringentes contentum aërem fortiter preſſimus, ut violento excurſu aëris ſpira magis urgeret, & ſingulos meatus peteret; ſed incaſsùm hæc omnia tentabamus, cùm membranę vi aëris elaſticâ potiùs rumpebantur, quàm ultrà incluſus aër excurreret, idéq; aquâ injectâ experti fuimus. Sat igitur ex his manifeſtum eſſe poteſt; ſi nec aqua, nec ſpiritus alioqui tenuiſſimus, ſingula quæque corpora facilè pervadens inteſtinorum membranas, penetrare poteſt, neq; etiam ullo pacto ullâque viâ chylus ſuo lentore piger, quippè qui mortua adhuc ſubſtantia eſt, meatus ità exiles penetrare poterit. Certè quidêm ſi hæc vaſa adeſſent, potiùs aëri liber fieret aditus; non enim chyliferorum oſcilla anguſtiora eſſe poſſunt flexuoſis porulis ſepti cordis, quos *Gaſſendus* obſervavit, nullatenus tamen teſte *Vuilhelmo, Vuornio, Nicolaus Brodbequius* ligatis cęteris ductibus, cavâ exceptâ, quam fiſtulâ immiſſâ revinciebat, illamq; cavam inflando, nè dùm dexter cordis ventriculus, verùm etiam ſiniſter cum auriculis aëre turgidus ſe exhibebat. Neq; veroſimile videri poteſt, quod putant aliqui, quos inter eſt *Veſlingius*, chylum per ventriculi poros tranſudare, vel per vas quoddam inviſibile, nobiſq; abſcõditũ ad lienem uſq; percurrere. Etenim ridicula profectò res eſt pro certo haberi, quod ipſis authoribus fuit ignoratum, nec unquàm viſum. Videmur nobis videre, ut dicamus, quòd res eſt,

cale opinamentum occultis Galeniſtarum qualitatibus valdè affinem eſſe, quibus ſpecioſo quodam verborum involucro, varijſque ambagibus, dùm ſibi, alijſque blandiuntur, propriam inſcitiam vel inviti fatentur. Falſum præterea putamus chylum per ventriculi poros poſſe ad lienem tranſmitti, atque ex fluidiori ejuſdem parte, unâque terreſtri, craſſiorique permiſtâ, ex ipſo ventriculo, & pancreate eductâ ſanguinem fieri: quippè chyli portio aquea ſive illa ſit, ſive terreſtris vitali motu carere, ſemperque craſſitudine aliquâ inſigni pollere debet, (quod in nutrimentum cedit viſcoſitate quadam, ut plurium eſt ſententia, abundare neceſſe eſt, & fibroſæ ſubſtantiæ naturam acquirere) undè per anguſtos poros tranſire impoſſibile redderetur, quia à nemine hactenùs animadverſi fuerunt. Præterea ſi pori ſunt undique per ventriculum diſperſi, cur non etiam in reliqua viſcera ſpargitur chylus?

Undè quamplures peculiare aliquod vas oſtendere tentârunt, atque vas breve illud eſſe pro certo credidêre, quod apertè falſum experientia teſtatur. Etenim vas breve ad ventriculum potiùs, quàm ad lienem vehere ligatura demonſtrat, ut ſæpè compluribus amicis oſtendimus, quicquid *Regius* dicat. Quinimò diſſectione quartâ poſt prandium horâ, tunc cùm maximè chylum abundare credunt, nunquàm chylifero humore, albicantique ſucco refertum conſpeximus. Multoties vas etiam breve in lienem non inſeritur, & ad hepar potiùs, quàm lienem ferre demonſtrat.

Qui verò putant gaſtricas venas, & epiploicas hoc munere fungi, quoque decipiuntur, cùm hæc vaſa in ſplenicum ramum exonerata rectu ducta ad hepar ſanguinem tranſmittant.

Sed adhuc poſtremus reſtat labor, in quo maxima ſita eſt difficultas, quippè omnium cùm ex antiquorum ſcholâ, tùm recentiorum conſenſum traxit celebre inventum, quod primum noſtra ætas, ad majora ſemper detegenda nata, tulit, lactearum nimirùm, quas *Aſellius* detexit (quanquàm legamus *Eraſiſtratum* pro pexiſſe, & veluti ſubodoraſſe in hœdis,) ſacculi lactei, & lactearum thoracicarum ad cor, quæ in brutis, ſecundante fortunâ, *Pecquetus* animadvertit, & *Caſpar Bartholinus* in homine ampliorem viam ſecutus illuſtravit, multiſque inventis adauxit. Omnium una vox eſt, idemque conſenſus per hos tubulos pervadentem liquorem chylum eſſe; quippè lacteo colore candicans à lacteis inteſtinorum tubis, tùm potiſſimùm duodeno adhærentibus promanat. Nos verò tantorum virorum illuſtrium authoritas tot firmata experimentis, ut fateamur in ſuſpicionem adduxiſſemus; primum de ijs maximè ſuſpicari debere, nec conniventibus oculis, quæ frequenti omnium voce percrebuerunt, claroque plauſu ſunt recepta, proſpicere; nàmque hoc eſſe primum rectè philoſophandi lapidem qui naturæ cognitioni viam ſternit, ut incomparabilis *Renatus* in ſuis principijs diſſerebat, de omni re nempè dubitare, vel de ijs, quæ ipſamet natura noſtris mentibus inſeruit. Nec inſtituta methodus nos feſellit (quod erat alterum nobis ſuſpicioni anſam præbens,) quandoquidèm legimus non erubuiſſe *Bartholinum* cum alijs ultrò fateri, omnes cum *Aſellio* deceptos

ptos fuiſſe in lactearum curſu per glandulam meſenterij ad hepar, donec clarior dies illuxiſſet, quem *Pecquetus* ſuo ſacculo, lacteis thoracicis, idemque *Bartholinus* lymphæ invento orbi anatomico advexit. Præterea quanquàm de horum invento nemo ambigat, tamen non ità illibata de lacteo chyli excurſu per lacteos ſurculos extitit opinio, ut non viderimus nonnullos illuſtres viros, graveſque authores de eâ non dubitâſſe; quapropter animos ſumpſimus, & præconceptam ſpem firmavimus, arbitrati temerarium non fore nos quoque in controverſiam adducere, quæ hactenùs ſapientum virorum judicium in ambiguo tenuêre.

Neminem fugit (ut multos prætereamus, qui nervos, arterias, vaſaque alium à chylo ſuccum derivantia eſſe putârunt) pleroſque doctrinâ graves ſano conſilio in rem maturiùs perpendentes non auſos de illis quicquam deliberare; veroſimile ipſis viſum non fuit, ſi huic operi natura lacteas adduxiſſet, manifeſto trunco donatas, & multiplici glandularum genere, alijſque ligaminibus, ut pateret roboratas conſpici non debere: in tantâ rerum neceſſitate quanta ipſa eſt vitæ conſervatio, cùm in minimis tanto ſtudio occupatam intueamur, naturam defeciſſe minimè credendum eſt.

Sed præ multis nobis eſtò eloquentiſſimus *Gaſſendus* Epicureæ philoſophiæ reſtaurator, qui de hoc chylifico liquore per lactea hæſitavit multùm, ut maluerit exiſtimare albicantem ſuccum adipis generationi potiùs inſervire, quàm chylum eſſe, nec lacteis ullo tempore chylo repleri, idque hac lege noſtro in corpore peragi docet; liquorem hunc, quem adipem eſſe putat, per meſeraicas ferri glanduloſum pancreatis corpus, indéque per lacteas derivatus totum corpus irrorando percurrere; alias verò ab hoc eſſe chyli vias, aliaque ab his vaſcula à naturâ fabricata fuiſſe; putavit ſiquidèm chylum ex ventriculo per porum bilarium ad hepar ferri.

Nobis itàque in tantâ opinionum varietate, rerumque conflictu non modica ſpes facta eſt, abſque eo quod novatores rerum omnium placitis exceptarum videamur, noſtras conjecturas in medium proferre; vel eò magis cùm non effœta conſpiciatur natura rerum, ut nihil laudabile pariat, nec ſemper quid novi cuilibet oſtendere valeat. Si námque rerum naturalium inveſtigationi ultimæ metæ eſſent poſitæ, acta res eſſet, nec in obſcuro res laterent, nec tot illuſtrium philoſophantium ingenia, quot lapſa tulit ætas, in naturæ cogitatione inſudâſſent, nec quotquot ventura ſæcula melioribus forſan auſpicijs dabunt. Ipſa námque natura parvi eſſet æſtimanda, ſi auguſto limite contenta pauperem Regnum clauſiſſet; ſed non ità ſe res habet cùm multum adhuc reſtet operis, (ut cum *Senecâ* loquar) nec ulli nato poſt multa ſæcula aliquid addendi præcidetur occaſio.

Sed agè nunc veniamus ad noſtras conjecturas, atque perpendamus exactiſſimè, chylus ſit nè lacteus hic liquor per lacteas derivatus, an ſeroſa potiùs ſubſtantia? ut veriùs putamus, quæ ſubtiliori parte nudata elevari nequit unà cum ciborũ eſſentiâ, vitæ ſuſtetationi addictâ, quapropter ad alios uſus per ſuos canales ferri debet, quod mox ratum faciemus, atque teſtatum.

Fa-

Facilè crediderimus ciborum coctionem (quòd latiori calamo poſt multa dilucidavimus) eâ lege miniſtrari, quâ in artefactis obſervamus vegetabilium, aliarumque rerum ſpiritus fermentationis ope ſeparari. Siquidèm didicimus fermentatas res in alembico aliovè vaſe injectas ſpirituoſam ſui partem reddere, quod verò reliquum non niſi phlegma inſipidum eſſe ſubtiliori ſubſtantiâ nudatum, uſibuſque parum idoneum; itàque ignem niſi vehementer urgeas, non aſcendit, quod maximè piger, & lentus motus ſuadet, quo fertur: indè ramoſis partibus ſibi invicèm implexis conflari arguitur apertiſſimè.

Liceat hinc nobis affirmare cibos in ventriculo ingeſtos, dùm fermenteſcunt, nobiliorem ſubſtantiam vivificantem per omnes artus perducere, quod reliquum eſt, ut potè magis craſſu r, & ſpirituoſiori orbatum elevari, perque exiliſſimos fibratū tubulos excurrere minimè valere; itàque natura proprios tubulos huic ſero vehendo dedit, quos non niſi lacteas meſenterij, & thoracis eſſe certò putaremus. Hoc neceſſe eſt, ut eveniat, ſiquidèm (ut infrà oſtendemus) ſpirituoſiori ſubſtantiâ à ciborum fermentante maſſâ ſeparatâ, quę corporis ſuſtentationi cedit, quod remanet, non niſi ſerum eſſe poteſt, quod elevatur, ſi ventriculi calor & inteſtinus fermentationis motus ità vehementer poſſet urgere, & illius partes in minimas particulas divelleret, & comminueret, ſi tandem hujus ſeri particulæ ramoſæ quoque ferri poſſent. Undè à naturâ ità comparatum eſt, ut per lactearum ſurculos in duodenum ſpectantes derivetur, ut ope multarum glandularum exilium tamèn, horum ſurculorum oſcellis circum jacentium hujus ſeri utilior pars à reliquis impuritatibus ſecernatur. Tale ſerum ad glandulam uſque meſenterij fertur, ibi aciditate pancreatis maximè albicat; quippè cùm ſalis volatilis indolem præſeferat, neceſſariò acido ſucco commiſtum, ut in lacte virgineo, marchaſitâ, oleo lixiviali aquâ permiſto, & hujuſmodi ſexcentis conſpicimus.

Neque hoc perperàm natura inſtituit, quandoquidèm maximo uſui debuiſſet inſervire. Neceſſum erat hanc ſalinam partem in ſero latentem (experientiâ clarum eſt ſalem magis fixum, magiſque acrem, aliaque vitæ exotica in eo, quòd à deſtillatione remanet, reſidere,) quę dein nimiùm evecta vitam exturbaret, & eſſet nocumento miteſcere, dulcioremque reddere, ut aptiùs liquor hic ſpiritus interfluens, perque artus diffuſus vitale lumen temperaret, ut hoc veluti lenimine mulceret; ſiquidèm cùm vitæ fomes ſubſtantia quædam purior videatur perenni motu agitata, ipſaque vita non niſi ſub luminis figurâ explicari valeat: procul omni dubio ſępeſęplùs æthereæ hujus ſubſtantiæ motus augeretur, atque à ſuâ temperie, & æquabili motione removeretur, ſi aliquod corpus natura non deſtinâſſet tali temperie, quod frænum, ut ità dicamus, injiceret. Manifeſtum eſt hujus ſeri, ità correcti ſaporem eſſe valdè gratum quadam ſalſedine vitæ amicâ refertum, quòd ſi cum aliquâ ex ipſius parte magis craſsâ, & ſale non ità purificato commiſceas, acorem valdè pungentem acquirit.

Itàque ex his conjicere nobis liceat tale ſerum, poſtquàm lactentis coloris

 for-

formam, debitamque temperiem acquiſivit, per reliquos *Pecqueti*, alioſque detectos nuper ductus per axillarem in dextrum cordis ventriculum erumpere, ut ſpiritus, qui affluentiori copiâ à ciborum maſsâ ſanguini ſunt permiſti, cohiberet, nec irregulari motu ſineret excurrere, quod facilè idoneà particulum ramoſitate præſtare poteſt.

Tandèm videamus, quænàm ſubſtantia à cibis educatur, quâ vitale lumen perenni motu conſervetur; ſiquidèm ex tribus vita potiſſimùm ſuſtentatur, aëre nimirùm, cibo, & potu, undè certum ſit aliquod in his contineri noſtræ vitæ familiare, apprimèque neceſſarium, quo admirabilis hæc machina ſuos curſus rectè abſolvat, inque ſuis motibus inceſſanter perſeveret. Quamobrem nobis in hæc maturiùs conſiderantibus, quænàm vis illis corporibus ineſſet, undè tota corporis machina moveri, lumenque incendi poſſet, in mentem venit ſingulis corporibus tùm potiſſimùm in aëre, & cibo particulas ineſſe ſpirituoſas, æthereas, & maximè mobiles, quæ ſuo celeri motu à reliquis terreſtribus liberatæ, facilè reliquorum corporum particulas ſubeunt, illaſque pervadendo ſuo inceſſanti motu exturbant, agitantque: hæ autem cùm in machinam ſuis organis rectè diſpoſitam, motuique aptam impingunt, illamque facilè movent, nec unquàm à motu ceſſabit, donec jugi affluxu particulæ æthereæ in organa ſe intrudere ceſſent. Prætereà nemo unquàm in dubium revocavit animal ideò vivens eſſe, quia concinna organorum ſtructura ſibi mutuò in ſuis motibus aptè reſpondet, ſpirituque, ſeu æthereâ mobilique ſubſtantiâ per illos excurrente donetur, quod niſi eſſet, certè motu, ſenſu, vitaque privaretur. Manifeſtum ex his cuilibet erit, ſi non niſi aëre, & cibo vivimus, continuò ex ijs nobiliorem partem mobilemque auram educi, elevarique, quæ per artus diffuſa totam corporis molem agitat, movetque. Hanc ſubtiliorem auram æthereæ valdè cognatam antiquitas non ignoravit, quam alij ignem appellârunt, alij animam mundi, nonnulli vitale lumen, auram vivificantem, æthercam, divinam, denique ut multa prætereamus, complures archei nomine donârunt: Nos verò hiſce non putamus inſiſtendum, cùm tantùm ſufficiat vitam ſpirituoſæ ſubſtantiæ perenni motu agitari, ex illis corporibus elevatam, quibus nutrimur.

Nunc verò ad illud ſolvendum pertranſeamus, ubi nodus inerat; nimirùm an ſpiritus iſte æthereus dumtaxat à cibis educatur, quovè pacto id fiat, perque omnes fibras excurrat, ſingulóſque artus petat, nùm verò chylifica ſubſtantia per illos derivetur, undè corpus vigeat, & moveatur. Certum eſt in ſingulis corporibus, quibus veſcimur, ſicut in reliquis, latere ſpirituoſam quandam, & ſubtiliorem ſubſtantiam, undè corpora omnia vel vivunt, vel quodammodò vivere dicuntur; hæc verò intra terreſtres corporum particulas diſperſa manet, quæ ſi moveri incipiat, quouſque randèm à ſuis nexibus ſolvatur, terreas particulas, ſubſtantiamvè prorsùs inutilem, quam damnatam vocant, relinquet nec corpus vel ullâ vi erit prædirum. Totum hoc evidenter chymia demonſtravit: in anatome ſiquidèm corporum, dùm fermentali motu ſpiritus agi-

agitari incipit, ſtatim à reliquis partibus ſeparatur, & elevatur, reliquo corpore inutili jacente, ut in vino, cerviſiâ, ſpiritu vini, & ſpiritu vitrioli, & penè in exceteris operationibus chymicis.

Ex his certè crediderimus partes ſpirituoſas in cibis exiſtentes ope triturationis in ore, & ſuo ventriculi motu agitatas moveri incipere, totâq; maſſam ex his ſubigi, quem motum fermentationem chymici appellârunt, quæ ex irrequieto ſpirituum excurſu naſcitur, dùm à ramoſis, craſſioribusq; particulis conatur ſe extricare, undè in illas impingunt, & ultrò, citróque propelluntur, hæ verò ſuis nexibus exſolutæ abſque ullo facultatum tractriciū adminiculo, vel lactearum ad cor vehentium, ut ad ulteriorem perfectionis gradum promoveantur per fibras motrices in univerſum corpus diſperſas, atq; ſuis functionibus aptè fabricatas excurrunt; itáque ex hoc organa noſtri corporis continuò in ſuis motibus, propriâq; harmoniâ detinentur, interque ſeſe librato motu reſpondent. Hoc eſt, quod diximus animal vivere, lumenque vitale continuò incendi: hoc inquam eſt vivens nutriri, ſivè cibis vitam ſuſtentari.

Videre nobis videmur valdè eſſe veroſimile experimentis, & ſimplicitati, quâ natura in operando utitur, hanc nutritionis conjecturam his, quæ diximus expedire; enim ſimplicitati repugnat, quâ in rerum naturalium inveſtigatione nihil pulchrius homini philoſopho demonſtratum eſt, tot vaſis, tot circuitibus, tot ſecerniculis naturam impedire, tot deniq; tantiſq; coctionibus chylificam materiam torquere, ut ex hac nobilior ſui pars, ſpiritus ille æthereus elevetur, quo ſolo operatore vita regitur, cùm apertè manifeſtet experientia eſſentias, ſpiritus, ſalia volatilia è vegetantium, & animalium regnis ſimplici methodo parari & educi, ſolo fermentationis motu id juvante, quem facilè concipiunt, undè nobilior eorum ſubſtantia elevatur, immò cùm ſpiritus, & eſſentiâ ferè in ſuperficie ludere videatur, ut in noſtrâ *Pyrotechniâ* monſtravimus, niſi moderato ignis adminiculo utamur, & exactiſſimâ methodo procedamus in auras abibit, vel nihil, parumvè ſpirituoſæ ſubſtantiæ colligere poterimus; undè non videmus, cur natura in ciborum coctione, & aptâ ipſorum per corpus diſtributione eodem modo operari non valeat, cùm ipſa ſit cunctorum chymicorum artificum periciſſima.

Sed his omiſſis gratuitò concedamus chylum noſtri corporis partes nutrire, quæsò, petemus à noſtris barbatis, vel chylus pro vehiculo iſtius ſubſtantiæ ſpirituoſæ inſervit, vel ipſo partes nutriuntur: primum nequit eſſe, tùm quia ſpirituoſa ſubſtantia vehiculo non eget, tùm etiam quia fibrarum, & cæterarum partium ſtructura faciliorem aditum ſpiritibus aperire deberet, quàm materiæ chylificæ motui ineptæ, & craſſioribus partibus conſtanti, quòd ſi veriùs loqui velimus, ſpirituoſa potiùs ſubſtantia deberet chylum vehere, cùm chylus, ſi motum habet, non niſi ope iſtius ſubſtantiæ eſſet, ut vel ſtupido notum eſſe poteſt; nec ope facultatum hoc fieri poſſet, cùm hæ non niſi à ſpirituoſâ illâ ſubſtantiâ moveantur, ut ſuprà diximus, quòd ſi ex ſe iſta ſubſtantia hoc facere poteſt, cur tot, tantiſque commentis nutritionem movere,

vere, & naturam à ſimplicitate, quâ operatur, removere?

Secundum neque poteſt dici, námque vel chylo nutriuntur partes, prout mortua eſt materia, vel prout ſpirituoſam ſubſtantiam continet, ſed indiget, ut perficiatur. Primum eſſe nequit, cùm vita in motu conſiſtat, nec id, quod omni motu caret, vitæ ſuſtentaculo inſervit: Si ſecundum fateantur, neque experientiæ, & rationi erit cõſonum, quippè ſpiritus, qui in rerum ſubſtantijs latent, in continuo motu manent, eò fortiùs in vegetabilibus, & animalibus ſubſtãtijs, undè facili modo ſi rectâ methodo utamur, educetur.

Ulteriùs ex his, quæ quotidiè experimur, nobis certè credere licet talem chylum neque ex cibis educi, neque ut corpus nutriri poſſit, & illum reviviſcere, tantâ elaboratione, & præparatione indigere; ſiquidèm eſſentiæ, ſpiritus, ſalia volatilia etſi in ventriculum non ingerantur, ſed palatum tantùm attingant, ſubitò hominem vivificant, à lipothymiâ liberant, & apoplexiæ reſiſtunt. Prætereà vinum, cereviſia, cæterique liquores jàm fermentari ſenſibiliter cùm potentur, languentes artus reficiunt, & recreant, & quod magis eſt admiratione dignũ, quæque cibariorum genera ſtatim ac ventriculum attingunt, nobis robur addunt, ità ut longam inediam paſſi poſt moderatum cibum illicò ab orci januâ revocati videãtur, hilarioremq; vitam ſpirare. Itáq; ciborum ſpiritus ſtatim ac moveri incipit, per fibras excurrit, & prout citiùs, vel tardiùs eorum fermentum excitatur, ità & pariter ſpiritus elevatur, ut vinum, alijſq; ſucci fermentati demonſtrant; quippè ratione fermenti ſpiritus mágis in actuali motu exiſtunt, quòd ſi chylus educi deberet, tantamque elaborationem pati, ut melior ipſius pars corporis alimento inſerviret quomodò hæc phœnomena ſalvari poſſent? Nec protectò vires ſubitò reficerentur, priuſquàm inediâ laborantes lethi vias percurrerent, quàm ciborum vivificans aura, & præpotens ſpiritus illis præſto eſſet.

Tandèm lactens puer purgatur perquam bellè, ſi pharmacum matri propinemus, matriſque lac poſt mediam horam ab aſſumptâ potione exugat. Quonàm modo pharmacum tàm brevi intervallo ſtatam digeſtionem patietur, chylificari poterit, & lac denique poſt tot, tantoſque circuitus fieri? Quod idem apertiſſimè videmus in lactantibus cujuſq; ſpeciei, ut in ovibus, capris, cæteriſque animantibus, quorum lac, ſi ab aſſumpto cibo poſt horam dimidiam, guſtetur, palato illius cibi ſaporẽ imprimit, quòd ſi velimus cũ terebinthinâ in nobis experiri, facilè fiet, cujus uncia poſt horæ quadrantem ab aſſumptione lotium tali odore inficiet, quæ omnia magis ſunt obſervatu digna, quippè quia excrementa non ità facilè quid ſpirituoſæ ſubſtantiæ ſecum vehere poſſunt. Ex his ergò, quæ ratio ſuaſit, & experientia monſtravit, cùm ad hanc rem ſpectantia phœnomena, ni fallimur ſimpliciùs, & clariùs explicari perſuaſerimus, rerum naturam hac in re nos magis aſſecutos putamus, quàm qui tot, tantiſque medijs conati ſunt demonſtrare.

CAPUT II.

De læſâ Ventriculi Coctione.

VEntriculi Coctio, quâ pars æcherea à fæculentâ ſejungitur, maximum eſt vitæ opus, veluti præcipua materna mamma, vel coquus totius corporis, quod quiſque in ſe ipſo experiri poteſt, ſi per naturalem diem, vel ulteriùs jejunet, poſtmodúmque optimum nutrientem ingerat cibum, ſuperbibendo optimæ notæ vinum; ſtatim ac ventriculum attingent, amiſſas totius corporis vires refici, & recreari percipiet, adhuc in ventriculo exiſtentibus cibo, & potu: quâ ſtante veritate, aliqui perperàm à venis, arteriis, & nervis in ſtomachum deſinentibus præparati chyli optimum ſuccum attrahi, attractúmque in ſubſtantiam ei ſimilem fermentari, ſi optimâ potiatur coctione ventriculus, & impuritatum colluvie non ſcateat, ſed ſi impuritatibus ſit refertus, tunc diminutè, depravatè coctionem peraget, & à laudabili cibo, & potu parvum, vel nullum ſentiet juvamen, imò moleſtum gravamen, & majus viribus percipiet pondus, quia Impura corpora quantò magis nutries, tantò magis lædes.

Signa.

Læſæ coctionis ſigna ſunt: poſt ingeſtum cibum pondus, & tenſio in ventriculi regione, adeò ordinaria ingeſti cibi obluctatio coctioni reſiſtẽs, ut non tantùm plurimos moveat ructus acidos, vel nidoroſos, ſed eos quoque poſt decem horarum ſpatium circiter ſuo ſapore, & odore imbuat, ità ut dudùm poſt ciborum ſaporem, & odorem in fauces eructatum tàm exactè hoc affectu laborans percipiat, ac ſi jamjàm comediſſet. Frequenter os ſalivâ abundat aquosâ, quam crebrò expuere cogitur. Interdùm lingua amarum ſapit ſaporem, & ſicca exiſtit. Urinæ tenues, albæ, aquoſæ; interdum verò craſſæ, & rubræ apparent.

Cauſa.

Læditur coctio à calore diminuto, vel nimio; à calore diminuto, quia in coctione peragendâ moderatus requiritur calor, qui fermentationem excitet, ut purum ab impuro ſequeſtretur; à nimio calore ità turbatur fermentatio, ut totam ventriculi œconomiam ſubvertat, & depravet, ac æthere im ciborum ſubſtantiam in ructus, & flatus pro unâ parte ſollicitet, reliquam verò reddat degenerem.

Læditur quandóque coctio, quia viæ, per quas ciborum eſſentia tranſit, clauduntur, & hoc contingit, cùm circa ſtomachi fibras obmucatio, & ſordes tartareæ, vel ſulphureæ paulatim obducuntur; undè coctionem turbant, ac boni ſucci cibos inquinant, & degeneres reddunt.

Multoties fermentationis acidum nimis exaltatur, quàm par eſt, nec totaliter in ſalſum mutatur, & multoties deprimitur.

Interdùm ingeſta ventriculi coctionem lædunt vel ratione multitudinis, vel pravæ qualitatis; ratione multitudinis, ſi ità ventriculi vis graveiur, & obtundatur, ut ob reſiſtentem coctionis munere ritè ampliùs fungi nequeat, degenerant tunc ingeſta, & non fermentantur; ratione pravæ qualitatis ingeſtorum non ſolùm ventriculi actio à promovendo in ijs fermento deſiſtit, ſed principium motûs ipſius actionis à pravâ qualitate ad depravatè movendum adigitur, totamque ventricu-

li œconomiam ſubvertit, & per conſequens proprium nutrimentum degenerem reddit.

Quandóque coctionem vitiant vermes in ventriculo exiſtentes.

Ex læſâ coctione omne mali genus oritur, quia eſt omnium ægritudinum mater; attamen ſi coctionis vitium à causâ excitetur externâ, & ſpontaneo vomitu, diarrhœâ, vel urinæ profluvio non exoneretur infirmus, facilè corrigi poteſt, Si maturè convenientior inſtituatur diæta, & ventriculi colluvies per intemperantiam inducta exturbetur. Si coctionis vitium inveteraſcere permittatur, in habitum vertitur exorbitantia illa, ut poſtmodùm in dies ventriculus debilior evadat, & viſcera fiant debiliora, undè chronici, & lethaliſſimi ſubſequuntur morbi, ut inappetentiæ, dolores colici, febres, obſtructiones, affectiones hypochondriacæ, lienteria, cachexia, vel variæ hydropis ſpecies, vel quia corpus debito defraudatur alimento, oriuntur aridurae, atrophiæ, tabes, & aliæ mortis occaſiones.

Curatio.

In læſa ventriculi coctione ex quacumque causâ ortâ, bonam diætæ rationem obſervare neceſſe eſt, in quâ potiſſimùm curationis cardo conſiſtit; hac enim ſolâ quandóque citra medicamentorum aſſumptionem, & applicationem ventriculus ſuum peragit coctionis munus: Cæterùm hæc in ſex rebus non naturalibus voluratur, quibus apprimè deſcriptis, prima medicinæ pars pro læſæ ventriculi coctionis curatione, quæ languentem ventriculum ſolari poteſt, ſuppeditatur ac proindè

Aer quantum fieri poteſt, ſit purus, & temperatus ad frigidum tamen magis vergens, hyeme námque ſtomachus etiam malè affectus optimè concoquit, quia tunc calor unitus coctionem excitat, & fermentum magis unitur, & fortius agit.

Cibus ſit facilis coctionis, & fermentationis, nè ſuâ morâ ventriculo negotium faceſſet, à cibis autem pravi ſucci omninò abſtinendum, etiam ſi coctu ſint faciles, nàm licèt in principio nihil damni inferre videantur: tamen nobis non advertentibus temporis progreſſu pravi congeruntur humores ad alendum inepti, qui levem poſteà nacti occaſionem mali moris febrem exſiccare poſſunt, quicquid *Celſus* dicat, dum ſtatuit *lib.1. cap.1. Qualitatis ciborum nullam habendam eſſe rationem, modò coquantur.* Etſi námque optimè coquantur, nunquàm ex his bonæ notæ ſuccus educitur. Vitandi ſunt cibi difficilioris coctionis, ut viſcidi, flatulenti, acres, nimium ſaliti, & fumo indurati, ſicut ſunt omnia legumina, raphanus, fœniculus, Cæpe, allium, caſtaneæ, quæ ventriculo laborem faciunt. Nocent dulcia, pinguia, oleoſa, quæ non facilè à fermento ſubjiciuntur. Nimia ciborum quantitas, earumque varietas in uno convivio aſſumpta maximè nocet, nam ſtomachi fermentum obruit, & ſubigi nequit. Maximè confert ad coctionem ciborum ordo, ac proindè ad perfectam coctionem omninò ſervandus eſt. *Gal. 2. de alim. fac.* ejus fuit ſententiæ, quòd *alimenta, quæ citius coquuntur, prius ſunt ſumenda, quæ verò tardè poſterius.* Cæterum pace Galeni in ciborũ coctione in ollâ ad ignem nos potius oppoſitum obſervamus, nàm quæ difficilioris coctionis ſunt, quia plurimo indigent tempore, ut coquantur, prius ollæ, & quæ facilioris, poſterius induuntur: Eadem ferè

recurrit

recurrit paritas de ventriculi coctione, ac de eâ quæ in ollâ fit, cum coctio per vulgares ſit quædam elixationis ſpecies; quæ igitur edulia difficilia concoctu ſunt plurimo opus habent tempore, & prius edi debent, quæ facilia poſterius, & hic ordo in comedendo eſt ſervandus. Verùm ut verum dicamus, nihil refert (ſimpliciter loquendo) in corpore ſano, an hic, vel ille cibus primò ſumatur, quoniam cibaria non eodem ordine, quo ingeſta fuêre, in ventriculo manent uſque ad eorum confectionem, ſed quantumcumque ordinata certo quodam ventriculi motu commiſcentur, confunduntur, & in unam rediguntur maſſam, à qua mediante fermentatione æthæreus il.e ſpiritus educitur, & per fibras ſua loca petit, & poſtmodum aperitur pylorus, & ob ſecundam fermentationem in duodeno perficitur. Hanc maſſam cibalem albeſcere in ſubſtantiam cremoris, ſeu chyli medicorum vulgus hactenus credidit, quod falſum eſſe capite ſuperiori deprehendimus, nàm dum adhuc in ventriculo moratur, proprium, nativumque colorem ſervare videtur. Sic vernâ tempeſtate obſervamus in animalibus, quæ ſolâ viridanti paſcuntur herbâ maſſam eam ſubactam in ventriculis vireſcere: atqui homines cibariis utplurimum veſcuntur albis, quæ cum comminuuntur, atque liquantur, eorum maſſa candicare ſolet.

Potus ſit optimæ notæ vinum, ſi æger anteà fit aſſuetus, ſed nimietas vitetur; exceſſiva nàmque ſicut ingluvies ventriculum, ejuſque fermentum peſſumdat, ſic & vini ingurgitatio acidum in ventriculo abſorbet. Ex quâ causâ ſtrenuos potatores non multum comedere, ſed panis buccellâ per diem integrum contentos vivere, ſed tandèm pro mercede hydrope compenſantur.

Motus corporis ſit moderatus, & tempeſtivus; vitandus tamen à paſtu, quia ventriculum interturbat, & lædit, volatiliores cibi particulas diſſipat, & flatus excitat: moderatus verò poſt cœnam non erit inutilis, & exercendum corpus ante prandium, & cœnam.

Quies poſt prandium ità imperanda eſt, ut æger ſit deſidioſus, & omnem etiã levem vitet laborem, & motum, imò nec legat, nec ſcribat, & per duas, vel tres horas pacatam, & hilarem degat vitam, vel ſomno indulgeat.

Somnus ad perfectam ciborum coctionem maximè confert, nàm cibus in ſomno meliùs conficitur, ac proindè juxta coctionis læſionem longior convenit. Decubitus in ſomno primò fiat ſuper latus dextrum, ut cibus ad ventriculi fundum, ubi coctio maximè viget, & faciliùs deſcendat; poſteà verò ſupra latus ſiniſtrum, ut hepar ventriculo incumbens coctionem adjuvet.

Vigilia ad alimenti diſtributionem, & inutilium reliquiarum ſecretionem, excretionemque magis conferre videtur, quàm ad coctionem perficiendam.

Excreta, & retenta juxta naturæ exigentiam dirigantur: alvus itàque, ſi quotidiè ſuum non deponat onus, clyſteribus urgeatur; fæces nàmq; alvinæ diutiùs, & præter naturam retentæ ob fœtidos vapores ad ventriculum miſſos præter alios morbos, quos inducere poſſunt, coctionem vitiant. Menſes, & hæmorrhoides, ſi nimio fluxu recurrãt, in debitum redigantur fluorem, ſi ſuppreſſæ fuerint, ad conſuetum naturæ decurſum alliciantur.

Inter *animi paſſiones* gaudium eligatur, graviores, ut mœrores, triſtitia, ira, & hoc genus aliæ, quæ animum pertur-

bare poſſunt, paſſiones vitentur, quia coctionem vitiant, ac proindè ſi languētem impetant, jucundis colloquijs, vel melodijs animus demulceatur. Omninò fugienda Venus, quia ſtomachum debilitat, ejuſque coctionem lædit, præcipuè à paſtu.

Curatio itàq; diverſificatur ad cauſarum diverſitatem, nàm ſi læſio ſit à causâ externâ, eâ ſublatâ, ventriculus eſt roborandus.

Si à calore vel nimio, vel diminuto, tunc calor vel evocandus, vel minuendus. Ad evocandum calorem conferunt *Spiritus vini* tàm extrà, quàm intrà adhibitus. *Oleum menthæ, roris marini, nucis myriſticæ, julep. Vitalis, julep. cinnamomi compoſiti, aqua cinnamomi, electuarium de bacc. Juniperi, elæoſaccharum citri, &c. Galenus 5. de ſimpl. med fac. cap.* 5. Græcum commendat remedium, ut nempè puellus nondùm agens duodecim annos, ità amplectatur, ut ventriculum ventriculo tangat. In calore minuendo ſemper parti proſpiciendum eſt, quæ ut Galenici obſervant, medicamenta admodùm refrigerantia non tolerat.

Advertendum, quòd multoties caloris exceſſus, vel defectus eſt vitio fermenti, & tunc fermentum corrigendum eſt, cauſæ ſcilicèt, non effectui occurrendum, in quo ſemper peccant medici, qui cùm quid manifeſtum vident cum altero conjunctum ipſius cauſam putant; ſed hoc eſt proprium philoſophi, & medici munus cauſas veras inveſtigare, & non acquieſcere in cauſis apparentibus, quod ruſtici faciunt.

Ego uti ſoleo, cùm ventriculi calorem excitare volo, *lacrymâ nucis myriſticæ* admiſtâ cum *eſſentiâ menthæ, & abſynthij*, ut

℞. *Lacrymæ nucis myriſticæ* ʒ. ij. *eſſentiæ menthæ, abſynth. ana* ℈ß. *fiat linimentum.*

Poterit addi *eſſentia lavendulæ.*

Quandò clauduntur viæ, per quas ciborum eſſentia tranſit, debent reſerari, ut curetur affectus. Quandóq; in vijs aliquod exiſtit, quod vel nimiùm exaltat fermentum, vel deprimit, vel inficit, quibus omnibus occurrendum eſt, ut moderetur, & quia ferè in omnibus his caſibus producta excrementa reperiuntur in ſtomacho, curatio ſemper incipienda eſt ab his, quæ ſtomachum evacuare valent, hæc ſunt vomitoria, vel dejectoria. Vomitoria magis conferunt, non ſint tamen vehementia, nec evacuatio fiat unicâ vice, ſed per epicraſim. Dejectoria ſint lenientia, & tàm cauſam, quàm productum reſpicentia, non quòd electivè trahant, ſed quia admiſtam habent majorem, vel minorem detergendi vim. Prodeſt *Diatartarus in formâ electuarij, Aloë roſata, tartarus ſimplex, tinctura ſenæ, & ſimilia.*

Nihil eſt in totâ naturâ fortius, & potentius *oleo vitrioli Veneris*; eſt enim hoc oleum eſurinum, quod tot, tantiſq; pollet viribus, ut omnia, quæ in ventriculo continentur, ſive tartareæ, ſivè ſulphureæ colluvies fuerint, conſumit, ventriculumq; humanum ità roborat, & reſtaurat, ut ferrum, veluti ſtrutio, concoquere, & digerere queat. Sumitur ad gratam aceoſitatem in conſervâ roſarum, acetoſellæ, menthæ, vel alio liquore decenti miſtum. Poterit quoque uſurpari *ſpiritus vitrioli Philoſophicus*. Quod ſit vitriolum Veneris, & quomodò oleum ex eo eliciatur, fuſiùs docuimus, ejuſque olei extractio eſt ità trivialis, ut pateat lippis, atque tonſoribus.

Quan-

Quandóque fermentum eſt depreſſum, & tunc ſuccurrunt acida. Interdùm aliquod in ſtomachum confluit, quod coctionem impedit, & hoc tollendum eſt, vel corrigendum, ſi auferri non poteſt

Succurrunt læſæ coctioni medicamenta extrà adhibita, quæ aciditatem promovent, ut eſt *ſalſa ex cytonio, mentha, & aceto* compoſita, vel claudendo poros, & corrugando ventriculi tunicas, fermentum magis uniunt, & exhalare non permittunt, & ſic prodeſt *maſtiches, tacmac emplaſtrum*, ut

℞. *Tacmac, caranna ana p. æ. balſami Peruviani parum, fiat emplaſtrum.* Vel ſequens *ceratum ſtomachicum.*

℞. *Gummi ladani* ℥ij. *ceræ* ℥iv. *ol. nucis moſch.* ʒiij. *fiat maſſa emplaſtri.*

Mirabile eſt *Scutum ſtomachicum ex Actuario Hadriani à Mynſicht*, ut

℞. *Cinnam. electi, Caryophyllor. ana* ʒj. *galangæ, macis ana* ʒjß. *nuc. moſch.* ℈ij. *calami aromatici* ʒjß. *ligni aloes* ℈j. *gall. moſch. balauſt. ana* ʒß. *roſ. rubr.* ʒj. *maſtich. Ladani ana* ʒj. *balſam. Peruviani nigri* ʒß. *ol. maſtiches. menthæ ana* ℥jß *roſar.* ℥ij. *ceræ* ℥j. *reſinæ terebinth. q. ſ. f. ſ. a. ceratum.*

Efficaciſſimum in omnibus ſtomachi defectibus experti ſumus, & mirabiles ob effectus in uſu habemus; in omnibus enim vitijs à materiâ crudâ ortis ſuccurrit, coctionem juvat, ventriculum debilem roborat, & ciborum appetentiam excitat, præter alios affectus, quibus opitulatur. Applicatur ſtomachi regioni calidum ſuper alutam extenſum, & ad caſum uſque geſtatur.

Cùm fermentationis aciditas nimis exaltatur, ab acore liberanda eſt magiſterijs ijs, quæ acorem ad ſe rapiunt, ita ſunt *cornu cervi præparatum, magiſterium coralliorum, margaritarum, lapides cancrorum fluviatilium, &c.* & hac de cauſâ coctionem juvat *Agaricus mineralis foſſilis*, ex quo fit ſpecificum ſtomachicum, *Terra mineralis Sicula Claremontij.* Sed advertendum, quòd multoties materia hæc rapit acida, & ſimul cum ipſis conglobatur, fixatur, & gravia parit ſymptomata, quibus vomitorijs obviatur. Tutiſſimus, & mirabilis energiæ eſt *pulvis ſtomachicus Quercetani* cujus receptum accepit ab excellentiſſimo medicinæ profeſſore *D. D. Birckmanno* qui eſt pulveris Author, ut

℞. *Pulv. rad. Aronis præp.* ℥ij. *acori vulgaris, pimpinellæ ana* ℥j. *oculor. cancri* ℥ß. *cinnam.* ʒiij *ſalis abſynthij, juniperi ana* ʒj. *ſacch. roſati ad pondus omnium, conficiatur pulvis guſtui gratus.*

Præſtat quoque medicamentis uti, quæ vel deprimunt aliter acidum, vel ſi rapiunt, ſecum vehunt, ut ſunt, *ex chalybe parata remedia, vel ex tartaro.* Succum acidum obtundunt pinguia, & glutinoſa alimenta, facilè digeſtioni obedientia, talia ſunt *cremor ptiſanæ, amylum, tragacantha,* & ſimilia. Succurrit etiam *gelatina ex pedibus animalium facta juvenum, & optimi ſucci.* Diluunt acidum aquea quævis copiosè uſurpata.

Acidum exaltatum temperat *ſpiritus volatilis ex vino*, imò acidum fermentum concoctivum planè deſtruit; ſpiritus enim vini ardens omnem dulcificat aciditatem, adeò ut fortiſſima corroſiva, ut aqua fortis, regia ſpiritus nitri, vitrioli, & alia à vini ſpiritu immutantur, & ſuam aciditatem corroſivam in eo amittant. Tollit etiam quamlibet fermentationem, ut quilq;

experiri poteſt, ſi muſto jàm valdè in dolio fermentanti vini ſpiritum infundat, videbit ſtatim fermentationem ceſſare. Idem quoque vini ſpiritus in ventriculo efficiet, ſi per ſe, vel in meracioribus potetur, undè deſtructio fermenti acidi ventriculi ſequitur, & deindè alij pejores morbi, ut hydrops, tabes, vel alij.

Si à ſordibus ſit fermentum inquinatum, remedijs appropriatis purificari debet. Conferunt vomitoria lenientia *ex ſale vitrioli albi parata, vel aqua Æſculapij.*

Ingeſta ſi ventriculi coctionem lædant, vel ratione multitudinis, vel pravæ qualitatis, quia ſcil. prærerquamquòd multùm quis comedit, & bibit, vel mali ſucci cibos ingeſſit, tunc ſi ingeſtorum ſarcina in ventriculo adhuc ſentietur, vel ructus acidus, vel nidoroſus in ore percipietur, præſentaneo vomitu curatio perficietur, & ad corroborandum ventriculum, & ſubducendum ex ejus fibris nidorem, adhiberi poteſt *elixir proprietatis per extractionem in ſyrupo de corticibus citri*, quia credibile non eſt, quantum hoc nobile medicamen afflictum ventriculum à languore ſublevat. Idem præſtat *elixir proprietatis Helmontij*, Vel

℞. Syr. de cortic. citri ℥j. aquæ cinnam. tantumdem, m. ad cochleare.

Si vermes coctionem vitiant, hi auferendi, & eorum cauſa averruncanda eſt. Vermes tolluntur *Mercurio vivo in ſubſtantiâ exhibito, vel aquâ, in quâ quaſſatus ſit Mercurius.* Aliqui *bulliunt mercurium cum aquâ*, ſed multoties vermes mercurio crudo non cedunt, & tunc exhibendus eſt *Mercurius dulcis, vel Calomelanos Turqueti, eſſentia aloës, aqua theriacalis, eſſentia ſeminum citri*, quâ etiam ventriculus extà inungi poteſt. Summum remedium eſt *oleum ex ſeminibus colocynthidis per expreſſionem extractum*, quo ventriculi regio inungitur.

Verùm nos habemus expertum *pulverem contra lumbricos in noſtra Mantiſſâ* deſcriptum, cujus receptum eſt,

℞. Sem Santonici ʒij. *tanaceti, citri mund. ana* ʒj. *corallinæ* ʒß. *pulv. bryoniæ* ʒj. *ſem hyperici* ℈ij. *mercurij dulcis* ℈iv. *rhabarb.* ʒij. *m. f pulvis ſubtiliſſ.*

Qui valdè eximius eſt in necandis omnium lumbricorum generibus non tantùm in Ventriculo, & in inteſtinis, ſed etiam in quocumque corporis latibulo, quos per ſedem potiùs mortuos, quàm vivos exturbat: imò vermium ovula extinguit, ac proindè ab omni verminoſâ progenie ſtomachum præſervat. Doſis ʒj. in conſervâ florum boraginis, vel alio vehiculo.

CAPUT III.

De Bulimo.

A Læſâ ventriculi coctione ad præternaturalem appetitum gradum facimus, attamen hîc de nimiâ voracitate, quæ aliquibus naturalis eſt non agimus; reperiuntur enim aliqui, qui ad miraculum uſque voraces ſunt abſque ullo ſanitatis incommodo, ſed de his agimus, qui aliàs non ità comedere conſueti p. n. hoc laborant morbo. Appetitus, ſeu fames præter naturam βούλιμος nuncupatur, eſt morbus, quo qui laborat, poſt magnam ciborum ingluviem etiam inſatiabili comedendi deſiderio tenetur, & niſi illicò cibum obtineat, in Syncopen incidit, appetitus

petitus perit, oblatos faſtidit cibos, quos neque vi ſumere poteſt, & adeò debilitatur, ut in animi deliquium labatur. Sunt nonnulli, qui bulimum cum caninâ confundunt fame, inter quos perperàm *Cælius lib.* 13. *cap.* 39. in caninâ námque fame adeſt quoque magna, & perpetua voracitas, ſed ingeſti cibi paulopòſt ſuprà, infravè excernuntur, & alij appetuntur, vorantur, & vix ſe ſaturare poſſunt, mox eodem rejiciuntur modo canum more, undè nomen deſumpſit: At in bulimo cibus retinetur aſſumptus, & in aliquibus appetentia cibis reſtinguitur, in alijs verò non niſi multo ingeſto cibo, undè à barbaris ineptè vaccina nuncupatur fames.

Signa.

Præter ea, quæ ſuprà diximus, facilè quoque Bulimus cognoſcitur, nàm initio multa appetuntur alimenta pòſt robore ventriculi diſſoluto, cibi faſtidium ſequitur, eſtò corpus alimento indigeat. Undè ventriculi imbecillitas oritur, animi deliquia, partium extremarum frigus, & obſcuri pulſus.

Veterum Cauſa.

Pro bulimi cauſâ vulgares, quorum medicina eſt calore, & frigore referta, frigidam aſſignant ventriculi intemperiem. Id *Plutarchus in Sympoſ. lib.* 5. *cap.* 8. evenire narrat, qui per altam nivem longum iter faciunt. Et reverà ſiquis in Alpibus Rhæticis hyberno tempore iter faciat, etſi in quibuſdam locis ab unâ montium radice ad alteram uſque vix bina Germanorum milliaria interſint: nemo tamen jejunus hyeme eas ſuperare audet. Verùm de modo, quo bulimum excitet, inter ſe digladiantur vulgares.

Aliqui magnam aſſerunt famem à frigore, quia frigus ventriculum comprimit, & compreſſione ſua ſucculentam ab ipſo expellit ſubſtantiam, defectu cujus ingens oritur fames. Verùm hic modus improbabilis deprehenditur; nàm viventis ventriculus tantum frigus ferre nequit, ut comprimat, expellat, famemq; excitet, quia in puſillâ fame puſillum frigus, & in ingenti ingens requireretur frigus, & quibus poſt vehementia exercitia, inedias, morbos diuturnos ingens ſupervenit fames, à frigore excitaretur. Qui ſtomachum habent frigidum, ut vulgò fertur, fame laborarent, quod falſum obſervamus. Magnoperè ſibi contradicere videntur vulgares, cùm coctionem à calore celebrari ſtatuant, & in ingenti fame, in quâ celeriter fit coctio, frigus aſſignant.

Alij frigiditatem mordendo, & irritando bulimum excitare opinantur, ſed falſum hoc quoq; deprehendimus, nàm frigiditas potiùs ventriculi ſenſum obtundit; experientiâ námque conſtat noſtra membra ob intenſum frigus in torporem abire.

Plerique frigus ut cauſam remotam ad bulimum excitandum concurrere credunt, idque fieri, quia frigus, à quo appetitus dejectus fuit, calorem corrigit, atque ad naturalem reducit temperiem; vel quia externum frigus calorem intrò pellit, atque ità ob calorem ad interiora collectum, & exuberantem corpus copioſiori indiget alimento. Hujus ſententiæ fuit *Ariſtoteles* 8. *probl.* 5. qui nimiæ appetentiæ cauſam ſtatuit ventriculi calorem ab ambiente aëre frigido auctum, qui calorem ad interiora pellit. Ariſtotelem ſequuntur, ac tuentur *Alexander Trallianus*, *Hieronimus Mercurialis*, *Do-*

naus

natus ab Altomari, reliquiq; vulgares, qui hujus quoq; ſententiæ fuiſſe *Hippocratem* exiſtimant, ut *ſect. 1. aph. 15.* Scribentem: *Ventres hyeme, & vere naturâ calidiſſimi ſunt, quare per ea tempora alimenta copioſiora ſunt exhibenda.* Verùm in falſo volutantur ſuppoſito ſcholæ, nàm ſi celerrima digeſtio, famesque implacabilis ab intropulſo calore fieret, in calidiſſimis nobis moleſtus, & inſenſus calor ſentiri deberet. Si parvam digeſtionem parvus calor cauſaret, mediocrem mediocris: ergò ad potentem, moleſtamque digeſtionem ingens quoq; calor adeſſe deberet. Sed de his nænijs fuſiùs ſuo loco. Qui hyeme à paſtu friget, (ſalutis ſignum falsò vulgares putant) meliorem, quàm qui non friget, celebraret, quod verum non experimur, nàm caloris pauperiem portendit, qui ad digeſtionem ſufficiens non eſt. Non intropellitur frigore calor, quia hujus intropulſionis tactus eſſet legitimus index, & pulſus indicium daret. Itàq; major, & velociòr eſſet pulſus hyeme, quàm æſtate, quia calor intropulſus cor peteret, tamquàm ad caloris fontem. Sunt hæc vulgarium, deliramenta.

Nonnulli ijſdem caloris, & frigoris ruſticis fabulamentis inſiſtentes, temerè judicârunt ab externo aëre frigido calorem omnem ad internas corporis partes propelli, ſed ab eo ibi valdè aucto, & concentrato alimentum abſumi, hinc membra magnopere à ventriculo trahere, quam ſuctionem, dùm ventriculus ſentit, eum vehementem excitare appetitum, qui niſi cibo reficiatur, illicò famelicus animo linquitur, ſed non longè pòſt revocato, & ſenſu reviviſcente, ciborum appetentiam redire. Hæc opinio aliquibus ad ſcopum collimare videtur, verùm longè aberrat; ſupponit enim cruorem à venâ cavâ in minores, & tandèm in exiguos ramulos diſpenſari, per quos in corporis habitum ultimò dispergatur, & ideò in hoc ſenſu inediæ ſugere poſtremos venarum ramulos majorem truncum, hunc verò deinceps ſtomachi, & meſenterij venas ſugere, undè tandèm famem ſentiri. Quo poſito, primò quorum venæ turgent, nullâ premerentur fame, & contrà hæmorrhagia, dyſenteria, & phlebotomia famelicos neceſſariò facerent; deinde non eſſet ſuctio, niſi priùs venæ majores eſſent depletæ, tertiò hæc thesis repugnat doctrinæ ſcholarum docentium ſtomachum per ſe ſibi tantùm concoquere, per accidens verò pro toto corpore, ut ſtomachus communi ſubſit philautiæ. Nàm hoc dato, ſtomachus non concoquet, non appetet, eſurietq; pro corpore, ſed tantùm per ſe: ergò neq; ut venarum penuriam ſuppleat, ſentiet, ſed venæ per ſe eſurient, & ſtomachus tantùm per accidens, & non per ſe, ſed propter venas.

Noſtra Cauſa.

Si vulgarium opinamenta rectè meditemur, utique externum frigus famem remotè, & occaſionaliter excitare inveniemus, & ipſum bulimum famem præternaturalem; ſed modus, quo id fieri ſolet, nimis ruſticus ab ipſis adducitur, & niſi noſtræ ſe ſubſcribant ſententiæ, nihil reale in medicinâ adducunt.

Notandum itàque cum doctiſſimo Van-Helmont, quòd neque in fame, neque in ſaturitate vita noſtra experitur morboſa, licèt fames crudeliter enecet, ac ſi morbus eſſet acutus, & tamen morbus non eſt eo titulo, quia videlicèt,

delicèt vita nullatenùs morboſa eſt in fame, cùm materiæ cibalis carētia privationem, non autem morbum dicat.

Neque fames excreti cruoris defectum arguit, quia ut diximus, hæmorrhagia, dyſenteria, & phlebotomia famelicos neceſſariò faceret, ſed in fame eſt nutrimenti devaſtatio. Frigus eſſe diaphoreticum, & alimenta abſumendi, & diſſipandi vim habere nemo eſt, qui ambigit. Itáque bulimi cauſam ad frigus, quatenùs diaphoreticum, referimus. Eſſe frigus diaphoreticum in nobis experimur ſub boreæ flatu, maximis frigoribus, aëreque puriſſimo, quia tunc ſumus edaciores, minimè ſudamus, & tamen è nobis plus difflatur cum pauco, & duriori ſeceſſu, undè majorem hyeme, & vere, quàm æſtate eſſe diaphæreſim exiſtimamus, quia tunc edaciores ſumus, & plus difflatur. In mari navigans duplo plus edit, (niſi ægrotet) minuſque excrementi excernit, ſe ipſo in terrâ degente. Undè adagium: *Aqua facit digeſtionis promotionem*, & *Hip. 6. epid. text. 19.* inquit *Aquam eſſe voracem.* Quaſi navigans non in aëre, ſed in aquâ fluctuaret! fluctuatio autem nobis aërem recentat, & hactenus fortior digeſtio. Itáque ſi fortiùs edimus, minuſque deficimus, ſequitur neceſſariò plus difflari, ſive evaneſcere è corpore. Quod eſt dicere aërem puriorem boreæ, & marinum facere ad corporis diaphæreſim, & diſponere nutrimentum, & cruorem ad ſui perſpirationem insenſilem, quæ major eſt omnibus ſenſibilibus evacuationibus ſimul unitis, ut obſervat. *Sanctorinus libello de ſtaticâ Medicinâ à Petro Suavio inventâ.* Nimirùm eâ de causâ fit reſpiratio, non quidèm ut aër in alimentum ſpiritui vitali cedat, (vocant vulgares à poëtis forſan edocti ſpiritum vitalem, auram vitalem, quia in eorum opinamento ex aëre fiunt) ſed ipſi connectitur aſſuctus per venam arterialem, & arteriam venalem pulmonum, & hactenùs traductus aër in cor ſuſcipit fermentum, quo comitante, ambo alimentum, & cruorem in totalem ſui diaphæraſim diſponunt. His poſitis.

Frigus in quantùm diaphoreticum bulimum excitare ſtatuimus, quia inſenſilem tranſpirationem alimentum, & ſanguinem copioſiùs difflare facit, reſoluto alimento, & magnâ ſanguinis portione per diaphæreſim, ſpirituum reſolutio contingit, & quò major horum reſolutio, eò inexplebilis oritur fames circa alimentum, tanquàm opportunum remedium ad amborum indigentiam reficiendam, & reſtaurandam; quòd ſi ſtatim cibi non offerantur, in ſyncopen, & animi deliquium labitur patiens, appetitus perit, oblatos faſtidit cibos, externas partes occupat frigus, & obſcuri ſubſequuntur pulſus.

Sunt nonnulli, qui cibum copioſiùs, quàm par eſt, non ſolùm aſſumunt, verùm & concoquunt, & digerunt, & nihil indè horum ſymptomatum ſentiunt, & horum fames magna, & implacabilis adhuc naturalis dicitur, quia in his maxima nutrimenti devaſtatio per diaphæreſim fit, nec alimentum tamdiù retinetur, donec corpori apponatur. Naturalis quoque & non præternaturalis dicitur fames, quæ poſt vehementia exercitia, inediam, morbos diuturnos, plurimam Veneris palæſtram excitatur, quia ab alimenti devaſtatione ortum ducit.

Quandòquè oritur bulimus non ab alimenti reſolutione per diaphæreſim, ſed ab ejus abſumptione à vermibus in ventriculo factâ, undè univerſæ corporis partes debito defraudantur alimento. Hac de causâ quandòque infantes voraces ità ſunt, ut vix ſaturari poſſint. Hujus rei hiſtoriam recitat *Alexander Trallianus lib.* 7. *cap.* 14. de quadam muliere bulimiâ laborante, quæ ab hieræ uſu vermem duodecim cubitorum longum excrevit, liberata fuit.

Prognoſis.

Bulimus ſicuti rariſſimus eſt affectus, ità periculoſus, & veluti peracutus morbus pauciſſimorum ſaltem dierum patientiâ ſeriò necat, ut habetur *ſect.* 2. *aphor.* 16. *In fame laborandum non eſt.* quia niſi cibus citò offeratur, patiens cum extremarum refrigeratione partium in animi deliquium incidit, quo facilè extingui poteſt. auxilio enim deſtitutus perit. Si vino ſumpto patiens ab animi deliquio ſtatim revocetur, bonum ſignum eſt, ut habetur *ſect.* 2. *aph.* 21. *famem vini potio ſolvit.* Indicat enim vires non eſſe ità proſtratas. Si à cauſis dependeat externis, ut vehementi exercitio, effrænatâ Venere, vermibus &c. periculoſus non eſt, quia, illis ſublatis, auſertur. Bulimus atrophiam cauſat, ut habetur *ſect.* 7. *aph.* 59. *fames corpora ſiccat.* Magna fames poſt morbos recidivam minatur. In morbis chronicis, quartanâ, quotidianâ, hydrope, lethalis.

Veterum Curatio.

Eſtò vulgares medici in bulimi aſſignandâ cauſâ diffideant, in curatione tamen conveniunt, cujus curationem cem inſtituunt, unam in paroxyſmo, ideſt in animi deliquio, alteram extra paroxyſmum. In paroxyſmo ægrum revocant frictionibus, odore panis recentis, aceti, & aquarum deſtillatarum. Commodum dijudicant miram panis vino madidi exhibere, dummodò æger eam deglutire poſſit; verùm in deliquio minimè convenit, quia tùm ventriculi coctio admodùm labefectata eſt, ut impoſſibile ſit eam utilitatis quicquam ex pane recipere. Ab animi deliquio revocatus non ſtatim cibum capiat, ſed pauxillum panis vino madidi, & paulisper quieſcat, donec vires aliquantulùm reficiantur; poſtmodùm præbeantur cibi, qui citò, & multùm nutriant, ut panis vino madidus, ova ſorbilia, juſcula &c.

Noſtra Curatio.

Bulimi curationem à ſex rebus nonnaturalibus exordimur, de noſtro more procedentes, itáque.

Aër debet eſſe calidus, & humidus, vitetur frigidus, & purus, quatenùs eſt diaphoreticus.

Cibi ſint difficilioris coctionis, qui diù retineantur in ſtomacho, & pedetentim coquantur, ac ad ſatietatem offerantur; vitentur tamen facilioris coctionis.

Potus ſit cibo uberior, nàm *faciliùs impleri potu, quam cibo,* verùm potus ſit ex vino generoſo, nàm *famē vini potio ſolvit,* quia vinum bibentes parùm comedunt: eapropter parùm, & ſæpè comedant & bibāt, imò qui bulimo obnoxij ſunt, ſemper ſecùm aliquid ferant, quo poſſint ſeſe, poſtulante neceſſitate, ab animi deliquio tueri; undè admonitos eſſe volumus itinerantes per frigida, & nivoſa loca, ut priùs optimè comedant,

dant, & avidiùs bibant, ac cibis, & mero ſeipſos onerent.

Motus validus, & omne exercitium corporale interdicatur, nè nutrimenti ſuccedat devaſtatio, & indè fames augeatur.

Quies magis convenit, quia appetentiam enervat, coctionem retardat, ac nutrimenti reſolutionem inhibet.

Somnus procuretur naturalis, vel ſaltem opiatis inducatur; dùm enim bulimo correptus dormit, famem non ſentit, & estò coctio meliùs celebretur in ſomno, à ſomno tamen appetitus languet.

Vigilia non nimis apta bulimo, quòd ſi admodùm protrahatur, anodyna conducunt, & vigiliæ tempore à virorum cordatorum conſortio, colloquijs, vel ſpectaculis abſtrahatur æger: ſed *jejunus venter non audit verba libenter*, cavendum tamen, nè in animi deliquium incidat,

Excreta, *& retenta* magnâ coërceantur ſolertiâ, & in hoc malo magis conducit retentio, quàm excretio, nè in excretione magna fiat alimenti deperditio, pro cujus reparatione uberrima ciborum ingeſtio ſit neceſſaria.

Animi paſſiones, in quibus corpus maximè perſpirat, ut ira, exclamatio, rixa, gaudium &c. declinentur, ac propterea conducunt timor, mœſtitia dedecus, deſperatio &c. hæ námque appetitum proſternunt. In omnibus, & ſuper omnia alma Venus vitetur, quia ejus palæſtra magnum excitat appetitum.

Bulimi curatio duplex inſtitui debet, una in animi deliquio, altera extra ipſum. In animi deliquio curandum, ut æger revocetur, idque fit illis remedijs, quibus ſyncopem, & lipothymiam curari diximus. Interim offeratur mica panis vino madida, ſi eam æger deglutire poſſit, ſin minùs ea offerantur omnia, quæ ſpirituum jacturam reparare poſſunt. Si animi deliquium in aliquo immineat loco, ubi remediorum copia abſit, tunc quicquid ad manus venit, ut fructus, herbæ, & radices eſui apti præbeantur, nàm uſque adeò inducias præbent, nè animi deliquium irruat. Commodiſſimum erit *vinum meracum*, in quo ſpiritus vitæ noſtræ analogus deliteſcit, quia ſtatim amiſſas reparat vires, famemque reſtaurat, ut *ſect. 2. aph. 21. famem vini potio ſolvit.* præcipuè verò vini eſſentia, licèt ſit diaphoretica, eſt tamen ſummè cardiaca, diùque ſpiritus reficit vitales, ſummum remedium erit *cinammomi eſſentia, vitæque Balſamus noſtræ deſcriptionis*.

Revocato ab animi deliquio ægro, non illicò cibus propinetur, ſed aliquantutum quieſcat, donec amiſſæ recuperentur vires. Deindè, qui citò, ac multùm nutriunt præbeantur cibi, quorum ſpirituoſa pars non facilè per diaphæreſim diſflet, ſed tamdiù retineatur, donec corpori apponatur, ut ſunt panis vino madidus, ova ſorbilia, juſcula, chocolata &c. Propinetur ſingulis horis parum cibi, nec ſinatur inediam pati. Poſt hæc pedetentim illi exhibeantur cibi, qui coctioni reluctantur, & lento modo concoquuntur, ſed cum ſedulitate nè æger in animi deliquium relabatur. Interim foris cutem denſantia adhibeantur, ut, *oleum omphacinum, myrtinum, roſaceum &c.* ſed ſummâ cautione id peragendum, nè obſtructio, vel febris ex proribitâ tranſpiratione, vel aliud malum oboriatur.

CAPUT IV.

De Fame Caninâ.

NOnnulli, ut diximus, famem caninam cum bulimo confundunt, & ſub uno nimiæ ciborum appetentiæ capite utramque comprehendunt aſfectionem; attamen à diverſis excitantur cauſis, & in accidentibus variant: ideóque fami caninæ peculiare tribuimus caput.

Eſt hic affectus inſatiabilis, & continua vorandi cupiditas, nàm ægri aſſumpto cibo non explentur, nec fames, vel vorandi deſiderium remittitur, donec tota ventriculi cupiditas vorando ſit repleta, ſed cùm tanta ingeſta eſt copia, ut indè gravetur, tùnc vorata priora per vomitum, & reliqua per ſeceſſum excernuntur, & ſtatim nova alimenta rursùs inſatiabiliter vorantur, & itâ alternatim voracitas, vomitio, & quandóque alvina excretio infeſtat ægros canum more, undè appetitus dicitur caninus; Canis enim de ſui naturâ multa, & diverſa appetens quærit, & inveniens maximè eis repletur, quæ ſtomachus non valens continere, paulo-pòſt exturbare compellitur ante digeſtionem vomitu & quandóque ſeceſſu, mox alia expetit, vorat & rejicit. Vocatur quoq; fames, ſeu *appetitus lupinus*, quia lupus (eſt canis ſylveſtris) unum habet inteſtinum, & rectum, in quo cibum aſſumptum tamdiù continere non poteſt, quamdiù digeratur & membris diſtribuatur, undè inexplebilí premitur fame. Animalia quò rectiores inteſtinorum habent ductus à ventriculo ad anum, eò guloſiora ſunt, ut *Cabrolius* in quodam obſervâvit voraciſſimo, cui unum tantùm inteſtinum ſigmæ formâ intortum erat; quò convolutiora, eò continentiora. Hinc animalia voraciora crebrius alvum deponere coguntur, nondùm peractâ coctione, & hac de causâ macilentiora obſervantur, quia non ingeſtis, ſed benè digeſtis nutritur corpus.

Signa.

Facillimè cognoſcitur hic affectus, nàm ægri aſſiduè cibos aſſumunt, & numquam ferè explentur, & itâ cibis ſtomachum infarciunt, ut eos ante digeſtionem vomitu exturbent, vel per alvum excernant. Quantò plùs comedunt, tantò plùs appetunt, nec proindè remittitur fames, quia alternatim vorando, & vomendo ſunt occupati.

Veterum Cauſæ.

Galenus 2. *de cauſ. ſympt. cap.* 7. Famem caninam à duobus oriri cauſis docet, prima eſt humor vitioſus, & frigidus ventriculi orificium mordicans; ſecunda eſt alimenti indigentia. Verum *Galenus*, & cum eo ſectarij in hujus ſtupendi affectûs causâ cancros piſcantur; nàm aſſignare deberent, quiſnàm eſſet hic humor vitioſus, & frigidus. Hic humor nullam efficaciã habere poteſt ad eximiam illam ciborum liquationem. Quòd ſi ad ventriculi facultatem recurrunt, nihil veri dicunt, cùm facultas ſine inſtrumento non agat. Certè in humoriſtarũ ſententiã hic humor eſt melancholicus, qui ut dicunt, eſt frigidus, & ſiccus, à quo nulla coctio celebrari poteſt, cùm ſit quædam elixationis ſpecies coctio, quæ in humido fieri debet. Prætereà canes, & lupi inter animalia melancholica connumerandi eſſent, & iſto vitioſo, & frigido naturaliter ſcaterent

rent humore, ac proindè melancholici hoc affectu laborare deberent, quod alienum à veritate cõſpicitur; hi enim perpetuò de proſtrato queruntur appetitu, & frigido ventriculo. Si hic humor ventriculi orificium mordicando, & vellicando caninam excitarent famem, & qui tali laborarent affectu, cardialgiâ premerentur, quod nunquã obſervavimus. Si alimenti indigentia caninam efficeret famem, utiq; phlebotomia, hæmorrhagia, alvi fluxus, medicamentum purgans, quod alimentum devaſtat, caninam excitaret famem, ſed oppoſitum experimur, nàm ciborum appetentiam proſternit. Si alimenti indigentia præternaturalẽ produceret appetitum, certè aſſumptus cibus famẽ ſedaret, tanquàm ejus appropriatum remedium.

Hermetici inſpicientes acetum deſtillatum, limonum, berberumq; ſuccum corallia, & uniones ſolvere, acetum radicatum duriſſimos lapides; itèm ex varijs ſalibus, vitriolo, nitro, ſale communi, alumine, ſulphure, ſpiritus, ſeu liquores, quos aquas fortes vocant, arte ſpagyricâ elici, qui duriſſima metalla brevi temporis intervallo in aqueum diſſolvunt humorem; itâ ut aurum, quod in igne vehementiſſimo reliqua metalla vincente, lapideſque conſumẽte, perpetuò jubilat, abſque eo quod diſſolvatur; attamen intra horę quadrantem aquâ regiâ ſolvitur, & in liquorem aquæ ipſi perſimilem convertitur. Non abſimili modo in animalium ventriculis coctiones fieri aſſeruêre; nàm animadvertentes forsã duriſſima oſſa à canum ventriculis digeri, ferrum à Struthione, vitrum, lapides ab avibus, atq; hæc in eorum alimentum cedere, quæ corpora etſi potentiſſimo actuali igni exponantur, vix immutari: hinc conſimilem ſuccum (quem acidum degeſtivum, ſpiritum famelicum, eſurinum, voracem, ſalinum, acidum, & vitriolatum vocant) in animalium ventriculis coctionis effectivum aſſeruête. Si liquor acidus naturaliter ſe habeat, digeſtionem naturalem, moderatamq; perficit; ſi à naturali recedit ſtatu, acuitur, exaltatur, nimiam activitatem, & potentiorem diſſolvendi vim acquirit, ſolidiora alimenta promptiùs liquabit, & conficiet: his liquatis, & à ventriculo confeſtim præ nimiâ aciditate turbatis, nova fames, eaq; immodica exurget. Famem excitat vel conſtringendo, vel corrugando interiorem ventriculi tunicam, vel aciditate ſuâ vellicando: Verùm id falſum invenimus; nàm ſi conſtringendo hoc efficeret, omnia adſtringentia id præſtare poſſent; ſi vellicando, acria qualiber potentiùs, quã acida appetitum excitarent. Sic etiam contrà, ſi vis illa diſſolvens debilior efficeretur, ventriculi coctio imminuta, aut omninò deficiat, abolita ſequeretur. Hinc meritò acidus iſte liquor à *Paracelſo* ventriculi alchymiſta vocatur, & hac de causâ *In longis lævitatibus inteſtinorum ſi ructus acidus ſuperveniat, qui prius non erat, ſignum bonũ: ex ſect.6. aph.* 1. quia fermentum illud acidum, quod morbo fuerat deperditum, in ventriculum rediens, reſtitui incipere, & alimenta, quę prius ob ejus abſentiam dejiciebantur incocta, cruda, imputrida, & non fermentata concoquere ſignificat. Hinc aliqui medici in appetitu proſtrato ad vitrioli ſpiritum tanquàm ad ſacram confugiunt anchoram: ſed fermẽtatio non ſemper ab acido fit, decipiuntur, ex eo quia vi-

dent in compluribus fermentationibus acidum liquorem.

Ab acido coctionem fieri probant Hermetici, quia cibi, dùm concoquuntur, mutantur in acidum, ut quiſq; experiri poteſt. Coctiones acidis juvantur. Voraciſſimæ aves validum acidum habere ſuccum oſtendit *Van-Helmontius* proprio experimẽto, refert enim: *Se in pueritiâ, cùm paſſerem aleret, ipſi aliquandò linguam obtuliſſe, quam ille roſtro apprehendens deglutire conabatur: ſe verò linguæ apice paſſeris guttur contingentem, maximam in eo aciditatem percepiſſe.* Sed non in omnibus fermentationibus acidum obſervatur, ut in multis tàm chymicis, quàm naturalibus patet, quia ſi in acido fermentum conſiſteret, acetum, vitrioli oleũ, & ſimilia panis maſſam fermentarẽt, noſtroſque cibos perfectâ tranſmutatione conficerent.

Hunc ſuccum acidum non fieri in ventriculo, ſed in ventriculum à liene confluere volunt, quapropter longè nobiliorem lieni uſum tribuunt, qui ab antiquis fuit propoſitus. Hinc aliqui Galenici Hermeticorum doctrinam meditantes in ciborum confectione, hunc ſuccum acidum vocârunt ſuccum melancholicum, à *Galeno* edocti *S. de uſu part. cap.* 3. qui ſancivit humorem melancholicum à liene in ventriculum transfuſum appetentiam excitare; idque vel conſtringendo, ac corrugando interiorem ventriculi tunicam, vel aciditate ſuâ vellicando. Chymici hunc ſuccum melancholicũ fermentum dixêre meliori nomine ab effectu. Qua de re conſentiunt Galenici cum Hermeticis, ſed quia non poſſunt à caloris dogmate recedere, dicunt calorem, ut animæ inſtrumentum coctionem efficere, & inter ipſos incompeſcibile intercedit diſſidium.

Verùm hæc doctrina eſt nimis ruſtica; nàm acidus ſuccus à liene ad ventriculum non tranſmittitur, ut etiã malè ſomniavit *Bartholinus*, per vas breve, imò tantùm à ventriculo ad lienem per ipſummet vas breve poculentum refunditur, undè ſo[...] in illis animantibus lien obtingit, quibus renes, & veſica. Neque per venas gaſtricas, & arterias acidum fermentum tranſit, nàm venæ reportant tantùm, & ſi per illas tranſiret humor acidus, ſanguis, qui ex illis exiret, aceſceret, quod inciſio non patefacit. Neque per abditos meatus id contingit, quia in illo intermedio aliqua aciditas vel ſaltem obtuſa perciperetur. Nec in liene acidus reperitur ſuccus, nàm ſanguis in liene contentus, nec ipſius lienis parenchyma acidum refert ſaporem, quem neceſſariò haberent, ſi in liene vel fieret acidi ſucci ſeparatio à ſanguine, vel acidus ſuccus aliundè ſeparatus ad lienem deveniret. Prætereà *Floravanti* obſervatio teſtatur ſe uni cuidam lienem detraxiſſe, qui poſteà incolumis ſine liene diutiùs vixit, & recentiorum obſervationes, qui canibus lienem eximunt, ut alacriores reddantur ad curſum, teſtatur & hoc *Bartholinus* in ſuis centurijs, ſed de his fuſiùs egimus *de Vulneribus cap. De lienis anatome.* Carent etiam ſine noxâ liene, quæ veſicam non habent. Inſecta quoque ſplene carent, undè falſum illud: *Habet & muſca lienem.* Quamobrem funditùs *Helmontii* doctrina evertitur de lienis proprietatibus, actionibus, & duumviratûs regimine.

Certum, & indubitatum eſt alimentum, dùm concoquitur, in acidum mutari, ſed an ex liene, an ex quibuſdam glandulis lenticularibus (quas anato-

micorum nemo præter ſomniantem authorem obſervavit) inter ventriculi tunicas contentis proveniat, in dubium vertitur.

Acidum ſuccum ciborum coctionem efficere pſeudo-chymiſtæ commentati ſunt, quos quamplurimi ex Galenicis ſectantur, quia mineralium tranſmutationem minimè intelligentes, hoc invenêre commentum. Videntes uniones, corallia, metalla, & ſimilia acidis ſuccis, & fortibus aquis diſſolvi in calcem, & in pulveres comminui, crediderunt per illam comminutionem ea corpora tranſmutata fuiſſe, quod falſum omninò deprehenditur; nàm uniones, & corallia, ſi tartari oleo p. d. ab eorum reſolventibus repercutiantur, in vaſis fundum in formam pulveris præcipitant, qui nihil niſi unio, & corallium eſt: ſic metalla à fortibus ſoluta aquis, licèt mentiantur calcem, ſi fuſionis igne ſollicitentur, in priſtina redeunt corpora: igitur cùm acidi liquores ſolummodò comminuant, & non tranſmutent, falsò in ciborum fermentationem introduxêre. Undè perperàm fermentationis nomen in actionem, quâ liquores acidi, ſalſi, ſeu fortes in aliquibus corporibus exercent, transferunt, quia à liquoris acidi actione in corpus quædam reſultat efferveſcentia; Nàm quoties ille efferveſcentiæ motus ab intimis non pendet partibus corporis, qui ab externo liquore fit, non dicitur fermentatio, ſed corporis corroſio, ut patet in metallis, quæ licèt in liquorem per aquas fortes diſſolvantur, & in diſſolutione efferveſcentiæ motus obſervetur, quia internæ metalli partes illum motum non excitârunt, eſto metalla tranſmutata appareant, in eadem tamen metalla reducuntur, abſque eo quod nihil paſſa fuerint, quòd ſi internę eorum partes motum concitaſſent, illum, utiq; ampliùs in metalla redigi non potuiſſent; Attamen in ciborum fermentatione in ventriculo motus excitatur ille ab interno ciborum ſpiritu, qui in eorum latibulis continetur, non ſolùm propriâ energiâ, ſed à vitali ventriculi calore ſollicitatus ſe movet, & in totâ maſſâ efferveſcentiæ motum producit, quo motu à ſuæ materiæ compedibus in maſſæ ſuperficiem extricatur.

Cauſa Noſtra.

Undè ille ciborum acor procedat, examinandum eſt, pro quo dicimus jejunos ventriculos aciditatem non continere, ſed cùm cibis ſunt repleti, internus ciborum ſpiritus à calore excitatur, & efferveſcentiæ motum in totâ maſſâ producit, eamque totam reddit acidam, tunc in corporis fermenteſcentis ſuperficiem ſalis indolē præſefert, qui propter materiæ heterogeneitatem acidus apparet, & non ſalſus; talis enim acidus ſapor fermenteſcentibus rebus ſupervenit: Quoties igitur vegetabile aliquod corpus intrinſecâ efferveſcentiâ fermenteſcit, toties in eo ceſſat innatus ſapor, & acidus percipitur, patet experientiâ, muſtum, vinum, cereviſia, panis fermētatus ex fermentatione acida fiunt. Aciditas iſta ſi à materiâ ſeparatur, ſuam nanciſcitur ſalſedinem, ut vini ſpiritus ſalſus ex acido vino.

Acidus ſapor cibis fermentantibus ſuperveniens, quandòque non totus mutatur in ſalſum, ſed in ſtomacho relinquitur, qui cùm non ſit craſſus, ſed tenuis & ſpiritibus corroſivis refertus, grato ſuo acore nervoſum ventriculi:

triculi corpus afficit, & ſuâ mobilitate ſtatim omne ingeſtum permeat, efferveſcentiæ motum in interno ciborum latitante ſpiritu excitat, undè novus, & major in maſſâ reſultat acor, ac proindè ventriculus magnâ ciborum ſarcinâ gravatus, & magno volatili acido lancinatus convellitur in fibris; undè ingeſta aciditate per vomitum, & quandóq; per alvum indigeſta deturbantur. Hinc corpore debito defraudato alimento, & magno acore in ventriculi tunicis relicto, ſtatim nova alimenta expetuntur, ingeruntur, iterúmque alternatim vomitus inſurgit, & deindè voracitas: Igitur canica fames eſt affectus, qui è gradu aciditatis alienæ oritur, quapropter peccat ſtomachus in adultero acore, undè puncturæ, acidi ructus, & peracidi proritantur vomitus.

Canes, & lupi nimio hoc adultero abundant acore, quo ad voracitatem ſtimulantur, & per hujuſmodi ſuccum dura corpora, oſſa ſcilicet, cartilagines &c. conficiunt, cujus gratiâ eadem fortaſsè devorant ut aciditati reſiſtant, & acidum, in ea agendo, hebetent, obtundantque. Eâdem ratione volucres, gallinæ, cœteraq; pennata ſemper duriſſima ſemina, lapillos, arenulas, vitrum &c. deglutire coguntur, tanquàm opportunum remedium, ut nimirùm adulter, & ſuperfluus acor in eorum ſtomachis in ea agendo, infringatur: niſi enim his duris veſcantur corpuſculis, malè ſe habent, & quaſi ægrotant; nimia námq; aciditas benè diſpoſita, nec habẽs objectum, in quod agat, (nec tamen proindè feriari poteſt) reſolvendo aggreditur proprium ſtomachi alimentum, quo conſumpto, in ipſum ventriculi corpus agere poteſt. Eâdem etiam ratione Struthio omnia metalla digerit, & conſumit, quia aceſoſitatem eſurinam exaltatam à naturâ ſuâ habet. Hinc homo, quia eâ caret, ejus ſtomachus arte juvandus & ſic confortandus eſt, ut omnia, quæ aliàs à naturâ, & proprijs viribus nunquàm conſumere poteſt, facilè digerat, & conſumat, ac proindè ſi quis ab aſſumpto chalybe malè ſe habeat, remediis chalibem ſolventibus ſublevandus eſt.

Ex hac doctrinâ patet, quàm neceſſarij ſint lapilli, arenulæ &c. pennatis, non ut quidam ſomniârunt inſervire pro aliorum alimentorum attritione; inſerviunt enim, ut diximus, ad ſuperfluam aciditatem infringendam, quâ ità penitùs conſumuntur, ſolvuntur, & calcinantur, ut nihil quicquam lapilloſi, arenoſi &c. in eorum excrementis ſuperſit, præter particulam albam cretaceam plurimo ſale refertam. Ex his, quæ diximus, patet, quare panis omnibus commiſcetur cibis, undè dicitur: *Omnia cum pane, ſi vis vivere ſanè*. Panis enim ciborum fermentationem excitat, ideóque primarij victûs rationem habere non debet, & cœtera alimenta concibi, vel obſonia, quia: *Omnis repletio mala, panis autem peſſima*, ut in multùm ingurgitantibus panem, vel in pane, & aquâ jejunantibus clarè patet, nàm Non in ſolo pane vivit homo. Præterea panis repletio maximum paupertatis indicium denotat: igitur panis tantùm obſonium eſſe debet, cœtera verò alimenta concibi. Eandẽ quoque rationem omnia acida cibis commiſta habent, ut acetum &c. nimirùm fermentationem promovendi.

Sed adhuc Galenicorum opinio melancholicos, quia plurimo abundant acido, fami caninæ obnoxios eſſe viget;

viget; Non negaverimus tamen quandòque melancholicos fame caninâ laborare poſſe, ſi in eorum ventriculis ſtagnatet volatilis acor omne ingeſtum permeans, & effervefcentiæ motum in ciborum ſpiritu excitans: ſed quia eſt craſſus, & acrior, quandóque ſatis magnam excitat fermentationem, ex quâ flatus erumpunt, & pura ciborum pars in ventriculo diù retenta, & exagitata acido ſe non ſpoliat, imò utplurimum per ſecundam fermentationem acerrimus evadit, (ut patet de vino, quod per ſecundam fermentationem ejus ſpiritus fit acerrimus, & fixus, ac in acetum tranſit) & ſimul cum ciborum reliquijs in nidoroſam, acerrimamque tranſit ſubſtantiam fixam, depravatur, non mutatur in ſalſum, & propter nimiam aciditatem nullatenùs corrigi poteſt. Hæc in ſtomachi tunicis cum ſuperfluâ ſeroſitate ex nimio potu, vel potulentis cibis in ventriculo magis depravatur, & in cœnoſam degenerat aciditatem.

Prognoſis.

Canina fames, in quâ omnia ingeſta vomitu, vel crebrâ dejectione exturbantur, niſi citò curetur, nil niſi vitæ periculum portendit; in cachexiam enim, hydropem, lienteriam, atrophiam, ſimileſque ad interitum ducentes affectus degenerare ſolet.

Veterum Curatio.

Curationem perficiunt vulgares vomitorio, quo credunt vitioſam materiam in ventriculo ſtabulantem educere; verùm hoc remedij genus periculo plenum agnoſcimus, nàm, moto humore, ſequi poteſt cholera, prættereà ſpóntè vomūt ęgri. Nōnulli evacuationē in principio per alvū inſtituunt, ſed idem periculum choleram inducendi militat, & exaltatus acor ad inteſtina detruſus (attamen nulla hactenùs medicamenta acidos humores blandè purgantia novimus) non educitur, niſi ſummis torminibus, & majori noxâ, quàm fructu. Pinguibus, & lentis caninam compeſcunt famem, ſed hæc vomitum provocant, & malum adaugent.

Noſtra Curatio.

Ad noſtram famis caninæ curationem multùm proſunt ſex res non-naturales, quæ ſi affectum non tollunt, ſaltem attenuant, ideóque

Aer eligatur, qui nec frigore, nec calore excedat, nam in nimis frigido ventres ſunt calidiores, & ciborum confectio magis excitatur, & appetitus intenditur; in nimis calido magna fit per diaphæreſim nutrimenti devaſtatio, ad cujus reſtaurationem ciborum repletio neceſſaria eſt.

Cibus ſit pinguis, viſcidus, oleaginoſus, & butyroſus, ut adipes, butyrum, caro porcina, anſerina, animalium cerebrum, extremitates, jura pinguia, farra, amylum recens, &c. quia ab his acidum infrigitur, & iners redditur, quibus magis in principio eſt locus, dùm vomitum provocare intendimus; poſteà verò, dùm vomitus viget, omittenda cenſemus, ne ventriculus relaxètur, & pejora indè ſequantur mala: tunc caro aſſa, & ſolidiora exhibeantur cibaria, in quæ acidum agendo, infringatur. Panem ex farinâ cum furfure paratum, nec priùs fermentatum ob eandem rationem commendamus. Fugiantur guſtûs oblectamenta, ne appetitum alliciant, & famem priùs exſatiatam inexplebili eſuriendi aviditate faciant, ut ad extremum repleti, adhùc famem patiantur, ut canes. Sit itáq;

menſa frugalis ab avarâ manu parata.

Potus non ſit vinum, imò omninò interdicatur, undè errant Galenici conſulentes vinum meracum copioſè ſumptum potentiſſimè famem ſedare caninam, malè intelligentes illum Hippocratis *aph. 21. in ſect. 2. Famem vini potio ſolvit.* Quia à vino malum augetur ob acidum, quod in ſe continet, maximè autem vini ſpiritum commendamus, quia ejus ſal volatile in acidum agendo, illud immutat. Convenit itáq; largus aquæ potus, pro quo ea propinentur cibaria, quæ ſitim inducunt, quia urgente ſiti, fames minuitur, & acidum diluitur. Vitentur omnia acida, vitriolata, & dulcia ob latentem aciditatem, ne malum intendatur.

Motus ſit moderatus, & tantùm animi gratiâ, ne appetentiam excitet, labor interdicatur, ne alimentorum fiat devaſtatio, & eò appetitus intendatur.

Quies magis convenit, & ægri, quantùm fieri poteſt, ab omni comedendi cogitatione, & colloquio arceantur, nàm multùm valet in hoc appetitu, ut in alijs cogitationibus, & colloquijs occupentur; ſic enim famis moleſtiam non advertunt, ut habetur *apud Platonem in Phædro* de illis, qui in contemplatione occupati cibos negligebant, & in cicadas convertebantur.

Somnus, quàm vigilia præſtat, nàm dormiens famem non ſentit, & expergefactus per aliquod temporis ſpatium appetitus torpet.

Excreta & retenta naturæ curſui reſpondeant, non urgeantur, neque inhibeantur, nè malum augeatur, undè alvus ſemel in die ſcybala deponat, menſes, & hæmorrhoides ſtatis circuitibus fluant, quòd ſi ſuppreſſio præceſſerit, proritentur, ſi nimis impetuoſè fluant, demulceantur. Medicamenta purgantia exulent; non enim ea, quæ acidum proſcribunt, habemus.

Animi paſſiones coërceantur, præſertim vehementes, ut ira, rixa, furor, odium, &c. vitentur, quia corpus excandeſcit, aciditas intenditur, & in his animi perturbationibus fames acuitur, & inſatiata ſuccedit. Declinetur quoque gaudium, nàm in hoc ſemper convivia præparantur, & in lautis menſis aſſiduè in ciborum quantitate delinquitur. Proſunt in canum fame timor, melancholia, mœſtitia, anxietas, diffidentia, deſperatio, &c. aciditatem infringunt, obtundunt, & quodammodò figunt, digeſtionem debilitant, & à comedendi cogitatione avertunt, nec fame caninâ correptus de commeſſationibus avertit, quia in his malignis animi paſſionibus mens ægrotat. Angue, & rabido cane pejus alma Venus vitetur, nàm poſt coitum rabida concitatur fames.

Caninæ famis curatio pharmaceutica inſtitui poteſt emeticis, nihilominùs hæc in principio conveniunt, antequàm vomitus invaleſcat, ut aciditas per ſuperiora tantùm exturbetur; nàm ſicut aciditas eſt ventriculo grata, ità inteſtinis exotica, & hoſtilis.

Aciditatem infringunt, & figunt *corallia, perlæ, oculi cancrorum, chalybis limatura, creta, terra Sicula Claromontis*, & ſimilia, ſed præſtat his in pollinem lævigatis uti, quàm ita corruptis magis, quàm præparatis, quia decantata & mirè commendata ſalia, & magiſteria ex corallijs, perlis, Marte, & ſimilibus per acida menſtrua parata minimè chymicorum promiſſis reſpondent, poſtquàm tali præparatione eorum vis acidum temperandi, figendi, ac

con-

concentrandi fracta eſt, ſi non in totum abolita, & ſic inefficax, & nullius activitatis particeps; acida enim menſtrua, ut *limonum ſuccus*, *vel acetum deſtillatum, vitrioli, vel ſulphuris ſpiritus*, *aut ſimilia, dùm corallia, margaritas, Martem*, *&c.* ſolvunt, eâdem actione, quâ ſolvunt, dulceſcunt, & corriguntur. Undè peractâ ſolutione, ſi menſtruum acidum reaffundatur, nihil agendum, & ſolvendum remanet, ac proindè minimè dulceſcit. Imò ſi ſolventes addas acores, quia acida menſtrua volatilia ſunt, agendo ſupra corpus coralliorum, margaritarum, Martis, &c. fixum, fixantur, undè majores ægrotis noxæ accedunt: præſtat igitur vulgarium more *corallia*, *perlas*, *Martem*, &c. præparata exhibere.

Præſentaneum, & expertum habemus medicamen in fame caninâ ſalia alkalia, quorum proprium eſt acidos præcipitare ſuccos, eorumque acores corrigere, à quibus hujuſmodi morbi fomes pendet. Idem præſtat *oleum tartari p. d.*

Nonnulli ad opiata confugiunt medicamenta, quia opium non tantùm ſubtiles incraſſando partes operatur, verùm etiam efferatos figit ichores, mordaces temperat, & mitigat ſuccos; attamen cautè, & rarò uſurpanda ſunt, & non niſi ſummâ urgente neceſſitate.

Aliqui *theriacam* uſurpant *recentem*, *& mithridatium*, non quia obſtupefaciendo vi narcoticiâ caninam famem ſedare exiſtimant, ſed alexiteriâ virtute malignam humorum, venenatam, & occultam qualitatem, quam in hoc affectu ſubeſſe credunt, oppugnare.

CAPUT V.

De Picâ, & Malaciâ.

Pica, & malacia eſt affectio depravati appetitus, in quâ inſolita & inconvenientia, minimè alibilia ægrotantes vorare appetunt, ut ſunt terra cimolia, gypſum, arena, pix, cera, carbones extincti, cineres, calx, & quandóq; ad fœtida hic appetitus ſe extendit: ejuſmodi appetitus depravatus frequentiùs fœminas, rariùs verò mares divexare ſolet.

Dicitur appetitus depravatus Pica ab ave picâ, quòd ſicut in eâ pennarum, & vocis magna eſt varietas: ità in hac affectione varia eſt rerum appetentia à ciborum natura alienarum. Vel dicitur pica, quia hæc avis hoc laborat malo, eſitando inſolitas, & nutritioni inconvenientes rès, ſed parùm aptum videtur nomen, cùm nulli picæ appetitus ſit cognitus. Vel picam dici volunt Cittam à citta, id eſt hederâ, eò quod ſicut ea varijs plantis occurrentibus adhæret, atq; ſe implicat: ità hoc laborantes malo circa varia abſurda, & inconvenientia hominis nutrimento feruntur.

Malacia alius eſt morbus, languor ſcilicèt, & defectio, quà de re propriè pica eſt appetitus depravatus, quandò languentes vitioſas, & à ciborum naturâ alienas res vorare appetunt, & vorant, ut terram, cretam, calcem, carbones, & ſimilia; Malacia verò ea eſt appetentia, quâ ſolummodò prægnantes non quidèm cibos ab hominum naturâ alienos, ſed ſolitos appetunt tantâ animi impatientia, & maximâ aviditate, ut prægnantis imaginationem fortiter depravent, & niſi per rei exoptatæ

manducationem ipſi ſatisfaciat, vel abortum patitur, vel ejuſdem rei ſibi per deſiderium imaginatæ fœtui characterem cudit ad ſui corporis attactum. Malaciam nonnulli cum picâ confundunt, & unum affectum pro alio, & versâ vice accipiunt: verùm inter ſe diſcriminantur; malacia enim græcè mollitiem, & malacus mollem ſignificat, undè à *Cælio lib.*1.*cap.*15. malacia maris dicitur pro tranquillitate, ac velut mollitie. Pica contingit non tantùm hominibus, pueris, & puellis chloroſi laborantibus, ſed etiam prægnantibus à quadrageſimo die conceptionis, & ad menſem uſque quartum perſeverat, ac poſtmodùm feriare incipit. *Signa.*

Pica facilè cognoſcitur, & ex ſolâ innoteſcit relatione; tales enim ægrotantes res diverſas, & hominis nutrimento inconvenientes vorant. Adeſt languor, & ſalubrium ciborum tædium, ventriculi morſus, anxietates, crebræ expuitiones, nauſea, & interdũ vomitiones, quæ materiam in ventriculo contentam indicant.

Malaciæ ſigna per ſe manifeſta ſunt; prægnantes enim cibos non quidèm à naturâ hominum alienis, ſed conſuetos avidiùs appetunt, & cum tantâ animi impotentiâ, itâ ut ſi eorum participes minimè fiant, vel cum fœtu periclitantur, vel ipſi fœtui ejuſdem rei deſideratæ ſtigma ad tactum imprimunt. *Veterum Cauſa.*

Vulgares pro appetitûs depravati cauſâ humores aſſignant vitioſos, pravâ qualitate præditos, ventriculi tunicis adhærentes, & hinc ejus orificium affligentes. Hi humores vitioſi, & corrupti in ventriculo ob læſam illius coctionem colliguntur, vel ab alijs partibus ad eum tranſmittatur. Quæ autem horum humorum vitioſorum, & corruptorum natura ſit, & quænàm prava illa qualitas, quæ hunc depravatum excitat appetitum, minimè explicant, ac proindè inexplicabilem dijudicant, quia res, quæ appetũtur, nullam cum humoribus dulcibus, ſalſis, vel acidis in manifeſtis qualitatibus convenientiam habent. Hinc *Platerus*, & cum eo *Sennertus* ad occultam qualitatem, tanquàm ad ignorantiæ aſylum, confugiunt. Hunc affectum gravidis mulieribus familiarem imaginati ſunt ob menſtruorum ſuppreſſionem, quæ moram in corpore trahentia, vitioſam inducunt qualitatem, quæ ad ventriculum defertur, & eum pravo illo inficit ſucco, à quo illius actiones depravãtur, undè depravatus exoritur appetitus. Provenit hæc abſurdorum appetentia in gravidis ab conceptu primis duobus, aut tribus menſibus, quia tunc fœtus adhuc minor eſt, & in vulvam delata omnia ratione alimẽti abſumere nequit, quodque impurius relictum ſuperiores petit partes, & in ſtomacho multorum factâ redundantiâ, abſurdorum ſeſe promit appetentia; quartò verò menſe cùm fœtus grandior fieri incipit, copioſiore indiget alimento, & depravatus ceſſat appetitus.

Sed hallucinantur vulgares in fœtûs nutritione, nàm ſanguis cùm degenerat, fit menſtruum, deponendo balſami vitalis favorem, & in excrementũ tranſit, tunc ad uteri venas ejicitur tãquã ad deſtinata emunctoria, veneni indolem aſſumit, vireſq; in pejus acquirit eundo, & tandèm recentis cadaveris horridas nanciſcitur proprietates. Si diutiùs circa uteri venas detineatur,

beatur, virulentius magis evadit, & varia excitat ſymptomata, quibus mediantibus, mulieres mortuis ſimiles decumbunt. Hinc clare patet menſtruum ſanguinem ad fœtûs nutritionem ineptum eſſe, ac proindè gravidas carere menſtruis, vel ſi habent, ut aliquibus evenit, per deſtinatum colluviarium exturbari conſpicimus, ut fuſiùs de morbis mulierum dicemus; quapropter fruſtrà blaterant vulgarium ſcholæ de menſtruo, tanquàm fœtûs ordinario alimento, & in utero fœtum nutriri, & grandeſcere menſtruo: in prægnante enim regulariter nullum fit menſtruum, & conſequenter nec fœtus illo alitur. Nonnulli melioris notæ medentes fœtum puro matris ſanguine, putòque cruore in ſuis culinis deputato nutriri aſſeruêre. Verùm nos juxta noſtra principia dicimus ſanguinem tantùm ad animalis vitalitatem deſervire, & ciborum eſſentijs ſuſtentari, ac proindè non verè nutriri.

Qui hæmorrhoidum ſuppreſſionem patiuntur, eos picâ laborare credunt; ſed decipiuntur, nam ſanguis ad hæmorrhoidum venas detruſus, & quaſi à naturâ ad varicoſum corpus proſcriptus, multoties in naturæ gratiam redire ſolet & remeabilis per venarum, arteriarumque tubulos evadit, cum verò degenerat, & a vitali lumine non illuſtratur, cadaveroſus evadit, ſecernitur, & excernitur. Prætereà eos, qui hæmorrhoidum ſuppreſſionem patiuntur, nullo modo picâ laborare obſervavimus.

Picæ quoque obnoxios eſſe, qui melancholico præditi ſunt temperamento, obſtructiones patiuntur, virgines, quæ chloroſi laborant &c. aſſeverant; inquiunt enim hunc morbum à pravis, corruptiſque humoribus produci ob coctionem depravatè in ventriculo celebratam, vel ab alijs partib. in eum tranſlatis, qui vitioſam ex quadam peculiari corruptelâ qualitatem adepti, abſurdarum rerum appetentiam inducunt. Verum melancholici, obſtructi, & virgines chloroſi laborantes non omnes picæ ſunt obnoxij. Neque dicant tantummodò eos huic morbo eſſe obnoxios, qui depravatè concoquunt, undè pravi, & vitioſi generantur humores cum quadam peculiari corruptelâ; nàm ad occultam, inexplicabilemque confugiunt qualitatem, & morbum ab occultâ qualitate procedentem, potiùs medicamentis occultâ qualitate præditis, quàm manifeſtâ curare deberent.

Circa hunc morbum delitant vulgares, cujus cauſam rimantes, quaſi per cancellos proſpiciunt, nec à tot tricis facilè ſe expediunt, niſi per occultę qualitatis confugium, & nè nos in eandem labamur foveam, cauſam aſſignabimus manifeſtam, pro quâ

Noſtra Cauſa.

Dicimus, quòd in hoc morbo eorum authorum ſententia militare videtur, qui dicunt fermentationem in ventriculo excitari à ſanguine, ab illius ſcilicèt tenuiſſimâ portione per arterias, & venas communicatâ, & in ventriculi tunicis exaltatâ, & quodammodò fixiori redditâ, quia apud ipſos, aliorum reject s cauſis, alia non ſuppetit; tùm quia ſanguis ſolus continuo motu, calore, & fermentatione hujuſmodi effluvia poteſt ad ſtomàchum tranſmittere, nàm parenchymata totum id, quod habent, à ſanguine habent. Confirmant hoc, qui miſ-

ſo ſanguine, ventriculi coctio non probè ſuccedit, neque hoc caloris defectu evenit: multoties enim calor non diminuitur, imò quandòque augetur circulatione auctâ, quia ſignum eſt, quòd aliquid aliud deperditum fuit. Quid ſit hoc, dicunt difficile eſſe exploratu, quia volatile eſt: fermentum hoc cibum penetrat, divellit, & fermentat, à quâ penetratione partes acidæ ſolvuntur, quæ in alimento erant, ſimul uniuntur, exaltantur, & fermentationis complementum adjuvant. Cùm ciborum reliquiæ deſcendunt à ſtomacho, fermentum agit in chyli partem in ſtomacho relictam, quam illius diſpoſitiones acidam magis, vel minùs reddit, hæc portio appetitum excitat, & alimentorum concoctionem etiam juvat, & hac de cauſâ: Ructus acidi cùm aliquibus morbis ſuperveniunt, boni ſunt; ſignificant enim fermentum ad ſuum rediiſſe munus. Neque obſtat ſanguinis carentia in piſcibus, & ſtirpibus, nàm habent aliquid ſanguini analogum, in quo ſpiritus fermentativus reſidet.

Neque hæc opinio de ventriculi actione noſtram derogare poteſt ſententiam, quia hoc ſanguinis effluvium cibos penetrando, & divellendo, internum ciborum ſpiritum tantùm excitat, qui omnem efficit fermentationem; aliud enim eſt fermentationem excitare, aliud verò efficere.

Poſito ex ſanguine effluvio (quod verum agnoſcimus) ciborum fermentationem excitante, facile eſt picæ cauſam aſſignare; ſanguis enim, qui geſtationis tempore in venis fluctuat (non tamen ſanguis eſt menſtrualis) plurimum acidum aluminoſum in ſe continet, quod propriâ didicimus mechanicâ, Idem ſanguis hæmorrhoidalis retentus, menſtrualis in virginibus ſuppreſſus, & eorum, qui obſtructione laborant &c. tàm in maribus, quàm in fœminis ſemper acido aluminoſo redundat: hujus ſalis acidi aluminoſi ſi pars, mediante fermentatione cum effluvio, quod ſtomachum petit, ſurſùm rapiatur, ſtomachum inficit, in quo acres producit ſuccos, (ut ex vomitu clarè patet) qui imaginationem ſtimulent ad peregrina, & quidèm ex ratione, & exoticâ humorum phantaſiâ, ſic naturâ imperante. Iſti ſucci acidi aluminoſi non uno, eodemque modo ſe habent in omnibus mulieribus, ſed juxta cujuſvis naturam graduantur, undè etiam earum appetitus heteroclitus ad diſſimilia, & diverſa ſe extendit. Hinc una res acidas, alia auſteras, frigidas, calidas, vel alias appetat, undè tanta oritur diverſitas, ut quædam terram, cineres, carbones, gypſum, ſal, aliæ aromata, nonnullæ glaciem, nivem, acetum, limones, aurantia, fructus acerbos copiosè, & ſine noxâ vorent.

Ventriculi orificium non eſſe hujus affectûs propriam ſedem, ut opinantur vulgares, ſed tunicis inhærere ſtatuimus, quia ſi iſti humores ventriculi orificium occuparent, cardialgiam, & morſum excitarent.

In picâ rancidæ medicinæ profeſſores digladiantur, an humori pravo contraria, an verò ſimilia appetantur? Aliqui naturam contraria appetere ſtatuunt, veluti remedia ad ea profliganda, quæ præter naturam in ventriculo continentur, quia contraria, in eorum ſententiâ, contrariis curantur: Verùm ſi contraria morbo, vel illius cauſæ appeterentur, ex continuato illorum uſu morbus tandèm curaretur; & ab

& ab ijs in dies deterior non redderetur. Plerique oppoſitam tuentur ſententiam, quia vomitu reijciuntur humores non contrarij, nimirùm acida appetentes, acida vomunt; humores enim pravi, & vitioſi, quaſi familiares redditi naturam ad ſimilium conſervationem ſtimulant, ac proindè ſimilia appetunt: ſed ſi picâ laborantes appeterent ſimilia cauſæ morbificæ, ex eorum frequenti, & copioſo uſu malum maximè augeretur, & tamen hujuſmodi ægrotantes videmus carbones, cineres, calcem, gypſum, aliaque noxijſſima ingurgitare & ex ijs leviſſimam, vel nullam percipere noxam, à quibus bene valentes ad internecionem uſque læderentur. Prætereà, quæ convenientia eſt inter carbones, cinerem, calcem, gypſum &c. cum humoribus? Tandèm prægnantes ſalſos, & acidos vomitu reijcere humores & tamen neque ſalſa, neque acida appetere videmus, ſed potiùs toto genere diverſa. Nonnulli probabile autumant potiùs à ſimili, quàm à contrariâ qualitate depravatam provenire appetentiam, attamen quæ illa ſit non tantùm explicatu difficilem, ſed impoſſibilem dijudicant, cùm nulla in manifeſtis qualitatibus convenientia ſit cum humoribus dulcibus, ſalſis, vel acidis. Verùm ad occultas confugiunt qualitates, & ſi qualitas eſt occulta, quomodò ſciunt potiùs à ſimili, quàm à contrariâ depravatum provenire appetitum.

Nos in picâ humori pravo neque contraria, neque ſimilia appeti juxta noſtra principia ſtatuimus; natura enim gravata, vel irritata ab illis humoribus talia appetit non prout illis contraria, vel ſimilia ad eorum correctionem, ſed ut opportunum producti remedium, ut nimirum illos rectificet, & corrigantur, quibus rectificatis, correctiſque ad appetendum ſolitum, & conveniens redeat alimentum. Id patet, quia ægrotantes ex frequenti, & exuberanti abſurdarum rerum uſu nullam percipiunt noxam; imò eis ità oblectantur, ut laudabiles reſpuant cibos, quòd in ſtatu ſano aliàs fieret. Videmus excalfacta corpora, ſive in ſtatu naturali, ut per immodica exercitia, ſive in ſtatu præternatuali, ut in febribus refrigerationem expetere non tanquàm contrariam qualitatem, ſed tanquàm opportunum remedium. Itèm fames ſanatur non contrario cibo, non denique ſimili, ſed ſedat famem cibus, quia appropriatum remedium. Sic canes oſſa, columbæ lapillos vorant, ſtrutio ferrum, non quia fermento contraria, vel ſimilia, ſed oppottunum remedium. Eâdem quoque ratione rerum inſolitarum appetitus aliquos ſolvit morbos. Vorant ægrotantes terram, cretam, gypſum, carbones, cineres, calcem, & ſimilia, quia in his ſal nitroſum, vel alkali, quod acido aluminoſo junctum, iſtud infringitur, & corrigitur, ità provida ſtimulante naturâ. Hinc inepti diſcant vulgares ex ijs, quæ picâ laborantes vorant, appropriatum elici poſſe remedium ad hunc morbum corrigendum. Vorant copioſè, nimirùm acetum, limones, aurantia, fructus acerbos, ut remedium opportunum ſine læſione, quorum ſuccus in aliud ens corpori innoxium tranſmutatur, ut patet

patet in oleo Vitrioli accerrimo, quod ſine corroſione in ventriculo minimè morari poteſt; perſuſum tamen cremori tartari infringitur, & cicuratur, tanquàm ab appropriato remedio, & fit cremor tartari vitriolatus, ut poſtmodùm utrumque in ſatis largâ quantitate abſque ullâ noxâ in ventriculo morari poſſit. Iſte ſuccus acidus aluminoſus juxta conditiones, & gradus ſuas nanciſcitur proprietates, quapropter non uno, eodemque modo ſe habet, ſed juxta cujusvis naturam, & diſpoſitiones graduatur, & cauſatur appetitus talis, vel talis, ut humor in tali, vel tali graduatione corrigatur, & patiens ab ejus moleſtiâ relevetur.

Pica quandóque ad fœtidas ſe extendit,ut ad cimices, pediculos, ſcarabeos &c. vel ad non fœtida,ut ad Lanas,pannos,telas, carnes crudas &c.In ejuſmodi ægrotis non tantùm pro causâ aſſignamus guſtum, odoratumque depravatum, verùm etiam ſal acidum aluminoſum exerementum, quod imaginationem depravat,& ad peregrina ſtimulat,non quidèm ex ratione,ſed exoticâ humorum phantaſiâ, ſic ſtultè imperante.

Pro malaciâ, quæ eſt tantùm prægnantium affectio, cauſam aſſignamus vehemens deſiderium, quod non quidèm ad cibos ab hominum naturâ alienos, ſed ſolitos fertur, qui tantâ animi appetentiâ, & aviditate prægnantium totam vitæ œconomimam agitant,perturbant,& depravant,ut in tantâ animi perturbatione,& agitatione,niſi deſideratæ rei compotes fiant, vel abortiunt, vel appoſitâ manu ad aliquod membrum,licèt inadvertente,& citra voluntatis concurſum ſui appetitûs ſtigma in fœtu depingunt, membrum contacto correſpondens, imagine objecti illius perturbationis. Undè ſi appetitus fuit ad ceraſum, depingitur ceraſum utique in fœtu, & in membro conſimili, quale prægnans ſibi manu tetigit, quod viridescit, flaveſcit & rubeſcit quotannis, iiſdem temporibus, quibus arboris ceraſa,has colorum varietates acquirunt.

Dignum videtur examine,quomodò id contingat, pro quo dicimus hominum perturbationes circa ſtomachi os fabricari, & indè ad cor aſcendere, mulierum verò procliviùs ad uterum mitti,quia mulier naturaliter inſpirationes mittit vitales ad fœtum,ideóque omnis præcordiorum commotio in mulieribus continuò reſpicit uterum, ſive in eo adſit fœtus,ſive non.Omnis generatio imaginationem præſupponit, juxtà quam ſuas exequitur diſpoſitiones,undè tàm in animalibus, quàm in plantis ſua cujuſque eſt imaginatio ſuo modo, productrix tamen utrobique fœcunditatis ſeminum, tàm ad eſſe naturale, quàm monſtruoſum. Sicut prægnans non operatur,niſi ſit perturbatione perculſa,ità ſemina deſinunt eſſe fœcunda, niſi conjuncta ſit libidinis perturbatio faciens animam deſcendere in ſemen, ut illud illuminet. Mulier prægnans ità fortiter per phantaſiam operatur,ut nec vir,nec alia quævis fœmina operetur. Inſuper in prægnante manus requiritur,organum organorum,ut externum, & ſignum determinati membri,in quo imago eſt ſculpenda, quia anima perpetuò utitur mediis,ſuper quæ imago fertur ad eſſe,& operari. Quare notandum,

tandum, ſi prægnans fuerit dextera, ſiniſtrâ tamen manu aliquod ſui membrum attigerit ſub perturbationis inſultu, nihil indè ſuper fœtum ſignabitur. Undè apparet, quod manus illa, quæ communis, ordinaria, & quotidiana & cogitatuum executrix, ſit etiam directiva ad imaginationum loca, & operationes.

Prognoſis.

Pica miſerandus eſt affectus, & nullatenùs tamen periculoſus, ſi inſolita, & aliena à cibi naturâ vorentur quantum ſatis ad humoris in ventriculo contenti correctionem: verùm ſi eorum uſus ſit ità exuberans, ut natura oneri ſuccumbat, indè graviſſimi ſuccedunt morbi, quia vitiatâ primâ coctione, neceſſe eſt ſecundam &c. vitiari, ex quâ pertinaces obſtructiones, cachexiæ, hydropes, & plurima contingunt mala; attamen obſervatum eſt fœminas, quæ tali laborant affectu, ſæpè talia præter naturam ſine noxâ comediſſe, præcipuè menſtruis fluentibus. Si humor confertim ad ventriculi os feratur, cardialgias interdùm producit, ex quibus lipothymia & ſyncope, & quandóque mors ſuccedere ſolet. Minus malum eſt in hoc affectu acida, auſtera, & acuta vorare, quàm res à naturâ alienas, quia ſignificat minorem exceſſum à ſtatu naturali, qui faciliùs emendari poteſt. Si ab alienis abſtinere incipiunt pica laborantes, & laudabilibus utuntur eduliis minori cum faſtidio, incipientis curationis certiſſimum eſt indicium. Prægnantes à picâ utplurimùm liberari ſolent circa quartum geſtationis menſem, quia per crebras vomitiones, vel per alios naturales ductus ſuccum acidum aluminoſum natura excludit, nè fœtui noxa inferatur.

Malacia perpetuò malum portendit, nimiùm vel abortum vel in fœtu ſtigma per totam ipſius vitam retinendum.

Veterum Curatio.

Vulgares in picæ curatione pravos humores in ventriculo contentos evacuandos præſcribunt vomitu, quem concitant *decocto raphani aut aquâ tepidâ cum butyro*, etiam in prægnantibus, quia prægnantes ſæpè primis menſibus ſine noxâ vomere ſolent; attamen ſi humores commodè per vomitum purgari nequeunt, illos præparant, & per alvum evacuant, eandem obſervantes methodum in prægnantibus, quas tamen lenioribus purgant. Sed quia horum humorum natura in eorum ſententiâ peculiaris qualitas eſt prorſùs occulta, deberent ea præſcribere medicamenta, quæ id perficerent occultâ qualitate, & non quæ ex ſuis promunt pandectis: quaſi vulgaria medicamenta eſſent veluti panacæa, quæ omni humorum generi accommodari poſſent.

Non omittunt phlebotomiam, & in fœminis non gravidis venam in malleolo, vel poplite ſecant, in viris verò hæmorrhoidum venas aperiunt: ſed fruſtrà laborant, niſi menſes provocentur, obſtructiones reſerentur, & hæmorrhoidum fluxus concitetur.

Ad diſcutiendos pravos humores ventriculi tunicis compactos celebrant ante cibum *cappares, vel olivas ſale & aceto conditas*. Præſcribunt ventriculum roborantia, ut *ſuccum mali punici cum pulvere menthæ ſiccæ, panem cum ſucco cydoniorum, granatorum, limoniorum, aut aurantiorum acidorum m[illegible]*. Vinum generoſum pro potu &c. quæ an proſint, vel obſint, ex noſtris dictis patent. Ad excitandum naturalem appetitum, & ventriculi os detergendum lau-

dant *amygdalas amaras cum pane.* Item *cichorii decoctum in aquâ conditum ſale, oleo, & aceto. Trotula de paſſ. mulier. cap.* 15 ad ſidera extollit *fabas coctas, vel conditas ſaccharo*, putatque pravam appetentiam in mulieribus adimere ab occultâ proprietate. Quàm prorsùs vana, & nimis ruſtica ſunt vulgarium medicamenta!

Noſtra Curatio.

Hujus duplicis affectûs curatio duplicem requirit ductorē, unus eſt diæteticus, alter pharmaceuticus, primus ex ſex rebus non-naturalibus petendus eſt, inter quas primum tenet locum.

Aer qui debet eſſe temperatus, purus, & tenuis, ac nullo modo craſſus, frigidus, nebuloſus, & vaporibus refertus.

Cibus ſit optimi ſucci, omnium avium carnes ſunt accomoda iſſimæ, præſertim columbarum allatarum. Vitandæ ſunt carnes craſſæ, & viſcidæ, hinc agninæ, caprinæ, & ſimiles fugiantur. Cibi condiendi ſunt aromatibus, & ità conditi maximè conferunt. Pyra cydonia cocta, & cinnamomo conſperſa juvant. Quæcumque optantur ab his ægrotis in extremis cau bus conſpurcentur, & fœdiſſimè parata offerantur, ut ſi cupiant carbones, conſpurcentur fimo, ſtercore, & urinâ, ac ita apponantur, ut fœtidarum rerum horrore periculſi deponant deſiderium, ſed hic modus non omnibus convenit ægris, civilior erit ſi ità edulia parentur, ut aſſimilentur rebus optatis, ut ſi petierint calcem, fiant edulia ex carne, & ſaccharo, ità ut constructa calcem æmulentur, ſi carbones in ciborum formâ parentur, ſed non facile eſt hos decipere ægrotos.

Potus ſit jucundiſſimus, ut eſt vinum odoratum, ſuave, potens, generoſum potiùs, quàm tenue, generoſa námque vina non ſolùm diſſipant, & exſiccant humores, verùm etiam corrigunt, & hebetant. Vel ſi vinum non bibat æger, decocto cinnamomi, vel aniſi, vel coriandri uti poterit.

Motus ſit moderatus, nimia *quies*, & otium obeſt.

Somnus, & vigilia intra convenientie leges coërceantur, verùm ſomnus magis conducit, nàm ſomnus ægros ab edulijs ab hominum naturâ inſolitis avocat, humores temperat, corrigit, & horum deſideriorum ſenſum obtundit.

Alvus lubrica præſertim clyſteribus ſervanda eſt, vel his, quæ alvum leniter ſubducunt, quotidiè proritetur, quia hoc modo à ventriculo leniſſimè humores exturbat. Si menſes, vel hæmorrhoides ſint ſuppreſſi, ad debitum reducantur fluorem.

Animus varijs, & ſolidis rationibus perſuadendus eſt, ut ab his, & alijs inſolitis, inconvenientibus, & abſurdis, ac minimè alibilibus avertatur.

Pharmaceuticus victor pro picæ curatione non tantùm dirigendus eſt ad productum, ſed etiam ad cauſam, quo ad producti eliminationem utiliter per alvum, vomitumvè inſtitui poſſunt purgationes, attamen in prægnantibus vomitus, & purgantia licèt benigniora locum non habent. Ad ejuſdem producti correctionem, & mitigationem proſunt *ſalia tàm nitroſa, quàm alkalia* pyrotechnicâ arte elicita ex rebus à cibi naturâ alienis, quas ægrotantes vorant, & in cibis, vel ſtomachicis liquoribus propinata, *in aquâ cinnamomi, corticum aurantiorum cum ſyrupo de abſynthio, ex corticibus citri cum eſſentiâ ejuſdem citri, corallijs, vel perlis præparatis.* In virginibus aperiendæ ſunt obſtructiones, & provocandi menſes *pulveribus cachecticis, vino, vel vitriolo Martis, tartaro vitriolato*, ut fuſiùs ſuis locis.

Ad cauſam tollendam uſurpanda ſunt ſanguinem purificantia, & emendantia, hujuſmodi ſunt ſalia volatilia, quæ cùm varia ſint, illa ſeligenda, à quibus plus utilitatis ægris accuratâ obſervatione experiemur, quapropter mutanda ſunt, ubi ijs parùm proficere obſervamus. Horum ſalium uſus erit ad plura, vel pauciora grana, prout debiliora, vel potentiora ſunt, bis, vel ter, aut ſæpius, in die in liquore decenti, & præcipuè in prandio, ac cœnâ. Juvat in hoc affectu ſudores quandóque blandè movere, attamen ægri tegumentis non obruantur, nàm ducenda, non cogenda eſt natura,

quia

quia vitioſos emendant humores, corrigunt ſudorifera, licèt eos ſenſibiliter non expellant. Præferuntur craſſioribus liquida, & ſpirituoſa, & eſtò *antimonium diaphoreticum, bezoarticum minerale, &c.* ſicca ſint, longè tamen præſtantiora ſunt.

In malaciâ licèt res præter naturam, & ſecundum naturam avidiùs expetantur, non denegentur, quia prægnantes vel abortiunt, vel ſtigma fœtui imprimitur. Suadent nonnulli mulieres prægnantes decipiendas eſſe dulciarijs colorem, & figuram rei, quam appetunt, referentibus: Sed impoſſibile eſt talia conferre, & appetitum explere, cùm non colorem, & figuram, ſed certam appetant ſubſtantiam. Quod ſi res cupita haberi non poſſit, ne quid incommodi matri, vel fœtui accidat, *aqua pampinorum vitis albæ* convenit, quæ ſtatim matri offeratur. Quòd ſi poſt partum aliquod ſtigma in infante obſervetur, ne per totam vitam retineatur, hujuſmi habemus expertum remedium: Stigmati admove cadaveris manum, longâ tabe extincti, omnique proprietate exuti, donec frigus partem penetraverit maculatam, (quod fit unius miſerere ſpatio) & de cœterò ſponte evaneſcit. Vel primus veris flos ſtigmati affricetur.

CAPUT VI.

De Siti intensâ.

Sicut fames eſt cibi appetitus, ità ſitis eſt potus, & quemadmodùm fames nunc minuitur, nunc abolitur, nunc intēditur & nunc depravatur: Ità quoque potus, ſcilicèt ſitis appetitus vel imminuitur, vel aufertur, attamen rariùs cum hominis detrimento imminuitur, vel aufertur, vel depravatur, verumtamen rariſſimè contingit, ut quis omninò contra naturam potum appetat; vel intenditur, ideóque tantùm de intensâ ſiti, tanquàm frequentiori ſpecialiùs agemus.

Signa.

Sitis ſigna nil habent difficile, ægri enim ſatis de anhelâ conqueruntur ſiti. Cauſæ etiam proprijs ſignis cognoſcuntur ex his, quæ præceſſerunt. An ſitis ex toto, vel aliquâ parte vicinâ cum ventriculo conſenſum habente ſit excitata, non ægrè ex ſignis cognoſcitur. Febris, quæ morbus eſt univerſalis, facilè ex eâ ſitis innoteſcit. Sic quoque patet, an ab aliquâ cauſâ evidente, ut aëris æſtu, irâ, ciborum calidorum uſu, vel ſalſorum, corporis evacuatione, veneno corroſivo, hydrope, diabete, &c. ſit excitata. Si ex ventriculo, calor, & ſiccitas vicinarum partium ſentitur, & ſapor aliquis p. n. ut amarus, nitroſus, ſalſuginoſus, faucium, linguæ, & palati aſpredo, quæ partes communem cum ventriculo tunicam, quâ teguntur, habent. Sitis, quæ ex pulmone, & corde excitatur, patet ex calidiſſimi ſpiritûs expiratione, à quo os redditur aridum, difficiliſque locutio propter tracheæ, & laryngis ariditatem. Anhela iſta ſitis parùm, vel nihil fonte levatur, cùm nihil potûs ad pulmones perveniat, ſed potiùs frigidi aëris potatione reſtinguitur. Ità ſi hepatis, vel alterius partis ventriculo vicinæ inflammatio, vel æſtus adſit, illa ſitis è ſuis cognoſcitur ſignis.

Veterum Cauſa.

Noſtri barbati ſitis cauſam ad ſiccitatem, ſeu humoris, inopiam reducunt, attamen *Galenus* 1 *de ſimpl. med. facult. cap.* 30. ad duas cauſas ſitim redigit, vel ad caloris humoris inopiam, vel ad caloris copiam. Incipit ſitis à calore, & deſinit in ſiccitatem, hinc primariò frigida, ſecundariò verò humida expetit, ac proindè incipit ab inanitione membrorum, ſed ob calorem à conſumptione roridæ ſubſtantiæ ipſius ventriculi, & poſteà in conſumptionem reliquarum humidi partium deſinit, & hac de cauſâ ſitim definiunt eſſe appetitum frigidi, & humidi, quod eſt potûs. Nonnulli ſitim p. n. non ſolùm à calefacientibus, ſed etiam à ſiccantibus primariò derivare dijudicant, quia quædam, non tantùm primariò calefaciendo, ſed primariò exſiccando ſitim excitare vident.

Plauſibilis certò eſt hæc de ſiti doctrina, (ſicut, & cœteræ) ſed quia caloris,

& ſiccitatis dogma continet, facta eſt fabula vulgi, ac proindè inter cauponas eſt agitari digna.

Non oritur ſitis à ſiccitate, licèt illudat, ac ſi repentè magna adveniſſet ſiccitas, alioqui ſenes, phthiſici, hectici, & atrophici ſemper ſitirent, & pluſquàm hydropici, quod à veritate alienum deprehendimus. Neque linguæ aridit as, cruſta æque ejus ſordes exhalationes è ſtomacho furſùm nonferri indicant. Neque à calore, & ſiccitate oritur ſitis, ut *magiſter Galenus* ſomniavit, ſæpè enim febricientes ſiticuloſos potum evomiſſe cum ejus quadruplo obſervavimus: ergò ſitis non ob humidi defectum neceſſariò; nàm in febribus alkalizatur cauſa febrilis, qua de re non ceſſat ſitis, eſtò ſtomachus proprio aſſluat potu, quia potus ad hòc alkali non pervenit. Sic nempè vini meracioris uſus, dura, piperata, & indigeſtibilia intenſam excitant ſitim, non quia calida, & ſicca ſunt in medijs ſtomachi undis detenta, ſed quia veluti alcalia putrida acidum è ſtomacho excludunt fermentum, illique reſiſtunt, & non ob humidi nutritivi defectum, ſed ob impeditum fermentum, quod tandèm longiori ſomno præfatas ſuperans difficultates, ſitim tollit, ut *aph.* 19. *Sect* 4. habetur: *Noctu bibere appetentibus, admodùmque ſitientibus, ſi ſuperdormierint, bonum.* Neque febrim ſiticuloſam à calore, & ſiccitate manare exiſtimamus, quia exhibito potu ſedaretur, quod fieri deberet, ſi regulariter, à calido & ſicco ſitis oriretur. Præterea febris per ipſos eſt paſſio calida, & ſicca, ut præcipuè in hecticâ obſervamus, quòd ſi verum hoc eſſet, in omni febre regulariter ſitis tanquàm inſeparabilis comes adeſſe deberet. Tandèm hydropicus abſque calore, & ſiccitate incompeſcibili premitur ſiti: ergò ſitis alibi quàm in calore, & ſiccitate quærenda eſt.

Hermetici præternaturalem ſitim à ſpiritibus quibuſdam ſitibundis ex impuritatibus ſulphuris genitis provenire contendunt, qui non ſimplici refrigeratione, & humectatione, ſed ſpiritibus alijs ſibi analogis ſatiari volunt: quemadmodùm in febrium acceſſionibus intenſam obſervamus ſitim, multo aquæ potu, parùm, vel nihil reſtingui, quæ tamen ſpiritibus acidis, ſulphureis, vitriolatis & ſalinis longè cum minori aquæ quantitate permiſtis faciliùs cedat. Non mirum, ſi Hermetici ſpiritus ſitibundos aſſignent, cùm etiam famelicos conſtituant, quadere apud ipſos unus famem, alter verò ſitim excitat: attamen iſti ſpiritus ex impuritatibus ſulphureis geniti ad noſtra reducuntur alcalia, nec Hermetici de ſitis causâ à noſtrâ diſſident ſententiâ.

Noſtra Cauſa.

Ad noſtram de ſitis causâ ſtabiliendam ſententiam.

Præmittimus primò id, quod fuſiùs in noſtrâ *Pyrotechniâ ſophicâ lib.* 4 *cap.* 1. *art.* 2. *de ſalis communis proprietatibus* diximus: Tanta eſt ſalis neceſſitas, ut abſque eo naturaliter homo vivere nequeat, ac proindè hoc opus habet in omnibus cibarijs. Sal naturæ eſt balſamum, quod corruptionem arcet calidi ſulphuris cum humido Mercurio, ex quibus homo naturaliter conſtat. Cùm prima principia, & quodlibet ſibi ſimili nutriri oporteat, ſequitur hominem ad ſui ſulphuris interni ſuſtentationem ardentibus uti cibarijs, humidis ad mercurium tuendum, & ſalſis ad ſal in condenti facultate conſervandum. Ejus conſervationis virtus in eo maximè elucet, dùm carnes mortuas à putredine diutiſſimè conſervat, quantò magis vivas præſervabit, judicare facile fuerit. Sal eſt ciborum correctio, nàm ſi non intervenit in his, nulla eſt correctio, quos quidèm eſtò ſtomachus receperit, decoquere minimè poteſt; eſt enim in ſale expulſiva virtus in ſeceſſum, vel in urinam, quæ duo, niſi in ſuo conſerventur curſu naturali, omnes vitæ functiones fruſtrantur viribus expulſionis. Sanguis naturâ ſuâ ſalſus eſt, & inſulſum non recipit nutrimentum, quod ſi aliquandò recipere coactus ſit maximâ quadam inediâ, hoc in corruptionem abit. Ut igitur vitetur hoc vitium, ordinatum fuit alimentarijs cibis ſal additium, nè meatus naturales obſtruantur, membraque ſuis debitis fraudentur nutrimentis.

intu-

Inſuper provida Natura, ne in neceſſariis deficeret, in ciborum fermentatione acidum reſultans mutat in ſalſum. Prætereà latet in ſale facultas reſolutiva oppilationes in poris accidentaliter contingentes aperiendi, ac per reſolutionem in urinam expellendi, nàm urina cùm ſit ſal cruoris, tantùm id eſt, ſal dumtaxat ex ſale naturali, quod naturaliter cum ſale microcoſmico aſſociatum per conjunctionem ſimul ambo maximè faciunt ad excrementorum expulſionem: hinc ſudor, lacrymæ, ſaliva, & quicquid ex humano corpore expulſionem recipit, ſalinam redolet indolem. Quapropter nil mirum, ſi Paracelſus ſalinos fontes microcoſmicos contemplatus fuit.

Præmittimus ſecundò ad noſtram ſententiam ſtabiliendam aliquid de latice, pro quo dicimus, quòd latex non eſt de ſanguinis naturâ, ſed liquor ſaltem nutriendo ineptus, omni ſale carens, ſuis tamen accomodatus uſibus, & ſanguinis comes, cum quo innocuus fertur, nè in concretionem abeat, qui ad partium eluendas ſordes deputatus fuit. Salſuginis quandóque & acredinis admiſtiones ab internarum partium ſordibus deturpatus combibit, & multas ulcerum excitat catervas, diverſas exituras, prout & varias in pelle prurigines. Hujus inſcitia laticis vulgarium ſcholas in inſons jecur dementavit, cujus intemperiem perpetuò accuſant, & amnuis potionibus, reiteratiſque phlebotomiis inſons excruciant hepar, nè dicamus ſtomachum, nec animadvertunt, quòd *Morbida facta pecus totum corrumpit ovile*, abſque jecinoris labe. Renes laticem emulgunt, tranſitque in ſalſum lotium ob ſalem, quem in meſenterio ſibi adſcivit. Cutis porosa à pellis perpetuò laticis effluvio gaudet, ut ſubjectum ſuppellectilem intra ſe eluat, & per ſudorem eliminet, ſudor enim materialiter nil niſi latex eſt, cui ſuperfluus accedit ſal. Saliva itidem materialiter latex eſt in cruoris Maſſâ vagans, qui ad maxillares glandulas mediante circulatione per varios deducitur ramulos, quibus in ſalivales ductus noviter detectos ſeſe inſerunt, quod per ſalivationem arte citatam ad ſenſum patet. Sed quia magnam quandóque ſalivæ copiam brevi tempore ità exuberare experimur, ut eam à cruoris maſsâ vix poſſibile ſequeſtrari poſſe videatur, ex ventriculo, & ductibus, qui ſalivalibus cohærent vaſis, eam provenire neceſſe eſt, quia lingua, os & ventriculus totus communi intùs amicitur tunicâ. Inſuper cibus aquæ in ore, ac ventriculo ſalivâ commiſceri debet, cujus ſal ad ciborum fermentationem promovendam plurimùm adjuvat, & confert, non verò quod ſaliva ciborum fermentationem efficiat, ut aliqui temerè credunt. Prætereà moleſtum valdè eſſet inter comedendum continuò bibere, quia de re ventriculus aſſumptum liquorem aliquandiù conſervat, & ex eò renſim per fibras portionem aliquam ore communicat pro faciliori ciborum deglutione; hinc melancholici inſignes ſputatores eſſe ſolent non ſolùm ex ventriculo, (ſive mediante vaſe breve ex liene) ſed ex aliis vicinis vaſis. Tandem latex totum penetrat corpus, atque proinde ventriculum, & os. Iſte latex & ſaliva non ſolùm in glandulis maxillaribus tanquàm in culinis, verum etiam in glandulis ad gargareonis latera, quæ ſpongioſæ cùm ſint, laticem ex totâ cruoris maſsâ circulationis beneficio combibunt, & ad fauces, laryngem, linguam, & œſophagum ob operoſum formandarum vocum, & loquelæ motum, necnon madefaciendum inter comedendum cibum uberrimus hujus madoris proventus affluere debuit, ità ut magna pars tamen iam exceſſivum excrementũ ſub peculiari ſalivæ nomine exprimatur. In iſtis glandulis latex tranſit in ſalſum, hoc eſt in ſalivam, partim ex cruoris parte, quæ ſalſa eſt, partim ex ſale, quo in omnibus cibis [illegible] homo, & partim ex fermentationis acido in ſalſum mutato. Fulciunt glandulæ venas, arterias & nervos, ac ex his laticem alliciunt, ideóque ſunt omnibus filtris multùm poroſiores, per quas ſolutus tranſit ſal, undè ſaliva cuicunque non cogitanti in os ultrò confluit, atque ad voluntatis nutum copioſius allicitur, nunc viſcidior:

ob ſimilem cruorem, nunc verò tenuior ob hunc magis tenuem,& aquoſum.

His de ſale,& latice benè perpenſis,intenſam ſitim non excitari ab humoris egeſtate, neque à caloris redundantiâ,ut causâ proximâ,& immediatâ,ſed ut causâ remotâ,& mediatâ, excitari verò fatemur proximè,& immediatè à ſale microcoſmico exaltato, qui ventriculum, ejus orificium,œſophagum, Laryngem, & linguam malè afficiat: caloris enim copia laticem per ſenſilem, & inſenſilem evacuationem abſumit, & Sal microcoſmicus exaltatur. Id per externas cauſas ultrò patet, quæ ſunt cibi vehementer ſaliti,ut haleces, omniaque alia ſale condita. Condimenta acria, qualia ſunt ſinapi, piper,Zinziber,allium, & ſimilia, quæ plurimo abundant ſale piperino. Potus meracior copioſè ingurgitatus. Longa mora in locis æſtuoſis, nimia corporis exagitatio, vehemens linguæ,& partium vicinarum motus,ut diuturna lectio, & peroratio. Dormitio hiante ore. Vigiliæ protractæ, evacuatio per medicamenta purgantia,venena corroſiva,alvus tùm adſtrictior,tum laxior, ſudor multus,urina copioſè excreta, ſanguinis, vel ſeminis notabile effluvium. Inter animi affectus, fortis indignatio, magnus error, timor,imaginatio mortis feſtinæ, ut inductis ad mortem apparet. Omnes hæ cauſæ externæ intenſam ſitim excitare valent, vel addito majori ſalis proventu,vel abſumpto latice, qui ſalem diluebat; undè in ſiti intensâ lingua nimio inficitur ſale, ariditate finditur, eſt alioquin indolens,& nil mali in ſe habet,

Sitis in hydrope non oritur liquoris penuriâ,neque ab hepate,multóque minùs à ramis minoribus majores ſugentibus,ſed à latice, qui naturaliter inſipidus eſſe debet, ut nos multoties ex ſanorum, & ægrorum educto cruore guſtu deprehendimus; latex enim in hydrope plurimo ſale eſt ſaturatus, nec per urinæ vias exturbatur,imò per varias fermentationes intenſæ emergunt ſalſugines, ac proindè ſuo non inſtructus viatico, in ipſo ſtomachi hoſpitio, ejuſvè viciniis ineptus evaſit pro ſuo munere.& acidum excludit. Qua de re multa oritur ſitis, etiam à potu frequenti,ut *Horatius lib. 2. Carminum Ode 2* inquit:

Creſcit indulgens ſibi dirus hydrops,
Nec ſitim pellit, niſi cauſa morbi
Fugerit venis aquoſus albo
Corpore languor.

In diabete oritur ſitis,quia in hoc morbo ſaliva redditur paucior, diaphæreſis, diminuitur, ſudor totaliter intercipitur, alvus conſtipatur,ſanguis in lotium mutatur, nutrimentum ad vitæ ſuſtentationem redditur ineptum & omnes inſenſiles evacuationes per hanc unam urinam tantùm compenſantur, undè microcoſmicus ſal non diſpenſatur per ſalivam, diaphæreſim,ſudorē &c. Sed in partibus exaltatur,& à potu non diluitur, quia ut aſſumitur,ſine ullâ alteratione ſtatim per renes ad veſicam rejicitur,ideoque urina redditur tenuis,aquoſa,cruda,abſque ſedimento,& omni carens ſale.

In febre ardenti oritur ſitis à vehementiori ſanguineæ maſſæ efferveſcentiâ, in quâ exurentiſſimus calor laticem vaporetenùs ſollicitando, ſalem microcoſmicum exagitat,& halitus ſalſos ad ventriculum,& os elevat,undè ſitis & ariditatis illuſio ibidem producitur.

Prognoſis.

Sitis à cauſis procatarcticis excitata nil periculi habet,aſſumpto enim potu,facilè reſtinguitur; attamen in magno ſitis æſtu plurimi ſubitaneè, & uberrim bibentes in graviſſimos præcipitantur morbos,ut patet ex *aph.51. ſect. 2. Plurimum,atque repentè evacuari, vel repleri, vel calefacere,vel frigerare,vel alio quovis modo corpus movere, periculoſum; omne enim nimium naturæ inimicum, ſed quod paulatim fit,tutum eſt.* Cùm in ingenti ſitis ardore corpus plurimum æſtuet, graviſſimorum malorum,& mortis cauſa eſt illud repentè & affatim frigidiſſimo potu refrigerare, quia interna viſcera æſtuantia frigidiſſimo potu exſolvuntur,non aliter ac ſilices candentes projectione aquæ diſſolvunt. Undè pleuritidem,hecticam,hydropem, vel &c. indubiè pariunt. In quavis igitur corporis

corporis æſtuatione non ſtatim bibendum, ſed tamdiù à potu abſtinendum, donec effervefcentia reſtringuatur, & tunc panis buccella priùs, vel aliquod dulciarium comedendum eſt, & poſteà bibendum.

Sitis p.n. eſt malum non contemnendum, nocet n. corporis nutritioni, & vires valdè dejicit, quia *facilius eſt impleri potu, quàm cibis*. Et ſitientes maximoperè potui indulgent, & parùm comedunt, undè in cachexiam, hydropem & alios graviſſimos incidūt morbos. Hinc

Sitis, quæ à cauſis excitatur internis pro illarum varietate magis vel minùs eſt periculoſa, quapropter quæ febribus, aliiſque affectibus curatu facilibus contingit, eorum ſolutione ſponte evaneſcit. Si verò à morbis chronicis, vel gravibus dependeat, eſt valdè periculoſa, ut in hydrope, in quo ſitis potu non reſtringuitur, ſed potius intenditur, ut in phthiſi, diabete &c. quorum ſiticuloſorum vix nullus evadit, denotat enim magnam è ſalinis particulis exuſtionem intùs excitatam. Undè *In febribus continuis ſi partes externæ frigent, internæ uruntur, & ſitis adeſt, lethale.*

Infelix morbi exitus timendus eſt in morbis, quibus ſitis adeſſe deberet, & deficit, nàm *In causâ ſitiferâ non ſitire, malum*; neque enim credendum eſt ſitim, ejuſvè cauſam verè ſublatam in quibuſdam cum oris ariditate, corporiſque ardore delirantibus, quoniam eam non ſentiunt, non advertunt. Vel ubi aderat intenſa ſitis, ut in febre præſertim ardente, & præter rationē evaneſcit, quia *In gravi morbo ſitim temerè, ac præter naturā ceſſare penitus, malum eſt*. Virtus enim animalis oppreſſionem, vel nativi caloris exſolutionem, vel appetentis facultatis in ventriculo extinctionem ſignificat. Attamen ex *aph. 54 ſect. 4. Quibus in febribus ardentibus ſiccæ tuſſes paululum irritantes diù durant, non admodum ſiticuloſi ſunt*. Quia glandulæ, quæ adſtant inferiori laryngis regioni, laticem à cerebro ſuſcipientes primos aſperæ arteriæ annulos corrigunt, ſalemque ſitim excitantem aliquantulum diluunt.

Si ſitis ab èvacuatione accidat, perfectæ purgationis ſignum eſt, ut inquit *Hipp. aph. 19. ſect. 4. Quia medicamentis purgati non ſitiunt: non ceſſant, priuſquam ſitiant.* Siquidem humoribus pravis evacuatis, medicamentum etiam aliquid de ventriculi humiditate abſumit, atque ità ſitim inducit, quod ſi ſitis nō adveniat, perfectam purgationem nondum factam eſſe indicio eſt. Noſtrates barbati hanc aphoriſmum tanquàm divino ab ore prolatum venerantur, quia eorum judicium eſt limitatum, nec extra limites proſiliunt. Maximum præjudicium, imò acerbam cladem humano generi hic aphoriſmus advexit Quia de re ſi poſt medicamenti purgantis evacuationem ſitis deſideratur, præbent pilulas, apozemata, conſervas &c. donec ad evacuationem ſitis ſuccedat, ut perfecta habeatur purgatio juxta aphoriſmi decretum. Hinc multoties ægris vel dant *Recipe* in cadaveris formâ, vel propinant malæ ſaluti. Undè ſi viventes ob hoc conqueruntur, defuncti pejus agunt, licèt medentum inſcitiam terra tegat. Medicamenta purgantia ſunt venenata, & quadam de fermentali energiâ virulentâ participant, quâ latex, & ſolidæ partes in liquamen vertuntur cadaveroſum, ſanguinem reſolvunt, abradunt, evacuant, & tandem ſuam tyrannidem in humano corpore exercent tam purgantia, quàm emetica. Eorum energia in veneno laxativo, ſcilicèt corroſivo conſiſtit, quod eſt de ſalis ſectici indole, ac non mirum proindè ſi ſitim excitat, cùm microcoſmicum fermentet ſalem. Neque medicamenta quodpiam à venis trahunt, ſed venarum oſcilla inteſtinis proximiorum aperiūt, & ſanguinem, ac laticem exeuntem colliquant. Convenienti doſi exhibita lenientia virus laxativum habent debile; attamen in majori purgationes faciunt exquiſitas, & vehementia æmulantur medicamenta, quod manifeſtum ſignum eſt lenientia hæc cum additamento habere virus laxativum in minori quantitate & non exaltatum Igitur in majori doſi virus laxativum habent exaltatum, & vehementer expultricem irritant facultatem, reſolvunt, colliquant, magnum in corpore excitant tumultum, &

ſitim

ſitim inducunt. Quapropter modum in agendo retinere non poſſunt,& non ſecus ac corpori ſuccedit, ac civitati tumultuanti, ubi omnes leges, ſiquæ ſunt,ſine lege sũt,& inordinatę. Undè vel nullam,vel valdè exiguam ſpem in purgantibus habere debent medici ſtercorarij ad morbos profligãdos; utplùrimùm enim ſanant per accidens, cùm ſanant, quod rarò faciunt : illis ergò non temerè utendum, & præcipuè cùm ſitim excitant.

Veterum Curatio.

Curatio ſitis p.n.facillima eſt apud vulgares, cùm ejus cauſa ſit calor, & ſiccitas,eamque definiant eſſe frigidi, & humidi appetitum ; qua de re totus curationis cardo in aquæ potu conſiſtit,quæ frigida, & humida eſt, & eò magis cùm videant ignem calidum,& ſiccum exſtingui ab aquâ frigidâ & humidâ. Hac ducti analogiâ pro exſtinguendæ ſitis remedio potum ad ſidera extollunt,& pro fame cibũ, quod remedij genus cunctis animantibus à naturâ inſitum fuit,& eſt adeò infallibile,ut nunquàm quodpiam fefellerit. Verùm *Magiſter Galenus 7.meth.*ad ſitim ſedandum duo pręſtantiſſima proponit remedia,*lac* ſcilicet,*& balneum*; attamen lac receſſit à vulgarium aulâ, quia improbatur *ab Hip. aph.64.ſect 5. lac dare ſiticuloſis malum.* Reſtat balneum,quod paratur *ex decocto radicis althææ,liliorum,foliorum malvæ,violariæ &c.*Vel *ex decocto capitis;pedum,& inteſtinorum vervecis* , quod remedij genus impoſſibile eſt apud pharmacopolas reperiri, poſſibile tamen apud caupones. Aut ex *butyro recenti,vel oleo violaceo, quæ in aquâ tepida diſſolvuntur pro balneo*, quod tepidum eſſe debet,& frequenter uſurpari. In balnei exitu inunguntur lũbi,dorſum,& ventriculus *oleo violaceo,medullâ cruris vituli &c.*Exteriùs quoq; adhibent manuum,& pedũ lotiones cum aquâ frigidâ,quia ſtomachi caliditatem imaginantur, quaſi aquæ frigiditas pedibus,& manibus recto tramite ſtomachum peteret.Epithemata ventriculi, hepatis, & cordis regioni applicant, quæ omnia totius corporis calorem temperare,& Sitim ſedare credunt,attamen ſitis incipit à calore & deſinit in ſiccitatem,nec epithemata frigida, ſi calorem temperant,ſiccitatem, quæ eſt humidi defectus à calore relictam auferre poſſunt. Stomacho exteriùs applicantur *raſura cucurbitæ & ejus ſuccus,ſolatri, lactucæ, portulacæ, flores roſarum , violarum , Nenupharis, agreſtæ, ſuccus cydoniorum cum aceto, folia ſalicum, & ſimilia.* Hepatis regioni applicatur *Succus cichorii, endiviæ,portulacæ , lactucæ cum aceto*, hoc acetario ſitim ſedâſſe ſæpiùs & feliciùs *Hercules Saxonia* ſcribit. Nonnulli & *cryſtallum,ac corallium* in ore detinere jubent.

Hæc & alia ridicula pro ſiti ſedandâ præſcribunt vulgares, quæ multo cachinno,& feſtivo crepitu sũt digna. Ubi venæ ſectioni. & laxativorum ſupellectili non eſt locus,in ſeniles incidentes ineptias,tranſeunt in Scenas,& in vulgi ludibrium,quia vix alia ſuppetunt remedia,niſi quę paganicis adhærent doctrinis;ideoque omnis eorũ ſcientiam in ſanguinem & ſtercus deſinit. Sicut ſolidior ſubſtantia,quæ abſumpta eſt,non reſtauratur per forinſecam cibi applicationem:ità nec humidæ ſubſtantiæ reſtauratio ſuccedit, nec ſitis per externam balneationem, lotionem & epithemata extinguitur.

Noſtra

Noſtra Curatio.

Nullus ferè morbus diæteticâ parte curatur, ſepoſitâ pharmaceuticâ, quàm ſitis intenſa, quæ ſolo potu reſtinguitur, attamen cum morboſa ſit, rectâ ſex rerum non-naturalium adminiſtratione indiget, & pharmaciâ ideòque

Aër ſit frigidus, & humidus, qui ſi naturaliter non ſit talis, arte paretur; vitetur calidus, & ſiccus, nàm hujuſmodi aër ſitim intendit.

Cibus debet eſſe refrigerans, & humectans ex herbis refrigerantibus dictis, ut endiviâ, cichoreo, boragine, portulacâ, ſoncho, lactucâ, cucurbitâ, vel ptiſanâ hordeaceâ &c. Hoc tamen advertendum eſt, quòd ſemper cibus debet eſſe potulentus, ac proindè jura conducunt. Vitentur edulia dura, & carnes aſſatæ, ſalitæ, vel fumo induratæ. Optima ſunt ova ſorbilia, ſed recentia, bonæ notæ piſces, pulli gallinacei, caro vitulina, hædina, agnina. Cibi non condiantur aromatibus, & ſale quamùm ſatis ad gratiſſimam ſapiditatem redoleant. non autem ſint inſulſi. Succulenti fructus liberè concedantur. Bellaria, & ſaccharata vitentur, nàm ſaccharum nil aliud eſt niſi ſalis dulcis concretum, non proindè ſitim non accendit, vitentur quoque fructus ſaccharati, ſeu ſaccharo incruſtati, nàm antequàm candeſcant, diù in aquâ intensè ſalsâ macerantur. Fugiantur ſalſa, auſtera, amara, & adſtringentia, quia naturalem abſumunt humiditatem, & ſitim intendunt. Tandèm à nimio cibo ſe abſtineat ſitiens, ne nimio indigeat potu, & ventriculus vehementer lædatur, nàm cibi moderamen accommodatiſſimum ſitis experitur remedium.

Potus non debet eſſe multus, nec paucus, & poſt cibum ſitiens parùm bibat, ut ſitis ſedetur, & omnis abigatur moleſtia.

Sed circa ea, quæ ad ſitim extinguendam adhibemus, in ſacrâ medicorum aulâ dubitatum fuit, an potulenta medicamenta in multâ quantitate, an paucâ, & frequentiſſimè aſſumi debeant? Hanc ambiguitatem prorsùs ſolvit *Ariſt.1. Problem. 13.* ubi quærens, cur potus magnus, & confertim acceptus non extinguat ſitim, ut facit potus paulatim ſumptus? Inquit eam eſſe rationem, quoniam potus copioſus, & acervatim ſumptus ſuâ gravitate ſtatim à ventriculo labitur, hinc non humectatus ventriculus non levat ſitim: ex adverſo, ſi paulatim ſumatur, permanens in ventriculo, ſitim levat. Sicut enim in humo, ſi aqua largè acceſſerit, perfluat: ſi paulatim verò, madefaciet tantùm, ità etiam in ſiti agit. Hinc meritò in febre ardente ad reſtinguendam intenſiſſimam ſitim unicum frigidæ hauſtum ubertim præſcribentes improbavimus.

Deindè circa ſitis extinctionem dubitatum etiam fuit, an aqua magis ſitim extinguat, an vinum aquâ dilutum? Ex unâ parte eſt *Hippocratis* ſententia *6. epid.* dicentis: *Naturæ calidæ quies, & aquæ potus.* Ex alterâ parte idem *Hip. in lib. de ſalubri diætâ* ait: *Qui ſitiunt, debent abſtinere à laboribus, & vinum bibere aquoſum.* Verùm optimum ad extinguendam ſitim, & certiſſimum remedium, ac infallibile nobis videtur aqua; hæc enim frigida eſt, & humida, & in vulgarium opinamento ſitis fit à calore, ſiccitate, cùm igitur aqua ſit frigida, pugnat cum calore, & cùm ſit humida, ſiccitati medetur, ut inquit *Ovid.1. metamorph.*

Frigida pugnabant calidis, humentia ſiccis.

Sed an vera ſit hæc Galeniſtarum opinio, ſatis ſuperque reſpuimus: non recuſamus tamen aquam ſitim reſtinguere, aqua enim in ſiti profligandâ eſt præſentaneum remedium omni pretioſius auro, & antiquitùs in maximum ſupplicium reis aquam interdicebant. Pro fame compeſcendâ multa ſunt comeſtibilium genera, quæ eam explere poſſunt, at ſitim tantùm aqua, eſtò ſitiens varia potulenta, præter aquam, potet, potiùs eam accendet, quàm reſtinguet: Atqui juxta noſtra principia extinguit aqua ſitim, quia ſalia, à quibus ſuſcitatur, diluit, aquæ nàmque potus noſtris corporibus, præter multa alia beneficia, ad diluendas ſcorias, impuritates, & particulas ſalinas deſtinata fuit, cùm itàque ſitis à particulis ſalinis exaltatis fiat, aqua has diluens, & exturbans per diverſos ductus, & præſertim per urinæ vias, ſitim demulcet, & àbigit. De vino, an ſitim reſtinguat, ambigimus, quia aqua eſt naturalis, & ſimplex, & natura ſimplicitate gaudet, & aqua eſt vino prior. Imò aliqui volunt aquam eſſe increatam, & Creatori coævam, quod ex *primo Geneſi* colligunt. *Et ſpiritus Dei ferebatur ſuper aquas. Dixit quoque Deus: fiat firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis.* Vinum dilutum ſitim abolere credimus. fuiſſe, & etiam nunc eſſe tumulentorum hominum inventum, iſtis itàque ebrijs concedatur vinum aquoſum ad ſitim abolendam, nàm vinum dilutum creſcit, dulceſcit, & lædere neſcit, ac aquæ vinum additum ſecundum illam partem ſpirituoſam, quæ calida cenſetur, majorem penetrandi vim adipiſcitur, & conſequenter in ſitis æſtuatione in toto corpore ſitim citiùs finiet.

Tandèm pro ſiti compeſcendâ inquirimus, an aquæ potus frigidus, an calidus eſſe debeat? Quapropter dicimus reverà potum calidum eſſe debere; nàm in calidâ aquâ carnes, & piſces ſalitos, vel muriâ conditos dilui, & ſale privari experimur, quòd ſi in aquâ frigidâ macerentur, non ſuccedit: deberet itàque eſſe potus pro ſiti deliniendâ calidus ad ſalia ſitim excitantia diluenda, attamen quia aqua frigida in tantâ ſitis æſtuatione eſt maximum refrigerium, & palati oblectamentum, frigidâ utimur, rationem negligimus, & ſenſum ſequimur. Prætereàquamquòd vita noſtra eſt manſio caloris in humido, ac proindè à calido, & humido vita noſtra conſervatur, & ad ſitis reparationem calido, & humido uti debemus, nàm ſalinæ particulæ faciliùs, & commodiùs à calido, & humido diluuntur.

Motus ſiticuloſis omninò interdicatur, & *Quies* imperanda, nè corpus calefiat, & per humidi reſolutionem, vel ſenſibilem ſudorem ſalinæ particulæ exaltentur. Imò æger os teneat clauſum, nec multùm loquatur, ità dictante *Hipp. 6. epid. comm. 3. text. 33.* ubi *os claudere, & ſilere, ſitim ſedare* ait.

Somnus magnum ſitis eſt remedium; per ſomnum enim introcollectus calor naturalis, & ſanguis viſcera humectant, ac particularem ſalſedinem diluunt. Si verò ſitis valdè excruciet, dandus eſt potus, & præſertim ſi ex humidi defectu illa orta ſit, ſed moderatiùs ad illum reparandum defectum præbeatur potus, & hic ſit in initio, priuſquàm coctio abſoluta ſit. Verùm

ſemper

ſemper totiùs eſt noctù à potu abſtinere, & ſomno indulgere, ut habetur *aph.27. ſect. 5. Quibus noctù bibendi eſt aviditas, iis admodùm ſitientibus obdormire, bonum.* Nam ſomnus ſitis medela eſt; ſæpè namque contingit noctù aliquem ſitire, ſive quòd parciùs in cœnâ bibit, ſive quòd liberaliùs vinum hauſit, ſive quòd cibis ſalſis uſus eſt. Si igitur ſitis ſit levior, non bibendum, nè ventriculi coctio turbetur, ſed dormiendum, ut in ſomno ſitis materia corrigatur, ſive illa ſit crudus ſuccus, ſive vapores fervidi ſalſedine imbuti fauces, & os ventriculi exſiccantes. Si verò ſitis ſit intenſiſſima, maximum erit ſupplicium nulli comparandum, & tria ſunt intolerabilia, fames, ſitis, & zelotypia, ſed horum major erit ſitis, nàm de longâ cibi abſtinentiâ innumeræ extant hiſtoriæ, zelotypia eſt tantùm bardorum cruciatus, actualis autem ſitis intolerabiliſſimum malum, & Regina tormentorum appellari poteſt, cujus infallibile prophylacticon eſt aquæ potus; tunc nè nox irrequieta, & anxia protrahatur neceſſariò bibendum, cùm aliud non ſupperat remedium, & poſt potum facilè obripit ſomnus, *Vigiliæ* omninò vitentur, nàm hæ protractæ ſitim excitant.

Excreta, & retenta in ſuo naturali tono conſerventur, ac propterea alvus ſtatis diei horis ſuum deponat onus. Omnes nimiæ evacuationes ſitim inducunt, ut immodicus hæmorrhoidum, vel menſium fluxus, ideòque coërceantur. Si per valida medicamenta purgantia oriatur ſitis; vitetur aquæ potus, & optimum jus conſumptum hauriat ſitiens ad humidi ſubſtantifici deperditionem reparandam, vitetur conſerva ad ſedandam ſitim cum larga aquæ ſuperbibitione, ut vulgares medici ſequenti die à purgatione præſcribere ſolent; non enim conſerva, & aqua communis humiditatem ſubſtantificam reficere poſſunt.

Animi pathemata magnam vim ad ſitim excitandam habent, eapropter vitentur iræ, exclamationes, contentiones, rixæ, cantus &c. quæ corpus in calefacto eſſe ponere poſſunt Item inter cauſas ſitim excitantes timor connumeratur.

In ſitis curatione totus ſcopus eſſe debet, ut affectus, & morbus, à quo tale ſymptoma pendet, auferatur, hoc enim ſymptoma nunquàm cauſæ rationem habet, & nunquam ità medicum urget, ut neglecto morbo, ſolum ſtudium ad ſitim extinguendam convertere debeat. Unica igitur, & potiſſima eſt indicatio, ut morbus auferatur, ſed quia in tollendo morbo diù medicus immoratur, atque interim à ſiti magnoperè excruciatur æger, ideò ſciendum eſt, quomodò ſitis reſtinguenda ſit, uſque dùm cauſa ſit ablata.

Legitima itàque ſitis curatio pro cauſæ diverſitate variat, ac primùm ſitis ab externis concitata cauſis, quales ſunt cibi vehementer ſaliti, vel aromatibus conditi, potus meracior immoderatè ingurgitatus, corporis agitatio, & ſimiles, ejus cauſa externa quæcumque fuerit, auferatur, deindè impreſſio, ſi remanſerit in ore &c. corrigatur infrà dicendis; vel medicinam in ſomno reperiet æger, ut habetur ex *Hip. 6. de morbis: Siti ſuperficiali ſomnus medela eſt.* Et *aph. 27. ſec. 5. Noctu bibere appetentibus, admodùmque ſitientibus, ſi ſuperdormierint*

 bonum.

bonum. Attamen hoc intelligendum eſt, ſi ſitis tolerabilis eſt, & inter cibum, & potum præaſſumptum aliqua fuerit proportio. Quod ſi tolerari non poſſit, nec inter cibum, & potum fuerit proportio, valdè utile eſt aliquid bibere ad ſitis ſedationem, & deindè ſuperdormire. Nihil enim bibere maximus eſt cruciatus ſine juvamine, quia tunc bibendi neceſſitas monet, ac proindè prodeſt, & nullo modo obeſſe poteſt; non enim bibere pœna eſt ſine juvamine, imò potiùs cum noxâ: igitur intenſam ſitim præ omnibus alijs aquea curant, quia ſalem diluunt, & ad urinæ vias deducunt.

Si ſitis ex inanitione, ſeu copioſâ aliquâ evacuatione proveniat, quia ſolidior, & humida ſubſtantia abſumpta eſt, non tantùm ejus reſtaurationem expoſtulat per laudabile alimentum, verùm etiam convenientem potum ad humidæ reſtitutionem, & ad ſalis exaltati reſolutionem, hujuſmodi ſunt juſcula carnium vervicinæ aut vitulinæ cum multâ aquâ, & ſine ſale parata.

Si à bilis copiâ excitetur, (bilis n. amarum continet ſalem) acidis infringenda, & invertenda, vel emetico exturbanda, vel per ſeceſſum cholagogo educenda eſt.

In genere autem ſitim ſequentibus reſtinguimus remediis, & primo *roſ. tinctura*, quæ efficax eſt ad p. n. ſitim ſedandam, quia ſalſos humores, à quibus talis fovetur ſitis, reſolvit, undè ſiticuloſis omnibus, & ardentibus febribus ſummum eſt ſolatium. Vel propinari poteſt *tinctura violarum*, quæ frigida fiat, & exhibeatur.

Vel:

♃ *Succ. limon.* ℥ij.
aquæ fontis lib. ℔ß.
ſacch. ℥ß. *m.*

f. frigida, & propinetur.

Quandòque acida ſiticuloſis vel ingrata ſunt, vel nocent, tunc ſequens emulſio lactea optima erit, ut

♃ *Hord. mundat. ad crepat. coct.* ℥ j.
amygdal. d. à cort. mund. ℥ß
cum aquâ decoct. hord. f. emulſio ad ℔.j.
addendo ſacch. pulv. ℥ij.
vel ſyr. de portulacâ,
nenuphare ana ℥.j.

Ad majorem guſtatûs gratiam, & ad debilem ægri ventriculum corroborandum huic emulſioni aliquid *aquæ cinnamomi* addi poterit, quæ frigida propinetur. Poterunt quoque fieri emulſiones in ſimilem formam concinnatæ ex quatuor ſeminibus frigidis majoribus, vel minoribus. Ubi cùm ſiti p. n. moleſtant vigilias, ad ſomnum conciliandum, ſitimque ſedandam parati poterit *emulſio ſomnifera* in hunc modum:

♃ *Amygd. dulc.* ℨ.iij.
ſem. papav. alb. ℨ j.
milon. ℨijß.
lactucæ ℈ j.

fiat emulſio cum aqua lactucæ ℥ v. *adde ſyr. papav. alb.* ℥.j.

Sumitur frigida horâ ſomni à cœnâ.

Cum ægri à multâ læduntur aquâ ad ſitim fallendam aliquid lapidis prunellæ in ore contineri poteſt, vel ejus rotulæ contineantur, quas ſic formabis:

♃ *Lapid. prunellæ q. pl.*
adde ſacch. candi tantundem,
vel etiam plus.

utrum-

utrumque pulveriſatum coque cum ſucco citri ſuff. q. donec gutta porphyriti ſuperfuſa conſiſtentiam acquirat, tunc guttatim effunde, ut materia refrigerata in rotulas concreſcat. Fallacem, veramque ſitim acidum ſulphuris delinire ſolet, non ſecùs ac aqua ignem extinguit.

Sitim à quacumque causâ provenientem *Lapis prunellæ* mirificè extinguit in aquâ frigida diſſolutus, vel in alijs officinarum aquis cum ſyr. julep. refrigerantibus. Idem quoque omninò præſtat *ſpiritus vitrioli, & oleum ſulphuris per campanam factum* ad aliquot guttas, ſcilicèt ad gratam aciditatem cum aquis, & julepis refrigerantibus: Sed *ſalis ſpiritus* præ omnibus in hydropicis tantùm ſitim extinguit.

Siti in febribus occurritur ſequentibus remedijs, ut

℞ *Aquar. nymph.*
boraginis,
bugloſſæ,
violar. ana ℥.ij.
aquæ font. ℔ j.
ſyr. de ſucc. limon.
nymphææ,
violarum,
de portulacâ ana ℥.j.
ſpiritûs vitrioli,
vel ſulphuris,
ad gratiſſ. acidit. m.
pro potu ordinatio.

Sitis autem in febribus malignis ſequentibus delinitur remedijs, ut

℞ *Limat. C. C.* ℥iij
ponantur in pupatellâ,
& coque in aq font. ℔. viij.
ad duorum digitorum tranſverſorum caſum, adde
cortic. citri recent.
contrherbæ,
radicis ſcorzoneræ ana m. j.
obtege vas optimè, remove ab igne, ut probe obtectum frigeſcat, deindè cola, & adde ſpiritûs ſulphuris, vel vitrioli ad gratiſſimam aciditatem, vel ſalis prunellæ ʒ.iv.

Vel

℞ *Aquar. ſonchi,*
rutæ caprariæ,
ſcorzoneræ ana ℥.iv.
ſyr. de ſucc. limon.
de acetoſ. citri,
julep. roſ. ana ℥ j.
ſpiritus vitrioli ad gratiſſ. acidit.
vel anodyni mineralis ʒ. j. *m.*

Supra dicta alterantia frigida propinentur.

Si catarrhus ſalſus, vel conſimilis ſaliva eſt ſitis p. n. cauſa, ſalſus latex in ſanguine redundans evacuandus vel per urinæ vias, vel per alvum, aut temperandus per pilulas de cynogloſsâ.

Præ omnibus alijs medicamentis ſitim extinguentibus nil majus in toto naturæ orbe *vini ſpiritu* reperitur, licèt noſtrates Barbari calidum proclament, igneumque divulgent, ac proindè majorem ſitim excitare credunt, quæ à calido provenit, & reverà vini ſpiritus totus cremabilis, & igneus eſt: ſed quia, in quo ſitis eſſentia conſiſtat, neſciunt, non mirum, ſi extra choreas proſiliunt. Deindè in ſiti extinguenda oleum ſulphuris, & vitrioli ſpiritum adhibent, & tanquàm frigida ſtolidæ plæbeculæ inſinuant, cùm corroſiva, & cauſtica ſint; lapidem prunellæ frigidum exiſtimant, quem ſpagyrici ex nitro, & ſulphure conficiunt, cùm ambo ignea, & inflammabilia

ſint, igneaſque in chymiâ edant operationes.

Certum eſt vini ſpiritum igneum eſſe, quia ſubſtantiâ abundat æthereâ, ſulphureâ, & ſale volatili, ac proindè maximam habet energiam immutandi, infringendi, & reſolvendi omnia ſalia acuta. Id comprobatur pyrotechnicâ mechanicâ, nàm mercurius, dùm præcipitatur, in igneam vertitur naturam, quia ſal exaltatum in liquoribus fortibus deſtillatis, dùm mercurium adoritur, ſuper illius corpus fixatur, & humidum aqueum, per quod diffuſum erat, derelinquit: ſal illud mercurij partibus admiſtum, & omni humiditate privatum veneni indolem præſefert. Ità quoque mercurius in ſublimatione in venenum tranſit corroſivum, quia vitrioli ſal, ſal commune, & nitrum, quibus anteà innocuè utebamur, dùm mercurij corpus ſtrenuè adoriuntur, illud devorare præſumunt, & quia debilia ſunt ad tantam hujus corporis conſtantiam vincendam, ipſa ſalia ſuper mercurium exaltantur, coagulantur, & veneni corroſivi proprietatem acquirunt. Si à mercurij præcipitati, vel ſublimati corpore vini ſpiritus in retortâ aliquoties deſtillando abſtrahatur, ſalia acuta, exaltata, & corroſiva immutantur, & dulceſcunt. Id quoque luculentè in ſpumâ venatâ duorum draconum patet, quæ cum liquor ſit valdè corroſivus, & cauſticus, ſi vini alkohol ab eâ iteratò deſtilletur, cicuratur, & mellis inſtar dulceſcit, ut videre eſt in bezoartici mineralis operatione.

His poſitis, quæ vera ſunt, facilè intelligi poteſt, quomodò vini ſpiritus ſitim extinguat; nàm immutat, infringit, & promptâ obedientiâ ſalem reſolvit microcoſmicum ſitim excitantem, & non ſecùs ac aqua nivem ſolvit, volatizat ſalia diaphoretica, & diuretica reſolvit, & extrudit.

Falluntur, & fallunt noſtrates Barbari credentes ſulphuris, vitrioli, & ſalis ſpiritum frigidum eſſe, quia ſitim extinguit, nàm hi ſpiritus ſunt ità acerrimi, cauſtici, & corroſivi, ut metalla omnia, & mineralia ſolvant, quæ omnem ignis actualis activitatem ſpernunt, & fuſa diù in eo jubilant, horum reſolutiones minimè à frigido perfici poſſunt, cùm frigidi ſit potiùs condenſare, quàm ſolvere. Hi ſpiritus ſunt ſalini, ac ſulphurei, & ignis beneficio ſummam eſſentiæ puritatem, ſubtilitatem, & penetrationem nacti fuerunt, undè corrodunt, & abſtergunt omnia ſalia exaltata in itinere obvia, à quibus fovetur ſitis, ac cum urinâ reſolvunt. Hinc ſiticuloſorum urinam poſt horum ſpirituum aſſumptionem majoris ſalis copiâ refertam propriâ obſervavimus mechanicâ. Minori acutie, corroſione, & reſolutione acetum, limonum, berberum ſuccus, & ſimilia potiuntur, quia ex vegetantium regno deducuntur, quadere corallia, & uniones, non metalla, & mineralia, ſoluunt, minorem n. in corrodendo, & abſtergendo nacti ſunt energiam, ideòque alkalia ſoluunt, & ſoluta cum urinâ extrudunt.

Sal petræ (ex quo fit ſal prunellæ cum ſulphure) totus inflammabilis eſt, & igneæ naturæ, ideòque à chymicis ſal infernalis appellatur; igni n. immediatè injectus, in ignem veluti converſus, totus evolat; quo ad pulverem bombardicum efformandum utuntur (execrandum venenum omnium venenorum potentiſſimum), & ſpagyrici

ad aquas

ad aquas fortiſſimas conficiendas, quibus argentarij fabri aurum ab argento ſeparant, & noſtrates Barbati frigidum prædicant? Nitrum ſitim extinguit, quia plurimo ſale volatili amaro, & ſulphure inflammabili abundat, & multo acido eſt refertum; ideòque penetrat, incidit, extenuat, abſtergit, reſolvit omnia ſalia exaltata, ac per urinæ ductus expurgat.

Quatuor ſemina majora, ſcilicet peponis, cucurbitæ, cucumeris, & anguriæ frigida à vulgaribus creduntur, verùm ſicut in alijs falluntur, ità & in iſtis, cùm potiùs calida, quàm frigida ſint, quia aperiendi vim habent, cùm calidi ſit tantùm aperire. Hac de causâ noſtrates mulieres non fallaci eventu hæc adhibent ſemina ad menſes ſolicitandos, & nos eorum emulſionem calculoſis præſcribimus, quia calculos comminuunt, & urinam movent. His quatuor ſeminibus abſtergendi, & leniendi vis eſt; quam obrem noſtrates mulieres etiam adhibent in ſordidam deſiccandam cutim, delendo maculas ſolis calore factas, & in tollendo lentigines faciem occupantes. Horum igitur emulſiones abſtergunt, leniunt, & reſoluunt exaltata ſalia, ideòque habent provocare urinam per virtutem ſalis reſolutivam.

Plerùmque ſitis eſt inſeparabilis comes, & circa ventriculum magnum ſolet excitare æſtum, & ſapore amaro, vel nitroſo, vel ſalſuginoſo fauces, linguam, & palatum inficit. Hinc linguæ ariditas, cruſtatæ ejus ſordes emergunt, & quandoque finditur, os redditur aridum, & veluti torridum ignem expirat, ideòque locutio difficilis propter tracheæ, & laryngis ariditatem. Et noſtrates barbati in febribus ſiticuloſis omnimodam à potu abſtinentiam inviolabili lege præſcribunt? Nos verò in febribus, in quibus ſitis urget anhela, à potu abſtinentiam deteſtamur, nàm ſi febris ſit calida, & ſiticuloſa, & humectante privetur potu, cruorem, & ſolidarum partium alimenta cum viribus depopulatur. Etenim ut veſicam exonerare licet, quoties importuna urget neceſſitas, & ad hoc à medico veniam non petit: ità quoque bibendum eſt, quoties monet neceſſitas, cum unum non ſit magis naturæ conſonum, quàm alterum; ſitis alioqui ſtricta lex, & rupta medici obedientia millies medienti infame attulit dedecus.

Addititius calor maximam habet vim diſſolvendi noſtri corporis ſolidas partes, & roridam diſſipandi ſubſtantiam: ad id præcavendum, vireſque ex humidi devaſtatione exolutas recolligendas maximoperè valet frigidæ potus; attamen convenientiæ pro anni tempore, cœli ſtatu, corporiſque conſtitutione ratio habenda eſt. Præter humidi reſtaurationem, & ſitis extinctionem, adhùc alij ſuperſunt potûs uſus, quos etiam juſcula, aliaque liquidiora alimenta præſtare poſſunt. Inſervit n. potus ad cibos in ventriculo miſcendos, liquandos, ad facilius undique coctionem ſuſcipiendam, & ad deferendam ciborum eſſentiam per anguſtos vaſorum meatus. Præterea eſt ſanguinis comes, ne in concretionem abeat, & eſt deputatus ad partium elevandas ſordes. Prohibet tandem, ne volatilis ciborum pars corpori ſuſtentando deſtinata, à calore accendatur.

Adeò maxima eſt aquarum diverſitas, ut aliæ dicantur fontanæ, aliæ fluviatiles, pluviæ, puteales, ſtagnantes, nivoſæ, & tandem aliæ glaciales; verùm optima eſt illa, quæ viſu, guſtu, & olfatu pura,

pura, & ſyncera eſſe deprehenditur: quæ nullius rei ſaporem, vel odorem guſtui, vel olfactui offert; quæ tenuis, & levis, ut per hypochondria celeriter permeet, & per corpus citò deſtribuatur, quæ verſus ſolis ortum, & præcipuè æſtivum ſcaturiat per terram mundam, quæ arenis, & lapillis ſcaturiens per eoſdem fluit, & ab omnibus, quæ innatare ſolent ramentis, liberata, quævè hyeme eſt calidior, æſtate verò frigidior, & tandem, quæ citò caleſcit, & citò frigeſcit, ut *aph 26. ſect. 5. Aqua, quæ citò caleſit, & citò refrigeratur, leviſſima eſt*, quæ omnes bonæ notæ his meliùs verſibus continentur:

Sic aqua clara fluat, qualis nitidiſſimus aër,
Dulcis, & exigui ponderis, & gelida;
Et tenuis currat nullo puriſſima limo,
Sitque ſapor nullus, ſit procul omnis odor.
Frigeſcat breviter, modico ſimul igne caleſcat,
Utilis, & duris apta leguminibus.
Hanc mihi ſi quis aquam dederit, vinoſa valete
Pocula, nàm vincit optima lympha merum.

Inter has aquarum differentias, fontana illas optimæ aquæ notas habet, ſi optima ſeligatur; non n. omnes aquæ fontanæ æquè bonæ, & ſalubres ſunt. Undè quæ aliquem ſaporem, & odorem continent, loci naturam, per quem fluunt, arguunt, mineraliumque vires, aluminis, ſulphuris, & vitrioli, ſimiliumque ſecùm vehunt, ac propterea non pro ſimplici potu, ſed pro medicato habendæ ſunt. Quæ per canales decurrunt, vel è lutoſo ſcaturiunt fonte, jàm miſtæ malignitatis ſunt participes. Has non tantùm crudas vocamus, quàm infectas, quibus nemo pro potu uti debet.

Vulgares medici aquam coctam pro potu ordinario ægris præſcribunt, ut tantum ejus cruditas auferatur. Verumenimverò aqua per ſe nec cruda, nec cocta dici meretur, neque per calorem aliquid acquirit, vel amittit, imò aqua poſt fervoris ebullitionem turbida, & confuſa remanet, putreſcit, & anhelitum cauſat fætentem.

CAP. VII.
De Cardialgiâ.

VUlgares philoſophi animam eſſe totam in toto, & totam in qualibet corporis parte ſtatuunt, ac proindè ubique equaliter in toto corpore, ita ut nullibi certam habeat ſedem, non magis quàm corpore ligetur: ideòque animam eſſe vagam, incerti latis incolam, & nulla certe ſede hoſpitari decernunt. Non has ſentirent ineptias, ſi aliquas corporis partes, ſoſpite anima rationali amputari reſpicerent, alias verò leviter percuſſas totius mortem ſtatim adferre. Aſſignanda eſt animæ ſedes, & centrale domicilium, undè totum illuminet corpus. Idem judicium de animâ ferendum eſt, ac de Sole, qui non eſt niſi in ſuo loco, in Cœlo, tametſi ejus lumen quocumque aſpicit, eſt. Sic in ſacris paginis de Deo habemus: *Cœlum ſedes mea eſt*, & *Pſalmo* 138. *Quò ibo à ſpiritu tuo? & quò à facie tuâ fugiam? Si aſcendero in Cœlum, tu illic es: ſi deſcendero in infernum, ades. Si ſumpſero penas meas diluculo, & habitavero in extremis maris. Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* & alibi *Cœlum, & terram ego impleo.* De hoc animæ centro incompeſcibile certamen inter anteſignanos, eorumque ſectarios verſatur; aliqui. n. capitis partes fovent, quia

quia inibi eſt diſcursûs, & intellectûs hoſpitium, quam ſententiam baptizantes ſequuntur; alii cordi faventes, pro animæ domicilio illud aſſignârunt: ſed revera iſti in magno verſantur errore, niſi pro cordis nomine ſtomachi orificium intelligant, quia primi motus, ſivè impetus, qui in noſtrâ poteſtate non ſunt, circa ſtomachi orificium contingunt: incipit nàmque omnis primus motus à centro, & animæ centrum eſt, ubique conceptuum, & perturbationum primordium ſentitur. Triſte nuncium nullibi alterationem, niſi in iſto animæ domicilio excitat, undè jure merito ſtomachi orificium os animæ mecum appellat vulgus, & quoties quis premitur anguſtiis, tàm corporis ſcilicèt, & vitæ anxietatibus, quàm afflictionibus mentalibus, circa ſtomachi os per grave ſentit onus. Multos in ſtomachi orificio leniter percuſſos, non quòd vulneratos extemplò repentinâ occubuiſſe morte obſervavimus, quæ in capitis, & cordis magno ictu, imò vulnere minime obſervata fuit. Centrale ergò animæ domicilium eſt ſtomachi orificium, non aliter ac vegetabilium radix; cerebrum verò eſt organum conceptuum animæ executivum, quatenùs nervis mediantibus, & muſculis motum exercet, & mediante tali organorũ diſpoſitione inibi memoriæ voluntatis, & imaginationis functiones exercet: nec ob tales obeundas functiones centrale deſerit domicilium, ſed hinc ſuâ præſentiâ vitales dimittit radios pro capitis, cordis, totiuſque corporis functionibus. Ex hoc ſtomacho oriuntur pallores, tormina, lienteriæ, cachexiæ, variæ hydropis ſpecies, atrophiæ, tabes, aſthma, icteri, paralyſes, vertigines, epilepſiæ, apoplexiæ &c. nec hæ, & aliæ ſuperantur affectiones per medicamenta circumferentiæ adhibita, ſed per centralia ſtomachica. In ſyncope intellectûs, ſensûs motûs & pulsûs functiones ſuſpenduntur, & tamen in ſtomachum liquoribus aromaticis injectis, ſyncopticus etiã reſtituitur, quia immediatè ab ore ſtomachi manat.

Medici quicquid magni momenti de corde fecerũt, id totum ſtomacho commune tribuerunt, undè morſus oris ventriculi cardialgia, & χαρδιωγμός ab ipſis nominatus fuit; dixerunt ejus orificium χαρδίαμ, quaſi cor, ideſt centrum, quia ibi eſt centrale domicilium. Cæterum nos totum id ad centrale animæ domicilium, nempè ad ſeptum tranſverſum, & propriè ad centrum nerveum referimus, quod à ſtomachi orificio maximam vicinitatem, & affinitatem habet. De quo alibi egimus.

Si dolor ſit in ſuperiori ventriculi orificio cardialgia dicitur, ſi verò ventriculi cavitas, vel pylorus dolore afficiatur, ſimpliciter ventriculi dolor dicitur.

Signa.

Cardialgiæ ſigna ſunt: Æger de dolore, morſu, & eroſione conqueritur circa ſuperius ventriculi orificium ſub cartilagine xiphoide, locumque affectum indicat, niſi unà mente laboret. Sed hanc affici partem, & veram eſſe cardialgiam ſignificant dolor acutiſſimus, anxietates, jactationes, ut languens uno ſitu conſiſtere nequeat, quibus quandòque lipothymiæ, & ſyncope; interdùm verò cephalagiæ, hemicraniæ, vertigines, & epilepſiæ accedũt.

Veterum Cauſa.

Pro cardialgiæ causâ vulgares continui ſolutionem à rebus mordentibus, & vellicanti-

vellicantibus excitatam, & quamlibet intemperiem excedentem, tùm calidam, tùm frigidam aſſignant, eaſdem nænias, quas pro capitis dolore retulerunt, repetunt; has hîc confutare ſupervacaneum ducimus, cùm de his ſatis ſuperque dictum ſit.

Noſtra Cauſa.

Cauſa doloris oris ſtomachi mediatè pendet à læſæ partis contractione ob triſtem objectorum affectionem, ſed immediatè ab ipſo ſpiritu impetum faciente procedit, quia in dolore iſte ſpiritus triſtatur, furit, indignatur primariò. Occaſionales cauſæ ſunt ſalia acida, quæ ex læſa ſtomachi coctione congeruntur, & quò longiori tempore illic reſident, eò fortiùs coquuntur, & fortiori coctione in acria tranſeunt, & ventriculi dolorem progignunt; imò quandòque adeò veneni corroſivi, ſaliſvè cauſtici naturam acquirunt, ut ipſum ventriculi fundum ſolvant, & cauſticent, [ut multoties autopſia nos docuit] undè ulcera fiunt ſummo cum dolore, & perſentitur eroſio, & intenſus in ventriculo ardor. Si verò acida ſalia exaltantur, acerbiores excitant dolores, quia intenſiùs, & unitiùs agunt, & ſubtiliùs magis penetrant, & præcipuè ſi acida ſalia à calore exaltentur, acerbiſſimos, & immanes excitant dolores, quia motum acquirunt, & per ſublimationis modum elevantur, & ſtomachi os ſuperius vehementiſſimè lancinant, pungunt; indè ejus membranæ contrahuntur, & fiunt dolores immanes, quia hos ipſum ſtomachi eſt pars principaliſſima, & animæ ſedes, ideòque admodùm ſenſitiva.

Externæ ſunt alimenta ſummâ acrimoniâ prædita, vel medicamenta actioſa, vel nimiâ qualitate ſumpta, vel non ſatis correcta, & omnia, quæ ad veneni corroſivi indolem accedunt.

Prognoſis.

Cardialgia magis periculoſa eſt affectio ratione partis affectæ, quàm ſimplex ventriculi dolor; attamen minùs periculoſa, quæ à cauſis eſt externis, niſi cauſa externa vehemens ſit, & aliquod grave attulerit malum, ut corroſionem, ulcus, virium exolutionem, &c. Periculoſior erit à causâ internâ acriori, & corroſivâ, & pro minori, vel majori corroſione, & ſymptomatum gravitate, quæ cum cardialgiâ conjunguntur, ſalus, vel mors eſt expectanda. Periculoſiſſima eſt, quæ comitem habet ſyncopen, quia ipſam repentinus ſequi ſolet interitus, & præſertim ſi excitatur à lumbricis ad ventriculi os repētibus, ac ille corrodentibus, ubi etiam ut plurimùm aliqua malignitas concurrit; lumbrici n. non facilè in ſtomachum aſcendunt, niſi malignitate è ſuo loco ordinario pellantur. Tùm etiam ſi febris adſit continua, & acuta, & magnus æſtus circa ventriculum conjungatur, magnum vitæ diſcrimen minatur, ut *aph. 65. ſect. 5. In febribus circa ventriculum vehemens æſtus, & cardiogmos, malum.* Significat. n. ventriculi inflammationem, vel magnam ſalis cauſtici quantitatem. Cardialgia cum extremorum frigiditate mortem proximam prænunciat. Oris ventriculi dolor ſeniori crebrò adveniens repentinam mortem denunciat. *Mortiferum* etiam eſt juxta *Hipp. ſi cardialgia ægro veſicula, vel tumor in dextro crure oboriatur. Diuturnus dolor partium ventris terminatur in ſuppurationem aph. 22. ſect. 7.*

Veterum Curatio.

Vulgares medici cardialgiæ curationem

nem adoriuntur, materiam per alvum educendo, quia tutiùs vitioſos humores per alvum, quàm vomitum exturbare credunt; metuunt n. magis ventriculi orificium lædere, ſi per os rejiciatur. Sed decipiuntur, nam nullum datur medicamentum majus vomitorio ad ventriculum purgandum, primaſque vias à nimio anfractu, & brevior via. Si id neſciunt, à canibus, felibus, lupis &c diſcant, quibus ad ventriculum exonerandum, facilem dedit natura vomitionem.

Nonnulli emunctæ naris medentes purgantibus narcotica admiſcent, ut dolor unà ſedetur, & peccantes educantur humores, ſed huic miſtioni contrarius reſpondet affectus, & qui ſumet, fateb tur me vera docere; nàm purgantia vim vitæ inferunt, quia venenum continent laxativum, venenum autem vivis eſt laxativum, non mortuis: neceſſe igitur eſt ut, vita veneni efficaciam in actum deducat, quoties itàque narcotica vis vitam ſopit, veneni virus non invenit illam, quæ in actum illud deducere debebat, & & ſic quoque illud quieſcit. Si major purgantis quantitas eſt, [ut ferè ſemper eſſe debet] vitam laceſſit ſopitam, oboriturque pugna, tormina, ſtypticitas, inflatio, &c. ut cuidam medico galenico contingit, qui antequàm purgans aſſumeret medicamen, theriacam prægustavit, & parùm abfuit, quin dehiſceret, ni ſoſpitam vitam clyſterum ictibus excitaret. Anteſignanus eorum *Galenus* optimæ theriaces diagnoſticum aſſerit ſignum; quod ſi unà cum purgantibus ſumatur theriaca, quia opium in compoſitione admittit, indubiè non ſequuntur ſeceſſus; ſi n. opium à theriacæ compoſitione demas, actum erit de ejus alexipharmacâ virtute: ità etiam ſi quatuor, aut quinque ſimplicia, quæ maximam vim habent diaphoreticam ab ejus compoſitione auferas, inutilem experieris theriacam.

Clyſteres in hoc affectu adhibent; & quandoque totam morbi curationem ità penes clyſteres reponunt, ut nullo alio utantur medicamento. Craſsâ Minervâ credunt ab orificio ſtomachi ſuperiori per tot inteſtinorum ulnas, anfractus, & convolutiones, acres, bilioſoſque humores in podicem clyſteres trahere.

Ventriculi fotum ex *radic. althææ, ros. rubr. flor. melior. chamomill. fol. abſynth.* commendant, & quandòque ad balneum deveniunt. Vel ipſius ventriculi inunctionem ex *ol. rut. abſynth. aneth.* &c miſtis celebrant. Poſt inunctionem ſi non proſint, empl. & cataplaſmata adhibent ad longos dierum uſus. Sed hæc medicamenta potiùs apta ſunt unctuoſitate, & tetro odore ad ſubuculas conſpurcandas, quàm ad morbum nec tantiſper demulcendum, nec vitioſos humores obtundere, vel exhaurire valent, quia obſeſſa non adeunt loca, nec cutim, pinguedinem, membranam carnoſam, muſculos, peritoneum, & membranoſum ventriculi corpus penetrare poſſunt.

Intrinſecùs ad bilim demulcendam propinant *poſcam*, *ſyr. de agreſtâ*, *granatis*, *acetoſitate citri*, *cydonior. abſynth. &c.* ſed potiùs ſuâ acredine acutiem augere, & exaltare valent.

Galenus betam, & *porrum cum ſinapi* tanquàm certum, & infallibile celebrat medicamen; ſed errat *Galenum*

tenus in medicamentis, quæ homines tenuioris fortunæ ſumere poſſunt, nàm *beta* noxii ſucci eſt propter nitroſum ſalem, quem in ſe continet, ſtomachum demordet, & infeſtat. *Porrum* acrem habet ſaporem, & ſtomacho adverſatur. *Sinapi* calidum valdè eſt, vimque igneam, acrem, & urentem habet. An hæc potuerint ventriculi dolorem ſedare, vel excitare, qui ſumet, experietur invitus. Commendant alii *allii eſum* in hoc affectu, quos idem *Galenus 4. de rat. vict. in acut. t.* 90. damnat, quod igneam habeat acrimoniam, ex quâ æſtuatio, & ventriculi dolor provenit, & ipſe in *betâ, porro, & ſinapi* non reſipiſcit?

Noſtra Curatio.

Cum in cardialgiâ ventriculi orificium afficiatur, quod totum ex nervis penitùs confectum eſt, eapropter exquiſitiſſimo gaudet ſenſu, undè in ejus curatione partem diæteticam non minus, quàm pharmaceuticam magnâ ſolertiâ perpendamus oportet: & ſi hæ medicinæ partes una conſpirent, & medicus, & ægrotus in morbum conjurent, ſanatio celerrimè aſſolvitur, & pro parte diæteticâ veniunt omnes ſex res non-naturales, & primò

Aër eligatur temperatus, & purus, magis ad calidum vergens, quàm ad frigidum, quia ventriculus frigus ambiens tolerare nequit, cum ſit corpus nervoſum. Fugiatur, quantùm fieri poteſt, aër particulis ſalinis, vitriolatis, ſulphureis, aluminoſis, & realgarinis conſpurcatus, nè malum vel incendatur, vel protrahatur.

Cibus humorum acrimoniam obtundere, & ventriculi os corroborare debet; ideòque ſit facilis digeſtionis, & fermentationis, boni ſucci, qui non facilè corrumpatur. Conducunt farra, ptiſana hordeacea, lac, ſed nè aceſcat, cave, pinguia, carnes magis aſſatæ, quam elixatæ; in hæc n. edulia acres, & acidæ particulæ agunt, & agendo obtunduntur. Vitentur cibi flatulenti, acres, acidi, ſaliti, omnia legumina, raphanus, cæpæ, allium, ſinapi, fructus horarii, dulcia, quæ acorem latentem habent, & malum augere, vel producere valent. Vitentur quoque errores in quantitate, & qualitate.

Potus ſit aqua hordei, vel lactucæ. Vinum nullatenùs convenire dicimus ob aciditatem, quam continet.

Motus immoderatus fugiendus, nè humores agitentur, & malum exaſperetur.

Quies magis prodeſt, quia particulæ ſalinæ, vel acidæ in quiete feriantur, à motu ceſſant, & non agunt.

Somnus, quantùm poſſibile eſt, alliciatur, nàm omnes dolores à ſomno magnoperè demulceri ſolent.

Vigilia, ſi nimiùm protrahatur, opiatis ei ſuccurrendum fore cenſemus.

Alvus mollis ſervetur ſaltim clyſteribus, ſi ſpontè non fluat, nè retentæ fœces ad ſtomachum acres mittant vapores, & malum augeatur.

Malignæ *animi paſſiones*, ut ira, mœſtitia, terror, & præſertim timor vitentur; benignæ verò ut gaudium hilaritas, & ſpes animum demulceant.

Curatio extra febrem ità inſtituitur: in ætate juvenili nil melius vomitu ex *aph.* 17. *ſect.* 4. *Eum, qui non febricitat, morſus oris ventriculi purgatione indigere per ſuperiora ſignificat.* & *aph.* 18. *Dolores qualeſcũque ſupra diaphragma*

indicant

indicant purgandum eſſe per ſuperiora. Inter vomitoria *ſal vitrioli* improbatur, quia præter indolem ſuffocantem, quã habet, acciditate ſuâ doloré intendit: Cõveniũt itàq; *croc metall. aq. bened. hyppocras emetic. & vin. emetic. ex mercurii vitæ infuſ.* attamen ſemper cum pinguibus, & mucilaginoſis ſalium aciditatem obtundentibus exibenda ſunt, qualia ſunt, *jus pingue, ol. amygd. dulc. recens, earum emulſio, mucilag. ſemin. pſyll. cydonior. malvæ, amylum, lac. &c.* In ætate ſenili vomitiones non ſunt ſatis rutæ, conveniet *Syr. de chamomill. cum menthæ aquâ* pluries exhibitus.

Si dolor acerbiſſimus, & immanis ſit, ad ſtupefacientia, & narcotica, confugiendum eſt, ut ad *ſyr. de papaver. alb. philon. Rom. pilul. de cynogloſſ. requ. Nicolai, laudanum, tàm cum opio, quàm ſine eodem*; Narcotica n. non tantùm coagulando operantur, ſubtiles incraſſando partes, verùm efferatos figunt ichores, & mordaces mitigant humores: ʼõnus itàq; per narcotica conciliatus mirum in modum dolores ſedat.

Magnoperè ea conveniunt medicamenta, quæ acida ad ſe rapiunt, ut *ſal, vel magiſter. corall. & margarit.* Vel acida præcipitant, i à ſunt omnia alkalia. Nos utimur *ſale abſynth fixo ad ℨß. in aquâ menth. ℥. iij.* Multùm confert *ol. tartar. p. d. in aquâ menth. vel abſynth* Vel, quæ acida obtundunt, ut *pinguia, & glutinoſa alimenta, priſanæ cremor, amylum, pedes animalium juncorum, carnes pingues, tragacanth. fæcula ſymphyti &c* Si acida ſalia ſint nimis exaltata, ut ad veneni corroſivi naturam accedant, exhibenda ſunt medicamenta, quæ veneni corroſivi curationi inſerviunt, ut infrà.

Si prædicta affectio à lumbricis ortum trahat ea exhibere debemus medicamenta, quæ ipſos enecare, & è corpore eliminare poſſunt

In febribus malignis, ſi cardialgia adeſt moleſta, conveniunt *c. c. philoſophice præparatum, antimon. diaphor. bezoart. mineral. lap. bezoar. aq. theriacal. cum ſpiritu vini, terra ſigillata, bolus armen.* Vel ſequẽs miſtura cochleatim per brevia intervalla uſurpetur; ut

℞. *Diaſcord. Fracaſt.* ℨj. ß.
unct. Hyacinth.
vel alkerm. ℨ:
ſyr. papaver. alb. ℥j.
menth. ℨ:
aq. menth. ℥ *iij m.*

CAP. XVI.

De Nauſeâ, & Vomitu.

VEntriculus duo habet orificia; unum dextrum, quod pylorus dicitur, & pertinaciter obſeratum manet, donec ciborum ingeſtorum fermentatio, & utilis ab inutili ſeparatio completa fuerit. Aperitur interdùm, quandò ex inteſtinis aliquid aſcendit, quod per vomitum rejiciendum eſt. Reverà noxiis humoribus apertum eſſe teſtatur lienteria fluxus alvi, ileus, & cæteri affectus ultrò citròque per pylorum tranſeuntes. Alterum ſiniſtrum, vulgò ſuperum orificium, quod ſemel à paſtu in benevalentibus clauditur, & ad unamquamq; boli importunitatem, vel potus pertinaciam integrè ſe pandit, cùm vix quod ſibi quicquam supernè in gulâ impendeat tolerare poſſit. Quamquàm in ægrotantibus, & diuturnâ preſſis inediâ ejus patefactio cum dolore & anxietate magna contingit. Quamvis ventriculus cùm pro naturæ lege ſe habeat, ut periſtalico motu trahat ad ſe-

ſupernè ad ſuum fundum, deorsùm verò per inteſtina excernat, tamen quandòque accidit, ut motus invertatur, quo contra ſuam naturalem conſuetudinem, quæ in motu conſiſtit deſcenſivo, ſe convertat ad deſcenſivum ſcilicèt ſursùm ad gulam. Hic motus inverſus periſtalticus violentus eſt, quia p. n. violentâ expulſione ingeſtorum difficili aſcenſu opus habentium, antequàm per os rejici poſſint, contingit, quoties cauſa occaſionalis ventriculi membranas laceſſit, & vellicat undè convellitur, & tota ventriculi œconomia evertitur, & motu depravato ad cauſæ occaſionalis rejectionem inſurgit, vel ſubverſione, vel nauſeâ, vel vomitu, quæ tria ſymptomata differunt ſecundum magis, & minus, etenim in ſubverſione ante, vel poſt cibum ventriculus ad expellendum inſurgit, & percipit materiæ aſcenſum patiens, ſed iterùm illa inferiùs relabitur, nec extruditur; Nauſea, quæ prodomus vomitionis eſſe ſolet, eſt inanis vomendi voluntas, cum in ipsâ nil niſi tenuis humiditas, ſeu copioſa ex ore profluat ſaliva, quæ à naturâ ad gulæ lubricitatem inſtituta videtur, ut faciliùs vomitus ſequi poſſit, undè humidiores abſque labore, & anxietate vomunt, quàm ſicciores.

Signa.

Subverſio, nauſea, & vomitus ſignis non ægent, cùm ad ſenſum pateant; nàm in ſubverſione materiæ aſcenſus percipitur, ſed iterùm relabitur; in nauſeâ vomendi deſiderium adeſt, ſed nihil ejicitur præter tenuem, & copioſam ſalivam; in vomitu verò aliquid ſenſibiliter evacuatur. Signa tantùm ſunt adducenda diſtinguere valentia, à quibus cauſis ipſe oriatur, quarum notionem non ſatis aſſequi poſſumus, niſi ſufficiens ægri relatio, aliæque circumſtantiæ ſimul perpendantur.

Si cauſa ventriculo idiopaticè hæreat, ejuſdem partis laborantis ſigna apparent, ut inappetentia, gavitas, tenſio, & inflatio in ſtomachi regione. Tarda, & difficilis coctio, oris amarities, ructus acidi, vel nidoroſi, aliaque ſigna ventriculi debilitatem demonſtrant. Si ex morbò organico, vel communi ventriculo inhærente, ut tumore inflammatione, vel excoriatione vomitus originem habeat, tumoris, inflammationis vel ulceris ſignis veſtigatur. Hoc ſaltem addimus excoriationem, vel ulcus ſemper comitem habere ſingultum. Si vomitus à mala ventriculi conformatione oriatur, ſcilicèt ob ventriculi anguſtiam, vitium hoc non ſolùm viſui eſt conſpicuum, verùm etiam ab ortu tales parùm comedunt, & ſi paulò plus comedant, ſtatim id vomitu rejiciunt.

Si ſympathicè, erunt aliqua totius, vel partis mandantis ſigna, nec vomitus, nec ſymptomata perpetua erunt, ſed quandòq; ægrum affligunt, mandantiumque partium ſigna adſunt In febribus, cachexiâ, ictero, & atrophiâ fit quandòq; vomitus ratione totius, partes verò, à quibus humores ad ventriculum frequentiùs demandantur, qui vomitu rejiciuntur, vel ventriculum in conſenſum adigunt, ſunt cartilago enſiformis, ductus cholidochus, inteſtina, hepar, renes, & uterus. Fabuloſum id quod dicunt, cenſemus à cerebro humores deſtillatorio deſcenſu ad ventriculum depluere, & vomitum concitare; non negarim tamē ventriculum irritari ad motûs ſui periſtaltici inverſionem, agitato vehemēter, ac ſursùm in gravi tuſſi unà cum abdominis muſculorum contradictione, diaphragmate.

Oritur quandòq; vomitus ex cerebro

percuſſo, vel affecto, ut *ſect.6. aph.50.* habetur. *Quibus cerebrum vulneratum his febrem, & vomitum ſupervenire neceſſe eſt*; quia à ſexto pari duo nervi deſcendunt, quorum dexter oris ventriculi partem anticam & ſiniſtram jungit; ſiniſter verò poſticam, & dextram. Rami nervorum ex his quoque deorsùm mittuntur ad fundum uſque. A ſiniſtro nervo abit propago ſecundum ſupremam ventriculi ſedem ad pylorum: Alii etiam duo nervi ventriculi fundum adeunt. Quamobrem percuſo, vel malè affecto cerebro, ventriculus turbatur, & vomitiones fiunt maximè in hemicraniâ.

Si ex cartilagine enſiformi concitetur vomitus, ipſa relaxatur, & internè flectitur, ventriculoque incumbens, dolorem excitat, & aſſumptorum vomitum conciliat.

Ex ductu cholidicho, quandò meatus fellei pars non in duodenum implantur, ſed ventriculi fundo inſeritur, in quibuſdam hominibus, qui picrocoli dicuntur, accidit, undè fellei humoris vomitioni obnoxii ſunt iſti tales.

Ex inteſtinis, à motu periſtaltico inverſo trahitur ventriculus in conſensū, & in vomitum adigitur, ut in iliacâ paſſione contingit, in quâ aliquandò injecta enemata, & ſuppoſitoria per os excluduntur, in cholerâ, & lumbricorum ſuperâ expulſione

Si ex hepate, humor ad ventriculum tranſmittitur, vomitus plerùmq; erit bilioſus, cognoſciturq; ex hepatis dolore, tumore &c. & vomitus magis ante, quàm poſt cibum affligit.

Ex renibus, in dolore nephritico, ob renum cum ventriculo connexionē per membranam à peritonæo mutuatam, & per ſextæ conjugationis nervum, cujus duo rami à ſtomacho in tunicam renum interiorem deferuntur; ideòq; cum partes ſentientes in rebus vellicantur, ventriculus compatiens ad eorum, quæ continet, excluſionem irritatur.

Si tandèm per uteri ſympathiam vomitus concitetur, conceptio, quia embryo non cruore, ſed puro arteriali ſanguine alitur, & quicquid inutile, ſordidum, & cruoris excrementum erit, per uteri emunctorium ſingulis menſtruis circuitibus non expurgari poteſt, foras per vomitū, aliaſq: ſentinas extruditur.

Si ſanguis vomitu ejicitur à ventriculo, eſt exiguus, & rubeus. Si ab aliis mēbris in ventriculum refunditur, & multus, & nigrior, & quidèm nigrior, ſi ex liene, rubicundior, ſi ex hepate, vel toto corpore.

Cauſæ externæ ex ægrotum confeſſione patebunt, ut ſi nimio cibo, & potu ſe ingurgitaverint, vel ictum aliquem gravem in ventriculi regione acceperint, vel pravum aliquod edulium, aut venenatum ingeſſerint.

Imminentis vomitus ſigna ſunt, capitis dolor, vertigo tenebroſa, labii inferioris tremor, frequens oris ventriculi morſus, & copioſa ſalivatio

His ſignis cognoſcere poſſumus, an humores in ventriculi cavitate contineantur, vel ipſius tunicis hæreant; ſi n. in ventriculi cavitate ſint, leniſſimo rejiciuntur conatu, & ineſt ventriculo tenſio, & anxietas ab aſſumpto cibo, quæ non ceſſat, donec humores vomitu ejecti ſint, qui plerùmque excernuntur, & cibus retinetur. Si verò tunc eis adhæreant, ingeſto cibo vomunt, & alimenta ſine humore rejiciuntur; citra verò cibus nauſea admodùm moleſtat, & quod ejicitur, craſſum ac viſcidum eſt, & magno excutitur conatu.

Vomitus duplex eſt, naturalis & artificialis, naturalis rursùm duplex, vel

cundum magis, & minùs, & eæ ſunt, quæ ventriculi facultatem expultricem ſtimulare poſſunt ad noxium expellendum, ad quam facultatem retentrix recurrit, cùm debilitata actionibus contrariis expultricis reſiſtere nequit, ſola tamen vomitum ciere non valet. Cauſæ, quæ expultricem ſtimulant, ad vomitum ſtimulant. Sunt vel aliquod ventriculi vitium, vel materia irritans, vel utrumque. Ventriculi vitium ſunt intemperies, tuberculum, ulcus, vulnus, ob quæ bonus cibus, & qualitate non peccans facultati expultrici moleſtus eſt, eamque ad expulſionem irritat. Materia quæ facultatem irritat expultricem variam aſſignant, & vario modo id præſtat. Materia hæc vel extra aſſumitur, ita ſunt cibi, medicamenta, venena, vel intus producta, & quidem vel in ventriculo genita, quæ aut alimentalis, ut chylus coctus, vel crudus, aut excrementitium quoddam, ut cibus corruptus, pituita, bilis: vel alibi genita in corpore, & in ventriculum allata, eaque vel animata, ut vermes, vel inanimata, ut ſanguis, humores, pus, quæ in ventriculum mittuntur ex inteſtinis, meſenterio, hepate, liene, utero, cerebro, & toto corpore. Materia autem hæc quæcumque, & ubicumque genita ſit, vel pondere, ac gravitate, vel acrimoniâ, mordacitate, & qualitate ventriculo adverſa eſt, vel alio modo ventriculi expultricem irritat, & moleſtat; atque hoc faciliùs accidit, ſi materia illa agitetur, undè iis, qui curro vehuntur, ſi non aſſueti, ventriculus ſubverti ſolet interdùm, maximè verò navigantibus. Optima quidèm ſententia, ſed cauſam immediatam non rimatur, nàm facultas non agit, niſi in virtute agentis principalis.

D. Caroli Muſitani Trutina Medica.

Noſtra Cauſa.

Vomitus cauſæ tàm valdè differentes ſunt ut peritum requirant medicum; immediata verò cauſa à ſpiritu impetum faciente procedit, & mediata à læſæ partis contractione, ſeu convulſione, quia in vomitu contrahitur ſtomachus: ſunt nimirùm in ejus membranis contracturæ interpoſitæ, quoties infeſtans cauſa occaſionalis movetur, vel recurrit, & clauſo pyloro ſeſe ſurſum contrahit, non quidèm per ſtomachi corrugationem, ſed motu tali rursùm ad gulam adeòque non fit vomitus, niſi clauſo pyloro alioquin in duodenum decideret, quod vomitu expelli deberet, itàque ſemper pylori indignationem, & contracturam arguit.

Cauſæ occaſionales ſunt acidi ſalis copia cùm aciditas non tranſmutatur. Vel cùm acidum ſal, ſivè alterius generis ſalia ità exaltantur in ipſo ſtomacho, ut veneni corroſivi indolem acquirant, vel venena corroſiva foris intùs furtivè intruſa. Effluvium liquoris fellei ex pravâ ductûs cholidichi conformatione quandò ſcilicèt non duodeno, ſed naturæ errore ventriculo inſeritur. Cùm fellis fermentum ob reſultantem calorem rareſcit, illinſque effluvium augetur, quâ de causâ in febribus bilioſi obſervantur vomitus ex ſucco alimentitio amareſcente copiâ effluvii fellei nimiâ, quam perperàm febris cauſam putant vulgares, cùm potiùs ſit effectus. Cùm fellis effluvium copioſiùs quàm par eſt, ità in duodenum inſpirat, ut ſtomachum inficiat. Itèm vomitum concitant cartilaginis enſiformis interna reflexio, tumor, inflammatio, ulcus, excoriatio. Similiter nimiũ

phlegma ventriculi fibris adhærens, coctionem depravans, & ſubſtantiæ alibilis inſinuationem impediens, unde is ad violentam ejus exturbationem inſurgit, & id non ſolùm ſi ventriculo, verùm etiam gulæ parietibus adhæreat; quinimmò ſi quis, immiſſo digito, papyro, vel pennâ oleo intinctâ in fauces, protinùs œſophagi fibras ad motûs periſtaltici invectionem concitabit, & tàm nauſea, quàm vomitus ſubſequentur. Quandóque cauſæ tàm variæ ſunt, & vomitum ex miſtis cauſis provenientem, & varias laticum degenerationes oſtendentem producant.

Cauſæ occaſionales externæ ſunt: vel nimia ciborum ingurgitatio, ità ut ventriculus gravetur, & non poſſint à fermento ſubjici, per vomitum exturbat. Vel alimenta lubrica, & pinguia in magnâ ingeſta copiâ, quia fermenti vires obtundant, undè nauſea, & deindè vomitus. Cibaria inſueta fermento non obediunt. Vinum meracum copioſè, & ad ebrietatem uſque potum, quia fermentum figit. Similiter fructus horarij facilè corruptibiles, ut etiam cucumeres, pepones &c. quæ quam maximè fermento adverſantur. Vomentis aſpectus, ceu etiam rerum formidatum, & nauſeoſarum aſpectus, imò etiam ſermocinatio, & imaginatio ventriculi ſubverſionem concitat ob imaginationem, quæ radicale in ventriculi ore domicilium obtinet, patet id in oſcitatione, quòd ſtatim ſimilem imaginationem, & effectum in aliis producit.

Prognoſis.

Non omnis vomitus malus eſt, nàm circa morboſam conſtitutionem, & per periodica intervalla dùm accidit, ad valetudinem conducit, & à multis præſervat morbis; attamen qui nimis crebrò vomunt, ex ſuo ventriculo ſibi cloacam concinnant, ſuamque ſenectutem accelerant. Si vomitus à naturâ inſtituatur, ſiſtendus non eſt præcipuè ſi in morbi initio, & die critico accidat, naturæ tamen expulſio ita permitti debet, quamdiù *ea purgentur, quæ purgari debent, & facilè ægri tolerant*, quod ſi natura nimiùm expellere deprehendatur, ut vires deijciantur, ſtatim ſiſtendus eſt, ut *ſect.* 1. *aph.* 2. *In perturbationibus ventris, & vomitibus ſpontinis, ſi talia purgentur, qualia purgari oportet: conferi, & bene ferunt; ſin minus contrà.* Docet hic *Hip.* quiſnàm vomitus criticus, quivè ſymptomaticus ſit; nàm ſi vomitus id evacuat, quod morbum facit, atque indè aliquid commodi æger ſentiat, criticus cenſendus eſt; ſin verò evacuatur, æger tamen morbo non levatur, ſymptomaticus eſt. Criticus vomitus cenſeri debet in diarrhœâ, ut *ſect.* 6. *aph.* 15. *Lõgo alvi profluvio laboranti ſpontaneus ſuperveniens vomitus morbum ſolvit.* Quia cauſæ occaſionalis in contrariam partem fit revulſio, & illa revulſio naturam refici, ac vires ſumere oſtendit. Si vomitus in cibi faſtidio, cardialgiâ, vertigine, & oris amaritie contingat, ſalutaris judicandus eſt, ſi tàm à naturâ efficiatur, quàm ab arte proritetur, ex *ſect.* 4. *aph.* 17. *Eum, qui non febricitat, cibi faſtidium, morſus oris ventriculi, vertigo, & oris amaritudo, purgatione indigere per ſuperiora ſignificant.*

Vomitus ex bile flavâ, & pituitâ miſtus, qui nec admodum craſſus, nec admodùm copioſus, & qui duos iſtos humores habet permiſtos, bonus cenſetur ex *Hip. lib.* 2. *præſag.* 38. *Opti-*

mus vomitus eſt, qui bilem pituitæ miſtam habet; ac neque craſſitie, neque multitudine admodum excedit. Talis enim vomitus laudabilis in ſubſtantiâ, quantitate, & qualitate, ex omnibus namque humoribus excrementitiis flava bilis, & pituita ſunt omnium mitiſſimi, ſi quantitate, & mediocri conſiſtentia, & benè permiſti deijciantur. Verùm non tantum vomitus ex utroque humore permiſti boni cenſendi ſunt, ſed etiam qui ſeorſim ex alterutro humore accidunt, ſi talis humor morbum efficiat, quo æger conflictatur, ex. c. in febribus bilioſis dictis, bilis criticè, aut pituita in pituitoſis erumpens morbi ſolutionem afferunt, vel ſaltèm maximam ſalutis ſpem promittunt.

Vomitus laborioſus, & paucus in febribus malignis contingens, malus; conceptam n. labem venenatam adeò fortem ſignificat, ut vomitum proritet, quo tamen venenum non expellitur, vel materiæ copiam, quam natura ferre nequit, vel naturæ imbecillitatem, quæ fruſtrà ſuperflua expellere conatur. Vomitus ſinceri, & impermiſti in febribus acutis, mali, ut *lib.2. præſag.* 38. *Sinceræ autem pituitæ, vel bilis vomitus periculoſus*, ſignificat. n. non ſolùm humorem crudum, ſed etiam incoctilem, qui tùm coctionis actum, tùm potentiam excludit. *Vomitus viridis, lividus, vel niger, malum. ibid.* 39. ſignificat. n. hujuſmodi humores in corpore luxuriare, qui malignos producere ſolent morbos. *Etſi hi colores concurrant, mortis periculum adeſt. ibid.* 40. quia varios humores in corpore latitare, & plures difficiles adeſſe affectiones ſignificant, quæ eò majus negotium naturæ faceſſunt, quò difficiliùs eſt pluribus reſiſtere inimicis. Celerrimam mortem lividus vomitus, ſi grave oleat portendit, *ibid.* 41. *Lividus vomitus cum fœtore lethaliſſimum, & ibid.* 42. *In quovis vomitu fœtores mali.* Significant .n. ingentem putredinem, & nativi caloris extinctionem, cum quâ natura diù conſiſtere nequit. Niger quandòque ſalutaris eſſe ſolet, cùm ſcilicèt humor melancholicus dictus criticè, & cum ægri commodo evacuatur; at lethaliſſimus eſt, dum è ſtomachi venis cruentum prolicit laticem, qui illicò ater, & cadaveroſus evadit. Vermium vomitus, ratione ſigni, malus eſt, quia magnam humorum degenerationem indicat, verùm ratione cauſæ, bonus, ſi cuncti, vel majori ex parte expellantur, & præcipuè ſi criticè id contingat. Saniei peſſimus, ulcus adeſſe ſignificat. Stercoris lethalis, ut *ſect.* 7. *aph.*10. *Vomitus ab ileo, malum.*

Veterum Curatio.

Vulgares vomitum, ſi ſit nimius per revellentia, & roborantia ac nimium expultricis motum comprimentia curant. Revellunt per acres, & fortes clyſteres, ac ſuppoſitoria, quæ humores ad alvum deducunt, ſed longa eſt via à ſtomacho ad anum, cum natura compendiariâ viâ per os ſe exoneret; Quandòque etiam purgantia, quæ materiam per alvum evacuant, adhibent; ſed fruſtrà purgant, cum expultrix facultas irritata ad vomitum vergit, & per ea loca educere oportet, nè procurando vomitu cholera ſuccedat. Calida extremitatibus, & præſertim frigidis applicant, ut pedum lotiones

ex aquâ calefactâ, & cruribus *phœnigmum, ac ſinapiſmum*. Mirabile dicunt eſſe, quod extremitatum calefactio vomitum ſedat, ſcilicet deorſum trahendo. Item extremorum infrigidationem vomitum à cauſâ calidâ ſedare inquiunt: ſed id perſpicuum non eſt, cum frigida pedibus frigidis applicata, calidos, & tenues humores potius ad ſuperiora repellere videantur. Sed quid commune habet pedum refrigeratio, vel excalfactio cum humoribus in ventriculo ſtagnantibus, & facultatem retentricem irritantibus?

Retentricem facultatem roborant, remotâ intemperie, & præſertim humidâ, à quâ retentricis debilitas geneſim ſumit. In cauſâ calidâ exhibent *rob ribes, berber. ſucc. & ſyr. granator. cydonior. de roſ. ſiccis, de ſucc. myrtill. quæ* ante cibum propinant. Præbent quoque *panem vino auſtero madidum conſervam roſ. antiquam, diacydonium, ſyr. coralliot.* Poſt cibum cibos adſtringentes ſumendos præcipiunt, ut *cydonia, pyra, meſpila, ſorba, diacydonium ſimplex*, & alia.

Cæterum tam medicamentorum, quam ciborum adſtringentium uſum omninò improbamus; nam quandòque & ferè ſemper vomitus excitatur à facultate pravis humoribus quantitate, vel qualitate irritatâ, & ſi adſtringentia adhibeantur ubi ventriculus à pravis humoribus obſidetur quis non videt, neceſſariò adſtringentium uſu humores pravos magis compingi, & magis ventriculo infigi? Imò pravi humores in ventriculo contenti, niſi per ſuperiora eliminentur, majora pariunt mala. & vomitu pejora, ulteriùs ſe inſinuentes. Præterquàmquod adſtringentibus in cavo ſtomachi retenti humores, cùm extubari non poſſint æſtuant, & ſuâ gravedine, & acuitate nauſeam inducunt, & tunc vertigo, oculorum caligo, ſcotomia, coloris mutatio, lipothymia, cordis tremor, ſudor frigidus, & extremarum partium refrigeratio ad ſyncopen procedens, ſuccedit. Quod totum in his, qui violenta emetica ſumunt, antequàm vomant, experimur, nam ſuccedente primâ vomitione, omnia tranquillantur. Patet id etiam in aſſumptis purgantibus medicamentis, nam quotieſcumque per inferiores partes purgare non poſſunt, ſed in ſtomacho agitantur, neceſſariò tot ſymptomata in unum coguntur, donec vomitu rejiciantur.

Extra adhibent fomenta ex *roſis, myrtillis, ſumach, corticibus granatorum*, *& poſteà applicetur pulpa cydoniorum ſub cineribus coctorum, cum pulvere myrtillorum, maſtiches, ſumach, boli armeni, terræ ſigillatæ, trochiſci de ſpodio*. Vel imponatur *empl. de cruſtâ panis*, vel ſequens, ut

℞. *Carnium cydonior. ſub cineribus coctar.* ℥ij.
pulver. hypocyſtid.
balauſtiorum,
boli armeni,
maſtiches an. ℈ij.
ol. myrtillor.
cydonior. an. q. ſ. f. cataplaſma.

Vel applicetur *cerotum ſtomachale ol. roſ. ſubactum.*

Si cauſâ vomitûs ſit frigida, & materia craſſa, attenuantia, & abſtergentia miſcentur adſtringentibus. Sumunt *diacydonium compoſitum, mivam cydonior. aromaticam, conſervam roſ. antiquam cum pulvere maſtiches, menthæ, thuris, ſumendo ad ſingulas uncias conſervæ, pulveris* ℈j. *vel* ʒß. *quæ cum ſyr. de men-*

menthâ in liquidiorem formam redigunt.

Aquam cinnamomi etiam vomitum compeſcere dicunt præſertim ſi deſtilletur cum *ſucco cydoniorum*. Efficax eſt *cruſta panis in vino malvatico, vel aquâ menthæ cum vino deſtillatâ madefacta, & aſperſa, pulvere menthæ, caryophill. macis, cinnamomi, ſpeciebus aromatici roſati, ventriculo impoſita.*

Interna etiam connumerant *opiata*, ſed in magno vomitu, & ubi materia irritans admodùm eſt prava, & maligna, ac ventriculus valde debilis, ut *theriaca recens, philonium Romanum, & requies Nicolai.* Si hoc modo vomitus ſedari non poſſit, dant operam, ut ejus cauſa tollatur non ſolùm per alvum, ſed etiam per ſuperius os ventriculi, ut.

℞. *Iuris pulli lib. ß.*
oximel. ſimplicis,
ſucci raphani ana ℥j. m.
pro vomitorio.

Poteſt etiam uſurpari *vitriolum album, vel ſal vitrioli in juſculo pingui, vel in cerevisiâ cum butyro.* Si materia fuerit bilioſa hoc vomitorio utuntur:

℞. *Aquæ tepidæ ℥ ij.*
ſyr. acetoſ. ſimpl. ℥jß. m.

Noſtra Curatio.

Eſt eadem in vomitu quædam vitæ ratio, quæ nihil penè diverſa eſt ab eo victu, quem in cardialgiæ curatione inſtituimus, ſunt tamen quædam particularia breviter adnotanda, & primò

Aër ſit purus & ſerenus ab omnibus impuritatibus immunis, vitetur tamen humiditate refertus.

Cibus ſemper analogiam ad cauſam habeat; ea propter alimentis nunc ventriculum roborantibus, nunc vehementem vomitum reprimentibus, & nunc eum adjuvantibus utendum eſt; adſtringentia verò vitentur, ne pravos humores cum vitæ præjudicio retineant. Sint cibaria facilioris coctionis, nè diutiùs in ventriculo retenta vomitum excitent, ſint potiùs aſſata, quàm elixata. Declinentur vaporoſa, flatulenta, acria, & ſalina, nè mordendo eorum ſalia vomitum irritent. Fugiantur crapulæ, nimiæ ciborum repletiones, cibi pingues, oleoſi, & fungi cibetur æger per epicraſim, nè ſtomachus tanto oppreſſus onere ad vomitum inſurgat. Si autem vomitus ſit diminutus, & adjuvandus ſit, æger varios cibos, dulces, & maximè pingues ingerat, quibus & de ficubus, raphano, & ſimilibus vomitum adjuvantibus aliquid admiſceri poteſt, ut vomitus facilè ſubſequatur.

Potus ſit vinum non nihil adſtringens, & ventriculum corroborans, & præſertim ſi vitium lapſus timeatur, & febris vehementia id non deroget.

Motus vitetur, nec æger curru vehatur, nec naviget, nàm hujuſmodi motus ventriculum ſubvertit, & vomitum cauſat.

Quies magis convenit, nàm ſic omnia in pace quieſcunt.

Somnus, quantùm fieri poteſt, concilietur, cùm ſomnus, & quies non ſolùm omnes tollit evacuationes, præter ſudores, ſed etiam humores temperet, & craſſos concoquit.

Vigilia nimia vitetur, nàm concoctricem enervat facultatem, digeſtionem inhibet, & crudorum ciborum colluviem ingerit.

Alvus eſtò ſecundum naturam fluat, ad acrium clyſterum uſum deveniendum eſt, ut retenti in ſtomacho humores noxii ſenſim ſubducantur.

Animi affectiones ſint moderatæ, vigeat hilaritas, & animi tranquillitas, motus, cura, mœror, & ira vitetur.

Vomitûs curatio hoc modo inſtituenda eſt: qui ab aliarum partium affectione ortum ducit, aliis non indiget medicamentis, quàm morbo, à quo dependet, conveniunt; qui verò idiopathicè fit, juxta cauſarum diverſitatem variat, & quidèm ſi vomitus criticè contingat, dùm natura impuram humorum congeriem, vel noxia aſſumpta ad expellendum inſurgit, non eſt compeſcendus: imò quandòque aliquo emetico propinato juvandus eſt, juxta illud: *Vomitus vomitu, & fluxus fluxu curatur.* Emeticum illud illi materiæ adminiſtrari debet, quod præſentaneum ſit auxilium: porrò in tali caſu magna cognitio, obſervatio, & diligentia adhibenda eſt, ut illud ſcilicèt idipſum emeticum accipiatur, quod aptum ſit vomitum illum concitare, ut materiam à naturâ evacuandum non excedat, & doſis congeriej evacuandæ par ſit in efficaciâ, aliàs æger in magnum vitæ diſcrimen adduceretur. Si verò vomitus fuerit ſymptomaticus itidèm extemplò ſiſtendus, nè intus degenerum humorũ colluvie retentâ alius ſequatur morbus priori pejor, ſed per iteratas vomitiones humorum ſarcinâ levatâ, quod remanet per emeticum non ægrè exturbari poteſt, ut vomitus vomitu curetur. Procurandus igitur vomitus aliquo vomitorio mediocri, non imbecillo, quale eſt *aqua tepida, ol. tepens, vel oximel vulgarium,* nec vehementi, quod à diſſitis trahat partibus, qualia ſunt, quæ ex antimonio parantur, attamen tutò *noſtrum Hippocras emeticum* propinari poteſt ad cochleare. j. præcipuè ſi phegma craſſum, & glutinoſum detergendum, & diſſolvendum ſit. Exhiberi quoque poterit *gylla Paracelſi, ſeu ſal vitrioli albi, vel aqua æſculapij.* Ità n. citiùs noxia exturbatur colluvies, & dein vomitus ſpontè ceſſat.

Per vomitum ſic ſufficienter pravis humoribus exturbatis, ad quæ ventriculum roborant accedendum eſt. *Detur ſalis fixi abſynth.* ℈ß. *in aquâ menth.* ℥ij. *conſerva roſ. vitriolata, ſed pro omnibus aromatica, & odorata proſunt,* quia ſicut fœtida nauſeam, & vomitum concitare, ità odorata peccare poſſunt, hujuſmodi ſunt *aromat. roſ. myva cydonior. aromatica, tinctura cinnamomi, elixir proprietat. Paracelſi, vel ſequens vinum aromaticum*; ut

℞. *Cinnamomi acuti* ʒj.
zinziberis,
nuc. moſchat. an. ℈j.
croci gr. IV.
ſacchari ℥ij.
vini lib. ß.

Ferveſiant invicem in vaſe optimè clauſo, bibat patiens ejus manè, & ſeiò hauſtulum calefactum.

Exteriùs ventriculi regioni applicari poterit ſequens cataplaſma.

℞. *Pulv. nuc. moſch.*
radic. ſymphyt. major an. ʒj.
calami aromatici,
zinziber. an. ℈j.
baccar. juniper. ℥j.
medulla panis ℥ij.

coquantur in vino ad pultis conſiſtentiam, & in cataplaſmatis modum calidè ventriculo applicetur.

Si vomitus ſit enormis, & natura nimiùm expellere deprehendantur, tunc non adjuvandus eſt, ſed ſiſtendus *aq. menth. ad* ℥ij. *ſemel, atque iterum ſumptâ, ſucc. cydonior. crudo ad myſtrum j. vel alterum, extracto zedoariæ, abſynth.*

ſynth. meliſſ. menth exteriùs ventriculo applicari poterit epithema *ex abſynth. & menth. decocto in aceto, vel empl. de theriacâ.* Quòd ſi vomitus obſtinatus perſiſtat, & nullatenùs ſiſti poſſit, nè vires deijciat, tunc ad *laudanum opiatum* recurrendum eſt, quod egregiè valet, ubi reliqua omnia parùm, vel nihil proferunt. Doſis gr. ij. vel ſequens mixtura uſurpari poterit, ut,

℞. *Aquæ menth.* ℥ij.
ſyr. de menth.
myrtini an. ℥ß.
tinctur. cinnam.
elixir. citri an. ʒij.
laudani opiati gr. ij.
diaſcordij Fracaſtor. ʒj.
ol. menth. deſtillat. gutt. iij. m.
detur cochleatim.

Vel ℞. *Aq. cinnamomi* ℥ß.
menth. ℥j.
laudani opiati gr. ij.
ol. macis ſtillatitij gut. v.
ſyr. de cinnamomo ʒj.
m. detur cochleatim.

Si vomitus ab acidi ſâlis copiâ dependeat, uſurpanda veniunt, quæ aciditatem obtundunt, hujuſmodi erunt *ſal abſynth. menth. vel magiſter. corall. perlar. ocul. cancror. fluviatil. ol. tartari p. d.* vel.

℞. *Ocul. cancror.*
corallior. rubr. præpar. an. ʒij.
ſal. abſynth. ʒß.
ſangu. dracon. ℥ß.
cinnamomi ʒj. *m. f. p. Doſis* ʒj.

Sì à nimio phlegmate ventriculi fibris adhærente procedat, præter emeticum, quæ phlegma incidendi, & detergendi vim habent, uſurpanda ſunt, ut, *ſuccus granator. acidor. ſpirit. vitriol. vel ejus oleum, vel ol. ſulphur. per campanam, ſpirit. vitriol. philoſophicus &c. in aquâ plantagin. vel menth.* Hæc eadem quoque liquoris fellei effluvium magnoperè hebetare valent.

Si vomitus ortum ducat à ventriculi debilitate, quæ ventriculum roborant, conveniunt. At ſi ex pravâ colidichi ductus conformatione oriatur vomitus, immedicabilis eſt, ut ex ventriculi anguſtiâ, at hîc medicamentum erit parciùs manducare, & bibere.

Quandòque vomitus eſt à medicamento vomitorio ſumpto, & præcipuè ab antimonio, à quo non pauci funeſti, & magici eveniunt caſus; quapropter ſtolida plebecula tanquàm deteſtabile, & mortiferum hoc minerale divulgant. Verùm tantæ infamiæ hujus mineralis cauſa eſt pſeudo chymicorum, & Galeniſtarum temeritas, qui ſine diſcrimine, & cognitione, tùm ægri, & morbi, tùm medicaminis, interno deſtinant uſui, quo non paucos impunè cum magnâ fortunarum, & æris jacturâ ad Charontis cymbam in dies demittunt. Ut tot, tantiſque conſulamus homicidiis, nos chriſtiana ſuadet pietas, nè ſilentio involvamus uſitatiſſimum arcanum, & à me pluries expertum ad ſiſtendas ſuperfluas, & enormes ab antimonio excitatas vomitiones, hoc eſt *pumex*, cujus parùm in pollinem redactum in vino propino momenti, atque in momento quaſi incantamento vomitiones ceſſant.

Nauſeam tollit *zedoaria, vel ejus extractum acetum* in juvenibus, & ſenioribus ventriculum malè affectum adeò roborat, ut nihil ſuprà, ideòque ejus uſum comprobatum, & commendatum magnifacere libet, cùm nunquàm aliquem de ſperato affectu defraudaverit.

Nauſeam ab aſſumpto medicamento purgante

purgante arcet *panis toſtus caryophyll. pulv. & aceto aſperſus*, & ori vel naribus admotus Item *cepa* præmorſa.

Nequis in mari vomat *ſalis peregrini* compoſitio maximè laudatur, quæ talis eſt:

℞ *Lapid. prunell.*
ſalis fuſi,
ſalis gemmæ an. ℥ß.
gala gr.
macis,
cub. b. an. ʒj. *m. f. pulv.*
Doſis eſt à gr. iv. *ad* viij.

maximè jejuno ventriculo; ſtomachum n roborat, digeſtionem juvat, & à putredine præſervat.

CAP. IX.

De Singultu.

Ventriculi orificium ità nervis involuitur, ac ſi ex ſolis nervis eſſet compactum, hinc hoc ventriculi orificium valdè eſt ſenſitivum, ideòque ibi plerique medentes appetitûs, & ſitis, imò animæ ſedem poſuerunt. Quadere ſi ab exotico irritatur hoſte, moleſtiæ, impatiens, ſe contrahit, ut peregrinum excutiat hoſtem; triplici tamen motu ſingultu ſcilicet nauſeâ, & vomitu convellitur, quoties infeſtans cauſa occaſionalis movetur, recurrituè eâ verumtamen lege, ut quæ intimiùs ipſum moleſtant ventriculum, ſingultũ excutiat; eaquæ ſuperficialiter magis excruciant, nauſeâ excludat; quæ verò ventriculi fundum angunt vomitu excernat. Expulſivus ventriculi motus tripliciter fit, vel natura ad expellendum inſurgit inani vomendi deſiderio, & non poteſt, quia non ſufficienter ad vomendi irritatur motum, & tenuis, & aquoſa humiditas, ſeu copioſa ſaliva profluit, fit nauseâ, aliquando inſurgit, & expellit, fit vomitus, vel tandem expellere conatur, & rejicere non poteſt, fit ſingultus.

Eſt igitur ſingultus motus oris ventriculi, quo fruſtrà extu bare nititur res moleſtas villis impactas, quæ illi nocent, cum ſonitu quodam, quia motu illo aër ventriculo incluſus cum violentiâ exploditur, & in palatum, in concameratum tanquam locum, ſonitum illum effundit.

Circa partem affectam in ſingultu digladiantur medentes. Aliqui vocis organa affici contendunt, quia quædam ſonitûs ſpecies in ſingultu percipitur: Verumtamen decipiuntur, quia magnum diſcrimen eſt inter ſonitum, & vocem, & licet quidam audiatur ſonus vocis organa per concomitantiam veniunt ex accidenti, ut in definitione diximus, aër n in ventriculo clauſus violentâ contractione in palatum excutitur, tanquam in concameratum locum, in ſonitum ſe effundit. Plerique in ſingultu totum ventriculum affectum eſſe ſuſtinent, quod non improbabile videtur, nàm hujus mali cauſa totum ventriculum pro ſede habere poteſt, ideòque non tantùm in toto ejus corpore, verùm etiam in ſuperiori orificio contineri. Hinc nonnulli ſingultum quoque ad gulam ſe protendere exiſtimant, verum ad gulam non pertinet ſingultus, cùm nullo alio, quàm attractionis motu moveatur, & cùm lubrica ſit, humores acidi minimè adhærere poſſunt Tandem communis ſententia ſingultui pro ſede ſuperius ventriculi orificium aſſignat, quia exquiſito gaudet ſenſu, ac propterea in

ejus

ejus villis interpolatæ fiunt contractæ ad cauſæ occaſionalis eliminationem.

Verumtamen *Felix Platerus* à communi omnium medicorum ſententiâ diſſidet, & non diſſitè à ventriculi orificio in ſingultûs ſedem inquirit. Hujus affectûs domicilium non ventriculo, ſed diaphragmati tribuit, idque his roborat rationibus, &

Primò ſingultus fit in malignis febribus à vaporibus diaphragma infeſtantibus.

Secundò, quandò expultrix ventriculi facultas infeſtatur, infeſtatio in diaphragmate præſentitur, à quo ille contractionis motus primariò dependet.

Tertiò Diaphragma; & ventriculus non tantùm viciniam habent, ſed etiam unà communi amiciuntur tunicâ, eoſdemque habet nervos, quos ventriculi orificium: ergò eadem incommoda præſentire debet, quæ ventriculus ſentit, & cum ventriculus inſurgit ad illa excutiendum, & ſe aperit, diaphragma quoque motu ſuo impellere, & concutere debet ventriculum ad illum efficiendum motum, quod ſi magnâ vi opus ſit, reliqui thoracis muſculi adjuvare debent.

Certum eſt per communem tunicam, eoſdéq; nervos, quos habet diaphragma cum ventriculo, à ſingultiente ventriculo id in conſenſum trahi, imò quandòque, & thoracis, abdominis muſculos, ut in nauseâ, & vomitu obſervamus; tamen diaphragma thoracis, & abdominis muſculi adjuvandò conſpirant, ut in ſternutatione etiam videre eſt. Non per hoc tamen nauſeam, vomitum, vel ſternutationem diaphragmati, thoracis, & abdominis muſculis primariò tribuere debemus. Ideòque quia facultas ventriculi expultrix in ſingultu primariò irritatur, immediate hunc efficit motum, jure merito ventriculo adſcribitur, ut nauſea, & vomitus, ſicut ſternutatio cerebro, licèt iſte motus à vicinis partibus adjuvari poſſit.

Singultus duplex eſt, idopathicus, & ſympathicus, idiopathicus eſt, cùm materia eum producens in ipſo ventriculo coacervatur, ſivè ſint humores acres, vel lumbrici, vel medicamenta acriora aſſumpta; ſympathicus eſt, cùm ab aliis partibus, diaphragmate, vel hepate, liene, inteſtinis, renibus, utero, vapores, aut ichores acres ad ventriculum tranſmittuntur. Tandèm à toto corpore transferri poſſunt ad ventriculum vapores, vel ichores in affectibus totum occupantibus corpus, ut quandòque in febribus acutis, & malignis accidit.

Signa.

Singultum dignoſcere difficile non eſt, cùm auditu ab adſtantibus percipiatur, & ab ipſo patiente indicetur; cauſæ tamen ſignis dignoſcendæ ſunt; ſingultum, qui nimiis ſuccedit evacuationibus, ut acribus pharmacis, vigiliis, fortibus animi paſſionibus, immoderatis exercitiis, ab inanitione originem ducere vulgares credunt; versâ autem vice, ſi nullum horum proceſſerit, ſed æger cibum, & potum copiosè ingurgitaverit, ægritudine in principio exiſtente, ſingultum à repletione oriri ſtatuunt. Si denique per eſſentiam, eſt magis aſſiduus, & adſunt in ventriculo contentorum ſigna, quæ ex ſapore, vomitu, ructu, &c. cognoſcuntur; ſi verò prove-

provenit per conſenſum, ut à cerebri, diaphragmatis, lienis, hepatis, inteſtinorum, renum, uteri, vel alterius partis affectione, ejuſdem ſigna ex propriis deſumenda erunt capitibus.

Veterum Cauſa.

Vulgaris eſt ſententia de ſingultu, quæ ab *Hip. aph.39. ſect. 6.* aſſignatur: *Singultus à repletione, & inanitione fit*, cui vulgares ſe adſcribunt medici, ab inanitione quidèm, ut ab immodico ſanguinis profluvio, à nimiâ purgatione, &c. à repletione autem, ut in pueris, qui edaciores cùm ſint, multo ſe replent alimento, & in his, qui crapulæ indulgent, & multo ſe cibo, nimiòque potu infarciunt. Verùm parcite *Hippocratis* manes, & vos vulgares, qui ejus cauſam tuemini: Durum nobis eſt credere repletionem, & inanitionem, cùm ſint termini planè oppoſiti, unicam ſingultûs ſpeciem producere poſſe. Repletio, & inanitio ſunt cauſæ naturales, non autem arbitrales.

Non nulli, & veriùs, pro ſingultûs causâ vapores, & ichores aſſignant acres, rejectâ *Hippocratis* repletione, & inanitione, non n. quæ replent, vel inaniunt, ſingultum pariunt, ſed quæ ventriculi orificium mordicant, & vellicant.

Mercurialis Hippocratis cauſæ patrocinari conatur, ſed fruſtrà; acres n. vapores, & ichores ad plenitudinem refert, quia convulſionem efficiunt, plenitudinem inducentes: Inquir. n. ipſe, ſicùt vaſa inanita dicuntur, quandò eo carent, quod continere deberent; ità plena dici debent. Quadere quoniam in ventriculo acres ſunt humores, manifeſtum eſt, ibi aliquam eſſe poſſe plenitudinem. Verùm claudicat *Mercurialis*, quia falſo innititur principio, & in eandem cadit foveam: Acrium humorum in ventriculo præſentia non poteſt plenitudo dici, quia non ſemper tales humores quantitate peccant, ſed quantitate pauciſſimi ſingultum excitant; poteſt. n. eſſe vapor, qui compreſſus non efficit decimam unius guttæ partem, & ſingultum excitare, poteritnè vapor hic plenitudinem conſtituere? Non quæ replent, vel inaniunt, ſingultum pariunt, ſed quæ mordicant, & vellicant. Itàque repletio, inanitio, & acrimonia ſunt cauſæ diverſæ, & toto genere diſtinctæ.

Si repletio mirè vulgares torquet, inanitio eos dementat, quia impoſſibile eſt explicare, quo pacto ſingultum excitare poſſit; ejus. n. eſſentia non per entitatem poſitivam conſtituitur, ſed in negativo conſiſtit: Nemo igitur dixerit naturam ad defectum expellendum inſurgere, quin potiùs eam ſe moturam ad illum reparandum, & ſic attractricem potiùs, quàm expultricem impulſuram.

Verùm ut *Hippocratis* æſtimatio in ſuo perſiſtat candore, dicimus repletionem, & inanitionem eſſe cauſas remotas, & licèt interdùm humores ventriculum repleant, non tamen quatenùs replent ſingultum excitant. Ità quoque in ſingultu cauſæ quandòque, quæ corpus deplent, conjungantur, ut ſæpè in ſuperfluis evacuationibus, & malignis evenit febribus: non oritur tamen ſingultus ab illis cauſis, quatenùs deplent, cùm ſint remotæ.

Noſtra Cauſa.

Proximam, & occaſionalem ſinguls

tiùs cauſam ſtatuimus omne id, quod conſtat ex tenuiſſimis particulis, & acuminatis, (ut patet in pipere pulverizato, quod ſi ſumatur, & vini cyathus ſuperbibatur, profundiùs id intrò adigitur) ſivè id ſit ſalſum acidum, ponticum, vel auſterum, à nutrimento, medicamento, vel veneno dependens. Immediata verò cauſa eſt vita, quæ invita in oris ventriculi membranis contracturas patit interpolatas, quoties infeſtans cauſa occaſionalis vellicat, vel irritat, ac proindè movetur, velut auxiliaris in occurſu rerum ſibi moleſtarum, ut à ſe peregrinum excutiat hoſtem.

Materia occaſionalis ſingultûs ſcilicèt vapor acidus, vel ichor ventriculi orificium irritans ab alimento proficiſcitur, undè ſingultui obnoxij ſunt, qui crapulæ indulgent, & præcipuè pueri voraciores ob acidum exaltatum ex depravatâ ciborum fermentatione, id etiam videre eſt in infantibus, in quibus ob voracitatem lac aceſcit, & crebrò ſingultiunt. Quadere poſt nimium acidorum uſum ſingultus excitatur, & què ventriculi os exquiſito prædìtum eſt ſenſu, eò faciliùs ſingultui obnoxium eſt.

Vermes ſingultum excitare poſſunt tùm ratione ſui, ſivè ventriculi os appetendo, & tetro vapore illud inquinando, tum ratione materiæ acidæ, à quâ generantur, etiam in communi ſententia, quæ ex putri ipſos generat, cujus putredinis omnes eſt aciditas. Hac etiam ratione ſingultus febribus accidit malignis.

Medicamenta purgantia virus laxativum, ideſt putrefactivum habent, quo latex, ſanguis, nutrimentum, & ſolidæ partes in liquamen cadaveroſum vertuntur, & ſingultum pariunt; tùm ratione talis ſeptici, tùm tetri vaporis ventriculi os irritando, tùm ratione inanitionis, quia ex eorum inanitione, quæ evacuantur, ſequitur irritatio in ventriculi orificio.

Venena corroſiva ſingultum excitant (ut pluries obſervavimus,) quia plurimo ſale cauſtico putrefactivo, & ſulphure inflammabili abundant. Item ſingultum excitant venena ſanguinem coagulantia, ut eſt viperæ aſpidis, &c. venenum, quod in acido conſiſtit.

In hepatis inflammatione quandòque ſingultus ſupervenire ſolet, quia pravus vapor, vel ichor ad ventriculi orificium mittitur, vel quia tumidum hepar ſubjectum comprimit ventriculum, & expultricem irritat.

Prognoſis.

Singultus, qui repletioni ſuccedit levior, & periculoſus non eſt; tùm etiam ille, qui criſim per vomitum interdùm antecedit, ſi reliqua ſigna in bonum conſpirare videantur. In paſſione hyſtericâ adeò periculoſus non eſt, dummodò ab uteri inflammatione non dependeat, ubi periculo non vacat. *Singultum patienti ſternutatio ſuperveniens ſingultum ſolvit. aph.* 13. *ſect.* 7. quia ſternutatio ſingultum tollit; præſertim à repletione excitatum, & ob cerebri conſenſum cum ventriculo in vehementi illo motu humorem ventriculum irritantem excutit.

Periculoſus eſt, quia affecto ventriculi ore, ut à cardialgiâ, quia inſignem fibrarum in ventriculo tenſionem, & dilationem fieri denotat, undè lipothymia timenda eſt.

Singultus poſt inanitionem perpetuò

mortis nuncius eſſe ſolet, ſic *ſingultiens in laborioſâ febre, morbo laborat peſſimo*, ut habetur *in Coacis*, & nullus ſervatur niſi à repletione fiat, quia tunc inſtantem denotat criſim per vomitum futuram, & coctionis ſigna in morbo manifeſtè apparent: Si vero ſingultiens ſit extenuatus, & febre ardente, vel malignâ decumbat, mortis prænuncium præ foribus habet; ſit n. ſingultus ille vaporibus acribus, & malignis ichoribus interiorem ventriculi tunicam irritantibus, & illius expultricem ad invitas convulſiones intercalari intermiſſione moleſtantibus, ſic in omni ventris fluxu, ut diarrhœâ, dyſenteriâ, in omni marcore, in quartanâ, & ſimilibus lethale ſignum.

Malum eſt omnibus ſingultum ſuperfluæ ſupervenire purgationi, ut *aph. 4. ſect. 5. ex nimiâ purgatione ſingultus ſuperveniens, malum.* quia purgantia virus habent laxativum, quod non rarò muſculoſas convellit partes; in ſenibus tamen maximoperè malum, ut *aph. 41. ſect. 7. Senibus nimium purgatis ſingultus malus.* ob virium imbecillitatem. *Ab Ileo ſingultus, malum aph. 10 ſect. 7.* denotat illam inteſtinorum partem nervoſam inflammatione affici, & ventriculi orificio communicari, vel ichores tranſmitti; attamen in herniam patientibus inteſtinalem non eſt ità periculoſus, quia ſola inteſtinorum reductione evaneſcit; verumtamen ſi inteſtina reduci nequeant, vel gangrænam concipiunt, vel lethalem accedunt febrem, & tùm ſivè reponantur, ſive non mortem acceſſunt, ut multoties nos obſervavimus.

A vomitu ſingultus, & oculorum rubor malum. aph. 3. ſect. 7. Vomitus ſingultum ſedare deberet, ſi vomitu ventriculi os infeſtantia rejicerentur, quod ſingultui perſeveranti, humoribus vomitu rejectis, oculorum rubor accedat, lethale eſt ſignum; cerebri .n. vel ventriculi non parvam denotat inflammationem, quæ non tantùm ſingultus & oculorum ruboris, verum etiam vomitûs cauſa eſt. Oculorum rubor à cerebri inflammatione ſanguinem ad oculorum venulas exprimente, & in extimam tunicam ſe effundente ortum habet, cui ventriculus conſentiens per inſignes ſextæ conjugationis nervos, ab eâ cerebri inflammatione facilè ad vomitum, & ſingultum ventriculus irritatur. Ventriculus inflammatus vomitum, vomitus ſingultum, & ſimul cum ſingultu oculorum ruborem excitat, fervidioris ſanguinis portione ad oculos communicatâ, ob maximum inter ventriculum, & cerebrum conſenſum; vitiato n. plerùmque ventriculo, inter ſuffuſionem primordia oculis variæ rerum imagines obverſantur.

Ab hepatis inflammatione ſingultus, malum. aph. 17. ſect. 7. Non ſemper hepatis inflammationi ſingultus ſupervenit, ſed tunc cum inflammatio maxima, & deterrima eſt, & eò uſque accrevit, ut vehementer ſuperiori incumbat ventriculo, & ſingultum excitet; vel affluens ichor ità ventriculi os ad ſingultum irritet, ut etiam inflammatio, aut eryſipelas in ipſo ventriculo excitetur, quod deplorabile eſt ſignum.

Aphonia cum ſingultu peſſima. 1. prorrhet. t. 23. ſignificat n. ſingultum à pulmonibus excitari ex nervorum ſextæ conjugationis conſenſu, qui eſt in cerebro cum ſtomacho, & organo vocis.

Delirium lethale cum ſpiritu, & ſingultu. In coac. Quandò delirium ſingultum comitatur, vel inflammatus ven-

ventriculus ichores, & acres vapores ad cerebrum mittit, aut inflammatum cerebrum per ſextæ conjugationis nervos ventriculi orificio malum communicat, quod utrumque eſt lethale. Singultus in ſomno profundo, vel animi deliquio, aut tetano obortus, mortem non longè abeſſe ſignificat.

Veterum Curatio.

Levem, & facilem ſingultum inquiunt vulgares medici operâ non indigere, ut eſt puerorum ſingultus, quod ſi importunus ſit, & à levi cauſâ productus, triplex adhibent remedium, & primum eſt, ut ſternutamentum provocetur; dicit enim *Hip. 6. aph. 13. A ſingultu correptum ſternutatio ſuperveniens liberat.* quia illo concurſu humores infixi ſingultum facientes eliduntur. Secundum, ſpiritûs retentio ad tollendum ſingultum quoque juvat. & præſertim cum, quia à cauſâ frigidâ eſt ſubortus, quia ſpiritûs retentio non ſolùm partes calefacit vitales, verùm etiam naturales, & his partibus calfactis, ſingultûs cauſa extinguitur. Tertium eſt frigidus aquæ potus remedium, quod eos ſedat ſingultus, qui à cauſâ calida ob humorum acrimoniam fiunt, quia acrimonia aquæ tepore, & humiditate valdè attemperatur. Habet vulgus aliud expertum remedium, & eſt ut ſingultienti referatur funeſtus nuncius, vel de amici, vel conſanguinei morte, vel de aliquo opprobrio, quia tunc vita alienatur, & aliò vacat, ſtatim ſingultus ceſſat, & poſtmodùm certior fiat de remedii ſtratagemmate. Plura ſunt ejuſmodi ridicula remedia, quibus tamen ſingultus cedit, cujuſmodi etiam eſt, ſi jam quis ſingultire incipit, & ſaltim quemvis ſingultûs ſonum numeret, tunc ſtatim ceſſat mox in primâ ſingultatione, adeò ut plerùmque non opus ſit ſecundam, vel tertiam numerare; ſi verò erratur in numero, ut ſæpiùs fit, quod quis primam non advertit, & ſecundam, vel tertiam putat eſſe primam, tunc etiam nihil juvat. Eſt iàm certum hoc experimentum, ut vix unquàm fallat. Præter hos modos ſunt, & alii ſingultum ſolvendi, qui ſi ſit levis, abſtinentiâ, & tenui victu curatur.

Si ſingultus fuerit gravis, & contumax per viam inanitionis poſt magnam febrem, nimiam purgationem, diarrhœam, hæmorrhagiam, &c. ſingultientem unicâ vice purgant *mann.* ℥iij. deindè ad lac humectans, & nutriens deveniunt, modo non adſint contraindicantia. Tertiò, balnea aquarum dulcium circa ſtomachum fiunt, conferunt jura pinguia, carnes contuſæ, lac amygdalar. & tandèm quicquid humidum radicale reſtituere aptum eſt. Confert demùm cochleare *olei amygdal. dulc.* per epicraſim.

Si verò ſingultus à repletione fuerit, aliam adhibent curationem, undè ſi cauſa replens ſit calida, & bilioſa victum ad frigidum, & humidum vergentem inſtituunt, ſecundò illam vomitoriis exturbant, quod ſi ſingultiens ad vomitum ſit ineptus, illam ad excretionem præparant, ut

℞. *Syr. de endiviâ,*
inſuſ. roſ. rubr.
violar. an ℥ß.
aq. endiviæ ℥iij. *m.*

Præparatam materiam expurgant, ut

℞. *Flor. cord. p. j.*
fol. ſen. or. ℥j.
pulp. tamarindor. ℥ß.

f. decoct. & in ſuff. colat. diſſolue
ſyr. roſ. ſolut.
de cichor. Nicol. cum duplicato
rhabar. an. ℥iij.
m. f. potus.

Poſtremò ventriculum roborant *abſynth. irrorato aq. roſ. rubr. & modico aceti.*

Si cauſa replens fuerit frigida, victûs ratio ad calidum, & ſiccum inclinet, & illa diſponatur ad exitum, debitis ſyrupis, ut

℞. *Syr. de oximell.*
corticibus citri an. ℥j.
aq. meliſſ. ℥iij. *m.*

Deindè in formâ pilulari purgans exhibent medicamentum, ut

℞. *Pilul. de agaric. trochiſc.*
pulv. hieræ ex ſeptem rebus an. ʒj.
cum cathartic. roſ. ad ſuff.
formentur pilul. & deaurentur.

Poſt duas horas apozema propinant, ut.

℞. *Syr. ſueſſ.*
roſ. ſolut. an. ℥ij.
aq. meliſſ. parum.
m. f. potus.

Si malum non ceſſet, iterùm ad præparantia, & purgantia per vices aſſumenda recurrunt.

Internis externa conjungunt medicamenta, ut olea, unguenta, emplaſtra, cataplaſmata, &c. quæ ventriculo applicant. Non enim inutile dijudicát cucurbitulam cum multâ flammâ vẽtriculo applicare, & dorſo eâ parte, quâ ſtomachus vertebris annectitur.

Singultûs apud vulgares facilis eſt curatio, quia ſi inanitio erit in cauſâ, repletione curatur; ſi repletio, inanitione, ut *Hip.* inquit: *aph.* 22. *ſect.* 2. *Quicunque morbi ex repletione fiunt, curat evacuatio: & quicunque ex evacuatione, repletio, & aliorum contrarietas.* Quæ doctrina *Galeni* axiomati correſpondere videtur: *contrariis contraria curantur.*

Noſtra Curatio.

Magnam vim in tuendâ ſanitate, & profligandis morbis obtinet diæta, nihilominus non tantùm in cibo, & potu conſiſtit. ſed in omnibus ſex rebus non-naturalibus; hæ nàmque vel valetudinem collapſam in naturalem conſtitutionem redigere, vel optimè diſpoſitam conſervare poſſunt. Itàque in ſingultu de noſtro more diæteticam præmittimus partem, & deindè ad pharmaceuticam devenimus, undè

Aër non ſit nimis calidus, neque frigidus; nàm nimis calidus acrimoniam adauget; nimis frigidus acidum intendit: Sit itàque ſyncerus, & in qualitatibus temperatus, non peregrinis, fœtidiſque conſpurcatus particulis, & ſi talis fuerit qualitatibus imbutus, corrigatur per ſuffimigationem ex maſtiche, gummi animæ, thure, ſuccino, caſtoreo, ſtyrace calamitâ, ligno aloës, &c. vel ex herbis odoratis, pulegio, menthâ, origano, &c.

Cibus omni acrimoniâ, ſalſedine, & aciditate vacet. Proſunt juſcula, carnes pullorum, caponum, & gallinarum, attamen citra notabilem pinguedinem, probantur ova ſorbilia; ac proindè nocent acida, acria, & ſalsa, ut carnes, & piſces ſaliti, & infumati, ſimiliter fructus horarii, omnia flatulenta, ut caſtaneæ, & legumina, quæ cruditatibus ſtomachum replent.

Potus ſit decoctum cornu cervi, cinnamomi, aniſorum, vel ligni ſaſſafras; ſi vinum bibat æger, ſit correctum ſimplicibus ſtomachicis.

Motus ſit temperatus, nè morbus augeatur,

augeatur; verùm quia quandòque affectus contumax eſt, & ſingultûs materia fortiter ventriculo hæret, ad eam diſcutiendam conducit ſternutatio, vociferatio, deambulatio cita, geſtatio, & equitatio, ut in valido motu è loco affecto dimoveatur.

Quies quandòque magis conducit, nè particulæ acidæ ad motum impellantur, & malum producant, quod totum experientia te docebit, an motus, vel quies magis proſit juxta morbi conſtitutionem.

Somnus eſt unicus ſpirituum domitor, ea propter ſi ſponte non obrepit, opiatis alliciendus eſt; opiata n. acida, & acria temperant, & omnes demulcent partes, præcipuè nervoſas ab acribus particulis vellicatas, & ad motum convulſivum impulſas.

Vigilia vitetur, ſed nè quid nimis, quia ſpiritus turbat, irrequietos reddit, & humores efficit acres.

Excreta, *& retenta* in naturali ſtatu arte, vel naturâ ſerventur.

Animi paſſiones prudentiæ fræno coërceantur, conducunt proptereà terror, timor panicus, ira, gaudium, quibus cùm ſpiritus intrò ad eos, & rurſùm ad corporis ambitum revocantur, accidit, ut ventriculus materiæ vellicationem non ſentiat, dùm caloris, & ſpirituum agitatione materia nonnihil anteà quieta concutitur, & loco affecto dimovetur, & diſſolvitur, ac in omni ſingultu à quacumque causâ otto locum habere poſſunt.

Vulgaria anicularum, & Galeniſtarum remedia, ut etiam ſunt aqua gelida in ſingultientis faciem injecta, ut indè terror concipiatur, à quo ſæpiùs ſpiritûs retentio, & per conſequens ſingultûs ablatio obſervata fuit, itèm frictiones, & motiones in auribus factæ digito auriculari, ut & alia ridicula medicamenta, ceu thoracis compreſſio, reſpiratio omiſſa, & futilia verba, meritò omittimus.

Singultûs curatio ad illius cauſas dirigitur, quæ vel ſympathicè hunc affectum producunt, vel idiopathicè. Sympathicæ cauſæ efficientes ſunt aliarum partium affectus, quibus curatis, ſingultus etiam curatur. Sic ubi ſingultus alterius affectûs gravis, febris nempè acutæ, aut inflammationis, &c. eſt ſymptoma, ſpontè quidèm illo curato, remitti ſolet, non nocet tamen ea remedia, quæ ſymptomati deliniendo idonea ſunt, diaphoreticis & alexipharmacis opiata aſſociare. Idiopathicus affectus fit ab humore acri, vel acido, flatu, aut malignæ qualitatis participe.

Si itàque quacumque ex causâ ſingultus obſtinatè perſiſtat, cujus materia ventriculo firmiter impacta ſit, ad ejus evellendas ſordes acres, & acidas, & opiata non profuerint ad emetica, tamquàm ad ſacram anchoram, confugimus, modò vires, ætas, & vomendi facilitas ad id unà concurrant: ità ſunt: *oxyſaccharum Angeli Sala*, *tartarus emeticus*, *ſapa antimonii*, *antimonium bis detonatum*, quod per alvum tamdèm materiam peccantem eliminat, *Hippocras emeticum n. d.* Vel ſi emetica antimonialia ægri reformident, *radicu aſari ad* ʒß. ſuſtitui poteſt. Hæc tamen antimonialia in parvâ doſi exhiberi debent, quia ſic non nocent, ut perperàm vulgus credit, & benignam excitant vomitionem, ac ſi in corpore remaneant, & nullam exerunt vomitionem, tunc magis juvant, quia noxios emendant humores, & præparant ad ſecuturâ purgationem, ut nos experientia docuit.

Si æger ad vomitum nullatenùs inclinet, nec nauſea premat, peccantes humores lenienti cathartico evacuari præſtat; fortiora purgantia propter majorem ſpirituum, & humorum tumultum, quem inducunt, meritò rejicimus, quia malum potiùs intendunt, quàm leniunt; quadere conducunt in primis *aloëtica*, *ut pilulæ ex aloë*, *vel*

℞. Mercurii dulcis gr. xv.
diagrydii gr. viij. m.
& cum ſyr. de abſynth.
f. pilul. num. iij.
& deaurentur.

Aut convenit *diatartarus Petri Caſtelli*, ut

℞. Diatartar. Petri Caſtell. ℥ij.
diſſ. in ſuff. q. aq. ſolut.
magiſtralis ut f. p.

Vel *Diatartarus in formâ pulveris noſtræ deſcriptionis.*

℞. Tartari vini alb. ʒiij.
ſenæ or. tantundem,
cinnamomi acuti ℈ß.
m. f. omnium pulv. ſubtiliſſ.

propinari poteſt *in jure*, *vel decocto cinnamomi.*

In debilioribus, in quibus emetica, & cathartica locum habere nequeunt, clyſteres edulcorantes cõmendantur, ut

℞. Decoct. carminat.
emollient. lib. j.
benedict. laxativ. ℥j.
ol. rutæ ℥iij.
ſal. gemmæ ʒj.
vitell. ovi num. j.
m. f. clyſter.

Poſt aſſumpta vomitoria, vel purgantia, ſi eliminati fuerint noxii humores, ægri remanent laſſi, & defatigati, ac ſtomachus languet, ad hunc corroborandum, & moleſtos habitus circa ventriculum hærentes diſſipandos, & ad ipſum ſingultum leniendum conducet *miſtura Sylvii*, cujus deſcriptio talis eſt:

℞. Aq. menth ℥j.
vitæ Matthio'.
vel theriacalis ſimpl. ℥ß.
confect. alkermes ʒj.
laudani opiati gr. ij.
ſyr. menth. ℥j. *m.*

Hujus miſturæ cochlear unum, vel alterum ſumat æger, & ad ſomnum ſe componat. Si ſimul adſunt flatus, qui interdùm in ſingultu repetiuntur, tunc miſturæ addendæ ſunt *ſpiritûs aniſor. gutt. vj. vel viij.*

Ad eundem ventriculum roborandum, & flatus in ructus reſolvendos ſequentem miſturam proficuam experti ſumus, ut

℞. Syr. aniſor. ℥j.
elixir. proprietat. deſtillat. ʒij.
elæoſachar. citri ℈j.
quint. eſſent. cortic. aurant. gutt. x.
aq. cinnamomi ℥ß.
chocolatis ʒij.
aqua menthæ,
meliſſ. an. ℥ij. *m.*

Credibile non eſt, quantum in ſtomachicis affectibus, & in flatibus diſſipandis hæc noſtra miſtura proſit, & reverà dici poteſt divinum ventriculi nectar, cui ſi addes *laudani opiati gr. ij.* efficies medicamentum ipſo prætioſius auro.

Si ſingultus fiat à crudo cibo in ſtomacho, vel à vitiatâ digeſtione, tunc conducunt etiam emetica, ſi æger vomitum non repudiet, aliàs per inferiora purgetur, ac poſtmodùm ad ſtomachum roborandum utatur *noſtrâ miſturâ*, ſcilicèt divino ventriculi nectare, vel ſequenti pulvere:

℞. Nucis moſchatæ,
ligni aloës,

caryo-

caryophyllor.
pulv.diambr. an.℈j.
Zedoariæ ʒß.
zinziber. alb.
calami aromatici,
caſſiæ ligneæ,
cinnamomi an. ℈j,
f. omnium pulvis.

Capiat manè ℈ij.cum pauco vino odorifero.

Poſt purgantia, & emetica ſingultui non curato abſorbentia ſuccedunt, quæ hunc curare valent affectum, abſorbendo acres, acidaſq; ſcorias ventriculi tunicis impactas,& ad motum ſpaſmodicum ſollicitantes. Verùm abſorbentia eligi debent appropriata : nàm acidum in ſingultu peccans ab alio differt acido ; nec tot acidorum varietas, quibus nunc tota innititur medicina tàm in theoriâ, quàm in ſpeciali praxi, vix determinari poteſt, imò hoc eſt ſpecialius, quia ſpeciali acido obtundendò ſpeciale anti-acidum requiritur, ſed hîc labor eſt ! Sic in hyponchondriaco affectu aliud eſt acidum , in ſcorbuto aliud,in podagrâ aliud, in Lue Venereâ aliud, & ea propter hæc ſpecifica ſua habent anti-acida, quæ cognoſcere non omnibus datur : ſed noſtrates medentes vulgares indiſcriminatim ſine ullâ præmeditatione,& delectu in omni morbo ab acido ortum ducente præſcribunt alkalia , nec ſpecialem differentiam inter acidum, & acidum, quod ſuo alkali oppugnatur , meditantur: ad hoc aſſequendum conſumatus in medicinâ vir requiritur, qui has acidorum differentias trutinaverit , & non caſu ad anti-acida confugiendum. Sed heu , quod magis dolendum ! Nunc tota Galeniſtarum Arcadia in ſacram recentiorum artem ſe intruſit , & ſicut veterum eam

D. Car. Muſitani Trutina Medica.

ſceleravit, itâ hanc recentiorum profanabit. Jàm acidum alkali, & alkali acido agglutinant, ſed mare, cœlo miſcere dubium non eſt , & planè ridiculum eſt Galeniſtarum Synagogam de alkali , & acido differentem audire. Ad acidas ergo , & acres ſcorias in ſingultu delinquentes ſpecificè abſorbendas pulverem *cornu cervi,vel eboris adusti* commendamus , quod remedium ſæpiùs comprobavimus , nec aliâ indiget experientiâ , excellentiùs tamen evadet, ſi *corallia* addantur præparata additione unius, vel alterius guttulæ *olei cinnamomi, caryophyllor. vel aniſi.*

Sequentem pulverem multoties in ſingultu tanquàm divinum remedium experti ſumus , quia ex appropriatis anti-acidis componitur, ut

♃. *Cinnabar. nativ.* ℈j. *coralliorrubr. ebor. ſine igne præparat. an. gr.* XV. *margaritar. præparat.* ℈ß. *caſtor. gr.* vj. *m. f. pulv. ſubtiliſſ.*

Cujus doſis ℈j. exibetur in aquâ menthæ, vel in aquâ cinnamomi cydoniati; temperat nàmque non tantùm acidas, & acres particulas , ſed omnes partes membranoſas , & fibroſas à ſuccis acidis vellicatas demulcet.

Terra ſigillata,bolus armena, lapides percarum, cancror.carpionum, & aquæ portulacæ maximè conducunt,quia omnes præcipitant corroſivos humores,ac proindè ſi ſingultus fiat ab humoribus acribus corroſivis , & effervеſcentibus, in ſpecie ſunt uſurpanda.

Singultus ſi fiat à cauſâ venenatâ venenum deprimentibus , immutantibus, vel eliminátibus antidotis juxta veneni conditionem , curatur. Hinc cauſa veneni ſingultum faciente repletionis, & inanitionis cauſam *Hippocratis* falſam

eſſe cenuimus; nàm dantur, & aliæ graviores multò ipſius ſingultûs cauſæ, ut vapor malignus, & venenatus, qui in ventriculum effuſus deteriorem infligit ſingultum, ut in venenatis quibuſdam, & incantamento affectis, ac maleficiatis experimur., in quibus non datur neque repletio, neque inanitio aliqua (niſi velint vaporem vulgares ad repletionem reducere,) ſed tantum maligna, & venenata qualitas, quæ ventriculum afficit, undè ut ſe à malignâ, & venenatâ aurâ ſe extricet, motum excitat convulſivum, quo ea omnia, quæ illi nocent, foras expellere nititur.

Si febris maligna, variolæ, vel dyſenteria ſingultum comitentur, tunc alexipharmacha & ſudorifera reliquis anti-ſpaſmodicis, & opiatis permiſcenda ſunt, ut *antidotum bezoarticum in aquâ alexipharmacâ, vel bezoartica, laudanum opiatum noſtrum cum aliquot guttis eſſentiæ caſtorei &c. in noſtrâ Pyretologiâ deſcripta*. Vel imitandus eſt *Riverius, qui cent.* 4 *obſ.* 77. continuum in febre malignâ compeſcuit ſingultum per emulſionem: *Vocatus in Concilium laudani opiati gr.* ij *preſcribo cum emulſione* 4 *ſemin. frigid. major. in quâ ſal. prunell* ℥j, *diſſoluta fuit: intra horam ceſſavit ſingultus, nec amplius rediit*. In dyſenteriâ verò malignâ cum ſingultu appropriatum remedium erit *extract. tormentill. cum diaſcord. Fracaſtor. cum aliquot gr. caſtorei*.

Caſtoreum in ſingultu maximum eſt remedium, nam quodcumque acidum in corpore humano efferveſcens abſorbet, & præcipitat, ac proinde omnes ſpaſmodicos compeſcit motus, quia abundat ſale volatili oleoſo, ac propterea.

℞. *Caſtorei* ℈j. *ſucci menth.* ℥iv. *m.* capiat æger cochlear j. vel ij. urgente ſingultu, eodemque remedio ventriculus calidè bis, aut ter in die poteſt injungi.

Opiata omnia felicem habent uſum in ſingultu; hæc .n. acida, & acria temperant, omnes partes ab acidis vellicatas pacant, ſenſum irritationis tollunt, ſomni dulcedinem alliciunt, doloribus lenimem præſtant, & tumultum in republicâ microcoſmicâ ſedant, ſi præcipuè aliis præcipitantibus fœdus ineunt, & egregiè cum caſtoreo admiſta tàm in formâ liquidâ, quàm ſolidâ, nàm ſpirituum impetum refrenant, & quaſi ſegniores reddũt, ut ſomnolentiæ, & indolentiæ teſtantur. In toto medicinæ orbe tàm præſtantiora, quàm infallibilia ſunt ut palmam emeticis, catharticis, ſudoriferis, & diureticis præripiant, quæ quandòque nullum, & quandòque oppoſitum ſortiuntur effectum. Si à medicinâ opiata demas, tota quanta eſt ejus majeſtas vilis, & abjecta jacebit. Pauci ſunt morbi, quibus opiata ſuppetias non præbent, & ſi dexterè à perito medico tractentur, actutùm miracula patrant. In ſingultu opiata præſcribimus, quæ vitam ſedant; hæc n. ad noxii præſentiam morbos parit, & hæc eadem curat, & opiata ſingultûs cauſam ab inanitione, vel repletione falsam oſtendunt: nàm hæc ſingultum abigunt tàm per repletionis, quàm inationis viam factum, abſque eo quod vel evacuent, vel repleant. In ſingultu opiata præſcribimus cum anti-ſpaſmodicis, ſine quibus etiam eundem patrant effectum:

℞. *Extract. Caſtor.*
zedoar. an gr. iv.
laudani opiati gr. ſs.
m f. pilul. ij. *deaurentur pro duabus Doſibus.*

Vel ℞. *Laudani opiat. gr.* iij.
diacinnamon. ℈j.

el-

ol. caryophyll. gut. j.
m. f. pilul. iij. pro III. *vicibus.*

Vel ℞. *Diamſi gr.* XII.
ligni aloës in pollinem gr. v.
ol. macis gutt. ij.
nepenth. Quercet. gr. j.
m. f. pilul. ij.
deaurentur pro unâ vice.

Vel ℞. *Theriac.* ℈j.
ſemin. aniſi. ℈ß.
eſſent. nuc. moſc. gutt. ij.
laudan. opiat. gr. j.
m. f. pilul. iij. pro unâ vice.

Vel ℞. *Syr. aniſor.* ℥j.
nepent. Quercet. gr. ij.
diacinnam. Regij ℈ß.
aq. menth ℥ij.
m. detur cochleatim.

Dum interna adminiſtrantur, non deſint externa, quæ ſtomachi, vel umbilici regioni applicentur, ità eſt cataplaſma *Hadriani à Mynſicht* contra ſingultum. Quidam applicant ventriculo cum ſpongiâ fotum humidum compoſitum ex *aceto acerrimo coctо cum caſtoreo, pipere, & ſinapi. Olei aniſi deſtill. gutta aliquot* ſtomacho, & umbilico illitæ ſimiliter egregiè conferre dicuntur.

Tandèm in contumaci, & diuturno ſingultu ad *thermarum ſulphurearum* uſum, tanquàm ad remedia generoſiſſima confugiendum eſt, extat apud nos *balneum gurgitelli in Inſulâ Ænariæ.* Vel componi poteſt, *balneum artificiale*, ut

℞. *Flor. anthos,*
chamomill.
calaminth.
ſummit. menth.
abſynth. an. m. ij.
baccar. lauri,
juniper. an. ℥iij.
ſemin. cumini;
aniſorum,
carui an. ℥j.
nuc. moſcat. contuſ. num iij.

Bulliant in ſuff. aq. quantitate pro balneo, in quod ingrediatur æger, & calidè ſe balneet.

CAP. X.

De Cholerâ.

VEntriculus ex depravatæ coctionis reliquiis tot, tantaque congerit excrementa, ut ipſe ad vomitum, & inteſtina ad alvi fluxum excitentur violentum ſummo cum dolore, virium proſtratione, & animi deliquio. Hæc excrementa, quæ ventriculum, & inteſtina interturbant tanto cum impetu ſæpè flava ſunt, citrina, viridia, aliquandò nigricantia, quandòque amara, acida, &c. Hunc morbum choleram appellarunt medentes, quia cholera apud ipſos ſignificat flavam bilim, & primariam temperamenti cholerici eſſentiam, ac biloſarum affectionum cauſam, & quia in hoc morbo per ſuperiora, & inferiora cholera, ſivè bilis excernitur, choleram appellarunt: Attamen impropriè, & abuſivè; ſi n. hoc eſſet, ut à ſuis cauſis morbi nomen traherent, hydrops, phlegma, pleuritis ſanguis, & ſic de cæteris appellari deberent. Prætereà non ſemper cholera, ſeu bilis ſursùm, & deorsùm erumpit, ſed etiam ſæpè ſeroſus, pituitoſus, &c. humor. Non ſatis ergò conſtat, cur huic morbo choleræ nomen indiderunt, cùm non à bile ſolâ excitetur, ſed potiùs à corruptis pravi ſucci cibis, magiſque à phlegmaticis, quàm biilioſis. Nonnulli hoc nomen crediderunt, à voce χολή, ideſt bilis, & ῥέω fluo; ſed hoc ex ſuprà allatis patet

falſum eſſe, *Alexander Trallianus tamen lib.7. cap.14.* aliundè hoc nomen deducit .ſ. ab inteſtinis, quæ veteribus χολάδες dicta ſunt, attamen hæc nomenclatura inepta eſt, licet .n. in hoc morbo unà inteſtina laborant, potiùs ad ſtomachum pertinet.

Signa.

Morbus hic facilè cognoſcitur, quia æger ſubitò in vehementem, impetuoſum, copioſum, & continuum vomitum incidit, cui etiam vehemens alvi fluxus unitur, in quibus per ſuperiora, & inferiora copioſa ingeſtorum ſuccorum colluvies exturbatur, idque continuatim per aliquod horas; undè ſequuntur ventriculi & inteſtinorum dolores, cardialgia, inflatio, ſitis cum æſtu, & anxietate, vires miſerè proſternuntur. Pulſus non raro parvus, celer, ac frequens eſt, ſudor interdùm diaphoreticus, extremorum refrigeratio, crurum, & brachiorum ſæpè convulſio, virium exolutio, & ſyncope.

Veterum Cauſa.

Galenici hujuſmodi humorum degenerationem viſcerum intemperiei refundunt, quod à veritate alienum eſt; nàm in febribus maxima eſt in viſceribus intemperies, in quibus tamen nunquàm cholera accidit; in hydrope maxima eſt intemperies frigidà ſine hac, & omnia hac, & omnia viſcera à ſanguinis inſpiratu caliditatem habent. Non negarim tamen ſanguinis nimium motum, qualis in febribus obſervatur, & calorem ex eo reſultantem, fellis fermentum rarefacere, & illius effluvium augere, quâ de causâ etiam in febribus bilioſæ obſervantur excretiones ex ſucco alimentitio amareſcente copiâ effluvij fellei nimiâ, quàm falsò febris cauſam putant, cùm ſit potiùs effectus; tamen ſi alimenta non conſpirant, & fel exaltatum fermẽtũ magis, quàm poteſt, non tranſmittit, hic affectus non oritur.

Noſtra Cauſa.

Vt noſtram de cholerâ ſententiam ſtatuamus, notandum, primò, ut ſuprà diximus, quod alimentis in ventriculo ſapor acidus ab intrinſeco advenit, qui ab ætherea alimentorum parte, antequàm fibrarum texturas ſubeat, ſeparatur, & ſuam nanciſcitur ſalſedinẽ, ut vini ſpiritus ſalſus ex acido vino.

Not.2. quòd *Iohannes Baptiſta Van-Helmontius* non ſanè à vulgarium præjudiciis liber fuit, licèt novam inſtituerit medicinam, multis tamen aliorum ſomniis abſque rei examine gratis ſe ſubſcripſit, & præcipuè maluit chylo credere, quàm ipſum exquirere. Credidit iſte cremorem acidum per fellis effluvium in ſalſum mutari, chylus .n. tranſiens per pylori anguſtias, paulatim ad duodenum venit, recipit fellis effluvium volatile in halitus diſperſum, à quo ſalſeſcit, effluvium hoc ad ſtomachum etiam penetrat, non admodùm tamen copioſum, ex eo quia fel à ſtomacho magis diſtat, & ſtomachi tunicæ ſic fabrefactæ ſunt, ut volatiliorem illius partem admittant, aliàs n. fermenti digeſtivi vim enervaret. Vt videre eſt in avibus, & multis aliis animantibus, in quibus fermentum acrius eſt, & magna excitatur aciditas, ipſamet bilis ſubſtantia ad corrigendam totam aciditatem intra ſtomachi cavitatem penetrat. Verùm pace tanti viri nos diximus, quòd acidus ſapor in ciborum maſsâ, multo inſpirato liquore, vertitur in ſalſum, id multis rationibus, & mechanicis comprobavimus. Præterea, ſi fellis effluvium à duodeno in ſtomachum penetraret, tota chyli maſſa potiùs amareſceret,

reſceret, quàm ſalſum verteretur, vel in ſalſum amarum degeneraret, quia una fellis gutta mellis cadum amaricat. Inſuper ſimplex columba felle carens, quo ſuccedaneo cremorem acidum venit in ſalſum? Porus bilarius à jecinore ad inteſtinum duodenum deſcendit, & perrarò non niſi morboſâ contingentiâ in fundum ventriculi, & pylorum protenditur, ac moleſtam efficit vitam, eò quòd identidem ventriculum acriter lancinat, & coctionem interturbat, biliſque vomitum ſæpiùs concitet. Nec ſi quolibet digeſtionis tempore ventriculũ ſecemus, nulla deguſtatur amaritiei.

Not. 3. non omnem æthereum ſpiritum in ciborum maſſâ latentem educi, ſed tantùm partem ad motum promptiorem; nam altera pars, quæ in compactioribus materiæ partibus profundius deliteſcit, inter ciborum reliquias remanet, quæ, quia fæculenta eſt, cùm non ſit de ventriculi indole, in duodenùm exturbatur. Nec vita quieſcit, donec omninò ab ingeſtis cibis totam attrahat eſſentiam. Vndè ciborum reliquiæ ex fermentatione reſiduæ, quæ ſub pylorum deſcenderunt à ventriculo depauperatæ fermentalem non poſſunt excitare motum, & nè partim immutatæ remanerent; natura ſpreti fellis effluvium in duodenum, & jejunium immittit, quod ciborum reliquiis ſe commiſcet, & tali menſtruo in liquorem ſolvuntur Hinc reliquus æthereus ſpiritus, qui antea in centro ligabatur, ad ſuperficiem evocatur, & talem obſolutionem ſe movet, & in inteſtinorum fibras ſe recipit. His ſtantibus

Cùm fellis effluvium copioſiùs, quàm par eſt, in duodenum ità inſpirat, ut ſtomachum infici, vel talia ingeruntur alimenta, à quibus non facilè avelli poſſit acidi ſalis copia, ſi copioſiùs fellis effluvium in hæc alimenta inſpirat, alimentitius ſuccus amareſcit, & in bilem, quàm putant, vertitur, hoc ſi exaltatur admodùm, & cum ſale acri conjungitur, virus acquirit laxativum, quod valorum orificia aperit, & non ſolum ſuccum alimentitium, ſed etiam carnes liquat, & ſibi ſimile facit, quod vellicans ſtomachi, & inteſtinorum tunicas, illas convellit, & ad excretionem ſtimulat, & cholera generatur.

Interdùm ab eademmet effluvio nimiùm quàm par eſt, ciborum reliquiæ in duodeno liquantur, & amareſcunt. Interdùm aciditas non tranſmutatur, & nimis exaltatur. Quandòque acrimonia fermenti acriùs ſal vipetrinum, quod ineſt alimento, ſuperans, idem efficit. Interdùm cauſæ miſcentur, & effectum ex triſtis cauſis provenientem, & variar laticum degenerationes oſtendentem efficiunt.

Hermetici à nobis non diffident, tamen ipſi, licèt ad ſalia amara, acida, &c. referant, non progrediuntur, ulteriùs, quod minus faciunt vulgares medici, ut videre eſt.

Confirmat, quod diximus author *lib. 7. tex. 90* qui ait: *Cholericæ ſurſum, & deorſum eruptiones è nimio eſu carnis, potiſſimùm ovillæ crudioris: Item ex cibi inſuetis, & ebrietate vini veteris & dulcioris ex granis pini, locuſtis, nucibus rancidis, atque ex alliorum uſu, porri, & caparum, maximè à lactucis coctis, braſſicâ, & ſimilibus crudioribus, à placentis etiam, & dulciariis, & mellitis, fructibus horariis, potiſſimùm cucumere, & pepone. Fiunt autem magis æſtate: quia tunc faciliùs corrumpuntur, & inconfecta manent.*

Nimia caro non poteſt à fermento fin-

bilci, & potiſſimum cruda. Inſuetà alimenta fermento non ſunt familiaria. Vinum vetus, & dulcius inebrians figit fermentum. Grana pini, nuces rancidæ facilè amareſcunt, hoc eſt effluvii fellis ſimilitudinem trahunt; Allia abundant ſale acriori. Porri, & cæpæ, herbæ crudæ, ſi ſint nimiæ, fermento non obediunt. Sic quoque fructus horarii, cucumeres, & pepones adverſantur, quam maximè fermento, undè ferè nunquàm digeruntur Æſtate deficit fermentum, ut diximus.

Choleram, quam ſiccam vocant, fit à flatu à ventriculo, & inteſtinis exeunte, parieteſque, per quas tranſit, mordicante; horum genuinam cauſam afferemus, cum de colicâ.

Prognoſis.

Cholera morbus ità acutiſſimus, & periculoſiſſimus eſt, ut pauci incolumes evadant, niſi forſan ſint robuſti juvenes; ſi tamen aſſumptorum vitio oriatur, minùs periculoſus eſt, quia his excuſſatis, plerumque ſolvitur morbus. Interdum in dyſenteriam tranſit. Cholera ſolet aliquibus per certa intervalla recurrere, quæ quia corporis redundantiam evacuat, ſalutaris eſt. Salubris igitur aliquandò, ſi critico motu accidat, nàm intra 18 vel ad ſummum horas 20. materia evacuatur, & ſponte ceſſat abſque medicis præſidiis. Si choleræ ſomnus ſuperveniat, bonum, quia *ſomnus omnem evacuationem tollit, præter ſudorem.* Si ſymptomatica eveniat, ſtatim augetur, & ruit in pejus, magiſque dolorem, & punctiones in ventriculo, & inteſtinis inferens; primò minùs prava excernuntur, ſcilicèt cibi corrupti, deindè latices, tum flavi, tùm citrini, poſteà virides, tandem nigricantes; nàm pedetentim ad convulſionem, & ſingultum deveniunt, ultimò verò pulſus evadit debilis, ſudor emanat frigidus, & virium exolutio ſyncopen affert, & mortem. Infra unum, vel alterum diem hominem de medio tollit: ſtatim itàque ſuccurrendum eſt, aliàs ægrum mors expectat.

Veterum Curatio.

Tàm Hermetici, quam vulgares jubent non ſtatim evacuationem cohibendam, imò interdum volunt, cum ſcilicet ſymptomata urgent, & quod evacuatur ſenſibile adır odùm non eſt, vomitione aliquâ levi vel leniente cum adſtringente aliquo miſtâ eſſe noxios latices evacuandos. Præſcribunt etiam clyſteres pingues, & lenientes ex *lacte ol. roſ. butyr. recenti, vitellis ovorum, quibus addunt lactucæ ſuccum, portulac. plantaginis, &c.*

Hermetici utuntur pro vomitu ciendo *aquâ tepidâ cum aceto ſtillatitio miſtâ ſpiritu vitrioli, tartaro vitriolato.* Pro molliendâ alvo præſcribunt *rhabarb. extractum cum tinct. abſynth.* Doſes dependent ab ægrotantium viribus, à vitioſorum laticem quantitate, modo exeundi, &c.

Ad humorum acrimoniam tollendam utuntur *roſ. tincturâ cum ſpiritu vitrioli factâ, extractis plantag. portulac. cydonior quibus addunt ſal. prunellæ, ſi ſitis urgeat. Vtuntur etiam aliqui præſertim in progreſſu adſtringentibus.*

Vomitum cohibent medicamentis inferiùs deſcribendis. Narcoticis utuntur, & quam maximè *laudano opiato*, & ſimilibus, quod ſi magna virium reſolutio ſit, laudani doſim minuunt, & unius grani pondere offerunt, & bis in die repetunt ejus exhibitionem, ſi res urgeat. Sed inter narcotica *theriaca recens* principem tenet locum, quæ ad ℥j. exhibita

exhibita vehementes illas evacuationes, velut in momento cohibet.

Audent aliqui ſanguinem mittere, ſed neſcio, quâ fronte, & ſi hoc *Galeni* placitis conſentiat.

Noſtra Curatio.

Cholera cum ſit morbus acutiſſimus, adeòque lethalis, citiſſimam expoſtulat curationem, nec proindè in parte diæteticâ nimium immorandum, ſed ſtatim ad pharmaceuticam confugiendum; attamen in curatione perficiendà alia conveniunt in principio, alia in augumento, alia in ſtatu, & declinatione, & in omnibus his temporibus quædam vivendi ratio exquiritur, in quâ primò neceſſe eſt, ut

Aer eligatur temperatus, qui ad frigidum potiùs vergat; nimis calidus vitetur, quia bilem adauget, acriorem, & volatiliorem reddit, & acidum, quod pro fræno habet, diſſoluit, ac ventriculum, ejuſque fermentum peſſumdat. Præterea *Hip. in epidem.* inquit: *Æſtate, potiſſimùm vere, & autumno minus, hyeme omnium minimè fieri choleram.* Quia æſtas omnes humores reddit acriores, & hinc ingeſta æſtivo tempore faciliùs corrumpuntur, & in pravos degenerant ſuccos, undè alvi fluxus ſunt frequentiores æſtate, quàm hyeme.

Cibus ſit facilis coctionis, & paucus præbeatur, ſed cave, nè vires concidant ſub hoc affectu, eſt quidem abſtinendum, ſed primis diebus, attamen modico cibo utendum, & juſcula acidis temperentur. Sit adſtringens cibus, ſed aliquantiſper, nàm nimis adſtringens maximè obeſſe ſolet, & ratio quia, ubi humores pravi, & maligni ſunt in ventriculo, omni ſedulitate evacuationi incumbendum eſt, eos verò coërcere perniciosum. In hoc morbo ſtomachus eſt valdè labefactus, ac proptereà magnam ciborum copiam nequaquàm ſuſtinere poſſe certum eſt, attamen cùm refici debeant vires, multo indiget alimento, tunc multoties exhibendus eſt cibus in paucâ quantitate, ut ter, vel quater, vel etiam quinquies in die, prout opus fuerit, & magis expedire videatur. Si itàque vires collabi videantur, ac ſyncope imminente, & febris abſit, panis in vino pontico, vel auſtero maceratus, aut vino cum ſucco granatorum, aut cydonior. exhibendus eſt. Si verò febris adſit, panis in aquâ frigidâ, ſucco cydonior. vel granatorum, erit macerandus, atque ità primis diebus ſolus panis offerendus erit. Procedente morbo, ad paulò pleniorem victum tranſeundum eſt, ità tamen, ut ſemper omnibus cibis, qui vim aliquam corroborandi, & adſtringendi habent, commiſceantur, ità eſt perdicum, turdorum, columborum caro, quæ ſi etiam coquatur in aquâ, & aceto, tanto erit utilior, & commodior. Poteſt etiam hæc caro aſſari, & conſpergi ſucco cydoniorum, vel granatorum, vel limonum. Quod ſi alvus maximè fluat, cum maximo virium languore, uti poſſumus *forſico*, quod fit ex *pullo aſſato*, intùs infarcto *agreſta, cydonio, amarenulis, ſorbis, & pomis acerbis*, ac deindè torculari expreſſo, & probatur potiùs expreſſum carnium bonarum, & præcipuè aſſatarum. Vitentur cibi pingues, dulces, & acres, ut ſunt oleum, butyrum, flos lactis, bellaria, dulciaria, potio, quæ fit ex lacte, & vino miſtis, polenta. Item venena, & venenata medicamenta, ut purgantia, quæ modum excedunt, vel antimoniata ab imperito ſpagyrico malè præparata, nec ſulphure indigeſto, vel parte arſenicali ſpoliata. Similiter cibaria, quæ ſuâ naturâ facilè in ſtomacho

corrum-

corrumpuntur, & in pravam degenerant ſubſtantiam, ut fragi, fungi, melones, cucumeres, pruna, perſica, & alij fructus fugaces, præſertim ſi *jejuno ſtomacho*, aut eo cibo repleto aſſumentur, & affatim illis ſumptis. bibatur, & ea omnia, quæ corruptioni ſunt obnoxia, vel difficilè digeruntur, quæ inter ſunt carnes ſuillæ, lacticinia varia, piſces, anguillæ nempè, ſepiæ, locuſtæ, gambari, oſtreæ; inter olera maximè porri, cepæ, & quãdòq; lactucæ coctæ, braſſica, & præſertim Saurkraut/ quod fit ex braſſicis capitatis contritis, ſale conditis, & in dolijs aſſervatis, quod edulij genus eſt Germanorum maximum palati oblectamentum. Si omnia alimenta evomat æger, & ſtomachus nihil retineat ad calidas potiones deveniendum eſt, quia actu calida vomitum ſiſtunt, & ventriculi, calorem, qui in hoc affectu valdè infirmatur, fovent, & roborant.

Potus ſit vinum cydoniorum, vel amarenarum, vel aliud acidulum ſub adſtringens; vitentur vina generoſa, nova, & præſertim muſtum, & omnia potulenta cruda. Nec ventriculus nimiâ potulentorum copiâ gravetur, ne ſtomachi fermentum obruatur, & iners reddatur.

Motus exulet, nè motu humores accendantur, & malum augeatur.

Quies imperetur præſertim poſt cibum, & coctione peractâ.

Somnus maximè in hoc affectu conducit, ac proindè provocandus, cùm perindè nihil ſit, quod levet, & deleat hanc ægritudinem, quàm ſomnus, qui omnem tollit evacuationem.

Vigilia nimis protracta nocet, quia bilem acuit, & effrenem reddit.

Excernenda, *& retinenda* debitis naturæ legibus ſubijciantur, nè quid nimis, & præter modum excernatur, vel retineatur.

Animi affectiones cohibeantur, præcipuè ira, mœſtitia, & terror, nàm bilem adaugent, ſpiritus citatiores reddunt, & majorem ſanguinis motum concitant, & hinc major bilis copia ſequeſtratur.

Curationis indicatio deſumenda eſt à cauſarum varietate; ſi cauſa ſit acida, medicamenta acidum abſorbentia, ſi amara, ea, quæ ſal amarum deprimunt, conveniunt.

Si à ciborum, vel ſimilium corruptelâ oriatur cholera, qui ad huc in ventriculo hærent, non ſubitò ſupprimenda, eapropter ab adſtringentibus in principio abſtinendum, nec alvi fluxus ſtatim in principio coërceatur, quia cohibita excrementa alia fermentativa ſub cinere gliſcunt, & novum minantur incendium. Undè ſi æger ad vomitum ſit proclivis, tutò emetica exhibere poſſumus. Vomitum leniter, provocamus ſimplici *aquâ tepidâ cum ſpiritu vitrioli vel oleo olivarum, vel amygdalar. dulcium.* Vel

℞ *Syr. emetici* ℥iij.
ſalis abſynth gr. iij. m.

Aut

℞ *Tartari emetici gr. ij.*
cum aq. hordei m. Vel

℞ *Hippocras emetici cochlear. ij.*
aq. menth. ℥j. *m.*

Vel

℞ *Aq. Æſculapij* ℥ij. *vel iij.*
& exhibe.

Si parcè per inferiora avacuetur, & magna adſit per ſuperiora perturbatio, tunc non ſolùm per inferiora verſus blandè abſtergentia conducunt, qualia ſunt *ſerum lactis*, quod & ipſum humorum acrimonium temperat, ut

℞ *Seri lactis* ℥v.
ſyr. roſ. ſolutiv.
vel violar. ſolut. ℥iij *m.*

Vel

Vel ℞. *Mannæ* ℥. ij.
pulpæ tamarindor. ℥. j.
diſſolve in ſero lactis q. s.

Sed etiam clyſteres laxantes, ut
℞. *Seri lactis*
aut juris carnis vervicis
vel decoct. emollientis lib. j.
ol. viol. ℥. iij.
Sacchari rubr. ℥ß.
vitellor. ovor. num. iij.
m. f. clyſter.

Vel.
℞. *Seri lactis lib.* j.
ſyr. roſ ſolut. ℥. iv. *m.*

Ubi vomitus major eſt, & dejectio minor, varia conducunt laxantia, pro quibus magnifacimus *ſerum lactis cum caſſiæ pulpâ*; hoc n. ardorem tollit, & blandè alvum laxat, quibus adhibitis remediis, & vomitus vomitu, & fluxus fluxu curatur.

Verùm vomitoria, & laxantia licèt lenientia ſint, cautè tamē adhibenda ſunt, nè venenum augeatur laxativum, cui quam maximè reſiſtendum, venenum autem auferre valēt narcotica remedia; ſpiritus n. narcotici fixant ſpiritus ſalinos peccantes; & virus laxativum extingunt. Tractandi ſunt igitur cholerâ correpti non aliter ac, qui ex dejectorio aliquo hauſto vomunt, & per ſeceſſum dejiciunt magis, quàm par eſt, idem n. morbus eſt, non negaverimus tamē ſimplici aquâ tepidâ vitrioli ſpiritu irroratâ, ſi cum ſale amaro agitur rem peragendam eſſe, humores jàm productos aliquandò debere per vomitum evacuare, nec clyſteres prædictos efficiendo, cautè tamen procedendum eſt. Poterit clyſteribus jungi narcoticum aliquod, *vel laudanum opiatum, vel ſuccus papaveris, vel ipſiuſmet papaveris planta, vel caput ebulliri poterit cum lacte*, vel jus-ribus, quæ ad clyſteres adhibentur. Vel clyſteres injiciantur permiſtâ imprimis *theriacâ* non abſque fructu, ut.

℞. *Lactis* ℥. xvj.
theriacæ à ʒ. j.
ad ʒ. iij.
& interdum etiam ad ℥ ß.

Loco *theriacæ* interdùm permiſcentur *confectio de Hyacintho*, quæ ferè ſimilis eſt usûs.

Si oriatur cholera ex hypercharcarſi præſentaneum eſt remedium, ſi cum vino bibatur. Uti etiam *theriacam novellam a* ʒ. j. *ad* ʒ. *ij.* aſſumptam ratione opii quamcumque hypercharcarſin mirabiliter ſiſtere notum eſt.

Maximoperè in cholerâ ea, quæ ſpecificè ſtomacho ſucurrūnt, commendātur, ità eſt *mentha*, quæ ſtomachi eſt ſingulare ſpecificum, undè ejus ſuccus inſigniter ad choleram excellit, ut ejus ſyrupus, & vulgò dicitur: *Nunquam fuit lenta ſtomacho ſuccurrere mentha.* Conveniunt etiam *portulaca, ſcordium, & plantago*, & ſic horum ſuccus, ac ſyrupus probatur. Nonnulli *quatuor ſemina frigida majora*, & ex his emulſiones paratas prodeſſe dicunt, quia humorum acrimoniam temperant eorumque effervescentiam compeſcunt, quas nos non poſſumus non improbare, quia ſtomachum laxant *Aromata oleoſa, nux moſchata, caryophylli*, & ſimilia ſimiliter laudantur. Acida itèm nimiam ſanguinis, & bilis effervēſcētiam compeſcunt, ut *ſuccus, aut ſyrupus granat. ribiū, berber. de acetos. citri de ſucco limonum, corallior. & portulacæ* inſignem acidum temperandi vim habent. Item *ſpiritus vitrioli Martis, ſpiritus vitrioli philoſophicus, ſpir. vitriol. paratus liquor, tinctur. bezoartica, ſcilicèt miſtura ſimplex*, quæ maſſæ ſanguineæ effervēſcentiam

tiam compeſcit ratione ſpiritûs vitrioli, blandè adſtringit, ſudorem movet, & malignitati occurrit. Similiter *corallior. ſolutiones cum citri, aut limonum ſucco.* Commendamus ſimiliter *cryſtallum montan. præp.* tanquàm ſpecificũ, & præſertim ubi nimis acida rejiciuntur.

Quandòq; choleram malignitas, quæ à nimia volatili acrimoniâ pendet, comitatur, & hæc diaphoreticis, & alexipharmacis à centro per diaphoreſin eliminetur oportet. Undè pro potu ordinatio confert *decoctum cornu cervi, ſcorzonera, vel aqua bardana compoſita, vel cardui ſancti, addito ſemper ſpiritu terra ſigillata.* Pro medicamentis ſequentia, aliaque humorum malignitatem oppugnantia commendamus, eaq; anti-cholericis admiſta præferimus, ut.

℞. *Extracti rad. tormentill.*
diaſcord. Fracaſtor. an ʒ. ß.
magiſt. perlar.
cryſtal. mont. prap.
contrayerua an ℈. j. *m.*

Cum ſyr. de ſcordio f. pilul. xij. & deaurentur. Doſis pilul. iij. dentur ſpatio 24. horar.

Vel.

℞. *Terra ſigillata, Strigenſis.*
eboris ſine igne,
magiſt. corallior. cum ſucc. citri ſolut. an. ʒ. j.
extract. contrayerua,
tormentilla an. ʒ. ß.
eſſentia mentha ℈. ß.
bezoartic. oriental. ℈. j.
laudan. opiati gr. ij.
m. cum ſyr. de ſcordio,
f. opiata.

Doſis ſit quantitas avellanæ pluries in die, ac nocte.

Vel.

℞. *Smaragdi prep.*
unicornu an. ℈. j.
confect. Hyacinth. ʒ. ij.
cryſtall. Martis gr. xv.
nepenth. Quercet gr. ij.
tinctur. Mar. is gutt. x.
ſyr. corallior.
de ſcordio an. ℥. j.
aq menthæ,
cinnamom. cydoniat. an. ℥. ij.
Detur cochleatim.

Inter præſtantiſſima anti-cholerica medicamenta, quæ excellunt, & ſunt veluti divina auxilia, ac proindè nunquàm ſatis laudata, & nunquàm in omni alvi fluxu omittenda ſunt opiata; hæc enim non minùs omnem temperant acrimoniam, aciditatem opugnant, ac effervescentiam conſequentem compeſcunt, quàm virus laxativum immutant, humores temperant venenatos, ac ſpirituum ferociam, & omnes ſopiunt ſenſus. Ità ſunt *laudanum opiatum cydoniatum, theriaca cæleſtis, laudanum opiatum, diaſcordium Fracaſtorii, nepenth. Quercetani*, aliæque vulgarium medicorum compoſitiones, quæ in pharmacopoliis proſtant. Unum tantùm in opiatorum uſu animadvertendum eſt, quod in virium diſſolutione, ſeù proſtratione, quæ ſæpiſſimè contingit, magna, vel debita opiatorum doſis non eſt exhibenda, ſed tantùm *laudani opiati in gr. j. vel. ij. nepenht. tantùm gr. j. diaſcordii gr.* vj. *vel* viij. ſubſiſtendum eſt, & id ſemel in die, & magnâ cum cautelâ procedendum eſt, ubi vires jàm ſunt proſtratæ, ut:

℞. *Aqua cinnamomi cydoniat.* ℥. ij.
laudani opiati gr. j.
ſyr. de menthâ ℥. j. *m.*
Detur cochleatim.

Vel.

℞. *Aqua mentha.* ℥. ij.

nepenth.

nepenth. Quercetan gr. j.
ſyr. cydon. ℥. j. m.
ſumatur cochleatim.

Aut

℞. Diaſcordii Fracaſtor. gr. vj.
confect. alkermes ℈. j.
terræ ſigillatæ ℈. ß.
m. pilul. v deaurentur pro unâ doſi.

Oritur quandòque cholera à venenis corroſivis, ut realgare, auripigmento, arſenico cryſtallino, mercurio ſublimato, &c. furtivo modo cibariis intruſis, & inſcienter ingeſtis, tunc *ol. amygdal. dulcium, vel ol. commune, juſcula pinguia, vel lac. ebutyratum in* magnâ copiâ ſumpta, ſemper tamen cum terrâ ſigillatâ exhibenda ſunt; hæc n. acidum potenter temperant, & corroſiva obtundunt. Item emulſio amygdal. dulcium, admiſtâ terrâ ſigillatâ Similiter theriaca admiſtis aliquot granis terræ ſigillatæ, uti etiam lac vaccinum chalybearum ſimiliter iſtius terræ adjectione, quæ tamdiù continuanda, quamdiù dolor, nauſea, vel vomitus perſiſtant. In cholerâ à mercurio ſublimato ortâ, nullum majus remedium expertum habemus, quàm lixivium affatim potatum.

Intrinſecis extrinſeca correſpondere debent medicamenta ventriculum roborantia, ut *emplaſtrum Ioannis de Prochitâ, de cruſtâ panis, ex gummi caranne, de micâ panis cum aromaticis paratum, tacamahac &c. hujus farinæ.*

CAP. XI.

De Lienteriâ, & Cœliacâ.

INcaſsùm alimenta ſumerentur ore, ac per œſophagum deglutirentur, niſi eadem decenti tempore in ventriculo morarentur, & quidèm tamdiù, donec ſufficienter coctio abſoluta fuerit. Duo habet orificia ventriculus, unum ſiniſtrum, alterum dextrum; ſiniſtrum, ſivè ſuperum ſemel à paſtu clauditur in benevalente, & unamquamq; boli importunitatem, vel hauſtûs pertinaciam facilè integrè ſe pandit, cùm vix, quod ſibi quicquam ſupernè in gula impedet, tolerare queat; quamquam in ægrotantibus, & diuturnâ præſſis inædiâ, ejuſque patefactio cum dolore, & anxietate magna contingit. Dextrum orificium janitoris munere fungitur, diciturque pylorus digeſtionis moderator: clauditurq; pylorus circumquaq; motu naturali, non voluntario per muſculum, non aliter ac anus, veſica, aut uterus à cóceptu; nec ſe pandit, niſi abſolutâ coctione, ut ciborum reliquias in duodenum demittat. Obſtinatior itàq; & accuratior eſt uteri clauſura, quàm ſuperioris orificii. Aperitur interdùm inter primum & reliquos vomitus, quandò ex inteſtinis aliquid aſcendit; & reverà in alvi fluxu, miſerere mei, & in aliis affectionibus, in quibus noxii humores ultrò, citròq; per pylorum tranſeunt, ſed præcipuè in Lienteriâ, & Cœliacâ affectione nunquàm clauditur.

Λειεντερία igitur græca vox, quæ latinè inteſtinorum lævitatem ſignificat, ſed perperàm huic morbo nomen indidit, nàm non tantùm inteſtinorum, ſed ſimul, & præcipuè ventriculi eſt affectio. Eſt Lienteria ità velox eorum, quæ ingeruntur, exitus, ut per inteſtina præcipitentur, & dejiciantur, ſine coloris, odoris, & conſiſtentiæ mutatione. Cœliaca eſt paſſio ventralis Κοιλιακὴ n. græca vox eſt. ventrem ſignificat, interdùm ventriculū, & quandoq; inſignem aliquā cavitatē, ità ut cœliaca eſt affectio tàm ſtomachalis, quàm ventralis ideòq; ad

ſtomachum, & ad inteſtina refertur. Eſt etiam velox ciborum exitus, ſed egrediuntur aliquantulùm mutati, cùm appareant ſemicocti, licèt non perfectè. Undè iſti duo affectus inter ſe tantùm ſecundùm magis, & minus differunt; nàm lienteria eſt coctio ablata, cœliaca verò eſt coctio non dùm planè abolita, ſed aliquantùm adhuc viget, poſtmodùm verò pedetentim deſinit, & veram producit lienteriam.

Signa.

Horum affectuum ſigna præcipua ex antedictis patent; nàm ſi cibi crudi & inalterati celeriter, & frequenter per inferiora dejiciantur, & tales, quales ſunt aſſumpti, ità ut cibi ipſi apertè dignoſci queant lienteriam ſignificant: Si verò cibi aſſumpti aliquantulùm mutati dejiciantur, ſed non perfectè cocti, cœliacam denotant affectionem. His adde intenſam cruditatem, ſummam appetitûs dejectionem, & malum corporis habitum. Si diù perſeveret fluxus, appetentia proſternitur, corpus extenuatur, vires dejiciuntur, & in hypochondriis calor percipitur. Ut plurimum eſt abſque dolore ob acidi fermenti inopiam, & interdùm ab aciditate exaltatâ oritur, & tunc tormina, & dolores invehit.

Veterum Cauſæ.

Vulgares medici, quorum dogma in omni morbo eſt caloris, & frigoris, lienteriæ, & cæliacæ affectionis cauſam aſſignantes, ſemper eandem repetunt næniam, frigidam, & humidam ventriculi, & inteſtinorum accuſantes cum facultatis retentricis ventriculi, & inteſtinorum læſione, ob quam cibi antequàm cocti ſint, per inteſtina deſcendunt, & per alvum dejiciuntur. Læditur facultas retentrix per ſe, vel per accidens. Per ſe, dùm labefactatur ab inſigni intemperie frigidâ, & humidâ, quâ retentricis inſtrumenta laxantur, & ad retentionem inepta redduntur: & ea aut ſola, aut cum humore pituitoſo conjuncta, qui non nunquàm è cerebro in ventriculum, & inteſtina decumbit, ſicut & pinguium, & lubricorum immoderato uſu mollis, & laxior factus ventriculus cibum retinere non poteſt. Per accidens læditur retentrix, dùm expultrix valdè irritata cibos non dùm coctos mox deorsùm propellit; citiùs n. quàm par eſt, expultrix excitatur, & retentrix læditur, ſit hoc ab ulceroſâ ventriculi, aut inteſtinorum diſpoſitione, ex acribus, & mordacibus humoribus, eo modo in ſuperficie illorum membrorum factâ, ſicut aphthæ in puerorum ore fieri conſueverunt. Hæ cauſæ præcipuè frigida, & humida intemperies, & pituiroſus humor, vel ulceroſa ſtomachi, vel inteſtinorum diſpoſitio, ſi ſint remiſſiores, cœliacam generant affectionem, quæ eſt minùs velox cibi, & potûs, & quidèm nonnihil mutati excretio, quibus affectio cœliaca à lienteriâ differt, ſi nimis velox ſit excretio, fit lienteria.

Vulgares in cœliacâ affectione chylum impermutatum profluere credunt, vel quia non recipitur à lacteis, quia clauſæ, vel non retinetur ab inteſtinis ob laxitatem; vocantque fluxum chyloſum. Sed de hoc vulgarium putatitio chylo ſat ſuperque dictum eſt. Obſervant quandòque alba, vel farinacea excerni excrementa, in quibus allucinantur; ſunt enim, vel ipſa alimenta non mutata, vel devio fermento producta, cum cadavericum præſeferant odorem.

Noſtra Cauſa.

Lienteria accidit, ſi alimenta immutata,

rata, & cœliaca, ſi parùm mutata egerantur. Ho. vel fit pylori apertione ante tempus factâ, vel digeſtivi fermenti vitio. Pylorus ante tempus aperitur, irritatus ab aliquâ ſalis acrioris portione, vel relaxatus à phlegmatis nimietate, vel à ſulphure aliquo relaxante, admiſto cum phlegmatis portione, ut ſunt unctuoſa, à quibus relaxari obſervatur ventriculus ſenſibiliter, ut ſimile quidpiam in utero obſervatur, qui ſi nimio obducatur phlegmate, ſemen non retinet, ſed ſtatim effluit. Hæc vel ab ipſomet ſtomacho generantur, vel ſtomachus ab aliis accipit partibus, & ab his, vel ipſamet excrementa exaltata recipit, vel in ſtomacho exaltantur.

Prognoſis.

Lienteria, & cœliaca ſunt morbi non contemnendi, quia diù perſeverantes periculoſi ſunt, & præcipuè ſi ab ulcere aliquo, vel in ſtomacho exiſtente, vel alibi, cùm univerſo corpori nutrimentum ſubripiat, undè atrophia, vel cachexia, & hydrops ſequitur, præſertim tympanites. Lienteria cum difficultate ſpirandi, & laterum punctura in tabem tranſit. Lienteria periculoſior eſt, quàm cœliaca. Si lienteria acutis, & chronicis ſuperveniat morbis lethalis utplurimùm eſſe conſuevit ob virium proſtrationem.

Veterum Curatio.

Vulgares frigidam, & humidam intemperiem contrariis alterant, materiã præparant, & evacuant, ac ventriculum, & inteſtina corroborant in lienteriâ, & cœliacâ. Si itàque harum affectionum in causâ ſit frigida, & humida intemperies contraria alterantia præſcribunt; ac proindè pro frigida calida medicamenta per os propinant, quæ ſtomachum, & inteſtina calefaciendi vim habent, non ſint tamen valdè calida, quia humiditatem nimis exſiccando procederent, ità ſunt *ſyr. de cinnamomo, absynthio, menthâ, corticibus citri, &c.* quos in hunc modum præſcribunt: ut

℞. *Syr. de menthâ,*
cortic. citri an. ℥j.
aq. meliſſ. ℥iij. *m.*

℞. *Syr. de cinnamomo* ℥j.
aq. menthæ ℥ij. *m.*

Aliqui commendant ſequentes pulveres, ut

℞. *Spec. aromat. roſ.* ʒiij.
ambræ gryſæ gr. vj.
ſacchari ℥iij. *m. f. pulvis.*

Doſis ʒij. ſumitur in vino. Vel

℞. *Cinnamomi* ℥ ß.
galangæ, Zingiberis,
nuc. moſchat. cubebar. an. ʒij.
ſacchari ad pondus omnium
f. pulvis. Doſis ut ſuprà.

Extrinſecè ſtomachi, & inteſtinorum regioni varia cerata, emplaſtra, olea, fomenta, & ſacculos applicant, quorum formulas adducere eſſet potiùs tempus terere, quàm aliquid boni deſcribere.

Pro humidâ ventriculi intemperie ſiccantia adhibent medicamenta, ſed citra inſignem caliditatem, & frigiditatem. Calida itàque, & frigida corrigunt, & idoneum huic intemperiei efficiunt medicamentum, ità eſt *ſyr. myrtinus, de roſis ſiccis, aniſorum, &c.* Itèm *diacydonium cum aromatibus, ſpec. diarrhodon. Abbat. aromatic. roſ. diacalaminthæ, diagalangæ, diacorum, &c.* externè epithemata exſiccantia commendant, *fomenta, empl. de cruſtâ panis, vel ceratum ſtomachale,* vel

℞. *Carnis cydonior.*
maſtic. an. ℥ß.

caryophyllor. galangæ,
macis an ʒj. *roſ. rubrar.* ʒß.
m. cum ol. menthæ, & abſynth.
& cum piſtillo ſubigantur in formam empl.

Humorem pituitoſum cum frigidâ, vel humidâ intemperie conjunctum, ſi adſit, præparant, ut

℞. *Syr. de abſynth. menthâ,*
mellis roſ. ſimpl. an. ℥ß.
aq. fol. quercûs ℥ij. *m.*

Notant in hoc morbo vulgares, ut minor ſit aquæ quantitas, nè fluxus augeatur. quò enim diutiùs medicamenta permanent in ventriculo, eò efficaciùs operantur. Præparatos humores expurgant, ut

℞. *Agarici trochiſc.* ℈j.
hieræ ſimplicis,
pilul. aloëphanginæ an. ʒß.
m. f. pilul. vij. deaurentur.

Vel in formâ potûs ità purgans concinnant medicamentum, ut

℞. *Mirob. cheb.*
emblic. an. ʒj.
fol. abſynth. Rom. ʒiij.
roſ. rubrar. pug. jß,
baccar. myrti ʒijß.
f. decoct. in aq. plantag.
& factâ expreſſione,
℞. *dicti decocti* ℥iv.
agaric. præparat. ℈iv.
cinnamomi,
Zinziberis an. gr. iv.
infundantur ſ. art.
deindè factâ expreſſione, adde
mell. roſ. ſolut.
mannæ electæ, an. ℥jß.
m. f. potus.

Evacuatis humoribus, ventriculi facultatem retentricem corroborant medicamentis tùm intrinſecis, tùm extrinſecis. Intrinſecùs exhibent ſequentem opiatam ab *Amato Luſitano* commendatam, quâ ſenem quendam lientericum poſt multa remedia incaſsùm adhibita liberatum eſſe refert, ut

℞. *Conſerv. roſ. antiquæ* ℥vj.
theriacæ optimæ ʒvj.
mivæ cydonior. q. ſ.
f. opiata.

De quâ capiat æger ʒß. manè nihil ſuperbibendo. Itèm *diacydonium ſimplex ſine ſpeciebus, trochis. de ſpodio, fructus acerbi*, & tandem quicquid refrigerare ſimul poteſt, & contingere, ſive illud ſit ſolum medicamentum, ſive etiam alimentum. Eodem pariter modo agendum eſt de medicamentis extrinſecis, ut ea ſcilicet adminiſtrentur, quæ refrigerare, & corroborare poſsūt. ut eſt *oleum myrtinum, cydoniorum, roſatum omphacinum, vel oleum menthæ, & abſynthij*, quibus admiſceri poſſunt *pulveres aromatici*, ut

℞. *Olei abſynthii, menthæ,*
roſ. omphacini an. ℥ß.
pulv. caryophyllorum,
maſtichæs,
menthæ an. ℈j.
ligni aloës,
coralliorum. rubr. præp.
flor. roſ. rubr. an. ℈ß.
ceræ parum. f. linimentum.

Noſtra Curatio.

In lienteriæ, & cœliacæ curatione extraneæ cauſæ, ſiquæ ſint, omni ſolertiâ abigantur, & deinde diligens victûs ratio inſtituatur, quam ſex res non-naturales complent, pro quibus

Aër ad temperatum frigus inclinet autumnalis, & nebuloſus atro carbone notetur.

Cibus ſit boni ſucci, & facilioris concoctu, nè ſtomacho negotiū faceſſat, & pylorus illū per inferiora reſpuat; ideòque

ideòque lenta, humida, viſcida glutinoſa, pinguia, & quæ ſunt difficilioris coctionis vitentur. Itèm legumina, farra, lacticinia, animalium extremitates, piſces, gelatina, &c. Salsa, acida, & cibi fluidi omninò declinentur, aſſati elixis præferendi, ut carnes gallinarum antiquarum, caponum, turdorum, perdicum, &c. Sed caryophyllis, nuce moſchatâ, vel zinzibere condiantur. Commendant vulgares in his affectionibus vitellum ovi aſſatum, & aceto conſperſum, ſed non poſſumus hoc cibi genus non refellere, quia non tantùm curandum eſt, ut cibi retineantur, ſed ut etiam coquantur; vitellus nàmque ovi aſſatus difficilis eſt coctionis, & quotieſcúque non concoquitur, illum pylorus ad inteſtina evomit. Debet itàque cibus non tantùm adſtringendi, ſed etiam ut coquatur, energiam habere, aliter enim malum pejorabitur. Multa circa victum notamus, & primò, ut cibi offerantur ægrotis, qui ipſis magis arrident: *Hippocrates* enim *aph.* 38. *ſect.* 2. inquit: *Parùm deterior potus, & cibus, ſuavior autem, melioribus quidem, ſed minus ſuavibus eſt præferendus.* Quia ventriculus grata edulia magis amplectitur, tenaciùs continet, & optimè concoquit. Secundò abſtinendum, quantùm fieri poteſt, ab egerendo, nàm hoc correpti morbo non debent quolibet, vel nimio irritamento ad egeſtionem ſe cõferre, ſed cohibere, & quaſi ſibi ipſis vim inferre: Sic enim natura coacta ſenſim cibos ſponte retinere aſſueſcit. Tertiò ut parcè comedatur præſertim in die. Quartò, ut fluidi cibi omninò fugiãtur.

Potus ſit vinum rubrum, & præſertim ex ceraſis auſteris, Italicè *d'amarene*, vel generoſum, & ſubadſtringens, vitetur novum; vel ſi æger vinum non bibat, decocto piloſellæ utatur. Potus iſte ſit paucus, nàm multus ventris fluxibus infeſtiſſimus eſt: parùm igitur, vel nihil bibatur, ferunt enim corvos hac paſſione æſtare affici, & à naturâ edoctos eſſe, ut nihil bibant eo tempore, quo hoc infeſtantur malo.

Motus corporis ſit moderatus, fugiatur nimius, & intempeſtivus, ut ſaltatio, equitatio, curſus, pilæ luſus &c. quia ſi corpus nimis moveatur, fiunt majores excretiones ob majores motus.

Quies ſit temperata, vitetur otium, & vita ſedentaria, quia corpus reddit torpidum, illudque multis cumulat excrementis, & tranſpirationem impedit, & alvi fluxus ciborum incoctorum im promptu eſt.

Somnus more ſolito ſit prolixior, & omni ſolertiâ pelliciatur, nàm præter ſudorem omnem adimit evacuationem, & multi in ſomno excrementitii concoquuntur humores; nimius tamen declinetur, quia calorem enervat, & phlegmaticos parit humores, nec ſuo tempore exturbantur, ſed diù retinentur, undè pejora emergunt mala.

Vigilia nimia fugiatur, nàm digeſtionem inhibet, & ciborum cruditatem parturit: Somnus itàque, & vigilia ſint moderati.

Excreta, & *retenta* naturæ conſuetudini reſpondeant, ac proindè alvus, quantùm fieri poteſt, cohibeatur præſertim à prandio, & cænâ, nàm tali tempore ſollicitata cibos ingeſtos ſtomachi janitor irritatus exturbat, & levi egeſtionis conatu non egeſtos cibos à ſtomacho in inteſtina præcipitat, & foràs propellit. Conſuetæ excretiones, ut ſeroſus latex ſenſibiliter, vel inſenſibiliter per univerſale cutis emunctorium evacuari ſolitus, non inhibeatur.

ſed more ſolito procedat. Urina ſollicitetur, nàm qui ſæpiùs mingunt alvum habent adſtrictam. Mucus, ſaliva, hæmorrhoidum vel menſtruorū ſuppreſſio ad naturale redigantur tributum, nam horum affectuum in causâ eſſe, vel ſaltim magnam noxam inferre poſſunt, ſed impetuosè decurrentes reprimantur.

Animi motus vehementiores, ut ira, & timor præ omnibus fugiantur, nàm hic relaxat, ut in magnis timoribus urinam, & alvinas fœces involuntariè excerni competuimus, & has auget expulſiones.

Si pylorus irritatur ab acri causâ, hæc vel expellenda, vel deprimenda. Expellitûr levioribus vomitoriis, vel dejectoriis. Vomitoria non ſint ſulphurea, nàm multoties cauſa eſt conjunta, & latet aliquod, licet affectus incæperit ex acrioribus ſalibus, laxatur pylorus, & reſolvitur nervus ſexti paris villos interioris tunicæ conſtringens. Poterit exhiberi *ſal vitrioli albi* ℈j. pondere.

Dejectoria ſint ex *rhabarbaro, ex quo extrahi poterit tinctura aqua roſ. cichor. hord. &c.* Aciditas deprimenda eſt appropriatis, quæ pluries deſcripſimus, ut etiam acredo, ſalſedo, &c.

Si materia acris provenit ab ulcere, vel ab ulceroſâ diſpoſitione a lcharum inſtar, inſidente ſuperficiebus ſtomachi, vel inteſtinorum; ſi in ventriculo ſint, vomitoria vitentur, & evacuatur materia lenientibus, admiſto aliquo adſtringente, & abſtergenti, poterit exiberi *rhabarb. extract. cum mell. roſ. ſolut.* Si ulceroſa diſpoſitio fuerit in inteſtinis, levia vomitoria, vitatis pinguibus, convenient.

Latex nimius phlegmaticus, qui utplurimùm aliquid ſalis inſipidi, vel dulcis admiſtum habet, à quo quodammodò fixatur, & firmiter adhæret ventriculi, & inteſtinorum tunicis, ſi lienteriæ cauſa eſt, vomitu, & dejectoriis auferri debet, confert etiam ad hoc *vitrioli ſal, extract. myrobalanor. chebul. & indorum extractum, ♃ tinctur. tamarindor. & rhabarb.* Ventriculi regio poſteà roboratur, tàm intrà, quàm extrà, *eſſentiâ maſtichinâ, abſynth. menth. tinctur. & extract. chydonior. ribes additis adſtringentibus aromatibus, & roborantibus, ligno aloës, cinnamon. nuc. myriſticâ, &c.*

Interdùm oritur affectus ex cicatrice densâ, & lævi, quæ denſitate ſuâ, obſtructis fibris, ſucci ſubſtantiæ etheteæ diſtributionem impedit, & retentionem lædit; hæc actioribus ſalibus, admiſtis parùm adſtringentibus defricanda eſt. Juvant *tinctur. ex ſinapi, melle roſ; & aceto* admiſtis.

Partes, ex quibus excrementa ad ventriculum confluunt, ſunt obſervandæ, & ſi laborent vel obſtructione, vel aliquo alio p. n. affectu, ſunt liberandæ. Quod à partibus in ventriculum confluere poteſt, examinandum eſt.

Interdùm affectus oritur à veneno hauſto, vel ab aëre inſpirato, & tunc ſpecifica venenum reſpicientia ſunt miſcenda, ut ſi provenia ex gr. à mercurio ſublimato, lienteria curanda eſt *lacte chalybeato, magiſt. cryſtall.* & ſic procedendum, &c.

Quæ accidit fermenti vitio, ſi hoc ablatum eſt totaliter fermentum, curationem non recipit; ſi diminutum, exaltari debet; Si infectum, liberari, ſed tarò ex ſolo fermenti vitio hic oritur affectus. Conſpirat cum hoc utplurimùm pylori defectus, qui ante tempus aperitur, ut diximus, & tunc utrique conſpiciendum eſt.

CAP.

CAP. XII.

De Colicâ Paſſione.

ETſi inteſtina unum corpus appareant longum, & continuatum à pyloro uſque ad podicem, ratione tamen diverſi muneris, quod exercent in tenuia, ſive gracilia, & craſſa, ſeu ampla dividuntur, & ſingula rursùm tribus diſtinctis diſcriminatur nominibus, non ſecùs ac tot diſtinctæ eſſent partes; tenuia autem ſunt tria Duodenum, Ieiunum, & Ileon, à naturâ ſunt fabrefacta ad hoc ut reliqua ſpirituoſa ſubſtantia, quæ in ventriculo non ſequeſtrata fuit, in ipſis tenuibus elici poſſit; craſſa verò inteſtina ſunt tantùm deſtinata pro fœcibus colligendis; & nonnihil retinendis, & ſunt tria; Cœcum, Colon, & Rectum, pro quâ re paucis gaudent venis, & multis dotata ſunt anfractibus.

Affectus hic nomen accepit, & dolor κωλικὸς, ac κωλικὴ διάθεσις appellatur vulgò colica paſſio: eſt igitur colica paſſio affectus inteſtini coli, quod ob ſui longitudinem, & anfractuoſitatem eſt ſtercorum, & flatuum receptaculum; ex multâ itàque ſtercorum, & flatuum permiſtione doloroſæ tenſiones, & punctiones in hoc inteſtino contingunt.

Signa.

Dolor colicus adeò acerbiſſimus eſt, ut ſi levior fuerit, verè colicus dici nequeat. In abdomine circa inteſtinorum regionem verſatur, qui aliàs aliquandò adeò in uno loco fixus exiſtit, ut maximè ſub umbilico palo fixo, vel terebræ perforanti ſimilis ſit; quandóque inſtabilis, & de loco in locum vagatur, & ſitus ipſe colicum oſtendit dolorem. Incipit dolor cum inteſtino colo à dextri renis ſede, ubi etiam ſæpè figitur (ex eo quia in eâ parte ſit valvula primùm à *Bauhino* obſervata) & aſcendit ad hepatis cavum, & hinc ſecundum ventriculi fundum ad lienem, & ſiniſtrum renem, quaſi Zona tendit, & ibi deorsùm uſque ad inteſtinum rectum flectitur, & ità nunc juxta ſplenem, & ſiniſtrum renem, nunc in dextro dolor percipitur. Plerùmque in dolore colico ventriculus in conſenſum rapitur, undè appetitûs dejectio, nauſea, & variegatorum humorum vomitus excitatur. Plurimi inter colicæ paſſionis ſigna referunt, quòd alvus ità adſtricta ſit, ut nihil ægrotantes, nec flatum quidem emittere poſſint: Verùm hoc ſignum non eſt in omni colico dolore, ſed tantùm in illo, qui à fæcibus induratis originem ducit.

Si colicus dolor à flatibus oriatur, dolor erit tenſivus, & quædam ventris inflatio: ægri flatuum multitudinem, & ventris rugitum percipient; à flatuum excluſione maximum ſentient levamen. Præceſſit victûs ratio flatibus idonea generandis. Si flatus in inteſtinorum cavitatibus contineantur, dolor eſt vagus, neque in eodem loco conſiſtit, & per intervalla recurrit; Si verò intra eorum tunicas coarceantur, fixus eſt dolor, quia flatus locum mutare nequeunt: ideòque continuus, & pertinax, quoniam flatus exitum quærentes non inveniunt.

Dolores reliquarum partium in inferiore ventre contentarum à dolore colico facilè propriis diſtinguntur ſignis, tantùm nephriticus cum colici doloris

ſignis tantam habet cognationem, ut barbarorum anteſignanum *Galenum* deceperit, ceu 2. *de loc. aff. c.* 5. & 6. *de loc. aff. c.* 2. ipſe ſe in hoc deceptum fatetur, qui colico diſcruciatus dolore, ſe nephritico laborare ex lapide alteri ureterum impacto imaginabatur, donec humore per alvum excreto, & deindè ſedato dolore, colicum eſſe animadvertit. Occaſione à *Galeno* deſumptâ, hîc non poſſum non reminiſci cujuſdam Galenici, qui diariâ laborans febre, poſt moderatum ſomnum, pectus, brachia, cæteraſque corporis partes pulicum morſibus obſignatas invenit, ſtatim in angoniâ poſitus, ſe petechiali laborare febre arbitratus fuit, illicò ad veſicantium applicationem ineptè confugit. Quare afferéda ſunt ſigna, quibus hi duo affectus invicèm diſtingui poſſint, &

Primò dolor colicus in uno loco fixus non permanet, ſed hinc indè circumvagatur, & inteſtini coli ductum ſequitur, & quandóque cinguli inſtar medium affligit ventrem; dolor verò nephriticus ſemper eidem parti adhæret, & qui calculo è renibus promoto accidit à ſupernis ad inferiora deſcendit verſus pubem ſecundum ureterum ductum, & ſemper à dorſo incipit, & ad poſteriores potiùs partes circa ſpinam vergit, ſicuti colicus magis ad anteriores, qui & in loco renibus altiore conſiſtit.

Secundò, dolor colicus à cibo aſſumpto intenditur, quia ventriculus repletus colum reprimit inteſtinum; nephriticus verò neutiquàm augetur, ſed potiùs imminuitur, quia aliquid ſubſtantiæ cibalis ad renes transfertur, quòd dolorem aliquantulùm demulcet: intenditur tamen, ciborum reliquiis ad inferiora deſcendentibus, & inteſtinis renes comprimentibus.

Tertiò, vomitus vehementior & alvus ſtrictior eſt in dolore colico, quàm in nephritico, & quandóque è contrà vehementior, & ſtrictor in nephritico, quàm in colico; ideóque utrumque ſymptoma ità utriq; affectui commune eſt, ut eorum intenſio, & remiſſio difficiliorem reddat diagnoſim, niſi alia concomitantia ſigna diſtinguant.

Quartò, in dolore colico majus emergit levamen ab excretionibus per alvum, & vomitum, quàm in nephritico.

Quintò, in dolore colico urinæ in principio craſſiores redduntur; in nephritico verò clara, tenuis, & velut percolata, procedente autem tempore turbidum quoddam exhibet ſedimentum, & demùm arenulæ, aut calculi unà excernuntur.

Addimus, & nos conſuetudinem, ut ſi quis aſſuetus fuerit nephriticum pati dolorem, vel arenulas, aut calculos excernere, tunc veroſimile eſt in nephriticum incidiſſe dolorem.

Sunt, & aliæ in abdomine partes ut ventriculus, ileum, & uterus, quæ dolorem pati poſſunt, & magnam habent cognationem cum colico dolore, quare nè juniores, inexpertoſque fallant medicos, accurata diſtinctio eſt apponenda. Undè differt à ventriculi dolore; ſemper n. ventriculi dolor ſupra umbilicum ſubſiſtit, & ſæpè ad ſpinam inter ſcapulas pertingit, cùm ad nonam vertebram ventriculus ſpinæ alligetur, levatur ructibus, vel vomitu. Differt à dolore iliaco, quia iliacus magis pungitivus eſt, & ſupra umbilicum fertur in hypocondriis, & membra ſuperiora in conſenſum trahit, cùm plerùmque ab inflammatione oriatur, de cujus ſignis capite ſequenti dicemus. Differt ab uteri dolo-

re, quòd uteri dolor inguinibus, & coxis communicatur, & ſupra ilia non aſcendit, præceſſit partus, menſes ſupprimuntur, &c.

Veterum Cauſæ.

Vulgares pro colicæ causâ frigus, caloremque aſſignant, ſed tàm intenſi in internis hominis partibus reperiri non poſſunt, citra illius vitæ ſubjecti diſpendium, ut teſtantur ii, qui ex frigidæ aquæ clyſtere examinati ſunt. Deindè ſi ſola frigiditas eſſet doloris cauſa, non tam ſubitò invaderet, & tàm ſubitò ceſſaret. Tandem ſi ſola frigiditas eſſet cauſa doloris calefacientibus dolor ſedaretur, quòd tamen non accidit, ſed ſolis adhibitis calefacientibus magis intenditur. Neque calori id conſonum eſſe videtur, nàm inteſtinorum inflammatio tantos valeret excitare dolores, quantos in colicâ deprehenderemus. Deindè ſolis refrigerantibus demulceretur dolor, quòd non evenit. Poſtremò caloris eſt calefacere, non autem dolores excitare intenſiſſimos.

Nonnulli ſolius intemperiei in ſufficientias animadvertentes, humorem frigidum, craſſum, & viſcidum ex cruditate genitum aſſignant. Verumtamen hoc improbabile eſt. I. Humorem hunc tantam frigiditatem in corpore humano actu habere poſſe, ut actuali frigiditate dolorem tàm atrocem generet. II. Neque hoc veritati conſentaneum eſt, cum in inteſtinorum cavitatibus, ipſi inhærendo hunc dolorem, & quidem frigiditate tantùm excitare. III. Cur tùm demùm doloris cauſa eſt, & non antea fuit cùm diù ibidem hæſerit, & frigus fuerit? IV. Credibile non eſt colicum dolorem à quo terebrari, quaſi inteſtina videntur, excitari tantùm ab humore craſſo, viſcido, & frigido intus inteſtinorum cavitati adhærente, eaque refrigerante.

Alii ad flatus recurrunt, putantque flatus colicum excitare dolorem, quia ex eorum exploſione dolorem ſedari deprehendunt. Verumtamen ſimplices flatus poſſunt quoquo pacto dolores in inteſtinis parere, illa tendendo, ſed non tàm acerbos, quales in colicâ experiuntur. Teſtantur hoc, qui à caſtaneis, & à muſto inflantur, quibus mirum in modum venter inflatur ſine ſenſibili dolore, etſi flatus non evacuentur.

Neque dicatur ob inteſtinorum clauſuram, qua flatus permeare non poſſunt, dolorem colicum ab ipſis excitari poſſe, nàm clauſura hæc à flatibus ſtypticâ materia elevatio fit vitriolata ſcilicet, vel &c.

Helmontius vult à fellis fermento aciditatem chylo non auferentem ſecundam digeſtionem vitiari, & mucaginem procreari acore refertam, quæ cùm plùs nimium tenax inteſtinis adhæret, ut hanc pellant, inteſtina ſe comprimunt, convellunt, & corrugant in longitudinem ſui; contracturæ n. quæ per tranſverſas, & obliquas fiunt fibras, ſunt naturales. Procreatur mucago per laticem, ut per hanc inteſtina ab hoſte ſe obvallent. Fellis hujuſmodi vitia proveniunt ab archeo partis, qui vel ſpontè ignavus eſt, vel propter tranſmiſſum hoſtem exoſum ſilet, & blas fermentale in inteſtina non demittit. Quandoque fel luxuriat, & mutat acorem in amarum exaltatum convulſiones patiens, & tunc colica maligna fit. Ea, à quibus vitiatur fel ſunt ſalia varia corroſiva, ob quæ archeus indignatur. Mucago acida eſt cauſa occaſionalis, ob quam inteſtinorum archeus furit, & furoris motu colicum parit dolorem,

qui eo periculoſior eſt, quo atrocior; hinc n. majorem oſtendit indignationem,& per ſuum blas furioſum,paralyſim, manuum,& pedum contracturam excitat.

Probat hoc *Helmontius* à curatione, quæ perficitur iis,quæ archei furorem inteſtinorum placant, qualε laudanum eſt ſine opio,quatuor ſemina frigida, & cùm pylorus in conſenſum rapitur, illius furor binis ovorum vitellis ad duritiem coctis aufertur,& cum aceto roſato diſtemperatis, quo ſolo remedio diſperatus à colicâ evaſit.

Colon ſi à ſalibus reſolutis acrioribus in ipſorum mucagine ſedem habentibus pungatur, dolorem à parte affectâ patietur colicum dictum,eumq; fixum. Si verò ipſum adoriatur flatus iiſdem ſalibus geniti,quòd ut plurimùm accidere ſolet,dolore vago,etiam colico appellato tenebitur. Non omnem materiam, ut contendunt vulgares, neque omnem flatum poſſe colicam excitare, ſed tãtùm acriorem,patet iis,qui ſciunt ſolutionem continui vehementem,non niſi à particulis anguloſis effici poſſe.

Cauſa Noſtra.

Solent utplurimùm colicæ cauſati ex ſalium acidorum reſolutione,& teſtantur hoc acida,quæ huic affectui ſunt adverſiſſima, ut vini uſus, quod facilè in ſtomacho aceſcit,& fœcum durities,& retentio,quæ à ſale ſtyptico,quale acidum eſt,fit. Teſtantur hoc remedia,quæ huic affectui adverſantur, quæ aciditatem tollunt.

Sal hoc acidum reſultat ex cibis,vel acidis actu,vel potentiâ,ex inſpiratione acidorum vaporum, quæ propè mineras hauriri ſolet, & fermenti acidi, quod,ut Hermetici volunt,coctionem facit exorbitantia.

Interdùm etiam fit à ſale acri piperino,& à ſale ſalſo. Quandòque fit à vermibus in quibus etiam aciditas peccat. Interdum à calculis.Quandòque fœces retentæ indurantur, quapropter, quod acre eſt,in inteſtinis retinetur,quod reſolutum colicam parit paſſionem.

Notha colica, quam cauſant,vel ſalini flatus vel ſalia in peritonæo,vel eſt in membranis, quæ abdomini,ventriſq; partibus obtenduntur,eodem modo fit.

Dolorem immediatè iàm effectivè, quàm ſuſceptivè pendere ab ipſo ſpiritu impetum faciente ſatſuperque *lib.1.c.1. de capitis dolore* probavimus,non verò à continui ſolutione, ſed tantùm occaſionaliter à læſæ partis contractione; hanc in inteſtinis cauſare poſſunt, vel ſalia acriora,vel nimia diſtenſio,ſed non omnis,nàm cum ex omni parte inteſtina diſtenduntur, non poſſunt iàm diſtendi,ut dolor præſertim conſpicuus indè oriatur: ſed cùm inteſtina convelluntur, ſivè corrugantur, & poſtea diſtenduntur, tunc dolores excitantur, Corrugatio fit à ſalibus ſtypticis, & etiam à ſalibus acrioribus inteſtinum vellicantibus.Si hæc igitur in ipſis aderunt,& corrugationem fecerint,etiam à flatu ſimplici colica generabitur, ſed majorem efficient dolorem, ſi ſimul complicabuntur,& flatus ſalini acres,& inteſtina corrugata.

A duplici igitur causâ fit colica,à ſale acriori,vel piperino,vel ſalſo,vel amaro,vel acido;flatu ab ipſis elevato,& à flatu ſimplici cum corrugatione inteſtinorum complicato. Corrugationem etiam vermes efficere poſſunt, externa frigiditas,vel ab aëre,vel à balneo advenientε. Frigidus liquor aſſumptus ſtomachum contrahens, poterit etiam contrahere inteſtina quod etiam efficere

re poſſunt exiſtentes in ſtomacho latices ſtypticis ſalibus refeiti.

Flatus generatur diverſimodè, ſed ut plurimùm ex ſalium variorum miſtione, quorum unum in aliud agens, & motu fermentativo particulas illius ab aliâ divellere tentans, particulas jàm divulſas minùs fixiores cum latice in vapores elevat, qui poſteà conglobari, ſed non adeò arctè à locorum anguſtiâ, vel ab aliâ causâ, vel illam pervadunt partem.

Prognoſis.

Morbus hic non eſt contemnendus, quia dolor vires omnes, & ſpiritus diſſipat, parteſque principes in conſenſum rapit, & eſtò utplurimum brevi temporis ſpatio ad ſalutem terminetur: tamen quandòque dolor eſt diuturnus, & lethalis evadit. Dolor colicus ſi levior, & vagus eſt, per vices intermittit, & alvum non omninò conſtringit ad ſalutem terminatur; ſi dolor eſt vehementiſſimus uno in loco fixus, diſcruciat, nihil per alvum redditur; prætereà ſi ſomnus non conceditur, ſequitur vomitus, ſingultus, delirium, ſyncope, extremorum refrigeratio, & frigidi ſudores, ad mortem terminatur.

Colicus dolor diuturnus, qui nunquàm mutatur, in lethalem abſceſſum coli inteſtini abit, *ut aph.* 22. *ſect.* 7. *A ventris dolore diuturno, ſuppuratio.* Colicus dolor, ubi crebrior adeſt vomitus, & potus retineri nequit, & nihil, vel paùm infra excernitur, in ileum tranſit lethalem. Si colicus dolor fuerit diuturnus, & à ſale acido ortum duxerit, in alios affectus degenerat graviſſimos, in arthritidem, epilepſiam, ſed ſæpiſſimè in paralyſim. Si verò epidemicus, contagioſus & peſtilens, utplurimùm lethalis eſſe conſuevit.

Veterum Curatio.

Colicæ paſſionis curationem communiter adoriuntur vulgares à clyſteribus, & in clyſteres eam terminare faciunt; clyſter n. ipſis in hoc morbo dicitur alius emolliens, à quo curationem auſpicantur, cui poſtmodum ſuccedit carminans & diſcutiens, (datur nàmque inter clyſteres prioritatis, & poſterioritatis ordo) quos eâdem die ter, quater, quinquies, & ulteriùs reiterant, donec dolor evaneſcat. Si verò decimo, undecimo, & ulteriori clyſtere alvus non deponat, ut quandòq; accidere ſolet, anum ſuppoſitorio ſollicitant, iteiùmque clyſteribus obſtinatè inſiſtunt. Hujus morbi, & clyſterum occaſione quendam medicum barbatum me obſervaſſe recordor, qui colico affectus dolore, poſt 140. clyſteres quorum alius alio ſemper longè diſſimilior erat, ſine fructu cum expertus fuiſſet, & nunc ceu pervicax hircus ipſis clyſteribus adhuc inſiſteret, niſi à quodam ſpagyrico alkali ſuberum curatus fuiſſet. Sed quod magis mirari ſubit, magno cum medicinæ dedecore mihi accidit aſpexiſſe duos Galenicos non contemnendos cuidam colico dolore laboranti alternatim propriâ manu immittere clyſteres.

Poſt aliquot clyſteres fruſtrà tentatos nonnulli levo aliquo laxante utuntur medicamento, *ut pilul. catholic. de trib. vel m inn. cum ol. amygdal. dulc. in jure pingui* exhibent, vel ad *caſſiæ* exhibitionem deveniunt, quæ improbatur ab aliquibus, niſi ejus flatulentia corrigatur. Sed nunquàm evacuandum eſt per partem affectam.

Si his, aliiſque purgantibus præſidiis non cedat affectio, commendant *ol. amygdal. dulc. recenter, & ſine igne extractum ad lib.ß.* Commendant queq;

balneum ex hydroleo, in quo bulliunt melil. chamom. ſemin. lin. fœnugræc. ror. marin. gramen, malv. apium, petroſelin. cæteraſque herbas pratenſes.

Verùm, ſi affectus vires acquirat eundo, & his non cedat præſidiis, ad obſtupefacientia deveniunt, quæ ſenſum auferendo, dolorem tollunt. Neq; audiendi ſunt, qui hoc præſidii genus abhorrent, nàm cùm certæ mortis periculum imminet, nè ægrum omni ſpe deſtitutum derelinquant, præſidia, quæ aliquandò fuere ſaluti, tentant. Verùm in diſcrimine ægrum potius jugulant, quàm aliquod illi juvamen tribuunt juxta noſtras regulas, ubi fuſiùs de opiatorum adminiſtratione egimus. Undè ſomnifera exhibent, exteriùs tempora, & manus *ung. populeon.* inungendo, vel interiùs *theriacam novellam, vel philon. rom.* propinant, quod mirum in modum huic affectui prodeſſe fatentur.

Interim ventri applicant *petiam lineam imbibitam ol. amygd. dulc. calido, vel ſpongiam madidam in 4. anodynis decoctis in hydroleo.* Vel fiunt inunctiones *ex ol. chamom. laurin. aut rutac.* vel pariter applicatur *vervicis omentum in oleo prædicto calido madefactum.* Vel *crudum filum cum cinere decoctum in aqua calidum in ventre apponunt.* Non deſunt præterea *fomenta, cataplaſmata, emplaſtra.* Itèm ſi colica fuerit bilioſa, ſequens epithema refrigerans hepatis regioni admovent.

℞. *Succi endiviæ, cichor. an lib. ß. lactucæ, aceti roſ. an. ℥ij. m. f. epithema hepatis regioni per modum acetarii.*

In colicâ ex bile æruginosâ ponunt ſuper umbilicum *magnetem*, qui ſtatim à bile attrahit æruginem & ſedatur dolor.

Si hæc ſine fructu applicuerint vulgares, nè ægrum omni ſpe deſtitutum derelinquant, ad quædam remedia, quæ occultâ proprietate dolores colicos lenire creduntur, confugiunt. Inter ea in primis laudatur *caprinum ſtercus in pulverem redactum, & cum vino exhibitum. Stercus lupinum album, quod in ſpinis repertum, in terram non decidit. Datur à ℨß. ad ℨj. cū pauco ſale, vel pipere in vino albo tenui*, ità vulgares præparant ſtercus. Stercus gallinaceum, &c. Reverà vulgarium medicina eſt tota ſtercoracea. Verumenimverò multa animalium ſtercora mirabiles, & præſtantes obtinent medicamentoſas virtutes; conſtant nàmque ſpiritu volatili fœtente flagrabili, (ſulphur fœtidum vocant ſpagyrici) & ſale fixiori nitroſo, quo agri fœcundantur, (ut in *noſtrâ pyrotechniâ* fuſiùs diximus,) quod attenuandi & abſtergendi vim habet; ſed profectò res indigna eſt, ut ſtercus à quopiam medico in uſum advocetur. Verum, an hoc ſal nitroſum, quod ſtercoribus ineſt, colicæ proſit paſſioni, non eſt de vulgarium conſideratione, qui aliud ſal, præter commune, quo in cibariis utuntur, & gemmeum, quod ad ſtercora dura liquanda in colicâ præſcribuntur, non agnoſcunt.

Itèm hæc alia, quæ occultâ proprietate juvare credunt, propinant, ut lupi inteſtinum in clibano exſiccatum, & in pulverem redactum ad ℨj. Inteſtina gallinæ toſta, & ſimilia, quæ juvare imaginantur, vel ob magnam familiaritatem, & amicitiam, quam cum humanis inteſtinis habent, vel ob vim inteſtina confortandi, vel ob ſimilitudinem. *Lumbrici terreſtres præparati* ob ſignaturam cum inteſtinis. Laudant *umbilicum infantis recens nati præciſum in argento, vel auro incluſum cum medico ſale*, & qui

qui geſtat hoc allegatum prorsùs hoc dolore non corripitur. Omittimus alia quamplurima hujus farinæ vulgarium vana præſidia, quia ſuperſtitioſa videntur.

Si tandem affectus ſit antiquatus, ad *guajaci decoctum* per multos dies continuatum recurrunt, & per intervalla purgant, clyſtereſque frequentant.

Noſtra Curatio.

Ad dolorem colicum curandum eandem curam meditemur oportet, ac in aliis profligandis humani corporis affectionibus, & æquè optimâ diætâ, ac opportunis medicamentis verſatur, igitur

Aër, quantùm poſſibile eſt, eligendus, aut parandus moderatè calidus, ſiccus, purus, & tenuis; vitetur craſſus, frigidus, nebuloſus, uliginoſus, vaporibus refertus, & nimis calidus.

Cibus ſit facilis digeſtionis, & qui paucas generet ſuperfluitates. Sit liquidus, vitetur aſſus, & elixus eſt validior, minimè flatuoſus, aut viſcoſus; conducunt omnes volucrum montanarum carnes, ſed non in aquâ degentium, modò pingues non ſint, in primis laudatur caro *Alaudæ* avis, de quâ *Galenus in lib. ad Piſonem de antid.* ſcribit. Secundum proprietatem in colicâ paſſione prodeſſe, quod an verum ſit, fides ſit apud *Magiſtrum Galenum.* Conveniunt etiam pullorum gallinarum, caponum, hædinæ, vitulinæ carnes, & elixentur potiùs, quàm aſſentur. Plurimùm in hoc affectu pinguia caponum, & pullorum juſcula conducunt, quia meliùs per inteſtinorum tubulos labuntur. Incoquimus *thymum, ſampſucum, pulegium, origanum, ſaturejam, mentham, hyſſopum, fœniculum, aniſi ſemen, aſparagum, apium, vel petroſelinum, & allium.* Addimus juſculis nonnihil vini malvatici. Panis ſit optimè coctus, & fermentatus, aniſo, vel coriandro conditus. Fugiat æger cibos flatulentos, ſi paſſio colica ſit flatulenta, ut ſunt legumina omnia, caſtaneæ, & angue, ac cane rabido pejus vitentur cibaria adſtringentia, & quæ ſtypticam reddunt alvum. Itèm lacticinia omnia, cibi acres, ſalſi, vel viſcidi vitentur. Similiter piſces omnes fugiendi, præcipuè ſaliti; parvi tamen convenire poſſunt, ſed condiantur pipere, cinnamomo, caryophyllis, vel nuce moſcatâ, aliiſq; aromatibus conditi. Omnia acida maximoperè hîc nocent, & omnes fructus horarii, in primis crudi. Edulia, quæ flatus diſcutiunt, magno habentur in uſu, ſive dolor ſit à flatu ſive ab humore frigido, & craſſo; ea propter ſemper ea ciborum genera, quæ flatus diſjiciunt, cùm calfaciant, extenuent, deſiccent, maximam adferunt utilitatem. Eſt tamen hîc notandum, nè medicamenta magis calfaciant, quàm par eſt, quia plerùmq; medicamenta nimis calefacientia liquant tantùm humores, & cùm non diſcutiant, ipſos dolores acerbiores reddere ſolent. Pariter omnia dulcia vitanda, lagana, ſimiliter piſtacia, bellaria, dulciaria, fructus omnes ſaccharo conditi; omnia namq; dulcia, ut & mellita acidum corroſivum in ſinu recondunt, ut ſuccum ex harundinibus ſacchari, quas vulgò *cannamele* vocamus, expreſſum, ex quo ſaccharum concreſcit, intra breve tempus aceſcere obſervamus. Præterea ex ſaccharo, vel melle, mediante deſtillatione, ſpiritus elicitur metalla exedens. Inſuper ſaccharum antimonium ſolvit, ut patet, ſi ambo in retortâ deſtillentur, & elicitur oleum. Tandem admonitos volumus hujuſmodi ægrotos, ut parcè prandeant, parciùſque cœnent.

Potus

Potus in hoc affectu ſit vinum generoſum antiquum, vel conditum, ut aniſatum, ſi tale ſubſtineat æger, aliàs mediocre, in quo nullum lateat acidum; Vitetur vinum ſulphuratum, aluminoſum, &c. ut eſt Puteolanum, & Pithecuſarum, vitetur quoque vappidum, & muſtum. Nonnulli omnia vinorum genera in paſſione colicâ rejiciunt ob acidum volatile. Spirituoſa omnia fugiantur, vel ſaltim parciſſimè hauriantur, quia ſpiritus animales magis in furorem adiguntur, & dolor augetur. Si vinum non potat æger, decocto ſaſſafras, vel decocto chinæ cum paſſulis utatur, & interim parcè bibat. Vinum aquoſum, atq; aqua ſimplex omninò vitetur.

Motus patientem exerceat in omni exercitiorum genere, ut eſt curſus, vel ſaltus; obſervamus nàmq; veterinarios, quandò equi capiuntur dolore, nihil utilius, & accommodatius curſu invenire. Verùm magnum inter equos, & homines verſatur diſcrimen; poſſunt n. equi ſcuticâ ad curſum impelli, cum hominibus verò humaniùs, nocet in tanta dolorum acerbitate nimius motus, nec liberè peragi poteſt in ſpaſmodicâ omnium viſcerum retractione, & malum augeri poteſt: convenit motus, ſed moderatus antequàm patiens alimentum ſumpſerit.

Quies multùm prodeſt, ſed ecquis quietem habere poteſt cum inferni cruciatibus? Imperanda eſt quies, ſed ſumpto cibo; motus itàque, & quies ſtent in ſuo æquilibrio, & motus non ſit nimius, nec quies excedens.

Somnus omni ſtudio procurandus, quia ad omnes dolores leniendos, & morbificas cauſas concoquendas nihil eſt, quod præſtantius ſit ſomno, & ſi doloris neceſſitas urgeat, admittatur, etiam ſolito diutiùs; quo etiam interdiù uti poterit.

Vigilia producta maximoperè nocet, ac proindè moderata eſſe debet, & aliqualem proportionem, datâ paritate, ſomnus, & vigilia habere debent, eſtò ſomnus excedere operæ pretium ſit.

Excreta, & retenta ſecundum naturæ neceſſitatem procedant, & ante cætera magnoperè curandum, ut ſcybala ſingulis diebus educantur, diligenterq; ea, quæ alvum adſtringere poſſunt, vitentur. Vitentur fortiora emetica, & efferata purgantia, quia plus noxæ, quàm utilitatis indè ſperari poteſt.

Animi perturbationes proſcribantur, nocet mœror, & triſtitia, quia quandoq; colicæ productioni anſam præbent, attamen non omninò eſt inutilis ira brevis; hilaritas multùm confert, ſi patiens in tot ſævis viſcerum naturalium torturis eſſe poſſit hilaritatis capax.

Sumuntur indicationes à cauſis, & à productis, & pro eorũ differentiâ varia remedia colicæ adverſantur. Quæ fit ab acidis, eorum ablationẽ, vel mitigationem expoſtulat; Auferuntur, ſi fuerint in ventriculo acida ſalia vomitu ex *ſale vitrioli albi, vel aquâ benedictâ:* cautè tamen utendum eſt vomitoriis, præſertim vehementioribus, nè affectus in iliacum tranſeat. Ejiciunt etiam per cathartica, quæ vehementiora non ſint. Adjuvant etiam rem clyſteres cum *ol. lini*, & his interdùm quandò res in diſcrimine eſt, adjici poteſt *croc. metall. vel aqua benedicta* cum maximâ tamen cautione ob iliacæ paſſionis timorem; ſolent. n. hi clyſteres vomitum movere.

Deprimunt aciditatem ſalia ex eſſentiis oleoſis elicita, & in eorum defectu *aniſor. fæniculi &c.* Abſtinendum eſt à pulveribus, qui acidum combibunt, ratione

tione ſtypticitatis, quæ cum colicâ conjungi ſolet.

Conveniunt quàm maximè *opiata*, quæ cauſam immediatam reſpiciunt ſcilicèt vitæ noſtræ furorem ſedant, & in hoc verus curationis cardo conſiſtit; undè falſum eſt febrem, conſimileſque morbos curari non poſſe, ſuperſtite cauſa occaſionali: nàm non tardò colicam, choleram, diarrhœam, dyſenteriam, &c. perfectè curamus per ſolum *laudanum ſine opio*, reſidua licèt maſſa intùs adhuc hoſpitaretur.

Acidis adverſatur remedium, quod pluries poſuimus Vinum in hoc affectu ob aciditatem excitato nocet, quapropter præſcribenda eſt ægro *aqua vel cinnam. vel ſaſſafras vel aniſor.*

℞. *Cinnam.* ℥ij *ſacch* ℥j. *aq. lib. iij. vaſe clauſo in B. digeſtione extrahatur tictura*, de quâ æger bibat. Hoc pacto poterit etiam fieri aqua, ſivè tinctura aniſorum, & præcipuè coriandrorum non præparatorum, ratione aceti, quod præparata admittunt, & hæc aqua maximè omnium juvat.

In colicâ puerorum adhibetur placenta, ut

℞. *Vitellor. ovor. num.* vj. *agitentur, & addantur ſeminum fœniculi, cumini an.* ℈j. *cum ol. laurino f. placenta, & parti applicetur.*

Opiata miſcentur etiam clyſteribus emolientibus.

Interdum utplurimùm colica epidemica, & maligna fit à paucâ materiâ validâ tamen, & in agendo exaltatâ, & hæc purgantibus magis exacerbatur; & poſtulat anodyna. Vina nocent ratione tartari, calcis, ſeu alkali, & ſulphuris, quæ à ſtomachi fermento non ſuperantur.

Quæ à ſale amaro oritur, remedia expoſtulat huic ſali adverſantia, vomitus ciendus, materia in ventriculo exiſtēte, & cathartica in uſu etiā ſint benigniora.

In depreſſione amaritiei cavendum eſt quàm maximè ab acidis, nè materia acida ſit cum amarâ complicatâ, vel lateat in inteſtinis, & amari latices ſint producta, & non cauſæ.

Multoties fœces induratæ occaſionem quàm maximam huic affectui dant, quia evacuari non ſinunt amaros latices, vel acidos, in quo caſu ob omnibus purgantibus per ſuperiora abſtinendum eſt, & ſolis clyſteribus utendum eſt.

Aliquandò acida ſalia cum terrâ damnatâ miſcentur, & materiam viſcidiorem efficiunt, quæ arctè inteſtinorum tunicis adhæret; clyſteres tunc fortiores à principio injecti, & iterati materiam agitando, magis nocent, quàm proſunt: conveniunt igitur lenientia, & detergentia. A vomitoriis abſtinendum, materiâ in ſolo ventriculō non exiſtente.

Peragenda res eſt iteratis lenientibus, & interim materia attenuanda; & diſcutienda eſt non medicamentis quæ magnam fermentationem, & calorem excitare valent, nè flatus multiplicentur. Juvat *ol. zedoariæ.* Doſis eſt gutt iij & poteſt extendi ad ℈j. Exhibetur cum vino vel aquâ appropriatâ, decocto ſcilicet *marrubii albi, veronicæ, &c.*

Prodeſt etiam *ol. corticum aurantior.* Doſis eſt gutt. iv. Dolore perſeverante ſiccis fomentis res agenda eſt, ut liquatum, & attenuatū excitetur, & excutiatur.

Si mitiora cathartica non juverint, exhiberi poteſt *eſſentia trochis. albandal.*; *vel ſpiritus vitæ aureus Rulandi.* Doſis extenditur ab ℥j. ad ℥jß. Deſiſtendum eſt ab opiatis.

Flatus tolluntur materiæ ablatione, & mitigatione, & tollitur affectus non ſolùm in hac, ſed in aliis cauſis, ablatione

ne corrugationis inteſtinorum.obquam retinetur fæces,& flatus diſcruciant.Ad hanc tollendam juvant *clyſteres anodyni*, *& emollientes*, *juſcula pinguia*, *ol. amygd.dulc.ol.balneum. additis anodynis herbis,& emollientibus*, deindè deveniendum ad diſcutientia.

℞ .*Vini malvatici, ol.nucum an.*℥iij. *aq.vitæ* ℥j.*ol.juniper. rutæ deſtillat.*ʒj. *f. clyſter.*

Exibentur *ſpiritus vini*, *& ſpiritus nitri*, ut

℞. *Spiritus vini.nitri an.*ʒß.*vel* ℈ij. *in aq com.tepidè offer.tinct.cort. aurant. cum ſp.vini extracta.* Doſis coch.j. Ventriculo *gum. tacamahaca, & caragna* imponi poteſt.

Nothæ colicæ cauſa eſt vel in peritonæo,vel in membranis,quæ abdomini, ventriſque partibus adhærent. Non cedit clyſteribus, nec medicamentis, neque fomentis quibus alii colici dolores tolluntur,& hoc ſigno dignoſcitur, ſuccedit utplurimùm diuturnis febribus. Obſervavit *Fernelius* continuas tertianas,& quartanas his doloribus finiri,& ſervare typum hoc circuitu certo exacerbari.

Curatio peragenda eſt remediis,quibus illæ febres tolluntur.Diaphoretica proſunt, & purgantia præſertim vehementiora, ſeu acria nocent.Aliqui clyſteribus variis alvum ſolvunt, primas vias cathartico lenienti aperiunt,& immittunt ægrum in balneum tepidum ex emollientium decocto paratum, bis, ter,quater, & quinquies in die,ut temperetur ſalſum acrimonia, & membranarum pori aperiantur,& altero die catharticum denuò exhibent, deindè repetunt balneum, quod ſervant,ſi vires permiſerint,uſque ad totius cauſæ ablationem.

Paralyſis ex colicâ curatio in magnis tantummodò arcanis ſita eſt, ut auro obryzo, antimonio, perlis,&c.Niſi mox in prima inceptione ſuccuratur,temporis progreſſu incurabilis evadit, idèoq; non cunctandum,quia alteriûs indolis, quàm vulgaris paralyſis,& præceps eſt. Purgantia vehementia,quæ ægrum cõvellunt,prorsùs evitanda ſunt. Ex purgantibus adhibetur *diatartarus* convenienti doſi,& per epicraſim,deindè tertio quoque die juvant ſudorifera,ut ſp. tartari à gutt xx.vel xxv Mercurius diaphoreticus, antimonium diaphoreticum,&c. Decoctum ſaſſafras, aq.lilior. convall.primulæ veris multùm hîc poteſt,juvat nimirùm ventriculum,& inteſtina,undè mali initia. Quotidiè dentur rotulæ confortantes *cap.de Paralyſi* deſcriptæ. Membra affecta aſperiori fricentur linteo, deindè tartari ſpiritu aſpergantur ter quotidiè &tandèm *balſamo galbani terebinthinato*, quotidiè ter inungatur à qualibet *inunctione radices ſymphyti majoris in aquâ fontanâ decocta*, linteoque in formâ cataplaſmatis ſuperinductæ membris inunctis calidè applicentur.

CAP. XIII.

De Iliacâ Paſſione.

ALimenta naturaliter ventriculo continentur, donec ferè tota fermentalis actio in illis completa ſit,inferius ventriculi orificium reſeratur,&ciborum reliquiæ æthereo depauperatæ ſpiritu ad duodenum & jejunum defluunt.ubi per fellis effluviũ in liquamen vertuntur, ut reliqua ſpirituoſa pars ab illius materiæ compedibus extricetur, quo peracto ciborum reliquiæ omni ſpirituoſi ſpoliatæ parte ileon ingrediuntur,craſſeſcere, & ſtercoreſcere incipiunt.

piunt. Cœcum ſtercoreum cōtinet fermentum, cui plurimæ ſunt cellulæ ad diutiùs retardādas fœces Ex cœco in ileō pertranſeunt ſtercora, ideòque amplius, & capacius eſt aliis, in cujus principio valvula extat intercludens ſtercorum, ſtatuumq; regurgitationem in ileon, ità ut talia ab ileo ad colon ſine impedimento deſcendunt, aſcendere verò nihil eorum poſſit, valvulam autem illam non nunquàm laxari paſſio teſtatur iliaca, ubi fœces, clyſteres, glandes, & ſuppoſitoria ſursùm rapiuntur, & vomita rejiciuntur. Ex colo denique per rectum fit ſtercorum expulſio. Motus reliquiarum ciborum, ſtercorumque ab inteſtinorum motu dependet, mediantibus fibris tranſverſis, orbicularibus, & nervis, quos obtinent, nō ſolum ut grata arripiant, ac noxia expellant, verùm etiam ut ſe moveant; habent n inteſt na hunc motum à partibus ſuperioribus ad inferiora qui lumbricorum terreſtrium motui comparatur, qui corporis partes ſucceſſivà contractione movent. Hic inteſtinorum motus naturalis, ſeu periſtalticus aliquandò à cauſis præternaturalibus invertitur, ità ut inteſtinorum fibræ qu. à ſuperioribus verſus inferiora contrahi debent, ad ſuperiora contrahi debent, ad ſuperiora contrahantur, & præpoſtero motu, quæcumque in inteſtinis continentur, non alvum verſus, ſed ad ventriculum protrudantur, & per os rejiciantur. Malum ho: Græcis εἰλεὸς, à vertendo dicitur, latinis *iliaca paſſi* cùm inteſtini ilei ſit affectio; nec non volvulus, quod inteſtina, quæ alias obſcuro quodam moventur motu verſus inferiora, hìc manifeſtè volvi ideſt verſus ſuperiora moveri videntur. Dicitur & χορδαψὸς ἀπὸ τῆς χορδῆς ἅπτεσθαι, quòd qui manum loco dolenti in ventre admonet, quaſi chordæ tenſæ, & duriter convolutæ ſpeciem ſentiat. Barbari *Miſerere mei* ob acutiſſimum dolorem, & ſpurcam ſtercorum alvi per os rejectionem nominārunt, quod ſcilicèt deplorabile, & commiſeratione dignum ſit malum.

Eſt enim iliaca paſſio motus inteſtinorum præpoſterus, & inverſus, in quo alvus omninò conſtricta eſt, & per inferiora excerni deberent, ad ventriculum rapiuntur, & per eos miſerabiliter rejiciuntur.

Signa.

Æger ſæviſſimis, & intolerabilibus in ventre circa umbilicum torquetur doloribus, hypogaſtrium tumore duro, & eminente inflatur, & vehementer diſtenditur, alvus ità omninò adſtricta, ut nihil proſus fæcum per inferiora excernat, & hoc eſt proprium, & inſeparabile hujus morbi ſignum. In morbi progreſſu cùm perniciosè ægrotat, nauſea conflictitur, quàm enormis ſubſequitur vomitus, primùm variorum humorum, deindè ſtercoris cum plurimo dolore. Ultimò urinæ difficultas, podex introrsùm retractus, & ità adſtrictus, ut neque ſpecilli extremum admittat, ſudor frigidus copiosè emanat, extrema refrigerantur, cor tremit, anxietate, & deliquio deficit, jàm, jàmque mortem imminere præſagit.

Veterum Cauſæ.

Vulgatium ſententia eſt idem plerùmque ab inteſtinorum obſtructione, & compreſſione oriri, quæ fit ab inflāmatione, quæ vehementer ità ea comprimit, & undiq; cōſtringit, ut fœces deorsùm deſcendere nequeant, & quia morbus iſte in tenuibus conſiſtit inteſtinis, communicatur ſtomacho, unde ibi faſtidium, nauſea, & vomitus ſuccedit Idem malum ex inteſtinorum tenuium

abſceſſu oriri ſtatuunt, quod anguſtiam ſimiliter in iis parit. Hunc morbum fieri docent à fœcum copiâ adeò induratarum ut propterea ineptæ ad excretionis motum reddantur, ac inteſtinorum ductui hæreant, & tandem ad ſtomachum regurgitent, ac per os rejiciantur. Hanc doctrinam ex *Gal 6. de loc. aff c. 2. & 3. de natur. facult. c. 13* ſumpsère mal: feriati ſectatores: ſed hæc ſententia non omninò eſt veritati conſona; nam eſtò aſſeveremus ab inflammatione, abſceſſu, induratis fæcibus iliacam accidere poſſe paſſionem, cauſam tamen immediatam eſſe negamus, ut vulgò decernunt, ſed tantùm obſtructionem, & coarctationem eſſe fatentur, ob quam, eorum viâ occluſâ, nihil prorſus excerni queat. Si inteſtina tenuia planè obſtructa, & coarctata ſunt, quomodò ſtercora, & fæces in craſſis cumulata inteſtinis per ea in ſtomachum tranſire, & vomitu rejici poſſunt? Et glandes, ac clyſteres quomodò per os excerni queũt, ſi inteſtinorum via omninò percluſa eſt?

Notabile eſt exemplum, quod *Matthæus de Gradibus in pract. c. de vomitu* refert *de quadam puellâ ann. 12. quæ ileo laborans, non ſolùm nihil per alvum reddidit, ſed & fæces, & poſteà etiam clyſteres injectos non multò pòſt vomitu per os rejecit; Idque cum per totum triduum continuâſſet, & poſteà ſuppoſitorium longum immiſſum fuiſſet, & illud intra temporis ſpatium, quo dicitur Pater Noſter, & Ave Maria, ut loquitur author, per inteſtina aſcendit ad ſtomachum, & vomitu fuit rejectum. Poſteà cum ſuppoſitorium aliud filo ad coxam alligaretur, ſtatim rupto filo, aſcendit ſurſum ad ſtomachum, illudque ægra cum parte fili appenſi evomit. Et cùm tertiò ſuppoſitoriũ aliud quatuor filis fortibus alligaretur, & illud paulò poſt ruptis filis, per os cum parte filorum rejectum fuit. Tandem cùm medicum juberet, ut mater aliud ſuppoſitorium immitteret, tantâ violentiâ ſurſum attractum fuit, ut mater ne ſurſùm raperetur, illud extrahere cogeretur. Curata tamen fuit iſta puella juſculis pinguibus, quæ motum inverſum laxant, exhibitis. Quæ quamvis ſæpiùs primo vomitu rejicerentur, accidit tamen, ut ſecundâ die iterùm per alvum dejicere inciperet.*

Bardi vulgares inteſtinorum convolutionem etiam pro ilei cauſâ incuſant, ſed talem convolutionem falſam omninò deprehendimus, cum inteſtina ità convolvi nequeant; verùm quamdiù meſenterio ad lumbos alligantur, impoſſibile eſt talem inteſtinorum convolutionem dari, demonſtrante hoc *Helmont. in tract. de flatib.* undè volvuli appellatio, abſurda eſt, dùm ileus dicitur volvulus à volutatione. Cæterùm inteſtinorum unius in alterum deſcenſus, ideſt ſuperioris intruſionem in cavitatem inferioris, ſeu intruſionem inferioris in cavitatem ſuperioris nullatenùs accidere poſſe teſtamur, cùm non poſſit aſſignari motor, neque tortor. Inteſtinum hoc nunquàm contorquetur, & extra meſenterii capſulam diſſolvitur, flatus tamen obſtructionem excitare, & tumidum reddere poteſt, cùm poſt iliacorum mortē ſemper inteſtinum ileon flatu tumidum obſervetur. Recenſet eodem tractatu de flatibus *Helmontius exemplum de Thoma Balbano Antuerpienſi*, qui medicis octoginta mille libras Flandricas pro ſanatione obtulit, & cùm hi incuſaverint involutum inteſtinum, & velut nodo Gordiano intortum pro incurabili habuerunt ægrum, qui & hoc morbo extinctus, in cujus cadavere

exente,

exenterato nihil præter durum ſtercus in gracili inteſtino ſexdecim digitis ſupra monoculum hæxitaſſe, multorumque ſolutorum ſaburram per ileon deſuper nat ſſe obſervatum eſt.

Non negamus tamen hernias tàm umbilicales, quàm inteſtinales, quæ in ſcrotum incidunt, ſæpiùs iliacam paſſionem gignere, quia excrementa per inteſtina in umbilico, & ſcroto convoluta deſcendere non poſſunt: undè non poſſunt excrementa in ſuperioribus inteſtinis contenta ſursùm verſus non regurgitare ob impeditum inferiorem deſcenſum.

Noſtra Cauſa.

Ilei cauſa eſt motus inteſtinorum periſtalticus inverſus, ità ut reverà id, quod eſt vomitus in ſtomacho, hoc eſt ileus morbus in inteſtinis; nàm quandò incipit motûs periſtaltici inverſio in pyloro fit vomitus quandò verò incipit inverſio motus periſtaltici in ileo, fit ileus. Eſt n. unus continuus tractus ejuſdem ſubſtantiæ ſimiliter connexæ à ſummitate gulæ uſque ad extremum podicis hiatum. Totus tractus eſt una ſubſtantia membranacea fibris circularibus nerveis, obliquè tamen incidentibus compoſita quæ ſubſtantia nunc eſt amplior, nunc anguſtior, amplior eſt dùm conſtituit ſtomachum, anguſtior eſt, ubi gulam, & inteſtina craſſa in ſpecie colon, & tenuia efficit. Quadere ſicut in ſtatu naturali unus continuus eſt motus à ſummitate gulæ uſq; ad podicem, quo ingeſta ſucceſſivè motu periſtaltico naturali protrudûtur; ità ſi quodàm in loco inverteretur hic motus, ut fiat contrario modo ſursùm verſus, tunc oritur excretio contentorum in hoc tractu, non per podicem, quæ excretio interdum eſt vomitus; ſi incipiat motus periſtalticus inverſus à pyloro, interdùm eſt cholera, ſi incipiat inverſus motus circa inſertionem ductûs pancreatici, & cholidochi, interdùm eſt ileus morbus, quandò incipit motus inverſus in ileo, ſeu reliquis inteſtinis. Nam interdùm podex eſt locus ubi incipit talis inverſus motus, quâ ratione non tantùm clyſteres alvo injecti; ſed etiam ſuppoſitoria fuêre rejecta per os.

Motus iſte periſtaticus inverſus non eſt immediata ilei cauſa, ſed hujus motûs vera, & genuina cauſa eſt inteſtinorum irritatio facta ab humoribus acidis, vel acribus intra inteſtinorũ membranas impactis, in acrioribus factis, qui inteſtinorum tunicas criſpant, vellicant, convellunt, & quia inteſtini coli interior tunica tenera eſt, ut exquiſitiſſima ſenſilitate gaudet, ſtatim ac irritantis moleſtiam ſenſit, vitæ ſpiritus indignatur, furit, inteſtinorum fibras criſpat, & convellit, & hinc expulſorius inteſtinorum motus, contractis ſursùm fibris, & à naturali disjectis ſimmetriâ, invertitur, dolor excitatur imò aniſſimus, ac contenta ſurſum verſus eliminentur oportet. Non itàque mirum eſt, cùm per inferiora partim ob convulſionem, criſpationem, & motum retrogradum, partim ob fœcum duritiem, inflammationem, tumorem, ulcerationem &c. inteſtina vel nimis anguſta facta, nihil per inferiora excerni poſſe, & tantùm per ſuperiora aſſumpta & ſæpè per inferiora intruſa, ac fæces eliminari. Fœcum durities, inflammatio, abſceſſus, ulceratio, &c. ſunt cauſæ occaſionales, & mediatæ.

Hujus motûs inverſi multiplices eſſe poſſunt cauſæ occaſionales, nàm primò fœcum durities inteſtina obſtruens impedit excrementorum expulſionem, &

ab his inteſtina irritata non valentia per conſuetas vias, & conſueto motu illa evacuare, motus invertitur, & per vomitum evacuant, quæ per alvum evacuari debeant.

Secundò, id efficere poſſunt inflammatio, tumores magni, copia magna flatûs craſſi, & etiam inteſtini circumvolutio licet rariſſimè, & complicatio ex diſruptione, in quam tamen ſæpè incidere poſſunt hernioſi.

Tertiò, inteſtinorum exulceratio inſignis, vel acerrima ſalia, nimiùm quàm par eſt inteſtina vellicantia, à quibus irritata motum invertunt, ſursùm ſcilicet impetum propellunt irritantem cauſam, quem motum reliqua inteſtina ſequuntur, & ipſemet ventriculus.

Quartò, venenum aliquod laxativum, vel in ſtomacho, vel inteſtinis exiſtens, ex quo vomitus cieri valet, vel intùs genitum vel aliundè proveniens, & hac de causâ iliaca paſſio evenit ex clyſteribus quandòque ex bryonia confectis, vel vomitu ſemel incepto perſeverante, qui tàm validus eſt, ut non ſolùm fæces, ſed etiam clyſteres, & ſuppoſitoria per vomitum ejiciat, ut paſſim videre eſt in praxi.

Contrahitur quandòque aliacus affectus ex aſſiduâ alimentorum corruptione, & cruditate, utplurimùm ex carnibus pinguibus corruptionem expertis, item ex abuſu fungorum, conchyliorum, fabarum, piſorum, meſpilorum, ſorborum, aliorumque venenorum; & corruptorum ciborum intempeſtivo uſu. Ex nimiâ p.n. frigidæ aquæ potione, maximè ſi à ſudantibus fiat. Ex vermibus etiam hunc morbum exoriri poſſe non ambigimus. Cauſa denique procatharctica variarum rerum non naturalium abuſus eſt, de quo in curâ diæreticâ dicemus.

Prognoſis.

Omnis ileus pernicioſus eſt, ſed ille, cui ſtercoris vomitus accidit, cùm ab eo vix nullus evadat, exitialis; qui verò à fœcibus induratis, vel ab enterocele provenit, minùs pericoloſus eſt, & nonnullos non convaluiſſe obſervavimus; ex inflammatione tamen pericoloſiſſimus, cùm facilè gangræna, & ſphacelo corripi poſſit, & præcipuè in ſenibus, ut obſervatio nos docuit; cognoſcitur que ex eo, quod dolor ſtatim ceſſet. Signa lethalia in hoc morbo ſunt: vomitus ſingultus, & delirium, vel convulſio, vel ſurditas, *ut aph.10.ſect 7. Ab Ileo vomitus, ſingultus, delirium, vel convulſio, malum. Et in coac. Ileo laborantibus vomitus, & ſurditas, malum.* Ubi vomitum multùm, & graviter olentem, ſtercoribus ſimul excretis, intelligit. Aliquandò ſurditas huic accedit malo, materiâ ad caput raptâ: quod ferè indicium eſt febrem acutam, vel malignam cum ileo eſſe conjunctam.

Quibus ex ſtranguriâ ileos ſupervenerit in 7. diebus moriuntur, niſi febre ſupervenıente, copioſior urina fluxerit. aph 44. ſect. 6. Ileus enim qui poſt ſtranguriam ſupervenit, ex acribus accidit ſalibus, qui eam ſtranguriam excitare poſſunt, quorum expulſionem natura per urinam tentet, & non perficere poſſit, & hinc in inteſtina mittatur tenuia, ibi non ſolùm dolorem colicum, ſed inflammationem, & ileum excitare poteſt, qui lethalis eſſe ſolet ob copiam, & acrimoniam ſalis, niſi ea ſursùm ad venas regurgitet, & hinc per urinam copiosè evacuetur, qui motus vix abſque aliquo febrili calore abſolvi poteſt, ut ſæpè in talibus naturæ motibus ob-

obſervatur. Putârunt nonnulli ſtranguriam fieri ab humoribus craſſis, & pituitoſis, qui etiam magnâ copiâ in inteſtinis, & venis redundet, ſuperveniente febre, poſſint illi concoqui, liquari, & attenuari, & per urinas excerni, undè ilei ſolutio contingat. Verumenimverò credibile non eſt craſſam illam pituitam, quæ in inteſtinis eſt per urinam, & tot circuitus evacuari. Prætereà non eſt neceſſarium, ut ſiquid in inteſtinis abundet, ſimul etiam in venis redundet, cujus tamen evacuatio venis id quod in inteſtinis eſt, non tollit. Non mirum, ſi ità inſulſè *Hip. a, b.* vulgares interpretantur, cùm *Gal.* eorum anteſignanus ſe ignorare aſſerat, quæ *Hip.* dixit in hoc aphor. quæ ratione, & experientiâ confirmari non poſſe.

Si ſymptomata remittantur, & quid aſſumpti cibi, vel medicaminum per inferiora exeat, eſt ſalutis ſignum; indicat enim viam iterùm eſſe patefactam: Verùm alvi fluxus ileo ſuperveniens interdùm medicis imponere poteſt, ut *Riverius cent. 3 obſerv. 26.* teſtatur.

Veterum Curatio.

Vulgares ilei curationem variant juxta cauſarum varietatem & primò

Si ileus à fœcum duritie, vel à viſcidâ pituitâ ortum ducat emollientia, & varia relaxantia tàm interna, quàm externa ad inteſtina deobſtruenda, ut alvus ſolvatur, præſcribunt: quare ſtatim alvum, ſed quia, medicamentum catharticum ſi exhiberetur, ventrem ſolvere non poſſet, imò verò magis ad eas partes materiam deduceret, ea propter ante purgantis exhibitionem fœces clyſteribus emollire conantur, ut

℞. *Juris caſtrati lib.j.*
vel ol. com. ℥x.
ſucci malvæ ℥iv.
butyr. ℥iij.
m. f. clyſter.

& ſæpiùs iteretur. Ubi fœces emollitæ fuerint, acrioribus clyſteribus ſollicitanda eſt alvus, ut

℞. *Pulpæ coloc ynth.* ʒiij.
decoque in decocto emolliente, fiat colatura ad ℥viij. *& injiciatur.* Quod ſi illo, vel hoc clyſtere fœces non reddantur, utuntur ſuppoſitorio ex *felle taurino*, vel.

℞. *Fol. brancæ urſinæ,*
centaureæ major.
minoris an. m. ß.
radic. althææ,
malvæ an. ℥ß.
hieræ,
colocynth. an ʒiij.
f. decoct. ad ℥xij.
m. mell. roſ. ſolut. ℥iv.
ſal. gemmæ ʒj.
m. f. clyſter.

Verùm, quia interdùm obſervatum eſt plures clyſteres, & ſuppoſitoria fortiora nihil profeciſſe, & externas alvi emollitiones per fotus, inunctiones, cataplaſmata, vel balnea ex humectantibus plurimùm juviſſe, totum ventrem *ol. amygdal. dulc. chamomelin. aneth. &c.* calentibus inungunt. Fotum ex *decocto fol. alth. malvæ, flor. chamomel. meli. ot. ſemin. fœnugræc aneth. & ſimilium* adhibent. Aut iiſdem contuſis addunt *farinam hordei, ſemin. lini, fœnugræci, & cum ol. chamomeli, & amygdal. dulcium* cataplaſma ventri applicandum componunt. Balneum,

vel ſemicupium ex dictis emollientibus componunt, quæ coquunt in *hydrolæo.* His emollientibus emollitis fæcibus, ad purgans deveniunt medicamentum, ut.

℞. *Fol. ſen. or.* ℥.
fol. malvæ p. ß.
jur. pinguis ℥v.
bulliant parùm, & colentur, & in prædictâ colaturâ diſſolve
mannæ electæ ℥ij.
f. potus.

Vel

℞. *Mannæ Calabrin.* ℥iij.
diſſolve in ſuff. q. ol. amygdal. dulc. recèns elicit. & propina.

Verùm cave, ubi adeſt inteſtinorum inflammatio, quia valdè exacerbatur, & irritatur à medicamento purgante. Præterea purgans per vomitum excerni poteſt, cui fæces ex motu inteſtinorum inverſo ſuccedunt, & malum ad mortis januas deducit ægrotum.

Vel

℞. *Caſſiæ recèns extract.* ℥j.
cremor. tartar. ʒj.
cum ſaccharo f. bolus.

Quod medicamenti genus ſemel in hebdomadi propinant. Sed caſſia non eſt tantæ ſolutionis, quâta a vulgaribus decantatur, cùm potiùs per veſicam, quàm per alvum evacuet, & quia flatuoſa eſt, dolores intendere poteſt.

Si ileus fiat ex humoribus crudis, ità ut humores crudi, & corrupti, in quantitate inteſtina obſtruant, per vomitum evacuant, deindè clyſteribus & ſuppoſitoriis per alvum educunt ſtercora.

Si neque emollientia, neque clyſteres leves, neque acres, neque ſuppoſitoria quicquam conferant, & alia medicamenta non proſint, *Praxagoras à Galeno* multis in locis laudatus jubet, ut peritonæum prope pubem pertundatur, & eo pertuſo, ſimul etiam pertundantur inteſtina, & ex ipſis perforatis extrahantur ſtercora, & deindè inteſtina, & peritonæum conſuantur. Sed hoc remedii genus inhumanum eſt, quia ipſi vulgares inhumani; nàm ſi pertundantur inteſtina, ægri neceſſariò jugulantur, quia inteſtina inciſa nunquàm coaleſcunt, & per conſequens eorum vulnera ſunt lethalia.

Si ab inteſtinorum inflammatione ſit ileus, curationem aggrediuntur, quam inflammationibus internis adhibent. Si ab abſceſſu, aliiſque tumoribus, & exulceratione fiat ileus, aliis remediorum generibus appropriatis utuntur.

Si ab hernia ileus fuerit productus, totam curationis ſpem noſtri barbari, ut inteſtina reponantur, in prudentis chirurgi poteſtate reponunt. Sed citò fiat inteſtinorum repoſitio, multoties inflammatio propter ipſam repoſitionem ſubſequitur, & æger cum Charonte de naulo paciſcitur.

Noſtra Curatio.

Iliacus morbus magnus eſt, & lethalis, ac ſtatim jugulare ſolet, ità ut alii mortem timent, alii ſibimetipſis graves fiunt in tàm horrido morbo, & mori potiùs, quàm vivere exoptant; ideòq; medicum ipſo majorem, & celeriorem morbo ſit oportet: ea propter ſiquis morbus eſt, in cujus curatione nō cunctandum, profectò iliacum eſſe cenſemus, ac in eo curando de victûs ratione parùm ſolliciti eſſe debemus, cum inedia potiùs, quàm plena victûs ratio ægrum torquere debeat, nam ciborum reliquiæ non excernuntur, & ſic malum intenderent: verùm quia quandoq; prædicta affectio præcipitem non adigit

ægrum, diæteticam curam per ſex res non-naturales breviter rimemur oportet, quæ pro cauſæ morbi diverſitate; à quâ oritur, varianda eſt.

Aër eligatur humidus, vitetur ſiccus & nimiùm calidus, ſi malum ab induratarum fæcum obſtructione oriatur; ſi verò ab inflammatione, eligendus frigidus, qui ſi naturâ haberi non poſſit, arte parandus erit, pavimentum floribus roſarum, papaveris, nymphææ, vel aquâ conſpergendo.

Cibus ſit pauciſſimus, & totus curationis cardo in abſtinentiâ verſetur, quia cùm excrementa exturbari nequeant, id ſaltem pauciſſima generétur, oportet curemus, in omnibus nàmque inteſtinorum affectibus victum tenuem, ità & in hoc, tanquàm conducibilem commendamus. Sit cibus liquidus, minimè flatuoſus, aut viſcoſus, & vitentur ſummoperè edulia frigida, cruda, ſalsa; & pinguia, præcipuè ſi inflammatio adſit, in quâ conducit victus refrigerans, & humectans. Plurimùm conveniunt juſcula pinguia pullorum, gallinarum, caponum, & phaſianorum, quia melius per inteſtinorum ductus labuntur, nec excrementorum copia generatur. Fugiantur cibaria, quæ corporis ſtipticitatem inducunt.

Potus ſit hordei decoctum, præſertim ſi patiens vino non ſit aſſuetus, & adſit inflammatio, alias vinum poterit, & generoſum, quod *Hip. 3. de morb. & 2. epid.* laudavit, & præcipuè ſi ileus fiat à cauſâ frigidâ, humores frigidi, & crudi proculdubio à vino generoſo magis funduntur, & liquantur, præterea ſolidioris cibi excrementis non patet commeatus, & cum ægros nutrire neceſſarium ſit, nullo melius eſt eos nutrire, quàm vino generoſo, quia eos ocyus nutrit, nec excrementa progignit, ſed quicquid ipſius ſupereſt, per urinam exturbatur.

Motus, & *Quies* variant; nàm ileus ab inflammatione, vel herniâ quies, à fæcum retentione motus magis conducit, quia meatus aperit.

Somnus ileo maximum ſolamen eſt, quia vires valdè conſervat, dolores lenit, & ſuperam tollit evacuationem, ideòque multò ſatius erit curare, ut temperatè potiùs dormiant iliaci, quàm vigilent, præſertim ſi malum ab inteſtinorum inflammatione ortum duxerit.

Vigilia in obſtructione à fæcibus magis conferre videtur, ſed moderata eſſe debet; immoderata n. vires magis proſternit, ſicut ſomnus eas reficit.

Excreta, & retenta magnum auxilium eſt in ſuâ naturali ſimmetriâ conſervari, & in omnibus alvus ſuum deponat onus, qui omni ſolertiâ invigilandum eſt, ac perindè omnia, quæ alvum adſtringunt, vitentur. Clyſteres quoque, glandes, & ſuppoſitoria non injiciantur, ſi experientia conſtet ea ſursùm rapi in ſtomachum, & vomitu rejici; tunc .n. ob præpoſterum inteſtinorum motum alvus omninò adſtricta eſt, & podex introrsùm retractus, & valvula non obſerat, ſed laxa ſursùm ſuum efficit motum, quia inverſum inteſtinorum motum comitatur. Per os in hoc malo blandis emollientibus, & lubricantibus alvus ſcybala deponat, & podex intactus relinquatur.

Animi paſſiones moderatè incedant, & iliacus, quantùm fieri poteſt, ſit animo fortis, & conſtans in medio mortis diſcrimine. Vitetur ira, timor, & mœſtitia,

ſtitia, ſola vivendi ſpes ægrum ſolatur, quæ afflictorum eſt medicina, ſed ſpes tuta non eſt, dum inter ſpem, & metum dubius vitam trahit, & ſæpeſæpiùs miſeros falſis ludit imaginibus.

Ilei curatio conſiſtit in auferenda inteſtinorum irritatione, & in promovendâ contentorum excretione, quæ perficitur per emollientia, & laxantia; hujuſmodi n. medicamentis inverſus & præpoſterus inteſtinorum motus ſedatur, quia eorum fibræ molliuntur, & laxantur, quo peracto occaſionalibus cauſis facilè proſpicitur. Monitos volumus medicos, ut ubi ſtercora dura ſunt, vel dura judicantur, nihil prorsùs agant, niſi anteà induratæ fæces emolliantur. Hinc in ileo quæcumque purgantia tàm levia, quàm fortia per os exhibenda proſcribantur, cruimus, niſi priùs inteſtinorum irritatio ſedetur, & ortus eorum motus inverſus ad naturalem redeat ſtatum: permanente namque irritatione, & motu inverſo ex inteſtinis, quæcumque purgantia non tantùm fortia, quàm levia ſemper vomitoria fiunt, & malum exaſperatur.

Solent in hoc morbo ægroti ſummâ virium dejectione laborare, & non rarò in animi deliquium labi. Oritur animi deliquium ex fœtido odore, quem tales affecto morbo non ſolum vomitu, & ructu, ſed etiam toto corpore, expirant, & fœtida omnia ſpiritibus, & cordi infeſtiſſima ſunt. Propterea ea, quæ cordi, & ſpiritibus ſuccurrunt, præſcribere oportet, ut eſt *aqua theriacalis camphor. vel vinum cum aquâ cinnamomi, & ſpiritum roſ. ambrat.* cautè admiſcendum, & omnia, quæ animi deliquio ſuccurrunt, propinanda cenſemus.

Ilei, qui à fæcibus induratis, vel à ſalinâ aliquâ portione, & terrâ damnatâ inteſtina obſtruentibus ortum trahit, à fæcum emollitione curatio incipi debet. Clyſteres conveniunt ex emollientibus, *decoct. althea, malv. chamomill. melilot. ſemin. fœnugræc. lini, vel ex omento vervicis, butyro, melle, ſale gemmæ*, admiſtis carminantibus, ſi flatus adſint, ut ſunt *ſemin. aniſor. fœnicul. &c.* Ubi opus eſt ſtimulo, iiſdem concoquitur *colocynthis, aut in ol. lin. vel rapar. incoquuntur trochiſc. alkandal ad ℨß.* Interim glandibus, & ſuppoſitoriis uti debemus. Hîc tamen perpetuò monendum eſt, ubi motus periſtalticus inverſus jàm in inteſtinis craſſis, aut ab ipſo podice incipit, omnia injecta magno impetu ſursùm rapiuntur in ſtomachum, & vomitu rejiciuntur, tunc multæ circumſtantiæ benè obſervandæ ſunt, & ad alia remediorum genera confugiendum eſt.

Internè conveniunt globuli aliquot plumbei devorati cum oleo amygdalarum dulcium, & quò plures ſunt, eò meliùs, & citiùs curam perficiunt, quo remedij genere primò *Diocles lib. 4. curat.* deindè *Zac. Luſitanus lib. 2. prax. admir. obſ. 27. Henr. ab Heer in obſerv. oppid. rar.* & tandèm *Helm.* uſi ſunt; globuli nàmque plumbei quaſi ſuo pondere inteſtina penetrantes remoratas, induratasque fœces propellerent, quos deglutiendos cum potu commendant, ægroto ſtante, vel ambulante. Profectò hoc auxilij genus commendamus, nàm plumbum facilè cum humanâ carne fœdus init, cùm amiciſſimum ſit, nec hoſtilitatem pariat, ut patet, quòd multi plumbeos globulos intra corpus immiſſos

miſſos à ſclopeti ictu interdùm aliquot annorum ſpatio ſine omni noxâ in corpore circumferunt: ſed tantæ utilitatis, quantæ illud extollunt, non eſt. Poteſt itàque diù pondere ſuo, ſi non in ſtomacho, ſaltem in inteſtinorum cellulis remorari, vel à ſcybalis in lapideam ſubſtantiam induratis impediri, nec commeatum haberi, & ſic ad plures dies ſine effectu, & operatione ſtagnare, & quia morbus acutus, & lethalis eſt ileus, æger cum pilulis plumbeis fatis cedere poteſt. Nocent præterea glandes plumbeæ, ubi adeſt inflammatio, exulceratio, aut gangræna. Juvare etiam credunt, ubi inferius inteſtinum ſuperius ingreditur; nam ità inferius in ſuum detruditur locum, nocere verò ubi ità ingrediuntur inteſtina, ut ſuperius in inferius deſcendit; non n. convenire poſſunt, quin potiùs malum pejorent, nec, an inferius ſuperius ingrediatur, an ſuperius deſcendat in inferius, prorsùs ullis indiciis cognoſci poteſt. Præterquamquòd hujus mali aſcenſum, & deſcenſum redarguimus, cùm nunquàm pars inteſtini inferior in ſuperiorem intrudatur, perindè cautiùs hiſce mercandum eſt, aliàs certo certiùs à Saturno jugulabitur æger.

Nonnulli Pſeudo-chymici in ileo ex alvi obſtructione temerario auſu ad pilulam perpetuam confugiunt: hæc fit ex *regulo antimonii fuſo in pilulæ formam*. Dicitur perpetua, quia centies, & ultrà, ut dicunt, aſſumpta, totidem per ſeceſſum purgat, & citra efficaciæ diminutionem redditur. Verùm perniciofiſſima eſt hujus pilulæ praxis, cùm ſit regulus antimonij, medicamentum planè inſolens, nec ſine operatione in ſtomacho, vel inteſtinis moratur, & cùm per ſeceſſum operari non poſſit ob impedimentum, neceſſariò per vomitum ſuam exerit operationem, nec cicuratur, nàm ex antimonio medicamenta mores, non animum mutant, reguli uſus in infuſione eſt, non verò in ſubſtantiâ, & quia remoratur in inteſtinis maximos in corpore excitat tumultus, undè inflammatio, vel exulceratio, & æger in tantâ ſymptomatum tempeſtate, ubi per ſeceſſum irritatio intenditur citra evacuationem, malum per vomitum augetur, & in mortis agone verſatur.

Præcipuum remedium eſt *mercurius, ſeu argentum vivum*, quod globulos plumbeos ſuperat, ſed ſatis copioſè aſſumi debet, porrigitur lib. iij. pondere, ſed aliqui tantam mercurij quantitatem, à quâ timent, nè nativus extinguatur calor, & ſanguis coagulatur, pertimeſcunt, & reverà tantùm pondere ſuo lædere poteſt. Communiter ℨj. præſcribitur, ut capiatur in ol. cumini, ſed parva eſt doſis; nimia tamen doſis eſſe debet ab ℥j. ad ij. vel tandèm iv. & id pro neceſſitate, in quâ conſtitutus eſt æger, ſi minor eſt doſis, tardè, & difficulter redditur. Propinatur in ovo ſorbili, & iteratur, ſi prima exhibitio non juvat, poſtmodùm ſimulac per alvum ejectus eſt, propinatur *olei amygdal. dulc.* ℥ß. *& ol. deſtillat. aniſi* ℈ß. Ut denuò lubricetur alvus, & inteſtina emundentur. Quandòque ad aliquot dies in ægro ſubſiſtit, tunc ut promptiùs operetur, æger currui impoſitus hinc indè cum impetu trahatur, ut unà cum ſcybalis ſecernatur. Optimum quidèm eſt remedium in iliacâ paſſione hydrargyrum, ſed periculo non vacat,

quia nervis inimicum eſt, totum corpus vi penetrativâ ſuâ, & ſubtilitate pervadit, & tremorem, & paralyſim inducit, & quia eeceſſivâ frigiditate præpollet, ſanguinem circa cordis ſubſtantiam; & vitales ſpiritus coagulat, & ſuâ ſuperante humiditate omnes humores, qui in ventriculo, aliiſque circumſtantibus partibus hæſerint, computreſcere facit: Verùm tantæ malignitatis non eſt *mercurius*, quantæ vulgares inſimulant, ut fuſiùs de *Lue Venereâ* diximus. attamen hæc tanta malignitas in vulgarium opinamento declinatur, tum ob parvam doſim, nempè ad ℥j. vel ij. ſi unica vice, vel ſaltem duplici aſſumatur, tum ob aſſiduum motum, quo æger exercetur, ac proindè magno ægri auxilio exturbatur, ut multę extant obſervationes multos iliacos per hydrargiri exhibitionem ſine noxâ curatos, quod nos multoties felici cum ſucceſſu exhibuimus.

Tandèm, ſi hæc remedia non juverint, aliqui ad remedium ab authore *lib. de morbis* recurrunt, ad follem, ſcilicet fabrilem ano adaptatum; quo per alvum inteſtina inflant, & dilatant, corrugatio, & obſtructio ſolvitur: poſtmodum clyſter emolliens cum *trochiſcis alhandal* injicitur ad educendas fœces niſi ſpontè hoc remedio deſcendant. Poteſt etiam hoc remedium inteſtinorum contorſionem tollere, ſiquid ſit, & eſſe poſſit. Cœterum fœces induratæ quomodò contra aërem folle inflatum deſcendent? Si flatus remittitur, inteſtina ſe arctius conſtringunt ob majorem ſpirituum animalium affluxum. Præterea violentâ aëris intruſione inteſtina diſtenduntur, & dolor intenditur, ſi inflammatio adſit, poros aëris frigore conſtringendo, effectus potiùs augetur, quàm minuitur: ſed aliqui in periculoſis hiſce affectibus non tot conſiderationibus procedunt. Alij, ne aër frigiditate ſuâ noceat, follem prope ignem attrahunt, ut calidus maneat: Sed licèt in folle calidus ſit aër, tamen cum impetu efflatur, eijciendo calorificas atomos, & frigorificas impellendo, ſemper frigidus iterùm redditur.

Præter ſupra dicta remedia internè commendantur juſcula emollientia; quæ humorum acrimoniam, & inteſtinorum irritationem demulceat, & fæcum duritiem emolliunt, ità eſt *juſculum malvæ, aut decoctum flor. melilot. & chamomillæ cum oleo lumbricor. terreſtr.* Vel inteſtina lubricantia conducunt, ut oleum amygdal. dulc. cui admiſcetur, ſi dolor urgeat, *ſyr. papaver. alb. vel ſemin. ejuſdem contuſa.* Itèm ad irritationem ſiſtendam prodeſt *ol. terebinthinæ, cui admiſcetur mel. roſ. ſolut. cum decoct. hord.* Obſtruentes humores tolluntur *cremore tartari pondere* ℥ij. *vel ſyr. ſol. ſen. or.* in juſculis non unâ vice exhibitis. Verùm ſi ſubverſio, nauſea, vel vomitus adſit, interna remedia vita.

Ubi maximus urget dolor, ad narcotica confugimus; hæc n. humorum acredinem corrigunt, ſpiritus pacant animales, & inteſtinorum contracturas ſedant, ut.

> ♃. *Aqua malvar.* ℥iij.
> *laudan. opiati gr.* ij.
> *diſſolv. & cum ſyr.*
> *de papavere albo* ℥j.
> *M. Detur cochleatim.*

Vel

> ♃. *Extract. caſtorei gr.* ß.
> *ſal. abſynth. gr.* viij.

cinnab.

cinnab. nativ. gr. v.
laudan. opiat. gr. j.
M. & cum ſyr. de
papaver. albo f. pilul. iij.
& deaurentur. Pro una Doſi.

Caſtorina, & omnia anti-ſpaſmodica cum anodynis mira præſtant in ileo, quia contracturas, & ſpiritus animales ad naturalem tonum reſtituunt. Non nos latet ſomnifera in hoc affectu excretionem tollere, quâ maximopere indigemus attamen optimè ſcimus, correctis auſteris humoribus, irritatione, ſpiritibus ſedatis, & contracturis, ad emollientia, & laxantia interna, vel externa tutò confugere poſſe.

Non deſint interea externa remedia, ità ſunt fomenta ex emollientibus, & laxantibus, ut.

℞. *Fol. malvæ,*
althea,
linariæ,
violar. an. m. j.
flor. chamomillæ,
meliloti an. m. ß.
ſemin. lini,
aniſi,
fœnugræci,
anth. an. ℥iij.

coque in lacte q. ſ. & f. fomentum. Nonnulli pro fotu *vini Spiritu* utuntur, ſi à flatibus, aut ab humoribus malum ortum ducat. Conducit *ol. chamomillæ cæruleum cum pinguedine taxi* mixtum, & probè abdomini illitum. *Zaccutus Luſitanus* ileum ex fœcibus induratis, omnibus aliis irritis, per *ſtercus vaccinum* toti abdomini illitum curavit. Utiles ſunt *ſerpentum exuviæ cum ol. roſ. decoctæ*, & abdomini applicitæ. Prodeſt magnoperè abdomen *galbaneto Paracelſi* inungere. Dùm dolor, qui hujus mali eſt fidus Achates, urget, admodum laudamus *vervicis omentum* calidè impoſitum, alias ipſum omentum calefiat in tigillo cum *ol. amygdal dulc.* & apponatur. Vel maximè commendamus *quatuor anodyna in hydroleo* ebullita, in quæ filamenta lini vel cannabis infuſa calida abdomini imponantur, & reiterentur ad doloris ſedationem. Vel *decoctum hyoſcyami, cicutæ, ſambuci, chamomillæ* calidè ventri applicandum conducit.

Si Ileus ab herniâ oriatur, variis remediis externis curari debet. In quem finem fotus emolliens, balnea, inunctiones, &c. præſcribi debent, ut inteſtinorum fibræ relaxentur, & prolapſum inteſtinum omni ſtudio, & operâ reponendum, pro quibus lege noſtram *Chirurgiam cap. de Herniis.*

CAP. XIV.

De Diarrhœâ, & Dyſenteriâ.

Quia rectum eſt judex ſui, & obliqui, ideo ad exactam horum affectuum cognitionem per ſeceſſum adnotare oportet dejectionem eſſe illam, quæ tribus gaudet conditionibus, prima quarum, ut ſit mollis; ſecunda eo tempore excernatur, quo æger, dum ſecundâ fruitur valetudine, excernere ſolet; tertia, quòd excrementorum copia ciborum ingeſtorum rationi reſpondeat: talis n. dejectio inferiorem alvum benevalere declarat, & liquida alvi egeſtio ex uſu eſt, ſi neque crebrò, neque ex brevioribus excernitur intervallis. Si itàque alvus liquida dejiciat, ità ut inſtar alicujus liquoris effluat, & in plano propter tenuem liquiditatem non in uno loco remaneant, ſed decliviùs decurrant; ſi vario tempore, & copioſiora

quàm naturæ inſtituto conveniat, verum alvi profluvium conſtituunt. Sed ea excrementa, quę molliora, & in plano non decurrunt, alvi profluvium non conſtituunt; aliquibus n. hoc naturale eſt, ut ſemper molliora deponant excrementa pultis inſtar, nec ex hoc aliquod ſentiunt malum, cùm potiùs ejuſmodi laxa alvus ſanitati conducat.

Veteres aſſignârunt modos ejuſmodi alvi profluvij deſumptos à ratione ejus, quod excernitur, quandò ſcilicèt cibus impermutatus egeritur, hoc lienteriam dixêre; ſi verò degeneres humores, & qualeſcumque abſque ſanguine, hoc appellarunt diarrhœam; ſi ſanguis una prodit, *Δυσεντερία* vocatur.

Signa.

In diarrhœâ alvus dejicit excrementa liquidiora, copioſiora, & frequentiora, quàm naturæ inſtituto convenit.

Dyſenteriæ ſigna adeò ſunt facillima, ut artis medicæ pars, quæ de ſignis agit, in cæteris morbis tota quanta eſt incerta, & conjecturalis eſt, in dyſenteriâ certâ, & minimè conjecturalis exiſtit, & tamen multi imperiti vulgares hæmorrhoidum profluvium pro dyſenteriâ pluries acceperunt, & nos teſtes fuimus oculati, undè patiens frequenter excernere cogitur, & primò alba, & mucoſa excrementa, ac temporis progreſſu ſanguine permiſta interim ſæva excruciant tormina, plerùmque adeſt febris, vigiliæ, ſitis, & cibi faſtidium in toto morbi decurſu mucus ut plurimùm viſcidus, & albus excrementis immiſtus obſervatur.

Quodnàm ſit illud mucoſum, & album, quod magnâ copiâ plerùmque cum ſanguine in dyſenteriâ excernitur, digladiantur medentes.

Aliqui eſſe pinguedinem ab inteſtinis abraſam imaginantur: ſed magnoperè decipiuntur, quia inteſtina mactatorum animalium cocta obſervaſſe credo, & vidiſſe pinguedine intùs obducta, cùm tamen inteſtina à lanijs inverſa ſint, & pinguedo extra obducatur, intus verò inteſtina omni deſtituantur pinguedine.

Quidam mucilaginem, quâ inteſtina obliniuntur, ad faciliorem excrementorum lubricitatem eſſe exiſtimant: verùm tantam mucilaginis copiam, & tamdiù excerni poſſe credibile non eſt, eſtò tota ex omnibus abradetur inteſtinis.

Nonnulli quendam defluum mucorem, ſivè pituitam à cerebro, alijſque partibus dijudicant: ſed id quoque falſum deprehendimus, cùm dyſenteria ſæpè à pituitâ non oriatur licet admiſceatur, tamen non in tantâ copiâ admiſceri poteſt, quanta in hoc morbo conſpicitur. Neque caput eſt pituitæ collegium, quia nihil dat præter mucum, quem ad pelvim, neque aliò mittit, & nos illos deriſimus medicos, qui in ſpumoſarum dejectionum inſpectione caput inſimulant cum *Hip. aph 30. ſect.7. Quibus in alvi profluvijs excrementa ſpumoſa ſunt, ijs ex capite pituita defluit.*

Tandem aliqui pus eſſe ſtatuunt ab exulceratâ inteſtinorum ſubſtantiâ emanans: Verùm ſi tota inteſtinorum tenuium, & craſſorum ſubſtantia exulceraretur, tantam puris copiam, quanta in dyſenteriâ conſpicitur, impoſſibile eſſet excerni. Prætereà quis aſſeverare auſit in hoc affectu eſſe ulcus? Obſervavimus apud vulgares exulcerationem in recto inteſtino à clyſtere excitatam pro incurabili proclamatam fuiſſe, & tamen illuc clyſteres abſtergentes, & incarnantes incaſsùm perveniſſe, multò minùs inteſtinorum gracilium ulcera, ad quæ nec clyſteres, nec remedia pertingunt.

Exploſis

Exploſis vulgarium opinamentis, illud mucoſum, & album, quod opiparè in dyſenteriâ excernitur, dicimus eſſe laticem, & inteſtinorum nutrimentum degeneratum à ſpiritu harum partium inſito, qui ab occaſionali laceſſitus causâ linquit, & interturbat proprium harum partium coctionis, & digeſtionis munus, ut ſe à vi tueatur, & è laticis maſsâ advocat, quantum ſibi opportunum videtur, deindè mucoſa, & alba parit excrementa, quibus exaltatas acidas intendit eluere ſordes, quæ cum illarum partium nutritioni ineptæ ſint, foràs excernuntur, & partes nutritionis indigæ novum recipiunt nutrimentum, & ſucceſſivè in mucoſam degenerat indolem; undè magnus illius mucaginis fit proventus. Idem in quamplurimis contingit partibus nullo ulcere, vel abſceſſu affectis, ut videre eſt in lippitudine, in quâ copioſum excrementum puri ſimile continuò emittunt oculi, quod ex ſolâ nutrimenti degeneratione procedit. Idem ſæpè aſthmaticis, & alijs, qui pulmonum affectibus laborant, contingit; eorum n. innatus ſpiritus ab occaſionali causâ irritatus, alienatur, & eorum proprium alimentum non regitur, undè malè concoquitur, & digeritur, & in mucaginem degenerat, interdùm puri ſimilem, quæ per anacatharſin detruditur, & in ijs tamen nullum ulcus pulmoni ineſt, quod imperiti barbati ſtatim pronunciant, conſpectâ illâ materiâ puris ſimilitudinem æmulante. Hoc idem interdùm ijs contingit, qui hæmorrhoides patiuntur, dùm mucoſam quandam ſordem ſubalbidam, veluti limum per podicem excernunt, quæ tamen pus non eſt, quia nec abſceſſu, nec ulcere illic tentatur, & tamen ſub puris ſpecie multos incautos fallit barbatos. Idem quoque in uteri fluore, ſeu menſibus albis accidit, cùm ſanguis menſtruus, qui ſtatuto tempore confertim affluere ſolet, ceſſat, quia uteri nutrimentum degener fit à ſpiritu uteri innato à causâ occaſionali laceſſito, ob quam hujus partis munus coctionis, & digeſtionis linquit, ut à causâ ſe tueatur occaſionali, undè laticem toto ex corpore advocat ad ſordes eluendas, mutatque nutrimentum, & laticem in mucoſum, & ſpurcum illud profluvium, quod per uteri vias eructat. Undè menſtrua deficiunt, quia non multum ſanguinis generatur ob alimenti inopiam. Spurcum hoc profluvium non eſt pus, eſtò puris ſpeciem æmuletur, nàm verum pus aliam habet naturam, ideòque multos imperitos decepit barbatos, qui in linteolo conſpectâ illâ materiâ, ſtatim ulcus, vel gonorrhæam utero ineſſe dijudicavêre.

Quæ inteſtina in dyſenteriâ ſint affecta cognoſcere difficilè eſt. Multi ſtatuunt, ſi dolor ſupra umbilicum percipiatur, tenuia affici; ſi verò infrà, craſſa maximè laborare: verùm hoc rationi conſonum non eſt, nàm inteſtina tenuia, & craſſa ſuprà, & infrà circumaguntur. Plerique credunt, ſi minora, & tenuiora ramenta egeruntur, tenuia affici; ſi verò ramenta majora, & craſſiora cum pinguedine excernantur, craſſa laborare: ſed falſum eſt; imaginantur n. interiorem inteſtinorum tunicam pinguedine oblitam eſſe, & in hunc incidunt errorem, (ut diximus) quia vitalem non inſpexerunt anatomen, ſed inteſtina animalium occiſorum cocta, & à lanijs inverſa, cùm nulla pinguedo ſit intùs in inteſtinorum cavitate, ſed extrà ipſis tantùm obducitur. Sunt inteſtina craſſa magis carnoſa, quàm tenuia, & extrà copioſiori abundant pinguedine, ut facilè quiſquam obſervare

obſervare poterit; ideòque id, quod ex craſſis excernitur inteſtinis, non differt ab eo quod ex tenuibus provenit.

Meliùs igitur cognoſcemus, an tenuia, vel craſſa affecta ſint, ex doloris qualitate, & iis, quæ excernuntur. Si inteſtina tenuia affecta ſint, dolor erit ità acutiſſimus, ut æger aciculis pungi conqueratur, quia tenuia ſunt magis membranoſa, & exquiſitiori gaudent ſenſu: excrementa autem non ſtatim poſt tormina, & dolores redduntur, & jàm deposi a permiſta magis cum ſanguine, & mucagine apparent, quia à ſuperioribus inteſtinis ad anum longior eſt via. Sanguis, & mucoſa materia in longiori itinere diutiùs commorantur, & exactiùs cum excrementis commiſcentur, antequàm per alvum excernantur. Aſt ſi craſſa afficiuntur: dolor aliquantulùm erit obtuſior, quia craſſa tenuibus ſunt magis ſuo modo carnoſa, ideòque ſenſu minùs exquiſito gaudent, mox à torminibus, & ventris cruciatu ſtatim excrementorum ſequitur excretio minùs cum ſanguine, & muco permiſtorum. Cùm utraque afficiuntur dolor primùm acutiſſimus & dein obtuſior percipitur, mucus, & ſanguis excrementis permiſti ſunt, & iiſdem quoque ſupernatant.

Dyſenteria quandoque ſolet eſſe epidemica, & contagioſa, cujus ſigna ipſam præſagientia cognoſcuntur ex præcedenti anni temporum ſtatu, ſi præcipuè is præter ſolitum ad exceſſum aliquem defluxerit, ut hyems aquilonia, proximumque ver auſtrale, & pluvioſum. æſtas verò calida, & ſicca, dyſenteriam ad æſtatis finem pronunciant, ut *aph* 11. *ſect* 3. *Si hyems ſicca, & aquilonia fuerit, ver autem pluvioſum, & auſtrale, neceſſe eſt æſtate febres, &c. & inteſtinorum difficultates, præcipuè verò mulieribus, & viris, qui naturâ ſunt humidiores.* Utplurimùm quoque dyſenteria expectatur, quandò uberrimus ſit fructuum arborum proventus, ut prunorum, ceraſorum, pyrorum, &c. à quibus homines tenuioris fortunæ, imprudens plebs, & ætas puerilis ſe abſtinere nequeunt, undè poſteà diarrhϾ, & dyſenteriæ ſequuntur, & ad alios tranſferuntur. Dyſenteriæ epidemicæ, & contagioſæ ſymptomata pejora, & graviora ſunt; accidit ſæpè angina, delirium, circa anum exulceratio, excrementa valdè fœtida, & variegata. Eodem etiam tempore plures dyſenteriâ corripiuntur, & moriuntur.

Veterum Cauſæ.

Bardi Galenici pro diarrhϾ causâ humoris cujuſcumque, & ubicumque in corpore cumulati copiam aſſignant, quàm natura ab eo moleſtata immoderatè excernit. Ad horum humorum colluviem faciunt cauſæ externæ, & res non-naturales, cibus, vel potus copioſus, vel vitioſus hoc malum parere poſſunt. Verùm horum humorum copia, vel pravitas, quæ naturam ad excernendum ſtimulat, magna eſt varietas, ratione materiæ, loci, modi, ac cauſæ efficientis, quam magni momenti ad curationem exiſtimant.

Ratione materiæ, alia eſt chyloſa, dùm chylus excernitur, alia humoralis, alia excrementitia, nunc pituitoſa, craſſa, mucoſa, nunc bilioſa, nunc melancholica, atra, ſeroſa, nunc pinguis, & quaſi oleoſa Ratione loci, undè humor profluit, nunc diarrhœa ortum habet à ventriculo, quandò in eo corrupti, & vitioſi humores cumulantur, nunc à ſplene, nunc ab hepate, nunc à meſenterio,

[illegible]cio, nunc à cerebro, rariùs à thorace, nunc ab utero, nunc à venis, & nunc à toto corpore.

Tantam humorum colluviem per ſeceſſum excerni in diarrhœâ autopſiâ patet, cùm externæ cauſæ, ac res non naturales horum occaſiones eſſe poſſint; attamen de loco, ubi tanti humoris copia moratur, ambigimus, ſi in ſtomacho compendiariâ viâ per vomitum potiùs, quàm per ſeceſſum exturbaretur, & ſic vomitus, & non diarrhœa à pravitate, & copiâ produceretur; ſi verò per alvū exturbaretur, exturbatâ colluvie, corporis fluxus ceſſaret. In diarrhœâ itàq; compatitur ſtomachus, & inteſtina ſolùm afficiuntur, deberent ſaltem aſſignare, quâ viâ tanta humorum congeries ſtomacho ſuppeditetur, cùm nullus à ſplene, meſenterio, cerebro, utero, venis, & à toto corpore ad ſtomachum pateat aditus, & viæ ſalebroſæ ſint. Diarrhœæ pars affecta ſunt inteſtina, cùm humorum illuvies, quæ dejectionem facit, non videtur in ventriculum, ſed ad inteſtina deferri, per quas verò vias deferentur humores, hactenùs occultæ vulgaribus medicis fuêre, quas nos noſtris alumnis patefacimus, quia vulgares videntes non vident, & intelligentes, non intelligunt. Ad finem duodeni duo viſuntur canales, quorum unus ex ciſtico, & hepatico ductu conſtituitur, alter verò per pancreatis longitudinem rectà protenditur. Per hos ductus humorum illuvies ex corporis habitu ad inteſtina defluit.

Pro immediatâ dyſenteriæ causâ vulgarium ſynagoga inteſtinorum ulcus ineptè cognoſcit, pro remotâ verò humores acres, & exulcerantes, ut eſt bilis flava, porracea, æruginoſa, & atra; tum etiam pituita ſalſa ab intenſo calore genita; vel per putredinem in ventre ſalſedinem adepta, & ad inteſtina delata, ubi propter lentorem diutiùs adhærens aſſiduè detergendo tandèm exulcerat. Hujus ſententiæ falſitas ex infrà dicendis ſat ſuperq; patebit, prqterquamquòd teneſmus eſt dyſenteria inteſtinum rectum excrucians, & tamen ulcus non habet aliter eſſet curatu difficilis, & tamen ſanguinem, & mucum fundit. Itèm inteſtinorum abceſſus poſt ſuppurationem ulcus in inteſtinis relinquit, & tamen ii, qui tale ulcus patiuntur, dyſenteriâ non corripiuntur, & faciliùs eſt teneſmum, quàm ipſius inteſtini rect ulcus curare, eſtò in proſpectum veniat, & teneſmus oculis non ſubjiciatur.

Diarrhœam Hermetici effici volunt à variis ſalibus, amaris ſcilicèt dulcibus, ſalſis, acidis, piperinis, quæ interdùm miſcentur, ſimul, quibus addunt ſalium variorum, ſulphurum, & reliquorum principiorum copiam reſultantem ex colliquatione ſubſtantiæ corporis. Hæc ſi admodùm exaltata fuerint itâ ut inteſtina corrodunt, dyſenteriam generant, quæ à dulcibus tamen ſalibus fieri non poteſt; quod ſi fuerint hæc ſalia arſenicalia, & ſeptica hoc eſt, itâ exaltata, ut carnes liqueſcant, dyſenteriam efficiunt peſtilentem, & diarrhœam colliquativam juxta partes in quibus eminent.

His addendæ ſunt omnium ſalium differentiæ quas recenſuimus vitriolatæ ſcilicèt, aluminoſæ, gemmeæ, armoniacæ, quibus humores à vulgaribus conſiderati ſcatent: ſal gemmæ ſcilicèt vel commune ſalſum in pituitâ ſalsâ conſpicitur. Sal armoniacum acetoſum in pituitâ acidâ, & in quadam melancholiæ ſpecie acidæ dictæ. Sal vitrio-

vel ſemicupium ex dictis emollientibus componunt, quæ coquunt in *hydrolæo*. His emollientibus emollitis fœcibus, ad purgans deveniunt medicamentum, ut.

℞. *Fol. ſen. or.* ℥.
fol. malvæ p. ß.
jur. pinguis ℥v.
bulliant parùm, & colentur, & in prædictâ colaturâ diſſolve
mannæ electæ ℥ij.
f. potus.

Vel

℞. *Mannæ Calabrin.* ʒiij.
diſſolve in ſuff. q. ol. amygdal. dulc. recèns elicit, & propina.

Verùm cave, ubi adeſt inteſtinorum inflammatio, quia vald exacerbatur, & irritatur à medicamento purgante. Prætereà purgans per vomitum excerni poteſt, cui fæces ex motu inteſtinorum inverſo ſuccedunt, & malum ad mortis januas deducit ægrotum.

Vel

℞. *Caſſiæ recèns extract.* ℥j.
cremor. tartar. ʒj.
cum ſaccharo f. bolus.

Quod medicamenti genus ſemel in hebdomadi propinant. Sed caſſia non eſt tantæ ſolutionis, quàta a vulgaribus decantatur, cùm potiùs per veſicam, quàm per alvum evacuet, & quia flatuoſa eſt, dolores intendere poteſt.

Si ileus fiat ex humoribus crudis, itâ ut humores crudi, & corrupti, in quantitate inteſtina obſtruant, per vomitum evacuant, deindè clyſteribus & ſuppoſitoriis per alvum educunt ſtercora.

Si neque emollientia, neque clyſteres leves, neque acres, neque ſuppoſitoria quicquam conferant, & alia medicamenta non proſint, *Praxagoras à Galeno* multis in locis laudatus jubet, ut peritonæum prope pubem pertundatur, & eo pertuſo, ſimul etiam per ſ'otentur inteſtina, & ex ipſis perforatis extrahantur ſtercora, & deindè inteſtina, & peritonæum conſuantur. Sed hoc remedii genus inhumanum eſt, quia ipſi vulgares inhumani; nàm ſi pertundantur inteſtina, ægri neceſſariò jugulantur, quia inteſtina inciſa nunquàm coaleſcunt, & per conſequens eorum vulnera ſunt lethalia.

Si ab inteſtinorum inflammatione ſit ileus, curationem aggrediuntur, quam inflammationibus internis adhibent. Si ab abſceſſu, aliiſque tumoribus, & exulceratione fiat ileus, aliis remediorum generibus appropriatis utuntur.

Si ab hernia ileus fuerit productus, totam curationis ſpem noſtri barbari, ut inteſtina reponantur, in prudentis chirurgi poteſtate reponunt. Sed cùm fiat inteſtinorum repoſitio, multoties inflammatio propter ipſam repoſitionem ſubſequitur, & æger cum Charonte de naulo paciſcitur.

Noſtra Curatio.

Iliacus morbus magnus eſt, & lethalis, ac ſtatim jugulare ſolet, itâ ut alii mortem timent, alii ſibimetipſis graves fiunt in tàm horrido morbo, & mori potiùs, quàm vivere exoptant; ideòq; medicum ipſo majorem, & celeriorem morbo ſit oportet: ea propter ſiquis morbus eſt, in cujus curatione nõ cunctandum, profectò iliacum eſſe cenſemus, ac in eo curando de victûs ratione parùm ſolliciti eſſe debemus, cum inedia potiùs, quàm plena victûs ratio ægrum torquere debeat, nam ciborum reliquiæ non excernuntur, & ſic malum intenderent: verùm quia quandoq; prædicta affectio præcipitem non adigit

ægrum;

ægrum, diæteticam curam per ſex res non-naturales breviter rimemur oportet, quæ pro cauſæ morbi diverſitate; à quâ oritur, varianda eſt.

Aër eligatur humidus, vitetur ſiccus & nimiùm calidus, ſi malum ab induratarum fœcum obſtructione oriatur; ſi verò ab inflammatione, eligendus frigidus, qui ſi naturâ haberi non poſſit, arte parandus erit, pavimentum floribus roſarum, papaveris, nymphææ, vel aquâ conſpergendo.

Cibus ſit pauciſſimus, & totus curationis cardo in abſtinentiâ verſetur, quia cùm excrementa exturbari nequeant, id ſaltem pauciſſima generétur, oportet curemus, in omnibus nàmque inteſtinorum affectibus victu.n tenuem, ità & in hoc, tanquàm conducibilem commendamus. Sit cibus liquidus, minimè flatuoſus, aut vicoſus, & vitentur ſummoperè edulia frigida, cruda, salsa; & pinguia, præcipuè ſi inflammatio ad ſit, in quâ conducit victus refrigerans, & humectans. Plurimùm conveniunt juſcula pinguia pullorum, gallinarum, caponum, & phaſianorum, quia melius per inteſtinorum ductus labuntur, nec excrementorum copia generatur. Fugiantur cibaria, quæ corporis ſtipticitatem inducunt.

Potus ſit hordei decoctum, præſertim ſi patiens vino non ſit aſſuetus, & adſit inflammatio, alias vinum poter, & generoſum, quod *Hip.3.de morb.& 2. epid.* laudavit, & præcipuè ſi ileus fiat à cauſâ frigidâ, humores frigidi, & crudi proculdubio à vino generoſo magis funduntur, & liquantur, prætereà ſolidioris cibi excrementis non paset commeatus, & cum ægros nutrire neceſſarium ſit, nullo melius eſt eos nutrire, quàm vino generoſo, quia eos ocyus nutrit, nec excrementa progignit, ſed quicquid ipſius ſupereſt per urinam exturbatur.

Motus, *& Quies* variant; nàm ileus ab inflammatione, vel herniâ quies, à fœcum retentione motus magis conducit, quia meatus aperit.

Somnus ileo maximum ſolamen eſt, quia vires valdè conſervat, dolores lenit, & ſuperam tollit evacuationem, ideòque multò ſatius erit curare, ut temperatè potiùs dormiant iliaci, quàm vigilent, præſertim ſi malum ab inteſtinorum inflammatione ortum duxerit.

Vigilia in obſtructione à fœcibus magis conferre videtur, ſed moderata eſſe debet; immoderata n. vires magis proſternit, ſicut ſomnus eas reficit.

Excreta, & retenta magnum auxilium eſt in ſuâ naturali ſimmetriâ conſervari, & in omnibus alvus ſuum deponat onus, qui omni ſolertiâ invigilandum eſt, ac perindè omnia, quæ alvum adſtringunt, vitentur. Clyſteres quoque, glandes, & ſuppoſitoria non injiciantur, ſi experientia conſtet ea ſurſùm rapi in ſtomachum, & vomitu rejici; tunc .n. ob præpoſterum inteſtinorum motum alvus omninò adſtricta eſt, & podex introrsùm retractus, & valvula non obſerat, ſed laxa ſurſùm ſuum efficit motum, quia inverſum inteſtinorum motum comitatur. Per os in hoc malo blandis emollientibus, & lubricantibus alvus ſcybala deponat, & podex intactus relinquatur.

Animi paſſiones moderatè incedant, & iliacus, quantùm fieri poteſt, ſit animo fortis, & conſtans in medio mortis diſcrimine. Vitetur ira, timor, & mœſtitia,

ſtiria, ſola vivendi ſpes ægrum ſoletur, quæ afflictorum eſt medicina, ſed ſpes tuta non eſt, dum inter ſpem, & metum dubius vitam trahit, & ſæpeſæpiùs miſeros falſis ludit imaginibus.

Ilei curatio conſiſtit in auferenda inteſtinorum irritatione, & in promovendâ contentorum excretione, quæ perficitur per emollientia, & laxantia; hujuſmodi n. medicamentis inverſus & præpoſterus inteſtinorum motus ſedatur, quia eorum fibræ molliuntur, & laxantur, quo peracto occaſionalibus cauſis facilè proſpicitur. Monitos volumus medicos, ut ubi ſtercora dura ſunt, vel dura judicantur, nihil prorsùs agant, niſi anteà induratæ fæces emolliantur. Hinc in ileo quæcumque purgantia tàm levia, quàm fortia per os exhibenda proſcribantur, eruimus, niſi priùs inteſtinorum irritatio ſedetur, & ortus eorum motus inverſus ad naturalem redeat ſtatum: permanente namque irritatione, & motu inverſo ex inteſtinis, quæcumque purgantia non tantùm fortia, quàm levia ſemper vomitoria fiunt, & malum exaſperatur.

Solent in hoc morbo ægroti ſummâ virium dejectione laborare, & non rarò in animi deliquium labi. Oritur animi deliquium ex fœtido odore, quem tales affecto morbo non ſolum vomitu, & ructu, ſed etiam toto corpore, expirant, & fœtida omnia ſpiritibus, & cordi infeſtiſſima ſunt. Propptereà ea, quæ cordi, & ſpiritibus ſuccurrunt, præſcribere oportet, ut eſt *aqua theriacalis camphor. vel vinum cum aquâ cinnamomi, & ſpiritum roſ. ambrat.* cautè admiſcendum, & omnia, quæ animi deliquio ſuccurrunt, propinanda cenſemus.

Ilei, qui à fæcibus induratis, vel à ſalinâ aliquâ portione, & terrâ damnatâ inteſtina obſtruentibus ortum trahit, à fæcum emollitione curatio incipi debet. Clyſteres conveniunt ex emollientibus, *decoct. althea, malv. chamomill. melilot. ſemin. fœnugrac. lini, vel ex omento vervicis, butyro, melle, ſale gemmæ*, admiſtis carminantibus, ſi flatus adſint, ut ſunt *ſemin. aniſ. or. fœnicul. &c.* Ubi opus eſt ſtimulo, iiſdem concoquitur *colocynthis, aut in ol. lin. vel rapar. incoquuntur trochiſc. alkandal ad* ʒjß. Interim glandibus, & ſuppoſitoriis uti debemus. Hîc tamen perpetuò monendum eſt, ubi motus periſtalticus inverſus jàm in inteſtinis craſſis, aut ab ipſo podice incipit, omnia injecta magno impetu ſursùm rapiuntur in ſtomachum, & vomitu reijciuntur, tunc multæ circumſtantiæ benè obſervandæ ſunt, & ad alia remediorum genera confugiendum eſt.

Internè conveniunt globuli aliquot plumbei devorati cum oleo amygdalarum dulcium, & quò plures ſunt, eò meliùs, & citiùs curam perficiunt, quo remedij genere primò *Diocles lib. 4. curat.* deindè *Zac. Luſitanus lib. 2. prax. admir. obſ. 27. Henr. ab Heer in obſerv. oppid. rar.* & tandèm *Helm.* uſi ſunt; globuli nàmque plumbei quaſi ſuo pondere inteſtina penetrantes remoratas, induratasque fœces propellerent, quos deglutiendos cum potu commendant, ægroto ſtante, vel ambulante. Profectò hoc auxilij genus commendamus, nàm plumbum facilè cum humanâ carne fœdus init, cùm amiciſſimum ſit, nec hoſtilitatem pariat, ut patet, quòd multi plumbeos globulos intra corpus immiſſos

miſſos à ſclopeti ictu interdùm aliquot annorum ſpatio ſine omni noxâ in corpore circumferunt: ſed tantæ utilitatis, quantæ illud extollunt, non eſt. Poteſt itàque diù pondere ſuo, ſi non in ſtomacho, ſaltem in inteſtinorum cellulis remorari, vel à ſcybalis in lapideam ſubſtantiam induratis impediri, nec commeatum haberi, & ſic ad plures dies ſine effectu, & operatione ſtagnare, & quia morbus acutus, & lethalis eſt ileus, æger cum pilulis plumbeis fatis cedere poteſt. Nocent præterea glandes plumbeæ, ubi adeſt inflammatio, exulceratio, aut gangræna. Juvare etiam credunt, ubi inferius inteſtinum ſuperius ingreditur; nam ità inferius in ſuum detruditur locum, nocere verò ubi ità ingrediuntur inteſtina, ut ſuperius in inferius deſcendit; non n. convenire poſſunt, quin potiùs malum pejorent, nec, an inferius ſuperius ingrediatur, an ſuperius deſcendat in inferius, prorsùs ullis indiciis cognoſci poteſt. Præterquamquòd hujus mali aſcenſum, & deſcenſum redarguimus, cùm nunquàm pars inteſtini inferior in ſuperiorem intrudatur, perindè cautiùs hiſce mercandum eſt, aliàs certo certiùs à Saturno jugulabitur æger.

Nonnulli Pſeudo-chymici in ileo ex alvi obſtructione temerario auſu ad pilulam perpetuam confugiunt: hæc fit ex *regulo antimonii fuſo in pilulæ formam*. Dicitur perpetua, quia centies, & ultrà, ut dicunt, aſſumpta, totidem per ſeceſſum purgat, & citra efficaciæ diminutionem redditur. Verùm pernicioſiſſima eſt hujus pilulæ praxis, cùm ſit regulus antimonij, medicamentum planè inſolens, nec ſine operatione in ſtomacho, vel inteſtinis moratur, & cùm per ſeceſſum operari non poſſit ob impedimentum, neceſſariò per vomitum ſuam exerit operationem, nec cicuratur, nàm ex antimonio medicamenta mores, non animum mutant, reguli uſus in infuſione eſt, non verò in ſubſtantiâ, & quia remoratur in inteſtinis maximos in corpore excitat tumultus, undè inflammatio, vel exulceratio, & æger in tantâ ſymptomatum tempeſtate, ubi per ſeceſſum irritatio intenditur citra evacuationem, malum per vomitum augetur, & in mortis agone verſatur.

Præcipuum remedium eſt *mercurius, ſeu argentum vivum*, quod globulos plumbeos ſuperat, ſed ſatis copioſè aſſumi debet, porrigitur lib. iij. pondere, ſed aliqui tantam mercurij quantitatem, à quâ timent, nè nativus extinguatur calor, & ſanguis coagulatur, pertimeſcunt, & reverà tantum pondere ſuo lædere poteſt. Communiter ℥j. præſcribitur, ut capiatur in ol. cumini, ſed parva eſt doſis; nimia tamen doſis eſſe debet ab ℥j. ad ij. vel tandèm iv. & id pro neceſſitate, in quâ conſtitutus eſt æger, ſi minor eſt doſis, tardè, & difficulter redditur. Propinatur in ovo ſorbili, & iteratur, ſi prima exhibitio non juvat, poſtmodùm ſimulac per alvum ejectus eſt, propinatur *olei amygdal. dulc.* ℥ß. *& ol. deſtillat. aniſi* ℈ß. Ut denuò lubricetur alvus, & inteſtina emundentur. Quandòque ad aliquot dies in ægro ſubſiſtit, tunc ut promptiùs operetur, æger currui impoſitus hinc indè cum impetu trahatur, ut unà cum ſcybalis ſecernatur. Optimum quidèm eſt remedium in iliacâ paſſione hydrargyrum, ſed periculo non vacat,

quia nervis inimicum eſt, totum corpus vi penetrativâ ſuâ, & ſubtilitate pervadit, & tremorem, & paralyſim inducit, & quia ecceſſivâ frigiditate præpollet, ſanguinem circa cordis ſubſtantiam; & vitales ſpiritus coagulat, & ſuâ ſuperante humiditate omnes humores, qui in ventriculo, aliiſque circumſtantibus partibus hæſerint, computreſcere facit: Verùm tantæ malignitatis non eſt *mercurius*, quantæ vulgares inſimulant, ut fuſiùs de *Lue Venereâ* diximus. attamen hæc tanta malignitas in vulgarium opinamento declinatur, tum ob parvam doſim, nempè ad ℥j. vel ij. ſi unica vice, vel ſaltem duplici aſſumatur, tum ob aſſiduum motum, quo æger exercetur, ac proindè magno ægri auxilio exturbatur, ut multę extant obſervationes multos iliacos per hydrargiri exhibitionem ſine noxâ curatos, quod nos multoties felici cum ſucceſſu exhibuimus.

Tandèm, ſi hæc remedia non juverint, aliqui ad remedium ab authore *lib. de morbis* recurrunt, ad follem, ſcilicet fabrilem ano adaptatum; quo per alvum inteſtina inflant, & dilatant, corrugatio, & obſtructio ſolvitur: poſtmodum clyſter emolliens cum *trochiſcis alhandal* injicitur ad educendas fœces niſi ſpontè hoc remedio deſcendant. Poteſt etiam hoc remedium inteſtinorum contorſionem tollere, ſiquid ſit, & eſſe poſſit. Cæterum fœces induratæ quomodò contra aërem folle inflatum deſcendent? Si flatus remittitur, inteſtina ſe arctius conſtringunt ob majorem ſpirituum animalium affluxum. Prætereà violentâ aëris intruſione inteſtina diſtenduntur, & dolor intenditur, ſi inflammatio adſit, poros aëris frigore conſtringendo, effectus potiùs augetur, quàm minuitur: ſed aliqui in periculoſis hiſce affectibus non tot conſiderationibus procedunt. Alij, ne aër frigiditate ſuâ noceat, follem propè ignem attrahunt, ut calidus maneat: Sed licèt in folle calidus ſit aër, tamen cum impetu efflatur, eijciendo calorificas atomos, & frigorificas impellendo, ſemper frigidus iterùm redditur.

Præter ſupra dicta remedia internè commendantur juſcula emollientia, quæ humorum acrimoniam, & inteſtinorum irritationem demulcent, & fæcum duritiem emolliunt, ità eſt *juſculum malvæ, aut decoctum flor. melilot. & chamomillæ cum oleo lumbricor. terreſtr.* Vel inteſtina lubricantia conducunt, ut oleum amygdal. dulc. cui admiſcetur, ſi dolor urgeat, *ſyr. papaver. alb. vel ſemin. ejuſdem contuſa.* Itèm ad irritationem ſiſtendam prodeſt *ol. terebinthinæ, cui admiſcetur mel. roſ. ſolut. cum decoct. hord.* Obſtruentes humores tolluntur *cremore tartari pondere* ʒij. *vel ſyr. ſol. ſen. or.* in juſculis non unâ vice exhibitis. Verùm ſi ſubverſio, nauſea, vel vomitus adſit, interna remedia vita.

Ubi maximus urget dolor, ad narcotica confugimus; hæc n. humorum acredinem corrigunt, ſpiritus pacant animales, & inteſtinorum contracturas ſedant, ut.

℞. *Aquæ malvar.* ℥iij.
laudan. opiati gr. ij.
diſſolv. & cum ſyr.
de papavere albo ℥j.
M. Detur cochleatim.

Vel

℞. *Extract. caſtorei gr.* ß.
ſal. abſynth. gr. viij.

cinnab.

cinnab. nativ. gr. v.
laudan. opiat. gr. j.
M. & cum ſyr. de
papaver. albo f. pilul. iij.
& deaurentur. Pro una Doſi.

Caſtorina, & omnia anti-ſpaſmodica cum anodynis mira præſtant in ileo, quia contracturas, & ſpiritus animales ad naturalem tonum reſtituunt. Non nos latet ſomnifera in hoc affectu excretionem tollere, quâ maximopere indigemus attamen optimè ſcimus, correctis auſteris humoribus, irritatione, ſpiritibus ſedatis, & contracturis ad emollientia, & laxantia interna, vel externa tutò confugere poſſe.

Non deſint intereà externa remedia, ità ſunt fomenta ex emollientibus, & laxantibus, ut.

℞. *Fol. malvæ,*
althea,
linariæ,
violar. an. m. j.
flor. chamomillæ,
meliloti an. m. ß.
ſemin. lini,
aniſi,
fænugræci,
anth. an. ℥iij.

coque in lacte. q. ſ. & f. fomentum. Nonnulli pro fotu *vini Spiritu* utuntur, ſi à flatibus, aut ab humoribus malum ortum ducat. Conducit *ol. chamomillæ cæruleum cum pinguedine taxi* mixtum, & probè abdomini illitum. *Zaccutus Luſitanus* ileum ex fœcibus induratis, omnibus aliis irritis, per *ſtercus vaccinum* toti abdomini illitum curavit. Utiles ſunt *ſerpentum exuviæ cum ol. roſ. decoctæ.* & abdomini applicitæ. Prodeſt magnoperè abdomen *galbaneto Paracelſi* inungere. Dùm dolor, qui hujus mali eſt fidus Achates, urget, admodum laudamus *vervicis omentum* calidè impoſitum, alias ipſum omentum calefiat in rigillo cum *ol. amygdal dulc.* & apponatur. Vel maximè commendamus *quatuor anodyna in hydroleo* ebullita, in quæ filamenta lini vel cannabis infuſa calida abdomini imponantur, & reiterentur ad doloris ſedationem. Vel *decoctum hyoſcyami, cicutæ, ſambuci, chamomillæ* calidè ventri applicandum conducit.

Si Ileus ab herniâ oriatur, variis remediis externis curari debet. In quem finem fotus emolliens, balnea, inunctiones, &c. præſcribi debent, ut inteſtinorum fibræ relaxentur, & prolapſum inteſtinum omni ſtudio, & operâ reponendum, pro quibus lege noſtram *Chirurgiam cap. de Herniis.*

CAP. XIV.

De Diarrhœâ, & Dyſenteriâ.

Quia rectum eſt judex ſui, & obliqui, ideo ad exactam horum affectuum cognitionem per ſeceſſum adnotare oportet dejectionem eſſe illam, quæ tribus gaudet conditionibus, prima quarum, ut ſit mollis; ſecunda eo tempore excernatur, quo æger, dum ſecundâ fruitur valetudine, excernere ſolet; tertia, quòd excrementorum copia ciborum ingeſtorum rationi reſpondeat: talis n. dejectio inferiorem alvum benevalere declarat, & liquida alvi egeſtio ex uſu eſt, ſi neque crebrò, neque ex brevioribus excernitur intervallis. Si itàque alvus liquida dejiciat, ità ut inſtar alicujus liquoris effluat, & in plano propter tenuem liquiditatem non in uno loco remaneant, ſed declivìus decurrant; ſi vario tempore, & copioſiora

quàm naturæ inſtituto conveniat, verum alvi profluvium conſtituunt. Sed ea excrementa, quę molliora, & in plano non decurrunt, alvi profluvium non conſtituunt; aliquibus n. hoc naturale eſt, ut ſemper molliora deponant excrementa pultis inſtar, nec ex hoc aliquod ſentiunt malum, cùm potiùs ejuſmodi laxa alvus ſanitati conducat.

Veteres aſſignârunt modos ejuſmodi alvi profluvij deſumptos à ratione ejus, quod excernitur, quandò ſcilicèt cibus impermutatus egeritur, hoc lienteriam dixêre; ſi verò degeneres humores, & qualeſcumque abſque ſanguine, hoc appellarunt diarrhœam; ſi ſanguis una prodit, *Δυσεντερία* vocatur.

Signa.

In diarrhœâ alvus dejicit excrementa liquidiora, copioſiora, & frequentiora, quàm naturæ inſtituto convenit.

Dyſenteriæ ſigna adeò ſunt facillima, ut artis medicæ pars, quæ de ſignis agit, in cæteris morbis tota quanta eſt incerta, & conjecturalis eſt, in dyſenteriâ certâ, & minimè conjecturalis exiſtit, & tamen multi imperiti vulgares hæmorrhoidum profluvium pro dyſenteriâ pluries acceperunt, & nos teſtes fuimus oculati, undè patiens frequenter excernere cogitur, & primò alba, & mucoſa excrementa, ac temporis progreſſu ſanguine permiſta interim ſæva excruciant tormina, plerúmque adeſt febris, vigiliæ, ſitis, & cibi faſtidium in toto morbi decurſu mucus utplurimùm viſcidus, & albus excrementis immiſtus obſervatur.

Quonàm ſit illud mucoſum, & album, quod magnâ copiâ plerùmque cum ſanguine in dyſenteriâ excernitur, digladiantur medentes.

Aliqui eſſe pinguedinem ab inteſtinis abraſam imaginantur: ſed magnoperè decipiuntur, quia inteſtina mactatorum animalium cocta obſervaſſe credo, & vidiſſe pinguedine intùs obducta, cùm tamen inteſtina à lanijs inverſa ſint, & pinguedo extra obducatur, intus verò inteſtina omni deſtituantur pinguedine.

Quidam mucilaginem, quâ inteſtina obliniuntur, ad faciliorem excrementorum lubricitatem eſſe exiſtimant: verùm tantam mucilaginis copiam, & tamdiù excerni poſſe credibile non eſt, eſtò tota ex omnibus abradetur inteſtinis.

Nonnulli quendam defluum mucorem, ſivè pituitam à cerebro, alijſque partibus dijudicant: ſed id quoque falſum deprehendimus, cùm dyſenteria ſæpè à pituitâ non oriatur licet admiſceatur, tamen non in tantâ copiâ admiſceri poteſt, quanta in hoc morbo conſpicitur. Neque caput eſt pituitæ collegium, quia nihil dat præter mucum, quem ad pelvim, neque aliò mittit, & nos illos deriſimus medicos, qui in ſpumoſarum dejectionum inſpectione caput inſimulant cum *Hip. aph 30. ſect. 7. Quibus in alvi profluvijs excrementa ſpumoſa ſunt, ijs ex capite pituita defluit.*

Tandem aliqui pus eſſe ſtatuunt ab exulceratâ inteſtinorum ſubſtantiâ emanans: Verùm ſi tota inteſtinorum tenuium, & craſſorum ſubſtantia exulceraretur, tantam puris copiam, quanta in dyſenteriâ conſpicitur, impoſſibile eſſet excerni. Præterea quis aſſeverare auſit in hoc affectu eſſe ulcus? Obſervavimus apud vulgares exulcerationem in recto inteſtino à clyſtere excitatam pro incurabili proclamatam fuiſſe, & tamen illuc clyſteres abſtergentes, & incarnantes incaſsùm perveniſſe, multò minùs inteſtinorum gracilium ulcera, ad quæ nec clyſteres, nec remedia pertingunt.

Exploſis

Exploſis vulgarium opinamentis, illud mucoſum, & album, quod opiparè in dyſenteriâ excernitur, dicimus eſſe laticem, & inteſtinorum nutrimentum degeneratum à ſpiritu harum partium inſito, qui ab occaſionali laceſſitus causâ linquit, & interturbat proprium harum partium coctionis, & digeſtionis munus, ut ſe à vi tueatur, & è laticis maſsâ advocat, quantum ſibi opportunum videtur, deindè mucoſa, & alba parit excrementa, quibus exaltatas acidas intendit eluere ſordes, quæ cum illarum partium nutritioni inepta ſint, foràs excernuntur, & partes nutritionis indigæ novum recipiunt nutrimentum, & ſucceſſivè in mucoſam degenerat indolem; undè magnus illius mucaginis fit proventus. Idem in quamplurimis contingit partibus nullo ulcere, vel abſceſſu affectis, ut videre eſt in lippitudine, in quâ copioſum excrementum puri ſimile continuò emittunt oculi, quod ex ſolâ nutrimenti degeneratione procedit. Idem ſæpè aſthmaticis, & alijs, qui pulmonum affectibus laborant, contingit; eorum n. innatus ſpiritus ab occaſionali causâ irritatus, alienatur, & eorum proprium alimentum non regitur, undè malè concoquitur, & digeritur, & in mucaginem degenerat, interdùm puri ſimilem, quæ per anacatharſin detruditur, & in ijs tamen nullum ulcus pulmoni ineſt, quod imperiti barbati ſtatim pronunciant, conſpectâ illâ materiâ puris ſimilitudinem æmulante. Hoc idem interdùm ijs contingit, qui hæmorrhoides patiuntur, dùm mucoſam quandam ſordem ſubalbidam, veluti limum per podicem excernunt, quæ tamen pus non eſt, quia nec abſceſſu, nec ulcere illic tentatur, & tamen ſub puris ſpecie multos incautos fallit barbatos. Idem quoque in uteri fluore, ſeu menſibus albis accidit, cùm ſanguis menſtruus, qui ſtatuto tempore confertim affluere ſolet, ceſſat, quia uteri nutrimentum degener fit à ſpiritu uteri innato à causâ occaſionali laceſſito, ob quam hujus partis munus coctionis, & digeſtionis linquit, ut à causâ ſe tueatur occaſionali, undè laticem toto ex corpore advocat ad ſordes eluendas, mutatque nutrimentum, & laticem in mucoſum, & ſpurcum illud profluvium, quod per uteri vias eructat. Undè menſtrua deficiunt, quia non multum ſanguinis generatur ob alimenti inopiam. Spurcum hoc profluvium non eſt pus, eſtò puris ſpeciem æmuletur, nàm verum pus aliam habet naturam, ideòque multos imperitos decepit barbatos, qui in linteolo conſpectâ illâ materiâ, ſtatim ulcus, vel gonorrhæam utero ineſſe dijudicavère.

Quæ inteſtina in dyſenteriâ ſint affecta cognoſcere difficilè eſt. Multi ſtatuunt, ſi dolor ſupra umbilicum percipiatur, tenuia affici; ſi verò infrà, craſſa maximè laborare: verùm hoc rationi conſonum non eſt, nàm inteſtina tenuia, & craſſa ſuprà, & infrà circumaguntur. Plerique credunt, ſi minora, & tenuiora ramenta egeruntur, tenuia affici; ſi verò ramenta majora, & craſſiora cum pinguedine excernantur, craſſa laborare: ſed falſum eſt; imaginantur n. interiorem inteſtinorum tunicam pinguedine oblitam eſſe, & in hunc incidunt errorem, (ut diximus) quia vitalem non inſpexerunt anatomen, ſed inteſtina animalium occiſorum cocta, & à lanijs inverſa, cùm nulla pinguedo ſit intùs in inteſtinorum cavitate, ſed extrà ipſis tantùm obducitur. Sunt inteſtina craſſa magis carnoſa, quàm tenuia, & extrà copioſiori abundant pinguedine, ut facilè quiſquam obſervare

ricio, nunc à cerebro, rariùs à thorace, nunc ab utero, nunc à venis, & nunc à toto corpore.

Tantam humorum colluviem per ſeceſſum excerni in diarrhœâ autopſiâ patet, cùm externæ cauſæ, ac res non naturales horum occaſiones eſſe poſſint; attamen de loco, ubi tanti humoris copia moratur, ambigimus, ſi in ſtomacho compendiariâ viâ per vomitum potiùs, quàm per ſeceſſum exturbaretur, & ſic vomitus, & non diarrhœa à pravitate, & copiâ produceretur; ſi verò per alvũ exturbaretur, exturbatâ colluvie, corporis fluxus ceſſaret. In darrhœâ itàq; compatitur ſtomachus, & inteſtina ſolùm afficiuntur, deberent ſaltem aſſignare, quâ viâ tanta humorum congeries ſtomacho ſuppeditetur, cùm nullus à ſplene, meſenterio, cerebro, utero, venis, & à toto corpore ad ſtomachum pateat aditus, & viæ ſalebroſæ ſint. Diarrhœæ pars affecta ſunt inteſtina, cùm humorum illuvies, quæ dejectionem facit, non videtur in ventriculum, ſed ad inteſtina deferri, per quas verò vias deferentur humores, hactenùs occultæ vulgaribus medicis fuêre, quas nos noſtris alumnis parefacimus, quia vulgares videntes non vident, & intelligentes, non intelligunt. Ad finem duodeni duo viſuntur canales, quorum unus ex ciſtico, & hepatico ductu conſtituitur, alter verò per pancreatis longitudinem rectâ protenditur. Per hos ductus humorum illuvies ex corporis habitu ad inteſtina defluit.

Pro immediatâ dyſenteriæ causâ vulgarium ſynagoga inteſtinorum ulcus ineptè cognoſcit, pro remotâ verò humores acres, & exulcerantes, ut eſt bilis flava, porracea, æruginoſa, & atra; tum etiam pituita ſalſa ab intenſo calore genita; vel per putredinem in ventre ſalſedinem adepta, & ad inteſtina delata, ubi propter lentorem diutiùs adhærens aſſiduè detergendo tandèm exulcerat. Hujus ſententiæ falſitas ex infrà dicendis ſat ſuperq; patebit. præterquamquòd teneſmus eſt dyſenteria inteſtinum rectum excrucians, & tamen ulcus non habet aliter eſſet curatu difficilis, & tamen ſanguinem, & mucum fundit. Itèm inteſtinorum abceſſus poſt ſuppurationem ulcus in inteſtinis relinquit, & tamen ii, qui tale ulcus patiuntur, dyſenteriâ non corripiuntur, & faciliùs eſt teneſmum, quàm ipſius inteſtini rect ulcus curare, eſtò in proſpectum veniat, & teneſmus oculis non ſubjiciatur.

Diarrhœam Hermetici effici volunt à variis ſalibus, amaris ſcilicèt dulcibus, ſalſis, acidis, piperinis, quæ interdùm miſcentur, ſimul, quibus addunt ſalium variorum, ſulphurum, & reliquorum principiorum copiam reſultantem ex colliquatione ſubſtantiæ corporis. Hæc ſi admodùm exaltata fuerint ità ut inteſtina corrodunt, dyſenteriam generant, quæ à dulcibus tamen ſalibus fieri non poteſt; quod ſi fuerint hæc ſalia arſenicalia, & ſectica hoc eſt, ità exaltata, ut carnes liqueſcant, dyſenteriam efficiunt peſtilentem, & diarrhœam colliquativam juxta partes in quibus eminent.

His addendæ ſunt omnium ſalium differentiæ quas receſuimus vitriolatæ ſcilicèt, aluminoſæ gemmeæ, armoniacæ, quibus humo c. à vulgaribus conſiderari ſcatent: ſal gemmæ ſcilicèt vel commune ſalſum in pituitâ ſalsâ conſpicitur. Sal armoniacum acetoſum in pituitâ acidâ, & in quadam melancholiæ ſpecie acidæ dictæ. Sal vitriolatum

latum æruginoſum in bile æruginoſâ appellatâ. Sal nitroſum amarum in bile amara. Sal aluminoſum pungens, & ſtypticum in pituitâ vitreâ. Sal ſaccharinum ſivè dulce in pituita dulci. Sal arſenicale, & ſecticum in humoribus malignis, & peſtilentibus, à quibus liquantur carnes. Cùm hæc reſolvuntur, & ad inteſtina confluunt, vel diarrhœam, vel dyſenteriam efficiunt juxta exaltationum differentias. Generari hæc poſſunt in ſtomacho, vel à fermento nimiùm exaltato, vel alimentis aſſumptis, vel ab omnibus ſimul junctis.

Helmontius vult diarrhœam excitari à diverſis cauſis, à pylori furore, hîc excitatur, dùm vitia digeſtionis ſecundæ referuntur ad primam, vel vitia tertiæ deferuntur ad ſecundam, quæ natura intendit expurgare per hunc alvi fluxum. Cognoſcitur hæc diarrhœæ ſpecies, quia vires non exolvit, quapropter medicus, illam perturbare non debet, quamvis æger per diem unum, & alterum triginta vicibus dejiciat. Vel accidit diarrhœa vitio fermenti fellis, quod non perficit coctionem. Fit etiam ex retentâ portione chyli plus juſto aceſcentis à fermento præmaturo pro novo cibo aſſumpto. Generatur etiam diarrhœa ob lapſum naturalis œconomiæ fermentorum ſcilicèt activitatibus abolitis quæ tabidis, hecticis accidere ſolet. Cauſa frequentior eſt fortius medicamentum hauſtum, vel vitus ſimile in ſtomacho, vel inteſtinis generatum.

Dyſenteria, ut *Helmontius* vult, non eſt inteſtinorum ulcus, non .n. curabilis eſſet, nàm ſi ani fiſtula, quæ in conſpectum venit, curationem non admittit, multò minùs inteſtinorum gracilium ulcera, ad quæ clyſteres, & remedia pertingunt. Excitatur, ut ipſe vult ex pilori furore, qui fit dùm vitia digeſtionis tertiæ deferuntur ad primam, nàm tunc pylori Archeus inteſtinorum cruorem in meſenterio profundit, mucos fabricat, & illis eluere conatur exoſum hoſpitem, quem pilori furor fabrefecit, atq; hinc oritur fluxus ſanguineus, albicans, mucoſus, fibroſus. Pylori furorem excitant etiam alimenta, quæ fermenti vim tumultuariè faciunt, ut uva, & alii fructus ſemimaturi. Illam etiam generant fermenta aliena ab aëre endemica parata, quia tactus connexum ſtomachi petit, & imprimit illi odores, fuligines, & fermenta, hæc alimentari liquori juncta digeſtionis miniſteria confundunt, & excrementa generant varia, à quibus furor pyloro injicitur.

Advertendum, quòd *Helmontio* multæ ſunt digeſtiones, prima fit in ſtomacho à duumviratu Secunda incipit ſubter pylorum, in quâ cremor, acidus chyli ſalſus redditur fermenti fellis miniſterio in quâ chylus ſe ſeparare à ſtercore etiam incipit, & ſicut per plumbum aceti aciditas tranſit in dulcedinem aluminoſam, ſic etiam chyli aciditas fit ſalſa, & ut acidum vitrioli mutatur à ſale tartari, ſed longè excellentiori modo, nàm nihil chylo commiſcetur notatu dignum. Hæc digeſtio, cùm malè ſe habet, cachexias patit, dolores ventris, & ſtranguriàs. Quod natura conſultò fecit, nàm chylus ſi acidus permearet, multis intrinſecis coagulationibus obvius eſſet. Tertia digeſtio in meſenterio, quod inteſtinis conjunctum eſt, incipit, in quâ chylus fit chymus non propter etherogeneorum appoſitionem, ſed per meram alimentorum tranſmutationem ab unius hepatis actione univocâ factâ; hæc digeſtio poſtmodùm in ipſomet hepate

pate perficitur, ſanguificationis culina hepar non eſt, ſed meſenterium, in quo hepar agit per ſuum blas ſanguificativum. In hepate autem ſanguificatio non poteſt totaliter fieri, cum ſit corpus ſolidum, paucas exiles venas habens, & incapax pro retinendo toto cremore comitato à lotii acervo. Fel interim ad majorem urinæ ſalſæ ſeparationem, & per coctionem cruoris, & corruptionem ſeri in meſenterium ſuum blas fermentale immittit. Excrementa interim à chylo ſeparata, flatu naturaliter exiſtente in ileo adjuvante, expelluntur, ſed non ſic validè, quin ſub ilei fine ſtercus liquidum in venas meſenterii attrahatur. Excrementum hoc ab *Helmontio* ſcoria dicitur, à quâ urina tingitur, & à quâ impeditur ſpiritus urinę coagulans, nàm in illâ ſpiritus ſalis terræ volatilizatur, & à coagulando turbatur.

In craſſioribus inteſtinis ſtercoreum fermentum reperitur, à quo oleoſa volatilizantur, & excrementa putere incipiunt. Oleoſa volatilizata dant exhalationem inflammabilem; quapropter flatus ſtercorei, qui ultimis formantur inteſtinis per anum erumpentes tranſmiſſi per flammam candelæ tranſuolando accenduntur, & flammam diverſi colorẽ iridis inſtar efficiunt, ut obſervant, præter *Helmontium*, alii. Fiunt etiam flatus ex cibis acido ſtomachi non dùm planè liberatis, ſed corruptis per anticipationem accedente præmaturè ſtercoraceo fermento. Atque hinc ſtercorum non eſt propria digeſtio, ſed putrefactio. Cruor ab hepate generatus per laxativa evacuatus putridus excernitur, & fibris caret, qualis obſervatur in dyſenteriâ, dùm verò à meſenterio in hepar transfertur, paulatim ſpermaticus redditur, & albarum fibrarum coaguli homogenii initia ſumit, & ad ſolidiorem ſubſtantiam magis accedit. Reliqua in ipſomet authore videri poſſunt, & an vera ſint, examinate.

Cauſa Noſtra.

Pro diarrhœæ, & dyſenteriæ cauſâ ſtabiliendâ præmittimus, quòd quicquid per aluum excernitur, vel in ipſius regione generatur, vel aliundè ad illam confluit. Generatur in illâ, cùm animal rectè ſe habet, pars ciborum ætherea, & ſtercus; cùm pravè diſponitur, pars ciborum ætherea aliter generatur, ac generari debet, vel non generatur, omninò, & ſic quoque de ſtercore philoſophandum eſt.

Pars ciborum ætherea ex alimentis fit à fermentorum energiâ mutatis, non mutantur tota alimenta in ætheream ſubſtantiam, ſed pars illorum aptior, in quâ ſcilicèt particulæ exiſtunt facilè ſeparabiles ab actione fermentativa, & nova unione aptæ ad æthercam ſubſtantiam conſtituendam.

Retinentur alimenta naturaliter in ventriculo, donec ferè fermentalis actio in illis tota expleta ſit, ſpatium hoc ut plurimùm exiſtimatur octo horarum, quod minuitur, vel augetur ob alimenti, vel copiam, vel defectum, ob actionem fermenti, vel debiliorem, vel potentiorem; ſed non ut putârunt veteres, à pylori clauſurâ 8. horarum ſpatio chylus totus conficitur, & ſimul cum excremẽtis ad inteſtina delabitur, ſed à primâ alimentorum ingeſtione ſtatim æthera pars ſeparatur, & hinc eſt, quòd famelici ab aſſumpto cibo immediatè reſtaurantur, & nutrices immediatè poſt aſſumptum cibum lac in mammis ſentiunt, quod ciborum ſaporem præſeferre ſolet. Diuretica quædam, ut aſparigi, & terebinthina ſtatim urinam in-

ficiunt, illi odore putrilagineo, hæc violaceo, & catharticorum vices, quibus hac ſtatim depravatur. Quæ omnia accidere non poſſent, ſi chyli generatio ex cibis poſt decem horas eſſet expectanda, ac deindè ejus in ſanguinem mutatio; quicquid blaterent aliqui vulgares aſſerentes tenuiores chyli partes ſeparari, & ſtomacho veluti ſe comprimente per pylorum clauſum, quaſi per colum paulatim inſtillare, cùm id ſufficienter *cap. de Ventriculi actione*, rejectum fuerit.

Præſcribunt vulgares faciliores digeſtionis cibos præmittendos iis, qui durioris ſunt coctionis, deindè putant omnia in ſtomacho, quæ continentur, in chylum verti homogeneum; pylorum ità ab initio claudi, ut nè quicquam labi, vel guttatenus ante totalem per actam digeſtionem, coctionem tandèm ab indeſinenti ſtomachi calore fieri, & à principio digeſtionem incipere, & nunquàm ceſſare, quandò ejus Vulcanus calor perſeverat. Hac ſtante doctrinâ, cum omnia ſtomachi contenta in liquidum vertantur chylum, & exquiſitè in unicâ ſtomachi ollâ: ſequitur in paſtu præmittenda eſſe cibaria, quæ durioris ſunt digeſtionis, eò quòd tanto longiori caloris ſpatio coquatur.

Peractâ coctione aperitur pylorus, & ciborum quiſquiliæ æthereo depauperatæ ſpiritu ad duodenum & jejunum inteſtina delabuntur, ibidemq; per fellis effluvium in liquamen reſolvuntur, & pars ſpirituoſa, quæ in materiæ centro antè ligabatur, ſoluta ad ſuperficiem evecta calore, ſeparatur, & per dictorum inteſtinorum fibras ſe recipit; quod verò omni parte ſpirituoſâ omninò ſpoliatum fuit, dùm colon ingreditur, ſtercoreſcere incipit.

An verò, quòd putat *Helmontius* ſub fine ilei liquefactum hoc excremētum, ſivè ſcoria intret meſenterii venas, & ab illo urina tingatur, examinabitur.

In craſſioribus inteſtinis excrementa ſtercoreſcunt totaliter craſſitiem, acquirunt, & fœtorem habent ab exaltato fœtido ſulphure per tot fermentorum examina, & digeſtiones, expeditis liquidioribus partibus, remanet reliquarum ſeparationum ſulphur, quod ſparſum erat fætidum, colligitur, & exaltatur, & hæc de cauſa quod ab alvo exhalat, accenditur.

Fœtorem in ſtercoribus à ſulphure eſſe demonſtrant chymici, quia illo ſeparato, vel depreſſo, à ſtercoribus fœtorem tollunt, & hoc pacto in Rupellani obſidione alimenta non unâ vice obſeſſis deſerviebant, nàm in fœtore liberata excrementa iterùm deglutiebantur.

An hoc alicujus alterius fermenti opus ſit, vel inteſtinorum proprii, vel aliundè confluentis ad inteſtina, vel ab ipſiſmet excrementis reſultantis non poteſt fortaſſe explorari. Aliquid poterit ex obſervationibus colligi, quibus percipitur ab eodem cibo varia odorum genera in excrementis percipi, ut paſſim conſpicitur in variis animantibus. Idem alimentum non eſt, ex quo varii odores reſultant: ergò ex animantium diverſo fermento.

Diarrhœa, ut colligi poteſt, vel fit humore degenerato in ſtomacho, vel in inteſtinis, vel aliundè tranſmiſſo, & ibi vel mutato, vel non. Hinc ad diarrhœam producendam multùm corporis habitus confert. Undè ii, qui parùm per cutim tranſpirant, facilè diarrhϾ ſunt obnoxii, nàm id, quod deprimitur, per alvum excerni ſolet, ac proindè primo autumni adventante frigore,

ob-

ob pororum conſtipationem diarrhœæ contingunt.

Cauſæ diarrhœæ excitativæ vel ſunt externæ, ut aſſumpta facilè effervеſcibilia, vel internus naturæ motus. Inter aſſumpta primum tenent locum melones, cucurbitæ, lac poſt cibum ſumptum, fungi, aliique horarii, & fugaces fructus, ac piſces, qui omnes facilè in ſtomacho aceſcunt, vel non rectæ concoquuntur, vel facillimè fermenteſcibiles, vel ſanguinis maſſam ſimiliter fermenteſcentes diarrhœam producunt, & hinc ſalinæ, ſulphureæ, acidæ, & acres particulæ contentæ exaltantur, & humorum ſolutionem nanciſcuntur. Internæ cauſæ diarrhœam excitantes, vel ſunt per motū criſeos, aut per modum ſymptomatis. Per motum criſeos, quandò in chronicis morbis materia concocta, ſcilicèt fœces ſanguineæ maſsæ per fermentum ſeparatæ, & præcipitatæ, per opportuna loca filtratæ, & cribratæ ſeparantur, & confertim exturbantur. Symptomatica verò diarrhœa eſt, quæ in principio morborum turgeſcentium ex ſanguinis maſsâ fermentativâ & unicâ ejuſdem colliquatione oritur. Utrobique tamen ubi appares, præſupponitur fermentatio aucta, & vitioſa in maſsâ ſanguineâ. Ut plurimùm ſymptomatica diarrhœa ex alimento degenere, & veneni laxativi indolem induente producitur, quo ſæpè ventriculi, & inteſtinorum tunicæ inficiuntur, & tunc diarrœha efficitur continua, adeò ut interdùm ægrum ad mortem uſque ſectatur. Quandòque venenum laxativum adeò vehemens eſt, ut elaterii virus æmuletur, & ſiquid vehementius catharticum ſit. Hæc humorum colluvies à ſanguinis maſsâ, & corporis habitu per ductum cholidicum, & pancreaticum, tandèm per alvum extruditur. Quandòque hæc colluvies per totum corpus diffunditur, & tunc in tabidis lethales generantur diarrhœæ ab hoc veneno laxativo.

Dyſenteria à diarrhœâ ſignis, & fluxu differt, in reliquis verò eſſentialiter nón differunt inter ſe hi inteſtinorum affectus, niſi accidentaliter, & qualitate tantùm excrementorum, quæ ipſos inteſtinorum fluxus excitare ſolent, ratione etiam curationis non differunt, uno n eodemque, ac ſimili curantur medicamento. Tandèm in cauſis accidentaliter differunt ſecundum plus, & minus diarrhœam, plus dyſenteriam inducit: ſi diarrhœæ cauſæ intendantur, dyſenteriam inducunt. Fit itàque dyſenteria à ſucco acidiori, & acriori ex alimento degenerato auctæ fermentationis vitio, & in acorem peregrinum mutato, ceu à ſucco pancreatico adeò nimis exaltato, vel perſe tali, aut non ſufficienter à bile temperato, ut venarum in inteſtinis orificia aperiat, & ſanguinem ex illis eruat, ad quem veneni laxativi vis perveniat, qui non poſſet illud mutare, tunc fit dyſenteria. Non admirandum itàque eſt de veneno laxativo in dyſenteriâ nos mentionem facere; carnium nàmque animalium caſſia fiſtula nutritorū eſum dyſenteriam inferre obſervamus. Itèm purgantia fortiora, ut antimonium, ſcammonium, aut colocynthidem, & ſimilia non rarò dyſenteriam inducere. Prætereà mercurium vivum externè illitum, vel cinnabirim, quæ ex mercurio, & ſulphure fit, per ſuffumigium in lue Venerea curandâ dyſenteriam multoties induxiſſe obſervavimus. Dolor acerrimus, qui dyſentericos torquet non eſt ex corroſione, nec iſta corroſio eſt cauſa talis, ſed ferè maxima ex parte eſt ex

ſpaſmodicâ inteſtinorum convulſione, quâ inteſtina irritata ab acido exaltato, ſpaſmo quodam correpta, ſe convellunt, & contrahunt, ac motu quaſi vermiculari ſe torquẽt; ſub quo tamen intenſiſſimi ſunt dolores, & quidèm excretionem præcedunt, quoniam ſub iſtâ ſpaſmodicâ contractione inteſtina ſimul propellunt, & contenta exprimunt, & ità ad excretionem ſtimulant; nec quicquam contra noſtram ſententiam facit *Helmontii* ratio, quia in dyſenteriâ raro inteſtina exulcerantur, quòd ſi forſam quandòque accidat, de dyſenterici vitâ proclamatum eſt ob ſubſequentem ſphacelum; defenduntur n. à ſubſtantia viſcidâ illis firmiter adhærente, quæ abraditur quandòque, & fixatur miſtione craſſioris excrementi, & fibras emulantur, quæ videntur, ac ſi eſſent ab inteſtinis evulſæ: Probatur hoc, quia ſiqua ramenta inteſtinorum apparent, bacillo agitata diffluunt. Neque ratio ex remediis deſumpta obſtat, nàm leporinus ſanguis fermentationem colliquantem ſuperat, & hac de causâ juvat, quo etiã pacto eryſipelati adverſatur; ferè n. ſemper dyſenteriæ ab acidis ſuccis ad fermentationem diſpoſitis excitantur, & hac de causâ pruna cerea, uvæ, his ſimiles fructus autumnales, dùm fermentantur, & matureſcunt, dyſenteriam cauſant, ac propterea

Autũni fructus caveas, nè ſint tibi luctus.

Dùm n. fermentant, & matureſcunt, corrumpuntur, & corrupti intenſum & fortem contrahunt acorem peregrinũ, & in dyſenteriæ ſunt causâ.

Hæc dyſenteria, de quâ nos locuti ſumus, benigna eſt, & utplurimum febre, & contagio vacat, tantùm ſporadicè in hoc, vel illo loco hunc vel illum affligit hominem, & raro fit ex ſanguineâ maſsâ, ſed tantùm producitur ex contentorum deſtructione, & corruptione in inteſtinis.

Præter dyſenteriam benignam maligna datur, quæ utplurimùm cum febre malignâ conjuncta eſt, & non raro peſtilentiali, quæ epidemicè graſſatur, & ſæpè integras devaſtat regiones, & vulgato contagio ſe propagat non ſolùm per communes latrinas, & per inſtrumentum, quò clyſter injicitur, ut refert *Helidæus Paduanus*, inquit n. *Vidimus ſæpius dyſenteriâ corripi eos, quibus clyſter infunditur, inſtrumento non benè abluto, quo anteà dyſentericus uſus fuit.* Sed etiam communicatur corporibus per aërem miaſmatibus, acribus ſalinis, ſulphureis, & realgarinis conſpurcatum à fodinis, lacubus, antris, &c. exeuntibus, & ſursùm elevatis, quæ unà cum aëre intra intimos lares admittuntur, ſanguinis maſſam inficiunt, & inteſtinis miaſmata fermentativa communicant maligna corrumpendi energiâ prædita, quæ torturas inteſtinis feroces imprimunt, & dyſenteriam malignam, & contagioſam inducunt, abſq; eo quod humores vitioſi in internis viſceribus præexiſtant.

Prognoſis.

Diarrhœa levamen afferens ſalutaris, contrà verò vires dejiciens, mala; illa critica cenſenda eſt, hæc autem ſymptomatica. Alvi fluxus ſi per aliquot dies duraverit, & excrementa deindè craſſeſcere incipiant bonum; naturæ n. robur, & coctionem denotat, ut in coryzâ craſſeſcens mucus, inſtantem ejus præ-nunciat finem: At ſi excrementa mutantur in pejus, & etiamnùm liquidiora, pejoriſque coloris fiant, ut lividi, oleaginei, vel æruginoſi, tunc ſecutura mortem portendunt, ut *aph. 14. ſect. 2. In profluviis alvi mutationes excrementorum juvant, niſi ad mala mutatio fiat.* Et *lib. 2.*

lib. 1. præſag. 23. Varia excrementa ſunt lethalia. Ut & ramoſa, atque billioſa, & nigra. Nec non porri colorem imitantia ibid.

Alvi fluxus, qui cum dolore, labore, & frequenti dejectione fit, malus; maximam n. ſignificat humorum acrimoniam, quæ inteſtina vehementer ſtimulat, pungit, vellicat, & vires ſternit. Malus etiam eſt, qui cum morbo acuto incipit, & cum eo perſeverat: malignitatem n. & morbificæ cauſæ copiam denotat, atque etiam vires exoluit, ut malignum morbum ſuperare nequeant. Fluxus ſpontè effluens, ægro non ſentiente, vel delirium, vel nativi caloris exolutionem ſignificat

Hydropicis alvi fluxus bonus eſt in morbi principio, viribus validis, & ſalvis viſceribus; materiæ n in toto corpore reſtagnantis fit evacuatio, ut *aph. 29. ſect. 7. Et, qui leucophlegmatiâ detinentur ſi fortis ventris fluxus superveniat, à morbo liberatur.* Et *aph. 14. ſect. 6. Hydrope correpto, ſi aqua è venis in ventrem defluxerit, ſolvitur morbus.* Viribus autem dejectis, & læſis viſceribus mortem infert.

Mulieri in utero gerenti, ſi alvus plurimum profluat, periculum eſt, nè abortiat. aph. 34 ſect. 5. A magnâ n. causâ oritur occaſionali ventris profluvium in utero gerentibus, cum eæ alioquin duriore alvo eſſe ſoleant: quapropter non ſolùm pravi humores evacuantur, ſed ſimul ſuccus alimentitius excernitur, atque ità fœtus ſuo defraudatus alimento, vires ob frequentes dejectiones exolvuntur, uteri ligamenta in illâ crebrâ agitatione relaxantur, uterus & fœtus tetro excrementorum vapore læditur, undè magnum abortionis periculum minatur.

Pleuritide, & peripneumoniâ correpto alvi profluvium adveniens, malum aph. 16. ſect. 6 fit n. vel materiæ morbificæ ad ventriculum, & inteſtina tranſlatio, vel in conſenſum trahit, undè virium exolutio. At verò ſi coctionis ſigna præceſſerint, & pleuritis, ac peripneumonia non adeò magna, & in corpore cacochimo alvi profluvium accidat, ſalutaris diarrhœa eſſe ſolet.

Quibus phthiſicis capilli à capite defluunt: iis diarrhœa ſuperveniente, in propinquo mors eſt. aph. 12. ſect. 5. Capilli n. defluunt ipſis ob alimenti defectum. Et eâdem *ſect. aph. 14. Tabe laboranti profluvium alvi ſuperveniens, lethale.* Quia ſuperveniens alvi fluxus ob virus laxativum per totum corpus diffuſum emaciato corpori omnia alimenta, & vires ſubtrahit, ſpiritus diſſipat, & non ſolùm proximum partium alimentum colliquat, verùm etiam ipſas carnes, & quia fit à vehementi cauſâ, non facilè remediis expugnari poteſt, ideòque lethalis cenſetur.

Diarrhœa facilè in dyſenteriam terminatur, quia humores acres venarum orificia in inteſtinis aperiunt, & ex illis ſanguinem eliciunt.

Dyſenteria, in quâ ſuperiora afficiuntur inteſtina, periculoſior eſt, & curatu difficilior; graviora n. acerſit ſymptomata, præcipuè autem ingens cibi faſtidium, nauſeam, plerùmque febri conjunctam, vigilias, immanes dolores, undè citò vires dejiciuntur: In inferioribus autem curatio non adeò difficilis eſt. Si dyſenteriæ febris advenerit, quæ anteà non erat, aut ſi exigua erat, intendatur, malum: Vel alimenti degenerationem, vel inflammationem aliquam acceſſiſſe denotat, quarum utraque periculoſiorem reddit dyſenteriam, & præcipuè ſi ad cibi faſtidium febris acceſſerit, ſalus deplorata eſt. *In*

longis dyſenteriis cibi faſtidium, malum, & cum febre pejus. aph. 3. ſect. 5. Significat n. coctionem labefactari ob inteſtinorum cum ventriculo conſenſum, cui vel alimenti degeneratio, vel inflammatio conjungitur. Si dyſenteriæ ſingultus ſuperveniat, plerùmque lethalis eſt; in principio tamen minus periculoſus eſt, quàm in morbi progreſſu.

A difficultate inteſtinorum lævitas inteſtinorum ſupervenit aph. 78. ſect. 7. denotat n. inteſtina tenuia eſſe affecta, & pylori relaxationem concitâſſe, undè cibus impermutatus excernitur.

Dyſenteria ſi ab atrabile inceperit, lethalis eſt. aph. 24. ſect. 5. Quia magnam ſalis ſectici copiam arguit, quæ exulcerationem in inteſtinis molitur, omnemque ſanationis ſpem adimit.

Puri ſanguinis effuſio dyſenteriæ adveniens, mala; venas n. majores apertas, vel eroſas ſignificat. *Si dyſenteriâ laboranti velut carunculæ dejiciantur, lethale eſt. aph. 25. ſect. 4.* Significant n. ſubſtantiam tenuem viſcidam inteſtinorum tunicæ intimæ adhærentem abradi, miſtione craſſioris excrementi fixari, & tandèm excretas carunculas æmulari; ſi hæ dejiciantur, non utique lethalis eſt, quia regigni poteſt: attamen ſierit intima, vel media inteſtinorum tunica, quæ excernatur in carunculas abraſa, profectò deplorabilem conſtituit dyſenteriam, ut *cit. aph. Hip.* pronunciat [idque facilè explorari poteſt], quia inteſtinorum tunicæ neque regigni, neque exulcerationi cicatrix obduci poteſt. Et id intelligitur, ſi carunculæ, ſeu tunicæ ex tenuibus dejiciantur inteſtinis, ut patet ex eodem dicente: *Si tenue quoddam inteſtinum fuerit diviſum, non coaleſcit.* Non autem de craſſis.

Ætas robuſtior, ut eſt media, minus periclitatur; puerilis cum ſit tenella, citò diſſolvitur, ideòque magis periclitatur, quia ratione uti, & medicorum præceptis neſcia, & præcipuè ſi cum vomitu, & vermibus eſt comitata dyſenteria, plerùmque lethalis eſt, & eò magis, ſi cum acutâ febre conjugatur; Senilis eſt minùs diſpoſita ad hanc affectionem, quòd ſi accidat, cauſæ magnitudinem arguit, ob quam tàm ſalina, & acria generentur, & cumulentur excrementa: cui virium, & nativi caloris imbecillitas accidit, & cùm ipſi parum ſanguinis ſuperſit, ſi illud parum exhauriatur, neceſſariò brevi intereat. Fœmineus ſexus virili magis periclitatur, cum fœminæ viris ſint viribus inferiores, quòd tamen non ſemper eventui correſpondet: Non paucæ n. fœminæ eſtò valdè debiles videantur, diutiùs tamen viris vitam protrahunt, & è gravioribus evadunt morbis, cujus ratio eſt, quia tutæ intra lares ſe continent, in quibus Cæli injuriis, & laboribus minùs ſunt obnoxiæ; tùm quia fœmineum ſexum morborum cohors ex ſolius uteri ſtipendio oppugnat, ideòque plùs morbis aſſuetis, tùm potiſſimùm deniq; quia ſucculentior, frigidiorque eſt, & adverſus calidos, quos dicunt morbos, penes ſe mephitis colluviarum geſtat, per quod totius corporis pravos, malignoſque periodicè exhaurit humores, vel perpetuò guttatim extermiuat. Unū de mulieribus dicemus, quòd vel in occiduâ ætate, vel in partu moriuntur.

Dyſenteria epidemica ſemper lethalis eſt, & in principio magis debacchatur, indiſcriminatim perimendò, nec exhibita antidota proſunt. O' terque, quaterque miſelli, qui in hujus epidemiæ principio, augmento, & ſtatu dyſenteriâ corripiuntur! Omnes n. eandem ſubeunt cladem, & ex tot

millibus

millibus vix pauci eripiuntur, temporis progreſſu, tot poſt funera miteſcit malum, quia cauſa vires amittere, langueſcere, & tandèm ſenſim diſſipa.i incipit, ac mitiùs agit, & tunc reliqui dyſenterici faciliùs à faucibus eripiuntur orci, & ſuperſtes non inficiuntur. Tunc medentes ſe jactitare incipiunt, verùm dyſenteriæ epidemicæ inveniſſe prophilacticon.

Veterum Curatio.

Quò ad curationem ſpectat: quia vulgares diarrhœam ex pravis, corruptiſque humoribus bilioſis, melancholicis, aut ſeroſis oriri credunt, & præcipuè ex bilioſis acrimoniâ ſuâ inteſtinorum expultricem irritantibus; ejus curationem ab humoris peccantis evacuatione auſpicantur. Hoc medicamento abſolvunt purgante, quod compreſſivum vocant; quia purgando adſtringit, nè humoribus commotis, alvi fluxus prorietur; pungit (ut dicitur,) & ungit, ſauciat, & ſanat, laxat, & adſtringit. Non poſſumus concipere, quomodò medicamentum purgans adſtringat, cùm propriè purgans dicatur laxativum. Quænàm in purgante pars ſit, quæ adſtringat, vellem nobis aſſignarent. Si pro compreſſivo lenitivum intelligunt medicamentum, quod in parvâ quantitate ſumptum parum purgat, perperam illud nominant compreſſivum.

Præſcribunt aliqui *rhabarbarum torrefactum*, hoc eſt uſtione vi ſolutivâ caſtratum. Utuntur alij *rhabarbaro* ejus ℈ij. vel ʒ j. in ſubſtantiâ pulveratâ exhibentes. Alii, & forſan meliùs, ità procedunt.

℞ *Rhabar. opt.* ʒij. *aq. burſ. parâ.* ℥iv. *infundantur ſimul per h. 4. Poſteà defunde hanc aquam, & rhabarbarum aliquantulùm exprime, & reaffunde alias* ℥iij. *ejuſdem aquæ per noctem, & manè decocta, & exprime, huic tincturæ diſſolve ſyr. roſ. ſolut.* ℥ß. *& f. potus*

Alij ità compreſſivum concinnant.

℞. *Myrobolan. citrin. pulpæ tamarind. an.* ʒß.

infundantur per noctem in aquâ plantaginis ℥v. *in expreſſ. diſſ.*

rhabarb. torrefact. & pulv. ʒj. *ſyr. de 9. infuſ. roſ. rubr.* ℥ij. *vel ſyr. de cichor. Nicol. vel manna Calabrinæ* ℥j. *m. f. potus.*

Verùm in ventris profluvio ventrem ſolvere eſt remedij genus nimis timore plenum, quia majorem humorum colluviem ad locum affectum trahere, alvum anteà laxam laxiorem reddere, malum augere poteſt; nec æger duas evacuationes ſuſtinere poteſt. Vtinàm laxativum vitioſorum humorum copiam minueret, ut reliqui faciliùs temperari, & concoqui valeant, & abditum non gereret toxicum, quòd non tot lanienas, crudeleſque medentum inſcitias ſarcophagi tegerent. Eſtò medicamenta ſint cicurata, ſunt tamen lupi domeſtici inſtar, qui datâ occaſione, dùm ſibi confiditur, ad ſolitam ſuæ naturę ferociam redeunt. Exhibitum pharmacum non eſt ampliùs in medentûm poteſtate, ac proindè ſi benè ceſſerit, gloriam ſibi arrogant, ſi quid exitiale patrârit, vel ægri erratum, vel ejus naturam nimis pharmaco aſcultantem, vel (ceu ut plurimùm fieri ſolet) pharmacopolam accuſant inſontem, nè ſibi, & ſolutivo detrahant. Quandòq; diutiùs laborant, ut laxâtis remedij effrenè cōpeſcant effectū.

Hinc ægrotântes hortamur, nè ſint tàm proclives ad amaros vulgarium calices exhauriendos, & ab ipſis hoc diſcant, qui dùm de noſtris malis negotiantur, & ſuper vitam noſtram mit-

runt ſortes poſtquàm ſuæ medicinæ fidē amiſerunt, nūquàm pharmaca ſumunt, ſed ut pluimùm abſq; corporis, & animæ medicamētis miſerrimè moriuntur.

Corpore ſufficienter purgato, ſi non ceſſerit ventris fluxus, & ſanguinis redundantis fuerint indicia, & virium robur, ſtatim ad eum exhauriendum confugiunt; ſed ſi febris adfuerit, ſanguinem etiam detrahunt, licèt nullum redundantiæ indicium apparuerit; Verumenimverò, an ſanguinis miſſio in hoc affectu proſit, dicant interfectorum animæ, quæ quotidiè ſub throno Dei clamant: *Vindica ſanguinem noſtrum, qui effuſus eſt, Deus noſter.*

Si hæc non juvant, totam curationis ſpem in clyſteribus reponunt, quorum innumeras norunt formulas: ſed ſi clyſteribus hunc morbum amputare credunt, ex parvo efficiunt magnum, & ex paucis vix unus ſalvatur. Morbum levem clyſteribus inſtigando, reddunt graviorem, ità ut benignam diarrhœam degenerare faciant in deplorabilem dyſenteriam. Nullus datur alvi fluxus, in quo primariò ſtomachus non afficiatur, & iſti medici ſtercorarij, tanquàm ſcarabei ſe in ſtercoribus volutantes clyſtetibus inteſtina ſollicitant! Peccat ſtomachus, & inteſtina plectuntur!

Interim ſuos non defraudant ægrotos ſyr. adſtringentibus, ut *myrt. cydon. de roſ. ſicc. menth. ribibus, myvâ cidonior. conſerv. amarenar. vel fructibus adſtringentibus, ut ſunt meſpila, mala cydonia, ſorba, corna, &c.* ſyr. propinant ventriculum corroborantes de *agreſtâ, de corticib. citr. abſynth. &c.* Præterea ſtomachum ſuo fotu, empl. & ventrem unctionibus non defraudant.

His pluries adhibitis, & repetitis, ſi tandem diarrhœa obſtinatior perſeveret, ad anodyna, & narcotica pauci confugiunt, ut ad *theriacam recentem, philon. Rom. requiem Nicolai.* Nos in diarrhœâ felici cum ſucceſſu experti ſumus *philon. perſic.* ut

℞. *Syr. de ſucc. myrtillor.* ℥j. *philon. perſici* ʒj. *aq. plātaginu* ℥iij. *m.*

Dyſenteriæ curationem aggrediuntur vulgares diverſam à rectâ methodo, & tantùm productum reſpiciunt morboſum, inteſtinorum ſcilicèt exulcerationem, non verò morbi radicem, ſeu id, undè morbus oritur. Primò inteſtina evacuant, ſecundò ſanguinem profundunt, Tertiò humorum mordacitatem temperant, Quartò clyſteribus ulcus abſtergunt, Quintò dolorem ſedant, & tandem narcotica exhibent.

Corpus purgant, ſed leviora exhibent purgantia, alvum jam ante laxam lædunt, laxioremque efficiunt, & lento, longiorique vitioſorum humorum inteſtina tranſitu, ac diuturniore in iis morâ, major inteſtinorum (ut ipſi dicunt) exulceratio fieri poteſt, ſi leniora propinant; ſi fortiora, non ſolum humores copioſiores ad inteſtina detrudent, verum etiam ipſos reddent ferociores, & humores dyſenteriam excitantes laxativum continent virus, ideòque purgantia exibere medicamenta, quæ virus continent laxativum, eſt dyſenteriam reddere pejorem, & majus detrimentum afferre. Præterea medicamentum purgans ad partem trahit affectam, nec per eam evacuandum eſt, cum in dyſenteriâ inteſtina, cum fluxione, tùm ulcere, & ſæpè etiam inflammatione teneantur; idcircò purgantia exhibere non licet, quia fluentes, & mordaces humores illa magis attrahunt dolorem, aliaque ſymptomata adaugent.

Maximum inter Galeniſtas verſatur diffi-

diſſidium de venæ ſectione in dyſenteriâ, verumtamen major horum pars vivæ vocis oraculo neceſſarium eſſe fatentur; verum neque neceſſariam, neque locum habere nos exiſtimamus, & per accidens quandòque juvare poteſt, ideóque tanquàm nocuam, vires imminuentem, & execrandam ſuademus, quia in eorum opinamento non peccat ſanguis, ſed cæteri humores, & ideò non plebotomiam, ſed purgationem requirit, & ſi ulcus in inteſtinis adeſt, ad ulceris curationem nihil venæ ſectio conferre poteſt, ſed potiùs aſſiduâ dejectione, vigiliis, doloribus, febribus debilitatas dejicit vires. Inſuper eſt contra *Galeni præceptum* 1. *ad Glauc.c.* 4.& 1. *de vict. rat. in acutis tex.*16. exclamantis: *Alvo fluente, ſanguinem nè detrahas.* Nec ſufficiens eſt eorum indicatio, nàm ſanguinis miſſio ſolam aufert plethoram, quæ quamvis ſit in ægroto, cùm à dyſenteriâ invaditur, non multo tamen pòſt tempore minuitur ex continuâ inſenſili evacuatione, inediâ excretione, & quandòque ex febre. Nec phlebotomia in dyſenteriâ juvandi certitudinem habet, quia ipſorum confeſſione non adſunt demonſtrationes, ſed tantum probabiles conjecturæ, quæ adducuntur, cùm eorum medicina tota ſit conjecturalis. Neque vulgaris benè barbatus pro venæ ſectione ſpondere poteſt eam neceſſariò prodeſſe. Hoc unum ſcimus ſanguinis miſſionem eſſe remedii genus periculo plenum, vires debilitare, & dyſenteriam augere. Cautè igitur in hoc remedii genere procedendum eſt, quia ſi non juvat, vel dyſenteriam in longum protrahere, vel dyſentericum interficere poteſt.

Ad humores temperandos, eorumque mordacitatē reprimendam exhibent ſyr. refrigerantes, & modicè adſtringētes, ut de *roſ.ſicc.cydon.plantag. portulac.myrtin.rib.berber.acetos. agreſt. corall.cum aq. appropriatis. Nec non trochiſc. de terr.ſigill.carab.ſpod.bol.arm.terr.ſigill. corall.præp.ſang.drac.lap. hæmat.præp.*

Intereà non deſunt clyſterum myriades quibus omnes barbati totam curationis ſpem reponunt, & à clyſteribus tantum ſalutem ſequi poſſe fatentur. Præſcribunt clyſteres lenientes, mundificantes, adſtringentes, agglutinantes, & conſolidantes. His inteſtinorum ulcus ſanare conantur: Verum clyſteres ſemper ſunt inteſtinis hoſtiles, quia cruorem è venis inteſtino conterminis emungere non deſinunt. Præterea ſtercus eſt inſenſile, domeſticum & cognatum inteſtinorum contentum, quod non mordicat, neque ſentitur, quia excrementum naturale eſt: mordicat, & urget, cùm ad ani conſtrictorem pervenerit, dolet clyſter, quia exoticus. Vndè concludimus quemlibet clyſterem, cum ſit inteſtino exoticus, non poſſe illi non eſſe moleſtum, ingratum, & in dyſenteriâ noxium. Nunquam Galenicos ani fiſtulam, quàm ad manum habent per emplaſtra ſanaſſe conſpeximus: quomodò ergò inteſtinorum ulcus per clyſteres curare poſſunt? Iſte error fuit à ſcholis dyſenteriam definientibus inteſtinorum ulcus, quam ut inveteratam, ac penè deſperatam ſanari ſæpiſſimè, & quidem multâ cum ſecuritate vidimus: Clyſteres tandèm prorſus inutiles dejudicamus, quia eorum materia nullo modo naturaliter ad tenuia, & ad cæcum, imò ad ipſum colon pervenire poteſt, quia ad coli initium apponitur valvula craſſa, & ſatis membranoſa, quæ ilei inteſtini ingreſſum excludit, nè quid remeat, aut regurgitet.

Pro ſummo arcano tenent hujuſmodi exterius medicamentum, ut

℞. Carnes cydonior. q. ſ. cum roſ. rubr. & vino rubr. chalybeato applicant ventri inferiori.

Exterius inungunt abdominis regionem *ol. roſ. omphac. cydon. maſtich. myrtin. vel ung. comitiſſæ.*

Pro ultimâ indicatione aſſequendâ ex dolore deſumptâ ſupra partem dolentem applicant ea, quæ dolorem ſedant ut ſunt 4. *anodyna decocta in hydroleo, & cum ſpongiis applicant, vel ol. amygd. dulc. medicè calidum cum petiis lineis, de ſuper imponendo vervicis omentum in ſartagine frictum, vel ol. amygd. dulc. ſaturatū, ſed præſtat in hyperici ol. frixum,* quaſi unctuoſa, craſſa, oleaginoſa cutis poros non conſtipent, ſed per pinguedinem, membranam carnoſam, muſculos, peritonęum, & omentum tranſeuntia rectâ perveniant viâ ad malè affecta inteſtina, & ibi ſuas exerant actiones. Fruſtrà oblinitur ſuperficies, ubi centralia laborant. Inteſtinus morbus inteſtina ſibi aſciſcit remedia.

Narcotica tandèm per os aliquoties exhibent, & reverà miranda præſtant, quia dolorem ſedant, fluxum cohibent ſomnum conciliant, & vires reficiunt: Sed diù opiatorum uſui non perſiſtendum eſt, neque iis nimis fidendum, quia licet hæc omnia patrent, & morbus quandòque victus videatur, niſi tamen tempeſtivè adhibeantur, vel dyſentericum jugulant, vel morbus recrudeſcit, novo ſuperveniente fluxu, & vitæ periculum minatur.

Noſtra Curatio.

Exploſâ bardâ tàm diarrhœæ, quàm dyſenteriæ Galeniſtarum curatione, noſtram adducamus oportet, ut oppoſita juxta ſe poſita magis eluceſcant, & nè à rectâ deflectamus methodo, curationem primò à diæreticâ, exordimur parte, quia illa huic correſpondere debet, ac proptereà his affectibus, quæ conducunt pro diætâ, à ſex rebus non-naturalibus eruimus, undè

Aër ſit temperatus, & ad caliditatem potiùs, quàm ad frigiditatem propendeat, eſtò ſæpè morbi cauſa calida videatur, ægrum tamen in aëre frigido verſari dedecet; etenim humorum acredo, & aciditas acrior, & acidior redditur, & exaltatur, & plerùmq; ſi maligna vel epidemica ſit affectio: utile eſt cutis poros patentes etiam ſudoriferis, & diaphoreticis ſervare, ut acres, & maligni humores exhalare poſſint, quod niſi procuretur, & pori conſtipentur, tunc inſenſibilis tranſpiratio, quæ ſenſili eſt, major, ceſſat, & obſtructis excretoriis tubulis, ſerum in corpore de die in diem creſcit, & morâ acrius, & acidius evadit, ac malum ruit in pejus, & hac de causâ primo adventâte autumni frigore, diarrhœas, vel dyſenterias graſſari obſervamus. Ob id itàq; diligenter incumbendum eſt, ut in his affectibus cutis pori, quantùm poſſibile, aperti foveantur, & corpus ad ſudorem, vel ſaltim ad auctam inſenſilem evacuationem blandè diſponatur, quo ſudore, vel inſenſili tranſpiratione non leviter enormes alvi dejectiones inhibentur, & ſi febris conſerveat, felici tranſpiratione unà reſtinguitur. Tempore itàque paulò frigidiore, præcipuè in plagis ſeptentrionalibus ægri cubiculum calefacere non inutile erit, ac ipſum in lecto tectum ſe continere commodum. Et cum alvi dejiciendę gratiâ ſępè ęgrumè lecto ſurgere oporteat, cubile, in quo æger decumbit, non ſit frigidum.

Cibus ſit pauciſſimus, imò famem biduanam tolerare oportet ægrum, cujus tamen loco his noſtris temporibus diætam tenuiorem adhibere, præſtat, Unde *Galenus lib. 2. de med. facil. parab. cap. 2.* ait: *Optimum dyſenteriæ remedium eſſe cibi paucitatem*, quod maximè diarrhœę conducit, & hoc quia membra depauperata retinent humores, qui in inteſtina rapiuntur, & paucæ generantur fœces, ità ut inteſtina fæcum multitudine non irritentur, quæ irritata ſanas functiones peragere non poſſunt. Præterea cibus paucus, & tenuis, quantùm vires permittunt, præſertim ſi febris ſit conjuncta, maximè conducit. Cibus itaque ſit ſimplex, & facilis digeſtionis, ac perindè iis, qui delicatè vivunt, cibos duriores & concoctu difficiles non exhibere oportet, eſtò adſtringendi vi præditi ſint ob debilem ventriculi, & inteſtinorum facultatem concoctricem, quę tales cibos non facilè concoquere poteſt. Quapropter in his affectibus cibi duriſſimi, & difficilis coctionis vitandi ſunt citra omnem vulgarium medicorum opinionem, modò adſtringendi vim habeant, quia cruditates aggerunt, & malum adaugent. Peccant, qui ova durata, & in aceto cocta ægris exhibent; nàm ova indurata ſunt difficilia coctu etiam athletis, multò magis in debili ventriculo facilè corrumpuntur, & acetum inteſtina vellicat, & eò magis, ſi ulcerata ſint ſecundum vulgarium opinamenta. Hinc fabæ, piſa, lentes, panicum, panis biſcoctus, vel panis nauticus, vel ſecundarius, caſtaneæ non omnibus cóveniunt, ſed tantùm iis, qui his exculentis ſunt aſſueti, & ſtomachũ habẽt robuſtum. Vitetur cibus crudus ſalſus, fumo induratus, & in primis fructus horarij, ut pruna, poma, pyra immatura, vel nimis matura, uvæ, nuces, cucumeres, melones, cucurbitæ, omneſq; herbæ, quibus vulgò quiſq; veſci ſolet. Vitentur quoq; piſces, caro ſuilla, & omnia, quæ humectant, & difficulter coquuntur. Item cibi peregrini, & quibus æger veſci non eſt aſſuetus. Similiter cibi calidi, & multis aromatibus conditi. A juſculis, & ſorbitionibus abſtineat æger, niſi facultate adſtringendi prædita ſint, & præcipuè ab ovis ſorbilibus. Hîc quoque excludenda ſunt dulcia, ſaccharina, mellita, & ſuper omnia, quæ vocantur *Zuccotti*, cùm in clarificatione, & depuratione lixivium è calce vivâ adhibeatur, undè ſaccharum acrimoniam è calcis ſale adipiſcitur; ſaccharum nàmq; & mel occultum acidum in ſinu gerunt, & acre venenum, quæ ſanguinis, aliorumq; humorum miſturam fermentando variè turbant, & non ægrè has affectiones excitare valent. Excluduntur in alvi fluxûs principio fructus adſtringentes, ut cydonia, lazarolæ, ceraſa auſtera, ſorba, meſpila, arbutus, corna, myrti baccæ, & cætera acida, & auſtera, nàm inquilinum hoſtem in alienâ domo, & lupum inter agnos includunt; in fine verò morbi ante cibum ſemper aliquid ſtyptici aſſumat æger, ut diacydonium, vel quid ſimile, non verò poſt, quia ventrem ſolvit. Conducit omnis cibus temperatus, viſcidus, & emplaſticâ, ſeu balſamicâ qualitate pręditus, quia humores acres, & acidos obtundit, & hebetat, ità ſunt oryza, far, ptiſana hordeacea, quæ coquantur in aquâ chalybeatâ, vel plantaginis, vel pluviali. Panis ſit optimè fermentatus, & coctus, & polline puriſſimæ farinæ conflatus. Carnes in his affectibus non ità utiles ſunt ſi tamen curatio probatur, iis quoque uti licet: conducunt

itàque carnes exſiccantes, ut turturis, perdicis, ſtarnæ, turdorum, merularum, phaſianorum, pullorum, gallinarum, & caponum, ſed veſcendum potiùs avibus volatilibus, quàm terreſtribus, animalibus ſylveſtribus, quàm domeſticis, montanis, quàm in paludibus degentibus. Hinc conducunt carnes capreolorum, leporum, cervi, & pedes vituli, ſplen capræ aſſatus, & hepar vervicis. Carnes ſint potiùs aſſatæ, quàm elixæ. Quandoque pro cibo æger placentâ ex ovis, & in ſecundâ menſa ſemper hippace utatur. In virium lapſu jus conſumptum, vel ſorſicum conducit, cui adſtringentia addi poſſunt.

De lactis uſu in dyſenteriâ non exigua eſt controverſia tàm apud veteres, quàm recentiores; aliqui tanquàm toxicum damnârunt, alij tamquàm appropriatum medicamentum, & cibum prædicant, quorum ſententiæ nos libenter aſſentimur: nàm potenter nutrit, & hoc primum fuit noſtrum nutrimentum, & ac de causâ magnopere lacticinijs oblectamur, hoc etiam lac eſt primum omnium quadrupedum alimentum, ac proindè pro nutriendis partibus ſummum eſt nutrimentum, & quia potenter nutrit, & impinguat, optimum eſt in atrophiâ, hecticâ, in tabe, & ſimilibus morbis eſt maximum alimentum medicamentoſum. Prodeſt in hecticâ, quia acidum peccans delet; in phthiſi quia humorum acrimoniam temperat, ne pulmones corrodendo malum augeat. Convenit prætereà lac in temperandâ quorumcumque humorum acrimoniâ, & aciditate ratione partis oleoſæ, pinguis, & butyraceæ, uti etiam ratione ſalis volatilis oleoſi, & harum virtutum ratione ſpecificè in ſcorbuto convenit, & licèt in quibuſdam morbis noxium ſit lac, in ſcorbuto tamen divinum, & præſentiſſimum eſt remedium. In omnibus internarum partium exulcerationibus, ut in ulcere renum, hepatis, & ſimilibus. Et quia partis ſeroſæ ratione abſtergit pus, & humorum acrimoniam temperat ratione partis butyroſæ, ulcerum conſolidationem promovet. Ratione virtutis humorum acrimoniam temperandi mirè conducit affectibus urinarijs ex nimiâ ſeri acrimoniâ, & corroſione, ut in mictu cruento, dyſuriâ, ſtranguriâ, & ſimilibus affectibus urinarijs. Tandem his, qui cantharides ſumpſerunt, eſt veluti divinum alexipharmacum, ut & qui arſenicum, realgar, auripigmentum, & mercurium ſublimatum, eſt maximum antidotum, item qui aquas ſtygias, ſaponariorum lixivium, aliosque liquores corroſivos, & cauſticos incautè ſumpſerunt, præſentaneum eſt remedium. Si itàque lac humorum acrimoniam, & aciditatem temperat, cur tanquàm noxium in dyſenteriâ proclamant? Si ſalia acida, acria, volatilia, cauſtica, corroſiva, realgarina, arſenicalia, & ſulphura ſummè inflammabilia lac emendat, obtundit, corrigit, hebetat, & cicurat, cur ut toxicum in dyſenteriâ damnant? Sed urgent lactis oſores contra nos authoritate *Hippocratis* adducti 5 *aph.65. Lac dare caput dolentibus, malum; malum verò, & febricitantibus, & quibus hypochondria ſuſpenſa murmurant, & ſiticuloſis: malum autem, & quibus in febribus acutis bilioſa ſunt dejectiones, & quibus ſanguinis multi dejectio facta eſt, convenit autem tabidis dare, qui non valdè multùm febricitant, & in febribus longis, & parvis, ſi nullum ex ſupradictis ſignis adfuerit, & præter naturam conſumptis.* Ac proindè dicunt nullo pacto in dyſenteriâ lactis uſum convenire. Cœterum

rum lac valdoperè in dyſenteriâ exhiberi modò per os, modo ſub forma clyſteris magnâ utilitate per anum injici, & utroque uſu prodeſſe obſervamus, attamen rectum ejus uſum in tali affectione ſubnectamus neceſſe eſt. Lac tribus conſtat ſubſtantijs, caſeosâ, quæ eſt craſſa, viſcida, & terreſtris, & hæc nutrit; pingui, & oleoſa, hæc vocatur butyrum, quæ dolores lenit, digerit, inteſtina oblinit, quò minùs ab humoribus acidis, & acribus lædantur; & tandem ſeroſa, ſeu aquâ lactis, quæ dicitur ſerum, & eſt aqua impregnata ſale volatili oleoſo, & hoc ſerum habet moderatè laxandi vim alvum, abſtergendi, & mundificandi ſcorias acidas, acres, ſalinas, & ſulphureas in primis vijs: omninò his, & pluribus de cauſis in dyſenteriâ utile eſt lac, & non ſolum eſt nutrimentum, ſed etiam medicamentum, aut certè ut nutrimentum medicamentoſum, & tandem in dyſenteriâ nutrit, dolores lenit, quia anodynum, inteſtina oblinit, abſtergit, mundificat, & dyſentericum curat. In frequenti uſu lac fuit apud antiquos ad abluendos, & evacuandos humores mordaces; eoſque temperandos eo uſi ſunt: deindè etiam ad fluxum ſedandum uſurpârunt, & ad dolorem leniendum, ut videre eſt apud *Aëtium Tetrab 3. ſerm. 1. cap. 45. & apud Alexandrum Trallianum lib. 8. cap. 8.* Attamen in ejus uſum non per ſe ſolùm, & ſimplex, ſed coctum, & alteratum venire debet; ubi jam dyſenteriam ſiſtere volumus, præparatione opus eſt, in eo itàque aliquoties ferrum vel chalybs ignitus extinguatur, & lac chalybeatum vocatur, aut ſiquid alijs commodius videatur, auri, vel ſilicum extinctione, ut *Hip. 7. epid.* in filio Critolai uſus eſt lacte alterato ignito ſilice. Lac itàque coquitur, ut ſerum abſumatur, ne ventrem ſubducat, ſi verò lac chalybeatum ſit ingrati ſaporis, potiùs decocto utendum eſt. Cæterùm nocet lac ijs, qui febribus tàm continuis, quàm intermittentibus, & quibuſcumque alijs acutis propter facilem effervescentiam, & alterationem, quoniam, ut dicunt, bileſcit, auget effervescentiam, & facit acriorem, & acerbiorem, hoc nàmque intelligendum eſt de febribus intermittentibus, & acutis vulgaribus: nàm in febre intermittente ſcorbuticâ aſſumitur bonus lactis hauſtus in die intercalari ſeptem, vel octo horis ante paroxyſmum, & mirè prodeſt. Si in dyſenteriâ febris adſit, ut plerùmque conjungitur, cautè cum ſaccharo rubro exhibendum, non quod non ſit conveniens ſecundum noſtras rationes, ſed ut vulgarium morem geramus, politicè omittendum etiam per clyſteres, ne vulgaribus venenum proclamandi anſam præbeamus.

Potus ſit pauciſſimus, nè dejectiones augeat, & præcipuum in his affectibus eſt remedium, conducit aqua pluvialis, plantaginis, aqua hordei deſtillata, vel decoctum cornu cervi, vel radicis tormentillæ, vel decoctum terræ ſigillatæ, præſertim ſi dyſenteria ſit epidemica. Quandò febris eſt exigua conceditur vinum rubrum decocto dilutum: ſed angue pejus fugiendum eſt vinum generoſum, ut & vini ſpiritus; nàm hujuſmodi vini uſus, vel abuſus majores, & inſolitas fermentationes, & turbationes in ſanguine producit, & ſic à majori motu, & ſanguinis turgeſcentiâ arteriæ, & venæ in ſuis extremitatibus magis dilatantur, & aperiuntur in inteſtinis, undè ſanguis majori copiâ effluit, ideòq; Bacchi commercia proſcribantur, nè æger alterum ponat pedem in cymbâ Charontis.

Verùm ſi facultas concoctrix hîc laboret, vini uſus ſæpè neceſſarius, & utilis eſt. Si vires deficiunt, vinum rubrum adſtringens aquâ plantaginis dilutum commendamus. Nonnulli aquæ frigidæ potum præſcribunt, ſed non convenit, niſi in regionibus calidis, & calido anni tempore. Aliqui in dyſenteriâ epidemicâ mappam nivæ gelidam abdomini applicuerunt, cum totali ægri incolumitate, ſed periculoſum eſt remedium. In maximo ſitis ardore magno cum juvamine propinari poteſt ſequens emulſio, ut

℞ *Amygdal. dulc. excortic.* ℥jß.
ſemin. melon. ℥ij. *papaver. alb.* ʒiij.
aq. hordei ℔ jß.
plantagin. ℥vj. *f. emulſio.*
extracti radic. tormentillæ ʒijß.
ſyr. de ribibus ℥ij. *m.*

Hæc emulſio non tantùm ſitim extinguit, verùm etiam dejectiones refrenat, humores temperat acres, dolores lenit, & ſomnum conciliat, qui omnem evacuationem tollit. Doſis ℥vj. pro vice, & frigidè propinetur.

Motus omnis vehemens vitandus, nè fluxus magis irritetur.

Quies tantùm commendatur, quia fluxum ſedat, & vires non abſumit; Quadere nè æger ob alvi dejectionem ſæpè è lecto ſeſe movere, & ſurgere, ac proinde etiam aëri frigido ſeſe exponere neceſſe habeat, commodum erit peluim ægro ſubjicere, cujus generis aptiſſimũ deſcripſit *Fabricius de dyſenteriâ cap. 7.*

Somnus ſemper confert, neque in his morbis curandum eſt, ut æger à cibo non dormiat; indulgeat itàque ſomno, ſeu noctû, ſeu interdiù, & toties, quoties obrepit, quia per ſomnum humores dulceſcunt, dejectiones refrenantur, dolores ſopiuntur, vires reficiuntur, & uno verbo dicimus: Somnus eſt unicum dyſentericis ſolamen, & remedium curativum.

Vigiliæ multùm obeſt, quia humores reddit acriores, ſanguis fit acrior, dejectiones exaſperantur, & vires proſternuntur.

Excreta, & retenta moderatè ſe habeant oportet, cùm hæ affectiones in excretione conſiſtant, & retentionem expoſtulent, in quâ totus curationis cardo verſatur. In ipſis fæcibus inſpergi poteſt *pulvis ſympatheticus*, vel alvum deponat æger ſuper *caput mortuum vitrioli Martis*, quod in perſanandâ dyſenteriâ magneticam, eamque admirabilem vim habet, ut experimento conſtat. Vel *Recipe fruſtulum ligni fraxini, intinge illud excrementis cruentis, ut undique cruore, & ſanie abducatur, tum infige illud in fruſtulum lardi, & abſque extractione in eo infixum maneat, donec æger convaleſcat.* Ad hæc quoque ſubindè ordinamus, ut pinguedo è lardo recenti alicujus majalis ad ignem ſtillato extillans ſorbeatur, doſis pro infante eſt exiguum choclear plenum, pro adulto duo chocliaria. Interdùm pueri adeò refragarij, & immorigeri ſunt, ut planè nihil per os illis exhiberi poſſit, in ejuſmodi caſu ſequens cum ſalute applicatur: *Recipe herbæ perſicariæ linguam guſtando inſtar piperis urentis unum, vel alterum manipulum, contunde eam in mortario, affunde ſimul vini rubri ſtyptici, in quo ignitus chalybs aliquoties ſit reſtinctus, coque ea in pultem, & in modum cataplaſmatis regioni renum calidè ſuperpone, ibi per tres horas relinque, deindè ablatum in fimum humidum ſepeli, aliamque partem ejuſdem recentis cataplaſmatis ſuperpone, & ut prius procede, & brevi dyſenteria ſanabitur.* Unum admoneamus oportet, quòd dyſentericorum

corum excrementa ſtatim removeantur, nè alios contagio afficiant, ac proindè vel in profluentem abjicienda, vel defodienda, & calce vivâ tegenda, lecti ſtragula ſubindè mutentur.

Animi perturbationes immodicæ ablegentur, vel ſaltim intra convenientiæ fines coërceantur, profectò ab immoderatis ſpiritus impituoſiores redduntur, undè ſanguis, & humores acriores efficiuntur; cavendum propterea ab irâ, quæ totam ſanguinis maſſam acriorem, & efferam reddit. Mens, quantùm fieri poteſt, hilaritate fruatur, quia propter hilaritatem ſpiritus animales per nervos ſedatè feruntur, qui ſanguinis maſſam, alioſque humores blandè, & placidè conſervant. Damnandi itàque ſunt illi medici mali ominis, qui inviſentes ægrotos ſtatim maximum vitæ periculum illis denunciant, ac triſtes, & timidos reddunt, undè malum augetur, & ipſis mortem conciliant: debet medicus ſuos hilarare ægrotos, eoſque certâ ſalutis ſpe ſemper paſcere, nàm hæc ſola virtus (cœteris in Cœlum redeuntibus) in terris relicta fuit, ut gentes falsâ nutriret dulcedine, undè afflictorum medicina vocatur. Terrorem panicum non tantùm diarrhœam, & dyſenteriam, verùm etiam alios morbos curâſſe obſervavimus. Veneris uſus dyſenteriæ confert, ut habetur ex *Hipp. 7. epid.* in fine: Scortatio turpis dyſenteriæ medela eſt. Hujus rei veritatem experientiâ didicit *Amatus Luſitanus cent. 2. curat. 47. Dyſentericus*, inquit, *cum graviter opprimeretur, noctu cum uxore Hymenæum exercuit, & illicò dejectiones ceſſârunt, indèque ſanus evaſit.*

Diarrhœa curatur fermentorum ſeparatione, productarum evacuatione, & delinitione. Delinitio varia eſt juxta laticis depravati naturam; ſi in hoc n. abundaverit acidum ſal, conveniunt, quæ aciditatem deprimunt, ſi amarum, quæ amarum, &c. Si conjunctum habuerit laxativum virus, id expurgandum eſt opiatis, opium namque quoſcumque motus, & corporis evacuationes præter ſudorem compeſcit, hæmorrhagias ſiſtit, paroxyſmos inhibet febriles, vomitus ſedat, &c. in genere tamen omnes humorum motus, ſive ſint effervescentiæ, ſive alij, potenter compeſcit, undè ſemper cum præcipitantibus, & diaphoreticis miſcetur opium, & propter hoc opium theriaca tales meretur laudes contra quoſcumque alvi fluxus inprimis cholericos, ità ut veteres non ſatis illam laudare potuerint, ab opio vim ſuam ſudorificam habet. *Theriaca* in hoc caſu ſive externè applicetur umbilico illita, & regioni ſtomachi, ſivè internè à ʒj. ad ij. aſſumatur, egregiè confert, & quidem quò magis eſt recens, eò potentiùs operabitur, quoniam opij vires minus ſunt infractæ, ut

℞ *Miva cydonior: arom.* ʒiij.
theriac. recent. ʒj.
ol. cinnamom. gutt. iij. m. Vel

℞ *Syr. cydonior.* ℥j.
laudan. opiat. gr. ij.
decocti tormentill. ℥iij. *m.* Vel

℞ *Extracti tormentill.* ʒß.
laudan. opiat. gr. ij.
m. f. pilul. iij. & deaurentur. Vel

℞ *Syr. de ſucc. cydonior.* ℥j.
philon. perſic. ℈iv.
decoct. piloſellæ ℥iij.
m. detur cochleatim.

Non tamen ſubitò ad medicamenta deueniendum eſt, nàm ſæpè productum natura ſuperat, & fermenta reſtituit, ablatis ijs, à quibus vitiantur. Multoties leniens per os exhibitum vel cauſam

ſam laxativam fovet, & auget, vel generat. Utuntur aliqui vomitorijs juxta *aph.15. ſect.6. Longo alui profluvio laboranti ſpontaneus vomitus ſuperveniens morbum ſoluit.* Sed in his, qui vomere poſſunt, ſed vomitorium ſit lene, ut *aq. Æſculapij cochlear j. hippocras emetic. &c.* quia mali cauſa plerùmque in ventriculo ſtabulata commodiſſimè educitur, in quibus à pinguibus abſtinendum. In his verò, in quibus vomitus non convenit, datur aliquod lene per inferiora purgans, ut *extractum Rhabarbari, myrobolanorum, tartari, &c.*

Cùm ſit ab acido, juvat aqua chalybeata, quâ acidum ſaturatur. Quæ ſit humore ab aliâ parte tranſlato, ſi critica eſt, nihil agendum; ſi ſymptomatica, nec ſiſtenda, nec promovenda, ſed non ſemper tamen eſt naturæ relinquenda, ſed cauſæ conſulendum. Virus laxativum, ut diximus, opiatis tollitur. Conveniunt in quadam diarrhœâ *ungulæ equorum non luxuriantium cum butyro frixæ*; ſunt autem pernicioſæ beſtiæ laſcivientis, nàm diarrhœam magis promovent: exiſtimamus juvare ungulas, eò quod virus laxativum combibunt, quod non faciunt laſcivientis beſtiæ ungulæ ſeminalibus ſpiritibus plenæ, quæ fermentationem augent. Rhabarbarum juvat, quia interdùm tollit cauſam, ſed magis propter virtutem anodynam, quam habet. Quapropter ſpoliari vult, ut ſemper juvet, & non noceat, à purganti qualitate, illesâ manente anodyna.

Si diarrhœa populariter graſſetur, alexipharmaca ſudorifica conducunt, quæ in dyſenteriâ epidemicâ, & malignâ inferiùs deſcribemus.

Externè contra diarrhœam commendamus *theriacam umbilico, & ſtomachi regioni illitam, vel empl. de cruſtâ panis malaxatum cum oleo maſtich. vel empl. Ioannis de Prochitâ malaxatum cum oleo macis.* Convenit ſtomacho *cruſta panis toſta vino auſtero adſperſa, & pulvere nucis moſchatæ* ſtomacho applicata, vel eadem ſtomachi regio illiniatur ſalsâ chymicâ.

In dyſenteriâ ſemper inteſtina afficiuntur, & ſtercorificam facultatem non habent, undè dyſentericorum excrementa non fœtent, propter alienata fermenta ſtercoracea, & in inteſtinis excitatur motus propter quem ſtercoracea fermentatio prohibetur.

Cùm dyſenteria ab acido originem trahit, quod utplurimùm accidit, juvat *crocus martis*, ſed adſtrictivus, cujus vis in fixiori ſale, & ſulphure conſiſtit, quod in parte terreſtri latitat, quia datur etiàm crocus martis aperiendi dotatus viribus; adſtringendi enim, & aperiendi vires à diverſis ejus operationibus pendent: ſed majoris energiæ eſt *croci martis eſſentiâ*, cujus doſis gr: x. in *conſervâ radic. ſymphyti. Nihil præſtantius datur terrâ examinatâ vitrioli; pollet nàmque (ut diximus in noſtrâ Pyrotechniâ lib.4. art.1.) vi adſtringente ſtypticâ, & emplaſticâ, & quia omni acido ſale depauperata eſt, facilè omnem combibit aciditatem, cujus præparatio ità ſe habet:*

℞ *Caput mortuum vitrioli, & per varias ſolutiones aqua dulcis libera ab omni ſuo ſale, & exſicca.* Doſis ℈j. ad ʒß. Exhiberi poteſt in ſyr. de ribibus. Ex his, quæ diximus præſtans concinnatur *pulvis dyſentericus*, ut

℞ *Terræ exanimatæ vitrioli ℥iij.*
croc. martis adſtring.
pulu. piloſellæ an. ʒj. m.

Doſis

Doſis ʒj. pro qualibet vice in *ſyr. de ſymphyto.*

Crollius pulverem dyſentericum eximiæ virtutis commendat, ut

℞ *Succini,*
ſaguin. dracon.
lapidis hæmatit.
corallior. rubr.
ſemin. portulacæ,
plantaginis, anthoræ,
radic. tormentillæ,
terræ ſtrigenſis an. ℥ij.
balauſt. ℥j.
nuciſtæ num. IV.
cinnamomi ℥ß.
croc. martis, talci calcinati,
matris perlarum calcinat.
oſſium microſmi calcinat. an. ℥j.

Lapides in porphirite in tenuiſſimum reducantur pollinem, poſteà ex omnibus reliquis tenuiſſimè tritis, & invicem miſtis f. pulvis. Doſis ʒj. ad ij. cum ℥iv. *liquoris ſtillatitij plantaginis.*

Magnæ energiæ eſt *pulvis noſter dyſentericus*, quo familiariter utimur maximâ dyſentericorum incolumitate, ut

℞ *Terræ exanimat. vitriol.* ʒij.
dulced. martis ʒj.
piloſellæ ʒjß.
terræ ſigillatæ ʒj.
cryſtalli montan. præp.
ocul. cancror. fluvial. an. ℈ij.
oſſium humanor calcinat. gr. vj.
ſemin. plantagin. ℈j.
ſucci acaciæ inſpiſſat. ℥ß.
nuc. moſchatæ gr. XV.
m. f. pulvis ſubtiliſſimus.

Doſis ʒj. ad jß. in ſyr. *de plantagine, de ſucco myrtillor. vel de ſymphyto*, cum aquis appropriatis, qui manè, & veſperi propinandus eſt.

Habemus noſtras *pilulas dyſentericas*, quarum vires non ſat eſt celebrare, ut

℞ *Opij Thebaici,*

pone in patina ſupra carbones, & paricu eff.ma, ut digitis teri poſſit ʒß. *diſſolve in ſpiritu vini calido, exprimatur leniter, deindè lento cinerum igne ad extracti conſiſtentiam redigatur, tùm adde*
dulced. martis ℈ij.
terræ exanimatæ vitrioli ʒß.
pulu. nucis moſchatæ,
lacrymæ ſanguinis draconis an. ℈ij.
ſucci acatiæ ℈j.
olei nuc. moſchatæ eſſentialis,
cinnamomi an. gutt. IV. *m.*

& cum ſyr. de cydonijs formetur maſſa pilularis, quæ cautè ſervetur ad uſum. Doſis ℈ß. ad j.

Magnis laudibus *Adrianus à Mynſicht* in ſuo armementario medico-chymico effert *ſpecies diamartis, diaſuccini, & diaplantaginis* in dyſenteriâ, quem videre poteritis.

Cautè procedendum eſt in dyſenteriâ cum adſtringentibus; ſæpè n. tempeſtivè non adhibita majora pepererunt pericula: ex dyſenteriâ repulsâ in principio talis adſtringentibus peſſimi orti ſunt morbi. Quo circa ſumentes priùs medicinis alvum lenientibus, (ſed non ſine cautelâ hoc faciendum) ut *extracto rhabarbari, myrobolanorum, &c.* purgatos eſſe oportet.

Conducunt medicamenta acidum concentrantia, & abſorbentia, ut ſunt *corallia, margarita, oculi cancrorum,* horum ſalia, magiſteria, & tincturæ, ſed præ omnibus *tinctura ſmaragdi* eximium eſt medicamen.

Commendatur *Tragea granorum ſambuci*, ut

℞ *Succ. bacc. ſambuc.*

maturarum, cum ſuff. q. farinæ f. paſta, furno inde, donec ſicceſcat, iterùm pulveriſa, imbibito, & fac paſtam, & in furno

 exſicca-

exſicca, quod aliâ vice repete. Tandem exſiccetur, ut in pulverem redigi poſſit. Doſis ʒj. cum parvâ portione *nucis myriſticæ*, & exhibe in ovo ſorbili ſingulis auroris, & obtinetur longè optimum remedium ad dyſenteriam.

At ſi nobili medicamine, omnique laude digniſſimo pro dyſenteriæ integrâ, & certâ curatione uti velint medentes, eos non illos defraudabimus: eſt illud *leporis ſanguis*, qui ab eo educitur aſſervatur, & exſiccatur, cujus ʒj. exhibetur, poſtquàm in magnum adorſus eſt timorem inter venandum per canum morſus. Idem caro ejuſdem leporis fumo exſiccata efficit. Totum id leporinus ſanguis, & caro efficit, quia vitæ furorem, & iracundiam ſedat, & pacat energia duplicis ideæ pavoris à lepore in ejus toto impreſſa, dum à canibus urgebatur, quia pavidiſſimum eſt animal. Hinc quiſque diſcat omnium morborum curationem potiùs in vitæ ſedatione, quàm in cauſarum occaſionalium eductione conſiſtere.

Summopetè utramque abſolvit paginam *laudanum* tàm cum opio, quam ſine, proficuo nàmque eventu compertum habemus morbos omnes ex Archeali ideâ in noſtrâ vitâ partes ſedativis tantum adminiſtratis medelis curatos fuiſſe, & præ cæteris varios uteri furores aſthmaticos affect⁹, diarrhœas, dyſenterias, colicos, nephriticos dolores, & ſimilia malâ ab ideâ tantum in vitâ conceptâ producta conſopientis Archeum medicamenti beneficio confeſtim profligata fuiſſe ipſe nos docuit eventus. Sine ſedativis, & opiatis itàque nullam dyſenteriam commodè curari poſſe teſtamur, & oleum, & operam cum adſtringentibus perdi; adſtringentia enim in hujus morbi principio priùſquàm acidæ, & acres particulæ humoribus permiſtæ evacuatæ, & benè temperatæ exiſtant, vel fruſtrà tentata fuiſſe, vel ſaltim dyſenterias in alia lethalis morbi ſemina procreâſſe, & multa peperiſſe funera obſervavimus, ut multæ extant hiſtoriæ. Opiata perindè in dyſenteriâ ſunt prodigioſa, & veluti Dei benedictio, dexterè tamen adhibita, & illis cautelis, quas alibi recenſuimus; in dyſentericis verò indolentibus cautæ cum opiatis procedendum eſt, nàm *carere omni ſenſu doloris miſerius eſt, quam dolere*. In doloribus dyſenteriæ pertinaciſſimis, & urgentibus intrepidè opiatis utimur, nec cuipiam dyſenterico, vel aliis ægrotis, quos ſcimus, & noſtræ curationi ſe ſubmiſerunt, hoc medicamento obfuimus. Hæc ſuccos perdomant acidos, & acres, dolores ſedant, vitam ſopiunt, ſomnum inducunt, ſudores movent, omnem tollunt evacuationem, & quod mirari ſubit ab aſſumpto laudano, id eſt laudato medicamento, cruentæ ſedes extemplo eliminantur. Hinc fruſtraneas vulgarium purgationes, phlebotomias, clyſteres, & anti-dyſenterica eſſe didicimus. Opiata ſunt *laudanum opiatum n.d. aq. ſomnifera n.d. laudanum cum, & ſine opio, laudano cydoniatum, nepenthes Quercetani, diſcordium Fracaſtorii, &c.* Quibus præcipitantia & ſudorifera admiſcemus, & ab his curationem exordimur, ac ſequentes formulas in tyronum gratiam deſcribimus, ut

℞. *Laudan. opiat. n. d. gr.* v.
lapid. benzoar gr. viij.
ocul. cancr. ℈ß. *m.*
& cum ſyr. de ſymphyto Fernelii
f. pil. iij. *& poſt cœnam propinentur.*

Vel ℞. *Diaſcord, Fracaſtor.* ʒß.
aq. burſæ paſtor. ℥iij.

ſyr.

ſyr. de ſucco myrtill. ℥jß.
magiſter coralliorum. ℈j.
m.detur cochleatim. Vel

℞. *Nepenthes Quercetani gr.* ij.
aq. fol. quercûs deſtill. ℥iij.
magiſt. perlarum,
ſtibij diaphor. an. ℈j.
ſyr. de ſucco cydonior. ℥j. *m.*
& cochleatim ſumatur poſt
prandium, & cænam. Vel

℞. *Laudan. liquidi cydoniat. gr.* xv.
terræ ſigillatæ,
elaoſacchari citri an. ℈ß.
conſerv. roſ. antiq. ʒijß.
m. f. bolus. Vel

℞. *Syr. de ſucco plantag.* ℥j.
aq. ſuberatæ ℥iv.
philonij perſic. ℈iv.
aq. cinnamon. ʒiß.
c. c. præparat. ℈j:
ſpec. diarrhod. Abb. ʒß.
m.pro cochleare. Vel

℞. *Laudan ſine opio gr.* vij.
diacydon. aromat. ʒjß.
m.f.bolus, & poſt cænulam præbeatur. Vel

℞. *Syr. coralliorum.* ℥j.
decoct. priapi cervi lib. ß.
aq. cinnamomi ℥j.
laudan. liquid. gr. xx.
gelatinæ c. c. ℥j.
m. pro julepo.

Clyſteres in dyſenteriâ proſcribimus, quia ſæpius, imò ſemper peſſimi ominis ſunt, & eorum abuſus malum potiùs exaſperant, quàm leniunt, nec ad malè affecta inteſtina pertingunt, & ſicut eorum uſus in alvi ſtypticitate laudem apud vulgares itá in dyſenteriâ, & aliis alvi dejectionibus vituperium meretur, quia clyſteres inteſtina, tanquàm aliquid peregrinum irritant, quæ irritatio peſſimos parit affectus, & inteſtina irritata mox clyſteres rejiciunt, & ità ſuis contracturis, & convulſionibus ſpaſmodicis ſolummodò exacerbant. Aliqui, ſi dolores valdè urgent, ad hos ſedandos, & dyſenteriam ſanandam, clyſteribus opiata admiſcent.

℞. *Capita papav. cum ſemin. num.* vj.
ſemin. hyoſcyami ʒij.
hordei toſti,
oryzæ an. ℥ij.
coque in aq. plantag.
cujus lib. ij.
adde pilul. de cynogloſſ. ʒß.
vitellor. ovor. num. ij.
tragacanthi
gumm. Arabici an. ʒj.
terræ lemniæ ℥ß.
ol. roſ. ℥ij.
m. pro duobus clyſteribus.

Vel clyſteribus *laudani opiati gr.* ij. induunt. Cæterùm timendi, & proſcribendi ſunt clyſteres opiati ob infelices ſucceſſus, quos neceſſariò pariunt. Nec clyſteribus olea conveniunt, quia multum acidi in ſinu gerunt, nec ſalia irritamenta, quibus inteſtina ad excretionem ſtimulant. Si medici clyſteriſtæ uti velint clyſteribus, ſaltim opiata vitent, & ſequentem anodynum injiciant, ut

℞. *Decoct. chamomill.*
meliloti,
fænugræci,
roſar. lib. jß.
diſſolve ſevi hircini ℥j.
ovi vitellor. num j.
ne cohæreſcat, & injice.

Externè utiliter ſequens *emplaſtrum* ventris regioni commendatur, ut

℞. *Theriacæ,*
terræ ſigillatæ ana
f. empl. calidè applicandum.

Præſtat hoc *fomentum*, ut

℞. Abſynthij,
menthæ,
roſarum an. m.j.
calami aromatici,
galangæ,
zedoariæ an. ʒij.
radic. ariſtolochiæ rotund. num. vj.
incide, miſce, & coque cum ana
aceti, & vini.

Hoc acetum cum ſpongiâ magnâ exceptum, aut pane toſto imbibitum ſupra ventriculi regionem impoſitum mirificè juvat. Vel fiat ex herbis ſequentibus decoctio, quâ venter, & renum regio fomententur.

℞. Plantaginis,
centinodij an. m. m. IV.
fol. ſymphyti,
exquiſeti an. m. ij.
gallorum nuc. cupreſſi,
glandium quercuum an. ℥ij.
fol. roſarum,
verbaſci an. m. jß.

Decoque in aquâ pluviali, & vino adſtringente, addito ſub decoctionis finem pauco aceto. Omentum vervicis in oleo hypericonis calidum ventris regioni medicorum vulgus applicant.

Medicamentorum anti-dyſentericorum tàm internorum, quàm externorum numerus, quia ferè incomprehenſibilis eſt, nolumus ea omnia apponere præter ea, quæ experientia confirmavit, & noſtra praxis hujuſmodi ægrotis exhibuit, undè his paucis feliciter expertis contenti erimus.

Hæc medicamenta pro dyſenteriâ benignâ, & communi retulimus, & parùm in epidemicâ, & malignâ proficiunt, in quâ ſolutiva nullatenus conducunt; non enim medicamentum, quod malignitatem per inferiora exturbat, habemus, ac perindè diaphoreticis, & alexipharmacis hanc dyſenteriam expugnemus oportet, & eorum quæ abſorbent, combibunt, & acidum temperant, admiſtione utendum eſt; inter alexipharmaca, & diaphoretica ea, quæ in febre mal gnâ recenſuimus, excellunt, & hæc, quæ dyſenteriæ epidemicæ appropriata, & ſpecifica ſunt, ità eſt *theriaca, ſpiritus theriacalis, aq. theriacal. Petri Salij, extractum theriacæ, bezoartica omnia, lapis bezoar, ſtibium diaphoreticum, gelatina c.c. tormentilla, bezoarticum animale, hepata viperarum &c.* Semper n. dyſenteria epidemica pro Achate febrem habet malignam, quæ his expugnatur. Hæc alexipharmaca anti-acidis, ut *terrâ ſigillatâ, magiſterio lapidum cancror. priapo ceti, &c.* maritanda ſunt, ac opiata, ut *laudanum cydoniatum, laudanum cum, & ſine opio, &c.* quæ recenſuimus, & præter hæc maximoperè excellit *diaſcordium Fracaſtorij* in malignitate, & dyſenteriâ profligandâ, intermiſceamus neceſſe eſt. His nàmq; intermiſtis alexipharmacis, præcipitantibus, & opiatis malignitatis vires franguntur, ſanguis ſuo nitori reſtituitur, humorum acrimoniâ abſorbetur, & corrigitur, miaſmata maligna diſcutiuntur, & peregrinum fermentum tàm per ſenſilem, quàm inſenſilem tranſporationem abigitur, febris ipſa, & contagium radicitùs tollitur, & penitùs extirpatur.

CAP. XV.

De Teneſmo.

DYſenteria tàm tenuium, quàm craſſorum inteſtinorum eſt morbus, verùm ſi hæc affectio inteſtinum rectum tantùm oppugnet, vocatur τεινεσμὸς, quæ eſt quædam dyſenteriæ ſpecies,

cies, loco affecto diſtetens, excitans in inteſtino recto magnum pondus, vehementem tenſionem, & aſſiduam ac implacabilem per ſeceſſum excernendi cupiditatem, ſed inanem, & dolorificam, ac ſæpiùs ad dejiciendum laceſſit, nihil verò omninò, vel perexiguus mucus cruentus excernitur. In teneſmo itàque ſunt multæ conſiderationes, & primò maxima adeſt cupiditas fæces excernendi, ità ut æger nihil magis optet, quàm fæces excernere, quia ità credit à tàm anxioſo morbo liberari, non ſecus ac qui ventriculi ad orificium uſq; copioſis humoribus plenum habent, maximo vomendi deſiderio tenentur. Secundò hujuſmodi deſiderium eſt fruſtratorium, quia vel prorſus nihil excernitur, vel cruenta mucoſitas: oritur autem inanis hæc cupiditas, quia inteſtinum rectum intumeſcit, propter cujus tumoris gravitatem credit languens ibi habere magnam excrementorum colluviem, undè frequenter, ad illorum expulſionem inſurgit. Tertiò graviſſimus adeſt dolor tùm propter acres, & acidos humores vellicantes, cùm propter ſpaſmodicos motus ab his ſuccis inductos.

Signa.

Teneſmi ſigna ex ſuprà dictis facilè eluceſcunt, nàm patiens aſſiduâ excernendi cupiditate torquetur, quemadmodùm ſtrangurioſus ſæpè mingendi deſiderio, & neceſſitate tenentur, ità teneſmicus ventris excrementa deponendi, nihil tamen, vel ſaltim exigua mucoſa, cruenta, variegata, nempè flava, viridia, & albicantia excernit, & eadem ferè ſymptomata patitur, quæ in dyſenteriâ vexare ſolent, acerbos nempè dolores, vigilias, & ſpecialiter ſtranguriam, quæ teneſmum ſemper comitatur ob veſicæ conſenſum recto inteſtino adjacentis, quæ eo inflammato ab inflammatione intumeſcente comprimitur, atq; etiam à calore vicino ſimul afficitur, vel uri-nâ repleta etiam inteſtinum premit, & dolorem infert, undè deſidendi cupiditas augetur: cùm ergò alternatim una pars alteram moleſtiâ afficiat, hinc teneſmus, urinæ ſtillicidium, & hoc viciſſim majorem excernendi cupiditatem excitat, & cum eâ aliquandò inteſtini recti procidentia producitur, eò quòd muſculi, quorum munus eſt ſurſùm retrahere, còntinuo dolore, & attrahendi conamine nimiùm defatigantur, & demùm quarundam fibrarum reſolutionem ſuſcipiunt, & attractionem demittunt, tùm quoque humiditatis delapſu inteſtini fit prolapſus. Diſcernitur teneſmus à dyſenteriâ, quòd in teneſmo egerendi cupiditas ſit aſſidua, in dyſenteriâ verò interpolata, & non tàm vehemens nixus, ut in teneſmo.

Cauſa.

Cauſa hujus morbi proxima eſt aſſidua inteſtini recti irritatio, quod ſtimulatum ſe contrahit, & ità ægeſtionem urget; propria hujus inteſtini actio eſt excretio, & præcipuè in ejus extremitate vis illa viget. Occaſionales cauſæ ſunt ſucci acidi, acres, & corroſivi in rectum inteſtinum confluentes, qui ſi ibi hæreant, ſubitò tumorem excitant proprium nutrimentum in mucum degenerant, abradunt, orificia venarum & arteriarum aperiunt, & ſanguinem ex illis in pauca quantitate eruunt, & ſtatim excretionem urgent. Hæc inteſtini recti irritatio, ſeu ſtimulus eſt vel per conſenſum, vel per eſſentiam. Per conſenſum obſervatur aliquandò in nephritide, quia tunc temporis contingit teneſmus propter nervos ad renes,

& inteſtinum rectum ex ramulis plexûs meſenterici derivatos. Similiter veſicæ calculus,præcipuè in veſicæ collo hærens non rarò teneſmum inducit pondere,& irritatione inteſtinum rectũ irritans. Item mulieres partui proximæ teneſmum patiuntur propter uterum inteſtino recto incumbentem. Teneſmus per eſſentiam fit à ſucco acido, acri, & erodente inteſtinum rectum irritante, ſic anus inflammatione,vel abſceſſu,vel rhagadibus correptus, quandòque teneſmum infert. Aſcharides inteſtinum rectum vellicantes, mordentes, & erodentes ut plurimum teneſmum excitant, Item purgationes violentæ teneſmum inducunt propter ſcorias acidas, acres, & erodentes inteſtino recto non nihil adhærentes. Tandèm dyſenteria teneſmum infert, & hæc vel præcedit; vel ſuccedit, quia humores acidi, & acres, qui excernuntur inteſtino recto adhærent, vel ibi exaltationem nanciſcuntur, nonnunquàm diarrhœa ob eandem cauſam ſuccedit. Externæ cauſæ ſunt aër frigidus excrementorum ventilationem inhibens, vel calidus humores fundens,& acres reddens,potus acrium, & potentium vinorum,cibaria acria,& omnia, quæ in diarrhœâ, & dyſenteriâ recenſuimus. Teneſmum inducere ſolent inſeſſiones ſupra lapides frigidos,& præſertim tempore hyemali,ut dicitur

Menſibus erratis ſuper lapidem nè ſedeatis.

prohibendo ſcilicèt excrementorum, & fuliginum evaporationem.

Prognoſis.

Teneſmus neque inter morbos acutos,neq; chronicos recenſendus eſt,nec periculoſus habetur, cùm non difficulter ſanetur, nec perſe mortem inferat, attamen non contemnendus eſt, quia propter non levia ſymptomata,quæ ſæpè ſecum trahit, non ſatis periculoſus eſt,ſi aliis morbis complicetur,ut cum febre, vel dyſenteriâ, periculo, & difficultate non vacat; moleſtis n. vigiliis torquet,& quandòq; in tabem conjicit. Itèm ut ſcribit *Hip. 7. aph.27. Si prægnanti teneſmus ſupervenerit, abortûs cauſa eſt.* Siquidèm aſſiduo,& moleſto excernendi nixu totum corpus,tùm maximè uterus laborat, utpotè recto inteſtino cognatus,& affinis,non mirum, ſi frequentiùs exurgendo, & deſidendo utplurimùm fiat abortus, cum non ſemper ſuccedat. In pùeris, & delicatulis ani procidentiam parit. Teneſmus ſtranguriam ſecum vehit, ut 5. *aph.58. Rectum inteſtinum inflammatum facit ſtranguriam.* Ab acribus humoribus ortum ducens, & malè curatus in dyſenteriam tranſit, à ventoſitate in ileum, vel colicam, vel in cephalalgiam graviſſimam. Si negligatur in ulcus ſordidum degenerat, quod ulteriùs in ani fiſtulam abit, vel quaſi cancer exulceratus fit. Si ſingultus diutiùs coincidat, ægro mortem portendit.

Veterum Curatio.

Pro cauſarum diverſitate vulgares diverſam teneſmi curationem inſtituunt in plethoricis, & inflammationem habentibus venam ſecant, quaſi ſanguis in ano teneſmum cuderet, & clyſterem refrigerantem hoc modo confectum infundunt.

℞. *Hordei integri m.j.*
fol.plantaginis,
ſymphyti major.an.m.ß.
roſ.ſiccar.m.j.
aq.comm.lib.jß.
coquatur ad ℥xv.
℞. *colaturæ expreſſ. lib.j.*
ol. roſ.℥iij. f. clyſter.

Si inflammatio valdè urgeat, ſic fiat:
℞. *Decoct. hordei* ℥viij.
ſucci nymphææ,
plantaginis an ℥iß.
mucilag pſyllii aq. roſ. extract. ℥ij.
ol. roſ. ℥iß.
m. f. clyſter.

Cæterum clyſter refrigerans nullatenùs convenit, nàm inteſtinum rectum refrigerare eſt malum augere, & inteſtini recti inflammationem non tollere, nec tumorem reſolvere, ſed partem frigidam vel lividam, ac compactam reddere. Præterea frigus eſt inteſtinis inimicum, & propter frigidas inſeſſiones teneſmus producitur. Nec olea clyſteribus pro curando teneſmo conveniunt, quia malum pejorare poſſunt; cum acidum in ſinu gerant.

Si à vitioſis humoribus ortum ducat teneſmus, purgant: Verum nunquàm per partem affectam purgandum, ne humorum colluvie pars magis irritetur in talium humorum tranſitu, quia affectus iſte à purgantibus inducitur violentis, ut multoties experitur.

Poſt univerſales evacuationes parti affectæ ſuccurrunt clyſteribus, quibus humores irritantes abſtergunt, vel partem adſtringunt, & roborant, dolorem leniunt, ulcus glutinant, & ſanant pro variis ulceris temporibus, ac perindè totam curationis ſpem in varias clyſterum formulas, ut in varia ingredientia reponunt, ut
℞. *Hordei mundi m. iij.*
coque in aq. comm. q. ſ. ad lib. j.
ſacchari rubri ℥jß.
vitellor. ovorum num. ij.
f. clyſter.
Qui ſæpius injiciatur ad humores irritantes abſtergendos; Vel
℞. *Hordei excortic.*
plantaginis,
polygoni,
burſæ paſtoris an. m. j.
coquantur ad lib. j.
colaturæ adde
boli armeni,
ſanguinis draconis,
thuris,
maſtiches an. ʒj.
ſucci plantag. ℥j.
gumm. Arabici,
tragacanthi an. ℈. iv.
ovorum vitellor. num. ij.
f. clyſter,
& diutius retineatur, mirabiliter námque partem adſtringit, & roborat.
Vel ℞. *Decoct. hordei lib. j.*
mucilagin. pſyllii cum aquâ roſaceâ extract. ℥ij.
adipis caprini ℥jß.
mellis roſacei ℥j.
philonii Perſici ℈j.
ol. roſacei ℥ij.
f. clyſter,
qui reiteratus dolores lenit. Ad ulcus glutinandum, & ſanandum ſequens enema mirabiliter operatur, ut
℞. *Radic. conſolidæ* ℥ij.
fol. plantaginis,
ſaniculæ,
hyperici,
roſ. rubrar. an. m. ß.
coque in aq. ſimplici.
℞. *colatur lib. ß.*
boli Armeni,
thuris,
myrrhæ,
ſanguinis draconis an ʒß *m.*
& reitetur. Vel clyſteri addi poſſunt pulveres ceruſſæ, tutiæ, & boli Armeni ſubtiliſſimè levigati.

Concinnant fotus, ſuffitus, inſeſſiones, ſuppoſitoria, ſacculos, ſuffumigia, & inunctiones

inunctiones, ſed hæc recenſere non tàm prolixum, quàm nauſeoſum erit, cum ſint prodicis remedia, quæ meritò galenicis relinquimus.

Interim vicinas partes circa os ſacrum, pectem, & interfœmineum vel fovent decocto *verbaſci, flor. chamomali, meliloti, ſemin fœnugraci, lini, & anethi, vel has partes inungunt ol. roſcaceo, lumbricorum, vel comm. in quo incocta fuerint radices angelicæ.*

Noſtra Curatio.

Curamus teneſmum inteſtini recti irritationem ſedando, & acidos, acreſque ſuccos dulces reddendo; primi generis ſunt opiata, ut *diaſcordium Fracaſtorii, laudanum cydoniatum, laudanum opiatum, &c.* Secundi generis ſunt alkalia, ut *magiſterium lapidum cancror. corallior. perlar. terra ſigillata, priapus cervi, vel ceti, magiſterium ſuberis,* & cætera medicamenta, quæ in dyſenteriâ deſcripſimus eodem modo, & formâ propinata.

Præterea conveniunt clyſmata, ſunt enim quaſi via compendiaria, quæ parti affectæ quaſi manu applicantur, & notandum, quod ſæpè & in paucâ quantitate, ſcilicet ad lib. ß. injiciantur, quia difficile ob aſſiduum conatum retinentur, deindè ut in canalis podicem blandiſſimè, & rectâ inſerantur, nè locum irritent, vel lædant dolorem augeant, malum pejorant, vel in aliud pejus transmutent. Clyſteres optimi fiunt *ex jure carnis vervecinæ cum aliquot guttulis ol. ceræ, vel balſani Peruviani,* vel ex lacte in quo ebullierit radix ſymphyti majoris. Suppoſitoria ex *ſevo hircino cum pilulis de cynogloſſâ, vel opio* in gravi teneſmi dolore commendantur. Appropriatum remedium in teneſmo eſt *thapſi barbati decoctum in lacte* cum linteis fomenti inſtar ano admotum, & quemcumque teneſmum etiam dyſentericum curat. Vel proſunt ſacculi ex *verbaſco, foliis quercûs, & anſerinâ in lacte decocti,* & poſterioribus applicati. Conducunt quoque ſuffitus ex *thure, myrrhâ, galbano, nuce moſchatâ, & ſimilibus.*

CAP. XVI.

De Fluxu Hepatico.

FLuxum hunc falſò hepaticum nuncupârunt veteres, pro ut illum deſcripſêre, in eo decepti, quod hepar eſſe ſanguinis officinam putârunt; ideòque ob ejus imbecillitatem, & atoniam, bonum, laudabilemque ſanguinem non generare: ſed chyloſam materiam in ſanguinem tenuem, & ſeroſum convertere, qui cum alendis partibus idoneus non ſit, ob imbecillitatem retentricis facultatis hepatis à naturâ per venas meſeraicas inteſtinis tranſmittitur, & per alvum excernitur. Sed falſa eſt vulgatium opinio nàm ex prolixâ noſtrâ conſideratione, & autopſiâ invenimus hepar non eſſe ſanguificationis laboratorium, ut tota credidit antiquitas; neque ſanguinis venoſi officinam, ut Helmontius opinatus fuit; neque inutile corporis pondus ad dextri hypochondrii vacuum implendum, ut aliqui perperàm dijudicavêre: ſed ſolummodò eſſe colum, per quod ſanguinis fit percolatio.

Signa.

Fluxus hîc facillè cognoſcitur ex liquore, qui per alvum excernitur, nàm eſt merus ſanguis dilutus, & velut aqua ſanguine tincta, itâ ut loturæ recenter mactatarum carnium aſſimiletur, vel

modico

modico ſanguini, cui ſiquis miſcuerit multas aquas; ſine mordicatione, non autem ſine dolore cum palpebrarum inflatione, pedum tumefactione, & excrementorum crudorum excretione.

Veterum Cauſa.

Tota barbarorum grex hepaticum fluxum ab hepatis imbecillitate ortum ducente ab intemperie calidâ, vel frigidâ procedere credidit, quia opinati fuêre hepar ſanguificare, quod falſum exactiſſimâ anatomiâ deprehenditur. Præterea videmus utplurimùm graves hepatis intemperies, & primarum qualitatum exceſſus alios producere morbos, & non hunc fluxum, & quandóq; hunc fluxum ſine inſigni primarum qualitatum exceſſu produci. Nonnulli vulgarium intemperierum inſufficientiam aſpicientes hunc fluxum producere non poſſe, ad humanæ ignorantiæ aſylum confugiunt, ad occultiorem ſcilicèt intemperiem, quæ humidi radicalis exolutionem in hepate inducit, ad quam innati caloris ipſius maximus ſequitur defectus; ſed gratis hæc occulta intemperies aſſeritur, & hujus fluxûs cauſa eluditur.

Fluxus hepaticus ab Hermeticis refertur ad ſalis hepatis diſſolutionem, ob quam hepar non rectè ſanguificat, & ſanguinem efficit aqueum, hydropis prænuncium quod à ſale hepatis magis diſſoluto generatur.

Noſtra Cauſa.

Cauſa hujus fluxûs inſtar carnium loturæ eſt copioſum ſerum depravatum maſſam ſanguineam fluxilem reddens, & ſanguini commiſtum in venis meſeraicis, quod à meſenterio per venam portam in hepar miſſum non percolatur, ſed ad eaſdem relabitur, & quia fluxilis, & in inteſtinis venarum orificia dilatat, copiosè tranſudat, ſanguinis guttis tinctum, hunc fluxum ſeroſum, & cruentum efficit.

Aliqui recentiores rati ſunt talem fluxum hepaticum dictum provenire ſuperiorum venarum hæmorrhoidalium apertione, per quas ſanguis aquoſus, & nimiùm fluxilis evacuatur, & ſubindè per anum defluit, & effluit, & hoc oritur, quia nimia ſanguinis aquoſitas, & ſeroſitas ſupprimitur, nec per ſua emunctoria excernitur, ſcilicèt per inſenſilem, ſenſilemque evacuationem.

Prognoſis.

Affectus hic in regionibus frigidis rarò periculoſus eſſe conſuevit, incalidis verò ſemper periculoſus eſt; utplurimùm n ad cachexiam, hydropem inſanabilem, tabem, & tandèm ad mortem diſponit. In juvenibus incipiens difficulter curatur, & in ſenibus nunquàm. Hunc morbum ſemel nos in quadam anu obſervavimus, quæ poſt multa incaſsùm remedia abiit: Si morbos inſequatur acutos, ſolet eſſe lethalis, præſertim ſi ſuperveniat ſingultus.

Veterum Curatio.

Hujus affectûs curationem perficiunt noſtri barbari remediis hepar roborantibus, ejus intemperiem corrigentibus, & fluxum cohibentibus. Purgantibus nullum dant locum, ſi verò immodicus videatur fluxus, vel impuritates excretioni permiſtæ, ad ſui cohibitionem tantùm *rhabarbarum* in parvâ quantitate exhibent, quia rhabarbarum inquiunt eſſe hepatis animam, illudque roborando laxare.

Iecur cujuslibet animalis à proprietate affectibus hepaticis commendant ob ſimilitudinem eodemque modo in lienis morbis lienem, renum, renes.

ſum laxativam fovet, & auget, vel generat. Utuntur aliqui vomitorijs juxta *aph.15. ſect.6. Longo alui profluvio laboranti ſpontaneus vomitus ſuperveniens morbum ſoluit.* Sed in his, qui vomere poſſunt, ſed vomitorium ſit lene, ut *aq. Æſculapij cochlear j. hippocras emetic. &c.* quia mali cauſa pleiùmque in ventriculo ſtabulata commodiſſimè educitur, in quibus à pinguibus abſtinendum. In his verò, in quibus vomitus non convenit, datur aliquod lene per inferiora purgans, ut *extractum Rhabarbari, myrobolanorum, tartari, &c.*

Cùm fit ab acido, juvat aqua chalybeata, quâ acidum ſaturatur. Quæ ſit humore ab aliâ parte tranſlato, ſi critica eſt, nihil agendum; ſi ſymptomatica, nec ſiſtenda, nec promovenda, ſed non ſemper tamen eſt naturæ relinquenda, ſed cauſæ conſulendum. Virus laxativum, ut diximus, opiatis tollitur. Conveniunt in quadam diarrhœâ *ungulæ equorum non luxuriantium cum butyro frixæ;* ſunt autem perniciosæ beſtiæ laſcivientis, nàm diarrhœam magis promovent: exiſtimamus juvare ungulas, eò quod virus laxativum combibunt, quod non faciunt laſcivientis beſtiæ ungulæ ſeminalibus ſpiritibus plenæ, quæ fermentationem augent. Rhabarbarum juvat, quia interdùm tollit cauſam, ſed magis propter virtutem anodynam, quam habet. Quapropter ſpoliari vult, ut ſemper juvet, & non noceat, à purganti qualitate, illesâ manente anodyna.

Si diarrhœa populariter graſſetur, alexipharmaca ſudorifica conducunt, quæ in dyſenteriâ epidemicâ, & malignâ inferiùs deſcribemus.

Externè contra diarrhœam commendamus *theriacam umbilico, & ſtomachi regioni illitam, vel empl. de cruſtâ panis malaxatum cum oleo maſtich. vel empl. Ioannis de Prochitâ malaxatum cum oleo macis.* Convenit ſtomacho *cruſta panis toſta vino auſtero adſperſa, & pulvere nucis moſchatæ* ſtomacho applicata, vel eadem ſtomachi regio illiniatur ſalsâ chymicâ

In dyſenteriâ ſemper inteſtina afficiuntur, & ſtercorificam facultatem non habent, undè dyſentericorum excrementa non fœtent, propter alienata fermenta ſtercoracea, & in inteſtinis excitatur motus propter quem ſtercoracea fermentatio prohibetur.

Cùm dyſenteria ab acido originem trahit, quod utplurimùm accidit, juvat *crocus martis*, ſed adſtrictivus, cujus vis in fixiori ſale, & ſulphure conſiſtit, quod in parte terreſtri latitat, quia datur etiam crocus martis aperiendi dotatus viribus; adſtringendi enim, & aperiendi vires à diverſis ejus operationibus pendent: ſed majoris energiæ eſt *croci martis eſſentiâ*, cujus doſis gr: x. in *conſervâ radic. ſymphyti. Nihil præſtantius datur terrâ examinatâ vitrioli; pollet nàmque (ut diximus in noſtrâ Pyrotechniâ lib.4. art.1.) vi adſtringente ſtypticâ, & emplaſticâ, & quia omni acido ſale depauperata eſt, facilè omnem combibit aciditatem, cujus præparatio ità ſe habet:*

℞ Caput mortuum vitrioli, & per varias

ſolutiones aqua dulcis libera ab omni ſuo ſale, & exſicca. Doſis ℈j. ad ʒß. Exhiberi poteſt in ſyr. de ribibus. Ex his, quæ diximus præſtans concinnatur *pulvis dyſentericus*, ut

℞ Terræ exanimatæ vitrioli ℥iij.
croc. martis adſtring.
pulv. piloſellæ ana. ʒj. m.

Doſis

Doſis ʒj. pro qualibet vice in *ſyr. de ſymphyto.*

Crollius pulverem dyſentericum eximiæ virtutis commendat, ut

℞ *Succini,*
ſaguin. dracon.
lapidis hæmatit.
corallior. rubr.
ſemin. portulacæ,
plantaginis, anthoræ,
radic. tormentillæ,
terræ ſtrigenſis an. ℥ij.
balauſt. ℥j.
nuciſtæ num. IV.
cinnamomi ℥ß.
croc. martis, talci calcinati,
matris perlarum calcinat.
oſſium microcoſmi calcinat. an. ℥j.

Lapides in porphirite in tenuiſſimum redueantur pollinem, poſteà ex omnibus reliquis tenuiſſimè tritis, & invicem miſtis f. pulvis. Doſis ʒj. ad ij. cum ℥IV. *liquoris ſtillatitij plantaginis.*

Magnæ energiæ eſt *pulvis noſter dyſentericus*, quo familiariter utimur maximâ dyſentericorum incolumitate, ut

℞ *Terræ exanimat. vitriol.* ʒij.
dulced. martis ʒj.
piloſellæ ʒjß.
terræ ſigillatæ ʒj.
cryſtalli montan. præp.
ocul. cancror. fluvial. an. ℈ij.
oſſium humanor calcinat. gr. VJ.
ſemin. plantagin. ℈j.
ſucci acaciæ inſpiſſat. ℥ß.
nuc. moſchatæ gr. XV.
m. f. pulvis ſubtiliſſimus.

Doſis ʒj. ad jß. in ſyr. *de plantagine, de ſucco myrtillor. vel de ſymphyto*, cum aquis appropriatis, qui manè, & veſperi propinaudus eſt.

Habemus noſtras *pilulas dyſentericas*, quarum vires non ſat eſt celebrare, ut

℞ *Opij Thebaici,*

pone in patina ſupra carbones, & paricm eff.ma, ut digitis teri poſſit ʒß. *diſſolve in ſpiritu vini calido, exprimatur leniter, deindè lento cinerum igne ad extracti conſiſtentiam redigatur, tum adde*
dulced. martis ℈ij.
terræ exanimatæ vitrioli ʒß.
pulu. nucis moſchatæ,
lacrymæ ſanguinis draconis an. ℈ij.
ſucci acatiæ ℈j.
olei nuc. moſchatæ eſſentialis,
cinnamomi an. gutt. IV. *m.*

& cum ſyr. de cydonijs formetur maſſa pilularis, quæ cautè ſervetur ad uſum. Doſis ℈ß. ad j.

Magnis laudibus *Adrianus à Mynſicht* in ſuo armementario medico-chymico effert *ſpecies diamartis, diaſuccini, & diaplantaginis* in dyſenteriâ, quem videre poteritis.

Cautè procedendum eſt in dyſenteriâ cum adſtringentibus; ſæpè n. tempeſtivè non adhibita majora pepererunt pericula: ex dyſenteriâ repulsâ in principio talis adſtringentibus peſſimi orti ſunt morbi. Quo circa ſumentes priùs medicinis alvum lenientibus, (ſed non ſine cautelâ hoc faciendum) ut *extracto rhabarbari, myrobolanorum, &c.* purgatos eſſe oportet.

Conducunt medicamenta acidum concentrantia, & abſorbentia, ut ſunt *corallia, margaritæ, oculi cancrorum*, horum ſalia, magiſteria, & tincturæ, ſed præ omnibus *tinctura ſmaragdi* eximium eſt medicamen.

Commendatur *Tragea granorum ſambuci*, ut

℞ *Succ. bacc. ſambuc.*

maturarum, cum ſuff. q. farinæ f. paſta, furno inde, donec ſiccecſcat, iterùm pulveriſa, imbibito, & fac paſtam, & in furno

exſicca, quod aliâ vice repete. Tandem exſiccetur, ut in pulverem redigi poſſit. Doſis ℈j. cum parvâ portione *nucis myriſticæ*, & exhibe in ovo ſorbili ſingulis auroris, & obtinetur longè optimum remedium ad dyſenteriam.

At ſi nobili medicamine, omnique laude digniſſimo pro dyſenteriæ integrâ, & certâ curatione uti velint medentes, eos non illos defraudabimus: eſt illud *leporis ſanguis*, qui ab eo educitur aſſervatur, & exſiccatur, cujus ℈j. exhibetur, poſtquàm in magnum adorſus eſt timorem inter venandum per canum morſus. Idem caro ejuſdem leporis fumo exſiccata efficit. Totum id leporinus ſanguis, & caro efficit, quia vitæ furorem, & iracundiam ſedat, & pacat energia duplicis ideæ pavoris à lepore in ejus toto impreſſa, dum à canibus urgebatur, quia paviduſſimum eſt animal. Hinc quiſque diſcat omnium morborum curationem potiùs in vitæ ſedatione, quàm in cauſarum occaſionalium eductione conſiſtere.

Summoperè utramque abſolvit paginam *laudanum* tàm cum opio, quam ſine, proficuo nàmque eventu compertum habemus morbos omnes ex Archeali ideâ in noſtrâ vitâ partes ſedativis tantum adminiſtratis medelis curatos fuiſſe, & præ cæteris varios uteri furores aſthmaticos affect⁹, diarrhœas, dyſenterias, colicos, nephriticos dolores, & ſimilia malâ ab ideâ tantum in vitâ conceptâ producta conſopientis Archeum medicamenti beneficio confeſtim profligata fuiſſe ipſe nos docuit eventus. Sine ſedativis, & opiatis itàque nullam dyſenteriam commodè curari poſſe teſtamur, & oleum, & operam cum adſtringentibus perdi; adſtringentia enim in hujus morbi principio priuſquàm acidæ, & acres particulæ humoribus permiſtæ evacuatæ, & benè temperatæ exiſtant, vel fruſtrà tentata fuiſſe, vel ſaltim dyſenterias in alia lethalis morbi ſemina procreâſſe, & multa peperiſſe funera obſervavimus, ut multæ extant hiſtoriæ. Opiata proindè in dyſenteriâ ſunt prodigioſa, & veluti Dei benedictio, dexterè tamen adhibita, & illis cautelis, quas alibi recenſuimus; in dyſentericis verò indolentibus cautæ cum opiatis procedendum eſt, nàm *carere omni ſenſu doloris miſerius eſt, quam dolere.* In doloribus dyſenteriæ pertinaciſſimis, & urgentibus intrepidè opiatis utimur, nec cuipiam dyſenterico, vel aliis ægrotis, quos ſcimus, & noſtræ curationi ſe ſubmiſerunt, hoc medicamento obfuimus. Hæc ſuccos perdomant acidos, & acres, dolores ſedant, vitam ſopiunt, ſomnum inducunt, ſudores movent, omnem tollunt evacuationem, & quod mirari ſubit ab aſſumpto laudano, id eſt laudato medicamento, cruentæ ſedes extemplo eliminantur. Hinc fruſtraneas vulgarium purgationes, phlebotomias, clyſteres, & anti-dyſenterica eſſe didicimus. Opiata ſunt *laudanum opiatum m.d. aq. ſomnifera n.d. laudanum cum, & ſine opio, laudano cydoniatum, nepenthes Quercetani, diſcordium Fracaſtorii, &c.* Quibus præcipitantia & ſudorifera admiſcemus, & ab his curationem exordimur, ac ſequentes formulas in tyronum gratiam deſcribimus, ut

℞. *Laudan. opiat. n. d. gr.* v.
lapid. benzoar gr. viij.
ocul. cancr. ℈ß. *m.*
& cum ſyr. de ſymphyto Fernelii f. pil. iij. & poſt cænam propinentur.

Vel ℞. *Diaſcord. Fracaſtor.* ʒß.
aq. burſæ paſtor. ℥iij.

ſyr.

ſyr. de ſucco myrtill. ℥jß.
magiſter corallior. ℈j.
m. detur cochleatim. Vel

℞. *Nepenthes Quercetani gr. ij.*
aq. fol. quercûs deſtill. ℥iij.
magiſt. perlarum,
ſtibij diaphor. an. ℈j.
ſyr. de ſucco cydonior. ℥j. *m.*
& cochleatim ſumatur poſt prandium, & cænam. Vel

℞. *Laudan. liquidi cydoniat. gr. xv.*
terræ ſigillatæ,
elaoſacchari citri an. ℈ß.
conſerv. roſ. antiq. ʒijß.
m. f. bolus. Vel

℞. *Syr. de ſucco plantag.* ℥j.
aq. ſuberatæ ℥iv.
philonij perſic. ℈iv.
aq. cinnamon. ʒyß.
c. c. præparat. ℈j:
ſpec. diarrhod. Abb. ʒß.
m. pro cochleare. Vel

℞. *Laudan ſine opio gr. vij.*
diacydon. aromat. ʒjß.
m. f. bolus, & poſt cænulam præbeatur. Vel

℞. *Syr. corallior.* ℥j.
decoct. priapi cervi lib. ß.
aq. cinnamoni ℥j.
laudan. liquid. gr. xx.
gelatinæ c. c. ℥j.
m. pro julepo.

Clyſteres in dyſenteriâ proſcribimus, quia ſæpius, imò ſemper peſſimi ominis ſunt, & eorum abuſus malum potiùs exaſperant, quàm leniunt, nec ad malè affecta inteſtina pertingunt, & ſicut eorum uſus in alvi ſtypticitate laudem apud vulgares ità in dyſenteriâ, & aliis alvi dejectionibus vituperium meretur, quia clyſteres inteſtina, tanquàm aliquid peregrinum irritant, quæ irritatio peſſimos parit affectus, & inteſtina irritata mox clyſteres reijciunt, & ità ſuis contracturis, & convulſionibus ſpaſmodicis ſolummodò exacerbant. Aliqui, ſi dolores valdè urgent, ad hos ſedandos, & dyſenteriam ſanandam, clyſteribus opiata admiſcent.

℞. *Capita papav. cum ſemin. num.* vj.
ſemin. hyoſcyami ʒij.
hordei toſti,
oriza an. ℥ij.
coque in aq. plantag.
cujus lib. ij.
adde pilul. de cynogloſſ. ʒß.
vitellor. ovor. num. ij.
tragacanthi
gumm. Arabici an. ʒj.
terræ lemniæ ℥ß.
ol. roſ. ℥ij.
m. pro duobus clyſteribus.

Vel clyſteribus *laudani opiati gr. ij.* indunt. Cæterùm timendi, & proſcribendi ſunt clyſteres opiati ob infelices ſucceſſus, quos neceſſariò pariunt. Nec clyſteribus olea conveniunt, quia multum acidi in ſinu gerunt, nec ſalia irritamenta, quibus inteſtina ad excretionem ſtimulant. Si medici clyſteriſtæ uti velint clyſteribus, ſaltim opiata vitent, & ſequentem anodynum iniiciant, ut

℞. *Decoct. chamomill.*
meliloti,
fœnugræci,
roſar. lib. jß.
diſſolve ſevi hircini ℥j.
ovi vitellor. num j.
ne cohæreſcat, & iniice.

Externè utiliter ſequens *emplaſtrum* ventris regioni commendatur, ut

℞. *Theriacæ,*
terræ ſigillatæ ana
f. empl. calidè applicandum.

Præſtat hoc *fomentum*, ut

℞. *Abſynthij,*
menthæ,
roſarum an. m.j.
calami aromatici,
galangæ,
zedoariæ an. ʒij.
radic. ariſtolochiæ rotund. num. vj.
incide, miſce, & coque cum ana
aceti, & vini.

Hoc acetum cum ſpongiâ magnâ exceptum, aut pane toſto imbibitum ſupra ventriculi regionem impoſitum mirificè juvat. Vel fiat ex herbis ſequentibus decoctio, quâ venter, & renum regio fomententur.

℞. *Plantaginis,*
centinodij an. m. m. IV.
fol. ſymphyti,
exquiſeti an. m.ij.
gallorum nuc. cupreſſi,
glandium quercuum an. ℥ij.
fol. roſarum,
verbaſci an. m.jß.

Decoque in aquâ pluviali, & vino adſtringente, addito ſub decoctionis finem pauco aceto. Omentum vervicis in oleo hypericonis calidum ventris regioni medicorum vulgus applicant.

Medicamentorum anti-dyſentericorum tàm internorum, quàm externorum numerus, quia ferè incomprehenſibilis eſt, nolumus ea omnia apponere præter ea, quæ experientia confirmavit, & noſtra praxis hujuſmodi ægrotis exhibuit, undè his paucis feliciter expertis contenti erimus.

Hæc medicamenta pro dyſenteriâ benignâ, & communi retulimus, & parùm in epidemicâ, & malignâ proficiunt, in quâ ſolutiva nullatenus conducunt; non enim medicamentum, quod malignitatem per inferiora exturbat, habemus, ac perindè diaphoreticis, & alexipharmacis hanc dyſenteriam expugnemus oportet, & eorum quæ abſorbent, combibunt, & acidum temperant, admiſtione utendum eſt; inter alexipharmaca, & diaphoretica ea, quæ in febre malignâ recenſuimus, excellunt, & hæc, quæ dyſenteriæ epidemicæ appropriata, & ſpecifica ſunt, ità eſt *theriaca, ſpiritus theriacalis, aq. theriacal. Petri Salij, extractum theriacæ, bezoartica omnia, lapis bezoar, ſtibium diaphoreticum, gelatina c.c. tormentilla, bezoarticum animale, hepata viperarum &c.* Semper n. dyſenteria epidemica pro Achate febrem habet malignam, quæ his expugnatur. Hæc alexipharmaca anti-acidis, ut *terrâ ſigillatâ, magiſterio lapidum cancror. priapo ceti, &c.* maritanda ſunt, ac opiata, ut *laudanum cydoniatum, laudanum cum, & ſine opio, &c.* quæ recenſuimus, & præter hæc maximoperè excellit *diaſcordium Fracaſtorij* in malignitate, & dyſenteriâ profligandâ, intermiſceamus neceſſe eſt. His nàmq; intermiſtis alexipharmacis, præcipitantibus, & opiatis malignitatis vires franguntur, ſanguis ſuo nitori reſtituitur, humorum acrimoniâ abſorbetur, & corrigitur, miaſmata maligna diſcutiuntur, & peregrinum fermentum tàm per ſenſilem, quàm inſenſilem tranſporationem abigitur, febris ipſa, & contagium radicitùs tollitur, & penitùs extirpatur.

CAP. XV.

De Teneſmo.

Dyſenteria tàm tenuium, quàm craſſorum inteſtinorum eſt morbus, verùm ſi hæc affectio inteſtinum rectum tantùm oppugnet, vocatur τεινεσμὸς, quæ eſt quædam dyſenteriæ ſpecies,

cies, loco affecto differens, excitans in inteſtino recto magnum pondus, vehementem tenſionem, & aſſiduam ac implacabilem per ſeceſſum excernendi cupiditatem, ſed inanem, & dolorificam, ac ſæpiùs ad deijciendum laceſſit, nihil verò omninò, vel perexiguus mucus cruentus excernitur. In teneſmo itàque ſunt multæ conſiderationes, & primò maxima adeſt cupiditas fæces excernendi, ità ut æger nihil magis optet, quàm fæces excernere, quia ità credit à tàm anxioſo morbo liberari, non ſecus ac qui ventriculi ad orificium uſq; copioſis humoribus plenum habent, maximo vomendi deſiderio tenentur. Secundò hujuſmodi deſiderium eſt fruſtratorium, quia vel prorſus nihil excernitur, vel cruenta mucoſitas: oritur autem inanis hæc cupiditas, quia inteſtinum rectum intumeſcit, propter cujus tumoris gravitatem credit languens ibi habere magnam excrementorum colluviem, undè frequenter, ad illorum expulſionem inſurgit. Tertiò graviſſimus adeſt dolor tùm propter acres, & acidos humores vellicantes, cùm propter ſpaſmodicos motus ab his ſuccis inductos.

Signa.

Teneſmi ſigna ex ſuprà dictis facilè eluceſcunt, nàm patiens aſſiduâ excernendi cupiditate torquetur, quemadmodùm ſtrangurioſus ſæpè mingendi deſiderio, & neceſſitate tenentur, ità teneſmicus ventris excrementa deponendi, nihil tamen, vel ſaltim exigua mucoſa, cruenta, variegata, nempè flava, viridia, & albicantia excernit, & eadem ferè ſymptomata patitur, quæ in dyſenteriâ vexare ſolent, acerbos nempè dolores, vigilias, & ſpecialiter ſtranguriam, quæ teneſmum ſemper comitatur ob veſicæ conſenſum recto inteſtino adjacentis, quæ eo inflammato ab inflammatione intumeſcente comprimitur, atq; etiam à calore vicino ſimul afficitur, vel uri‑nâ repleta etiam inteſtinum premit, & dolorem infert, undè deſidendi cupiditas augetur: cùm ergò alternatim una pars alteram moleſtiâ afficiat, hinc teneſmus, urinæ ſtillicidium, & hoc viciſſim majorem excernendi cupiditatem excitat, & cum eâ aliquandò inteſtini recti procidentia producitur, eò quòd muſculi, quorum munus eſt ſursùm retrahere, continuo dolore, & attrahendi conamine nimiùm defatigantur, & demùm quarundam fibrarum reſolutionem ſuſcipiunt, & attractionem demittunt, tùm quoque humiditatis delapſu inteſtini fit prolapſus. Diſcernitur teneſmus à dyſenteriâ, quòd in teneſmo egerendi cupiditas ſit aſſidua, in dyſenteriâ verò interpolata, & non tàm vehemens nixus, ut in teneſmo.

Cauſa.

Cauſa hujus morbi proxima eſt aſſidua inteſtini recti irritatio, quod ſtimulatum ſe contrahit, & ità ægeſtionem urget; propria hujus inteſtini actio eſt excretio, & præcipuè in ejus extremitate vis illa viget. Occaſionales cauſæ ſunt ſucci acidi, acres, & corroſivi in rectum inteſtinum confluentes, qui ſi ibi hæreant, ſubitò tumorem excitant proprium nutrimentum in mucum degenerant, abradunt, orificia venarum & arteriarum aperiunt, & ſanguinem ex illis in pauca quantitate eruunt, & ſtatim excretionem urgent. Hæc inteſtini recti irritatio, ſeu ſtimulus eſt vel per conſenſum, vel per eſſentiam. Per conſenſum obſervatur aliquandò in nephritide, quia tunc temporis contingit teneſmus propter nervos ad renes, &

Si inflammatio valdè urgeat, ſic fiat:

℞. Decoct. hordei ℥viij.
ſucci nymphæa,
plantaginis an ℥jß.
mucilag pſyllii aq.roſ. extract. ℥ij.
ol.roſ.℥ijß.
m.f.clyſter.

Cæterum clyſter refrigerans nullatenùs convenit,nàm inteſtinum rectum refrigerare eſt malum augere, & inteſtini recti inflammationem non tollere, nec tumorem reſolvere, ſed partem frigidam vel lividam,ac compactam reddere. Præthereà frigus eſt inteſtinis inimicum, & propter frigidas inſeſſiones teneſmus producitur. Nec olea clyſteribus pro curando teneſmo conveniunt, quia malum pejorare poſſunt;cum acidum in ſinu gerant.

Si à vitioſis humoribus ortum ducat teneſmus, purgant: Verum nunquàm per partem affectam purgandum,ne humorum colluvie pars magis irritetur in talium humorum tranſitu, quia affectus iſte à purgantibus inducitur violentis, ut multoties experitur.

Poſt univerſales evacuationes parti affectæ ſuccurrunt clyſteribus, quibus humores irritantes abſtergunt, vel partem adſtringunt, & roborant, dolorem leniunt, ulcus glutinant, & ſanant pro variis ulceris temporibus, ac perindè totam curationis ſpem in varias clyſterum formulas, ut in varia ingredientia reponunt, ut

℞. Hordei mundi m.iij.
coque in aq. comm. q.ſ.ad lib.j.
ſacchari rubri ℥jß.
vitellor. ovorum num.ij.
f. clyſter,

Qui ſapiùs injiciatur ad humores irritantes abſtergendos; Vel

℞. Hordei excortic.
plantaginis,
polygoni,
burſa paſtoris an.m.j.
coquantur ad lib.j.
colaturæ adde
boli armeni,
ſanguinis draconis,
thuris,
maſtiches an.ʒj.
ſucci plantag.℥j.
gumm. Arabici,
tragacanthi an. ℈.iv.
ovorum vitellor.num.ij.
f.clyſter,

& diutius retineatur, mirabiliter namque partem adſtringit, & roborat.

Vel *℞. Decoct.hordei lib.j.*
mucilagin.pſyllii cum aquâ roſaceâ extract.℥ij.
adipis caprini ℥jß.
mellis roſacei ℥j.
philonii Perſici ℈j.
ol.roſacei ℥ij.
f. clyſter,

qui reiteratus dolores lenit. Ad ulcus glutinandum,& ſanandum ſequens enema mirabiliter operatur, ut

℞. Radic.conſolidæ ℥ij.
fol.plantaginis,
ſaniculæ,
hyperici,
roſ.rubrar.an.m.ß.
coque in aq.ſimplici.
℞. colatur lib. ß.
boli Armeni,
thuris,
myrrhæ,
ſanguinis draconis an.ʒß m.

& reiteretur. Vel clyſteri addi poſſunt pulveres ceruſſa, tutia, & boli Armeni ſubtiliſſimè levigati.

Concinnant fotus, ſuffitus, inſeſſiones,ſuppoſitoria,ſacculos,ſuffumigia,& inunctiones

inunctiones, ſed hæc recenſere non tàm prolixum, quàm nauſeoſum erit, cum ſint prodicis remedia, quæ meritò galenicis relinquimus.

Interim vicinas partes circa os ſacrum, podicem, & interfœmineum vel fovent decocto *verbaſci, flor. chamomæli, meliloti, ſemin fœnugræci, lini, & anethi, vel has partes inungunt ol. roſaceo, lumbricorum, vel comm. in quo incocta fuerint radices angelicæ.*

Noſtra Curatio.

Curamus teneſmum inteſtini recti irritationem ſedando, & acidos, acreſque ſuccos dulces reddendo; primi generis ſunt opiata, ut *diaſcordium Fracaſtorii, laudanum cydoniatum, laudanum opiatum, &c.* Secundi generis ſunt alkalia, ut *magiſterium lapidum cancror. corallior. perlar. terra ſigillata, priapus cervi, vel ceti, magiſterium ſuberis,* & cætera medicamenta, quæ in dyſenteriâ deſcripſimus eodem modo, & formâ propinata.

Præterea conveniunt clyſmata, ſunt enim quaſi via compendiaria, quæ parti affectæ quaſi manu applicantur, & notandum, quod ſæpè & in paucâ quantitate, ſcilicet ad lib. ß. injiciantur, quia difficile ob aſſiduum conatum retineutur, deindè ut in canalis podicem blandiſſimè, & rectà inſerantur, nè locum irritent, vel lædant dolorem augeant, malum pejorant, vel in aliud pejus transmutent. Clyſteres optimi fiunt *ex jure carnis vervecinæ cum aliquot guttulis ol. ceræ, vel balſami Peruviani,* vel ex lacte in quo ebullierit radix ſymphyti majoris. Suppoſitoria ex *ſevo hircino cum pilulis de cynogloſſâ, vel opio* in gravi teneſmi dolore commendantur. Appropriatum remedium in teneſmo eſt *thapſi barbati decoctum in lacte* cum linteis fomenti inſtar ano admotum, & quemcumque teneſmum etiam dyſentericum curat. Vel proſunt ſacculi ex *verbaſco, foliis quercûs, & anſerinâ in lacte decocti,* & poſterioribus applicati. Conducunt quoque ſuffitus ex *thure, myrrhâ, galbano, nuce moſchatâ, & ſimilibus.*

CAP. XVI.

De Fluxu Hepatico.

FLuxum hunc falsò hepaticum nuncupârunt veteres, pro ut illum deſcripſêre, in eo decepti, quod hepar eſſe ſanguinis officinam putârunt; ideòque ob ejus imbecillitatem, & atoniam, bonum, laudabilemque ſanguinem non generare: ſed chyloſam materiam in ſanguinem tenuem, & ſeroſum convertere, qui cum alendis partibus idoneus non ſit, ob imbecillitatem retentricis facultatis hepatis à naturâ per venas meſeraicas inteſtinis tranſmittitur, & per alvum excernitur. Sed falſa eſt vulgarium opinio nàm ex prolixâ noſtrâ conſideratione, & autopſiâ invenimus hepar non eſſe ſanguificationis laboratorium, ut tota credidit antiquitas; neque ſanguinis venoſi officinam, ut Helmontius opinatus fuit; neque inutile corporis pondus ad dextri hypochondrii vacuum implendum, ut aliqui perperàm dijudicavêre: ſed ſolummodò eſſe colum, per quod ſanguinis fit percolatio.

Signa.

Fluxus hic facilè cognoſcitur ex liquore, qui per alvum excernitur, nàm eſt merus ſanguis dilutus, & velut aqua ſanguine tincta, ità ut loturæ recenter mactatarum carnium aſſimiletur, vel

modico

modico ſanguini, cui ſiquis miſcuerit multas aquas; ſine mordicatione, non autem ſine dolore cum palpebrarum inflatione, pedum tumefactione, & excrementorum crudorum excretione.

Veterum Cauſa.

Tota barbarorum grex hepaticum fluxum ab hepatis imbecillitate ortum ducente ab intemperie calidâ, vel frigidâ procedere credidit, quia opinati fuere hepar ſanguificare, quod falſum exactiſſimâ anatomiâ deprehenditur. Præterea videmus utplurimùm graves hepatis intemperies, & primarum qualitatum exceſſus alios producere morbos, & non hunc fluxum, & quandòq; hunc fluxum ſine inſigni primarum qualitatum exceſſu produci. Nonnulli vulgarium intemperierum inſufficientiam aſpicientes hunc fluxum producere non poſſe, ad humanæ ignorantiæ aſylum confugiunt, ad occultiorem ſcilicèt intemperiem, quæ humidi radicalis exolutionem in hepate inducit, ad quam innati caloris ipſius maximus ſequitur defectus; ſed gratis hæc occulta intemperies aſſeritur, & hujus fluxûs cauſa eluditur.

Fluxus hepaticus ab Hermeticis refertur ad ſalis hepatis diſſolutionem, ob quam hepar non rectè ſanguificat, & ſanguinem efficit aqueum, hydropis prænuncium quod a ſale hepatis magis diſſoluto generatur.

Noſtra Cauſa.

Cauſa hujus fluxûs inſtar carnium loturæ eſt copioſum ſerum depravatum maſſam ſanguineam fluxilem reddens, & ſanguini commiſtum in venis meſeraicis, quod à meſenterio per venam portam in hepar miſſum non percolatur, ſed ad eaſdem relabitur, & quia fluxilis, & in inteſtinis venarum orificia dilatat, copioſè tranſudat, ſanguinis guttis tinctum, hunc fluxum ſeroſum, & cruentum efficit.

Aliqui recentiores rati ſunt talem fluxum hepaticum dictum provenire ſuperiorum venarum hæmorrhoidalium apertione, per quas ſanguis aquoſus, & nimiùm fluxilis evacuatur, & ſubindè per anum defluit, & effluit, & hoc oritur, quia nimia ſanguinis aquoſitas, & ſeroſitas ſupprimitur, nec per ſua emunctoria excernitur, ſcilicèt per inſenſilem, ſenſilemque evacuationem.

Prognoſis.

Affectus hic in regionibus frigidis rarò periculoſus eſſe conſuevit, incalidis verò ſemper periculoſus eſt; utplurimùm n. ad cachexiam, hydropem inſanabilem, tabem, & tandèm ad mortem diſponit. In juvenibus incipiens difficulter curatur, & in ſenibus nunquàm. Hunc morbum ſemel nos in quadam anu obſervavimus, quæ poſt multa incaſsùm remedia abiit: Si morbos inſequatur acutos, ſolet eſſe lethalis, præſertim ſi ſuperveniat ſingultus.

Veterum Curatio.

Hujus affectûs curationem perficiunt noſtri barbati remediis hepar roborantibus, ejus intemperiem corrigentibus, & fluxum cohibentibus. Purgantibus nullum dant locum, ſi verò immodicus videatur fluxus, vel impuritates excretioni permiſtæ, ad ſui cohibitionem tantùm *rhabarbarum* in parvâ quantitate exhibent, quia rhabarbarum inquiunt eſſe hepatis animam, illudque roborando laxare.

Iecur cujuslibet animalis à proprietate affectibus hepaticis commendant ob ſimilitudinem eodemque modo in lienis morbis lienem, renum, renes.

Præcipuè *lupi hepar præp.* ad ſydera extollunt, creduntque magnoperè in hoc affectu juvare, quia cùm lupus animal ſit vorax, ejuſque hepar voracitatem in ſe ideatam habere, quam humano hepati imprimit, ut chylum in laudabilem ſanguinem benè concoquere poſſit.

Maximoperè ruſticâ ſimplicitate imaginantur uvam paſſam majorem, vel corinthiacam hepati opitulari ob concoctoriam humorum crudorum vim, atque arctam familiaritatem, & amicitiam cum hepate habere à totâ ſubſtantiâ, & occultâ qualitate.

Clyſteres hîc nihil proſunt, attamen ex roborantibus, ut *jure pulli, lacte chalybeato*, *vitellorum ovor. & ſacchar. rubr. per* podicem roborante hepar.

Non ceſſant intereà ſupra hepar refrigerantia, & calidam intemperiem corrigentia applicare, quia utplurimùm hic fluxus à calidâ intemperie ortum ducere opinantur. Magnæ æſtimationis eſt ſequens epithema refrigerans, ut

℞. *Aqu. cichor. endiviæ, nymphææ, plantagin. an.* ℥iij. *aceti roſ.* ℥j. *pulv. diatria ſantal.* ʒjß. *diarhod. Abbat.* ʒj. *camph.* ʒß. *m f. epithema.*

Sed apud noſtros barbatos, conſueta ſunt epithemata ex *ſucc cichor. endiv. & ſonch. cum aceto*, quæ ità concinnata ſunt ſylveſtre pro hepate acetarium; Vel adhibent inunctiones ex *ung. roſ. ſantal. infrigidant. Galeni, &c.*

Propinant ſyr. hepar roborantes, & fluxum cohibentes, ut *de cich. acetoſell. roſ. ſicc. portulac. myrtin. endiv. &c.* ſed ſed præ omnibus *ſyr. corallior.* commendant, quia non tantùm hepar roborat, verùm etiam præſtantiſſimus eſt ad fluxum cohibendum; ſed utinàm pharmacopolæ veram & genuinam hujus ſyrupi confectionem ſcirent; non examen ſuſtinet, nec voto reſpondet, quia granorum Kermes, vel ſantali rubri infuſione illum reddunt rubrum.

Noſtra Curatio.

Perluſtratâ vulgarium medicorum curatione; ad noſtram deveniamus oportet, & ni rectam victûs rationem inſtituamus, fruſtratoriam aggredimur curationem, ideòque ſex res non-naturales luſtramus, præterquamquòd ea victûs ratio, quam in dyſenteriâ præſcripſimus, conveniens eſt, & breviter dicimus, quòd

Aër ſit temperatus, *Cibi* modici, & faciliores coctionis, *Potus* ſit pauciſſimus, & modicè adſtringens, *Quies* magis, quàm *Motus*; *Somnus* magis, quàm *Vigilia* conducit, *Excrementa* naturali fluant ordine, & *animi pathemata* maligna exulent.

Curatio, quia à copioſo ſero ſanguini commiſto, vaſaque relaxante ortum ducit, perficitur medicamentis ſerum evacuantibus, *conſervâ flor. perſic extract. mechoacan jalap. &c.* ſero optimè purgato, ſi fluxus aliquo modo perſeverat, vaſorum relaxatorum adſtringentia, & ſalis acidi reſpectu, quæ illud immutant, conveniunt, hujuſmodi ſunt *tinctura, eſſentia, & crocus martis adſtringens, tinctura ſulphuris vitrioli, & terrâ exanimata vitrioli*; ſed omnem abſolvit paginam *ſal corallior. ad* ℥ß. *in aquæ plantagin. lib.* j exhibitus, manè, & veſperi uſque ad morbi declinationem, cochlear j. ab initio, vel ij. aut etiam iij. deinceps, fluxû mirabiliter cohibet.

Sequens *corallior. tinctura* longè optima eſt:

℞. *Sacchari puriſſimi,*
corallior. rubicund. ſubtiliſſ. pulv. [illegible]

me

coque in M.B. cum ſcobe ligneâ (intellige me) lento igne, & ſi fortaſſis nimium bulliant, adde tunc aliquid aquæ roſarum, cinnamomi, meliſſæ flor. citri, & ſic lente coquendo perge, ſitque tinctura rubérrima, pulvis autem coralliorum nigricat, filtra, & ſerva Doſis cochlearij non tantùm ſanguinolentos ſiſtit fluxus, ſed etiam cor roborat, conducit morbis uterinis, nimioque menſium fluxui.

Ad hepaticum fluxum ſudoriferis, & diureticis ſerum illud abundans aliâ viâ è corpore expellatur, deindè roborantibus auſteris relaxata vaſa reſarciantur. Tandèm opiata conducunt, & omnia, quæ pro dyſenteriæ curatione deſcripſimus.

Si ſanguis purior per alvum ſine dolore, & exulceratione excernatur, nothus, ſeu ſpurius dicitur, vocaturq; alvi fluxus ſanguineus; oriturque ſæpiſſimè à venâ portâ, vel ruptâ, &c.

CAP. XVII.

De Ictero.

Icterus flavus à vulgaribus medicis deſcribitur, quòd ſit bilis effuſio per univerſum corporis ambitum, unde univerſa cutis p.n. fœdatur colore. Diciturque icterus, ut quibuſdam placet, ab animalculo, quod à græcis Ἴκτις, ſive ἀπὸ τῆς ἰκτίδος, latinè verò *Viverra*, quod flavi eſt coloris. Quidam volunt dici ab aviculâ ejus coloris, quæ Galbula nominatur, quam græci Ἴκτερος appellant, quæ ſi ſpectetur ab icterico, mori, ægro ſanato dicitur, ſi fides adhibenda ſit *Plinio*. Latinis *Morbus Regius* nominatur ab Auro Metallorum Rege, eò quòd aureum refert colorem, vel quià R g m o \[illegible\] is præcipuè ex auro con ſt \[illegible\] m morbus auream tegræ ſentant flavedinem. *Aurigo* etiam huic morbo nomen eſt, eò quòd aurei ſit coloris. Morbus *Arquatus* à *Celſo* nominatur ab arcu cæleſti, ſive Iride, ex eo quia ejus colorem imitetur. Ab aliis tandèm *fellis ſuffuſio* appellatur.

Tres icteri ſpecies aſſignant, unam flavam, ſeu citrinam, quam ab hepate, nigram à liene, & viridiſcentem ab utriuſq; viſceris vitio originem trahere aſſerunt. Miramur, equidèm in icteritiâ vulgares allucinatos fuiſſe, & tantùm tres ejus ſpecies aſſignâſſe, cùm quaternariâ humorum combinatione plures aſſignare potuiſſent.

Signa.

Unaquæque icteritia per ſe viſui nota eſt, cùm ſit cutis coloratio fœda, cujus viſûs eſt judex proprius; nàm flava univerſam corporis cutem flavo tingit colore, & præcipuè oculorum album, & maximè internum angulum, ubi venæ majuſculæ, in flavum convertit, undè ictericis omnia objecta flava videntur. Totius ad motum corporis ſegnities, ſingultus, ſpirandi difficultas, & dejecta appetentia adeſt. Urina adeò intensè flaveſcit, ut linteola in eâ madefacta croceo tingat colore vergente ad rubrum. Alvi excrementa albi ſunt coloris, & cineritij. In nigra totius corporis cutis nigro imbuitur colore; in viridi verò virideſcit, ſed hæ duæ ultimæ ſpecies nunquàm, vel rarò accidunt.

Veterum Cauſa.

Quàm perperàm *Galenus*, ejuſque ſectatores felli hunc morbum acceptum ferunt, & felli tantùm in eſſe virus, ut hominem decolorem reddere aſſerant, patefaciemus; ideòque obſtructionem, cyſtidis felleæ pro cauſâ ſtabiliunt, quæ bilis commeatum impedit ad inteſtina, undè regurgitat in hepar, indeque per

 venas,

venas, univerſum corpus cum ſanguine pervadit, ſequeſtratur, & proprium colorem cuti imprimit. Hæc obſtructio eſt frequens, modò à calculis in cyſtide fellea genitis, modò à bile, vel pituitâ craſsâ, & copiosâ, modò denique à compreſſione, ut eſſe ſolet duritiies, obſtructio, inflammatio, & ſcirrhus in hepate. Addunt humoris biliosi pravitatem, vel in quantitate, quæ à naturâ regi non poteſt, neque à ſanguinis maſsâ ſecerni; vel in qualitate, quæ humores corrumpendo procedit.

Externæ cauſæ ſunt alimenta dulcia, quæ facilè bileſcunt, ut mel, & ſaccharum, ac quæ bilis copiam progignunt, ut vina fortia potenter potata, ut etiam aromata crebriùs aſſumpta, & venenatorum animantium morſus.

Sed malè feriati ſectatores cum *Galeno* fel, & bilim ſynonyma eſſe crediderunt, utque bilis exiſtentiam probent, incautis felleum liquorem pro bile venditant. Undè non à felle icteritiam fieri demonſtratur, quia ictericorum urina, ſudor, & quod flavum in ſanguine emiſſo ſupernatat, amarum non eſt, in flavo enim non eſt amaror, ſed guſtus nitroſus. Non à cyſtidis felleæ obſtructione, nàm in fellis folliculo nullum reperiri tranſitum, ſive os ſuperum exacta anatomicorum ſolertia hactenùs potuit, niſi infernè, nec ſi talis folliculus ab hepatis parenchymate ſeparetur, & quàm optimè fiſtula inflaretur, immiſſus aër nec minimum aditum ad foras erumpendum inveniret, ut in veſicâ manifeſtè patet, quæ potiùs magnâ vi diſrumperetur, quàm prædictæ aperirentur valuulæ. Utplurimùm in ictericis alvi ſordes hodiè palleſcere, cras dein ruſùs flaveſcere, & iterùm palleſcere, ut anteà obſervamus, quod ſi ex fellis obſtructione fieret, non alternatim contingeret. Præterquamquòd ictericorum cadaveribus curiosè inſpectis, minimè fellis orificium obſtipatum, ſed meſenterij venas flavo, & ſtercoraceo cruore ſcatuiſſe ipſa autopſia demonſtravit. Multoties ex aſſumpto veneno, morſu venenato, & Lue Venereâ confeſtim quampluri mos ictericos factos ipſi inviſimus. Nunquid ille in cute ictus, aſſumptum venenum, & cum ſcorto lue venereâ infecto concubitus, ſtatim fellis meatum in jejunum occluſit? Si itàque non eſt fel, non bilis, aut unus ex quatuor fictis humoribus, à quibus fiat icteritia, ergò toto erràſſe cœlo, deceptoſque in aſſignanda causâ dicendum.

Cauſa Noſtra.

Dùm de fellis liquore extra choream loquuntur, non à re alienum de ejus origine, uſu, & utilitate aliquid dicere arbitramur. Succus iſte antequàm in folliculum recipiatur, pars eſt optima ſanguinis ſed ſeroſa tamen, non autem fibroſa, quæ ubique in venis, arterijſque abundare ſolet, ut jàm fluxibilior factus, motui ſit promptior, dùm verò pars iſta ſanguinis ſeroſa ſanguini commiſcetur, ſubdulcis eſt, parùmque ad ſalſedinem vergens, ſubtilis potiùs, quàm craſſa, aquea potiùs, quàm oleaginea; hinc eſt, quòd tàm venæ portæ ſanguis, quàm hepatis caro nullum præſeferunt amarorem, nàm ſanguinis ſerum nullo modo amarum eſt, neque habet, undè amaro ſapore imbui potuiſſet. Hoc itàque ſanguinis ſerum à vaſis biliarijs ſugitur, ac in ijs amarorem, craſſitiem, & oleoginoſitatem acquirit, tàm à texturâ fibrarum dictorum vaſorū, quàm etiam à liquore, quem in veſiculâ invenit à principio generationis ibi productum, ad hoc ut ſanguinis ſerum, quod illi immiſcen-

miſcendum erat, in amarum verteret, non ſecus ac vinum dulce aceto immiſſum, acetum evadit. Evenit de felleo ſucco id, quod de nutrimento in omnibus corporis partibus diximus; nam idem, & unicum nutrimentum homogeneum, & ſimilare in unaquaque corporis parte pro partis cujuſlibet diſpoſitione tranſmutatur, in oſſe n. fit os, in medullis medulla, in membranis membrana, & ſic de cœteris.

Liquor, qui in veſiculâ contineri ſolet, eſt omninò vitæ noſtræ neceſſarius balſamus, ac proindè Judæi Chriſto Domino noſtro in cruce, ut diutiùs in cruciatibus perſiſteret, vinum felle miſtum porrexerunt. Liquor ille non gravat, nec moleſtat unquàm, ac proindè nullos efficit morbos, imò à multis præſervat, & præcipuè à putredine hepar, nàm fellis veſicula ab hepate amota, ſtatim hepatis ſubſtantia diſſoluitur, & liqueſcit. Fellis diſruptio, ſive in felle vulnera confeſtim lethalia ſunt, non autem ità hepatis vulnus, inflammatio, & abſceſſus, nàm vitæ noſtræ alligatam neceſſitatem, integritatemque habet ob repentinam mortem. Fel non tantum hepatis calorem naturalem juvat, ſicut ignis ſub lebete, verùm etiam totius corporis. Tandem volatilia ſine veſicâ, & renibus feliciter vivunt, non autem ſine felle.

Multa de ejus uſu commentati ſunt veteres, nàm ejus officium, & nobiliorem non noverunt uſum, ſed recedant à medicorum aulâ veterum dogmata, tanquàm inabſoleta, & rancida, quæ n. priſcis abſtruſa fuère, nunc rudibus expoliata exuvijs, jàmjàm noſtrum ſæculum reviſit cuncta. *Ariſtoteles* ejuſque ſectatores nullum fellis admittant uſum, ſed educi ob materiæ neceſſitatem, nè ſanguinis maſſa inquinetur. Verùm pace *Ariſtotelis*, & ſociorum, nos diximus, ſanguis ille priuſquàm in veſiculam felleam per valuulas recipiatur, non amaricat, ſed ſubdulcis eſt, & parùm ad ſalſedinem inclinans.

Stercorarij medici ſtercoribus immerſi, tanquàm ſues in Cœno, liquoris fellei uſum pro clyſtere naturæ excrementorum expulſioni deſtinarunt, à mulierculis fortaſſe edocti, quæ infantibus ad aluum laxandam ex felle ſuppoſitorium ſubmittunt, ſed quia præpoſterâ nati ſunt Minervâ, ex ungue leonem, & ex cauda vulpem cognoſcere fatentur. Quia n alienum eſt à veritate fel excrementorum depulſioni inſervire oſtendamus. Humanum ſtercus eſtò flaveat parùm, aut multùm, tamen amarum non eſt; canes n. flavum infantium ſtercus avidius edunt, quia lactis ſaporem retinent. Attamen huic flavo ſtercori ſi aliquot alicujus fellis guttulæ admiſceantur, tunc illud nequaquàm à cane lambitur. Multi ſtercore paſti ſunt, & de ſapore quæſiti non eſſe amarum, ſed fœtidum, & ſubdulce reſponderunt. In magnis obſidionibus ob annonæ caritatem milites coacti fuère ſtercoribus veſci, & quo ſæpiùs recomedebant, eò ſemper dulciora fiebant.

Meam de fellis uſu proferam ſententiam, & notandum, ut alibi diximus, quòd ciborum reliquiæ ex fermentatione reſiduæ à ventriculo depauperatæ motum fermentalem in ipſis excitare non poſſunt, propterea remanſiſſent partim mutatæ, & partim non mutatæ. Undè natura vaſa biliaria ſub hepatis cavo conſtruxit, in quibus humor amariſſimus produceretur, cujus pars puriſſima nobiliorem habet uſum, pars verò excrementitia, & à felle ſpreta per

vias

vaſa bilaria in duodenum, & jejunum fluit,& ciborum reliquijs ſe commiſcet, atque per alium motum fermentationi co … ium in liquorem ſuperſtites ciborum reliquias reſoluit, quâ reſolutione peractâ, inteſtinorum villi quicquid ſubſtantiæ al.bilis in ciborum reliquijs ſuperat, poſt ſtomachi fermentationem emunguut,& quod omnino fæculentum eſt, paulatim tranſcolando in inferiora inteſtina, foràs detrubatur. Patet hoc obſervatione, nàm in inteſtino jejuno, in cujus principio obliquè ductus communis inſeritur, per integrum curſum tenuium inteſtinorũ nunquàm aliquod ſolidum invenitur, ſed ſemper obſervatum fuit fluidum quoddam liquamen, (at jejunum utplurimùm, magis quam reliqua, vacuum eſt) quod dùm colon ingreditur,in fæces concreſcere incipit.

Hoc fellis liquamen ciborum reliquijs immiſtum, eas in liquorem reſolvere patet ex pictorum uſu, qui felle coloribus in miſcendis utuntur; ſed quia volatile eſt,agendo,eadem actione, quâ agit, fixatur, mutaturque, aliamque à priſtinâ indolem acquirit.

Alium felli uſum *Helmontius* tribuit, vult n. ipſe cremorem à fermento ſtomachi acido ſubactum, totumque aciditarum inſpirato in duodenum fermento felleo confeſtim mutare in ſalſum, in quibus autem fel debile ſit, ità ut totam cremoris aciditatem non poſſit penitus vincere, & in ſalſedinem fermentare, ſi tantillum aciduli remaneat, ac cùm lotio in veſicam recipiatur, his mox acerbiſſimam ſtranguriam excitari, quæ ſenibus, & pueris frequens, & familiaris eſt ob fermenti fellei debilitatem.

Poſtquàm veterum de icteritiæ causâ ſententiam perluſtravimus,ejuſque tincturā non à felle fieri luculenter oſtendimus; recentiorum dogmata,undè talis ſcaturiat tinctura,demonſtrabimus. Certum eſt in ventriculo,& in ipſis inteſtinis ſedem habere, indèque univerſam cutim decolorem reddere, nemo ſanæ mentis ambigit. Producitur igitur in ventriculo ex vitio coctionis, & digeſtionis, ex quo chylus degenerat in ſeroſum excrementum flavum,& per ulteriorem degenerationem,flavum pervertitur in nigrum,& ex nigro in viride,& ſub errante digeſtione diverſos ſortitur colores,quod ſæpè ſæpiùs vomitu, vel laxativo rejicitur in inteſtina, & foras detruditur. Ex chylo in inteſtinis tenuioribus relicto venæ meſeraicæ,quod purum eſt, exugunt; reliquus verò chylus remanet in ipſis inteſtinis excrementi liquidi inſtar diverſi coloris flavi,nigri, viridis, & ſæpè vehementi attractione, & ſuctione venarum meſeraicarum ob alienationem facultatis diſtributivę per venam portā in hepar defertur, & quod præter naturam etiam in corpus diſpergitur,undè ſanguinem ſuo pravo imbuit colore,qui per venas delatus totum corpus ſuo colore tingit. Igitur quod icterum efficit, eſt fermentum p.n. virulentum,quod pylorum malè affectat, & digeſtiva, & diſtributiva ſimul alienatur. Sedet virus illud (quod anonymum recentiores dicunt) vel in duodeno, vel longiùs ab ileo communicatur. Albi,vel cineritij coloris ſunt ſtercora, quod excrementum illud liquidum in malè affecto ſtomacho, & inteſtinis generatum ad inteſtina non deferatur,ſed aliò; undè quò magis digeſtiva, & diſtributiva errant, eò copioſior ejuſmodi fiat tinctura, & intenſiùs albeſcere ſtercora, & flaveſcere lotium in icteritio quotidiè obſervamus.

Huic ſententiæ libenter meam ſuſcriberem,

ſi berem, duo me doceret; primū chyli geneſim, quam unquàm natura ſuâ ſub ditione cognovit, ut fuſiùs de *Ventriculi actione* egimus; ſecundum ductus quibus mediantibus talis chylus ad meſeraicas tranatu. Præterquamquòd ſupponit chylum ad hepar tranſire, ut ibi ſanguificetur, quod alienum à veritate anatomicorum ſolertia demonſtravit.

Meum de ictero proferam judicium, pro quo notandum eſt, quòd non integra ciborum ſubſtantia, quam animantia ingerunt, in eorum nutrimentum transmutatur, ſed illius pars ſubtilis, ſpirituoſa, & ſalsa; nàm pars craſſa, fæculenta, & inſulsa per inteſtina excernitur. Hæc ſeparatio à ventriculo occaſionaliter, & excitativè à calore promovetur. Undè pars ætherea, volatilis, & ſpirituoſa, quæ in ciborum ſuperficie clauditur, in ventriculo ſollicitata facilè ſe movet, & eodem motu, quo ſe movet, ſe ſeparat ab excremento, in ventriculi tunicas ſe inſinuat, ut in nutrimenti loca ſe conferat; ciborum verò reliquiæ per pylorum ad tenuia inteſtina deſcendunt, & quia ob parvum 8. vel 10. horarum ſpatium talis partis ſpirituoſæ, quæ in penetralibus torpida manebat, ab excremento ſeparatio reſidua compleri non potuit: provida natura excrementitiam fellis partem per vaſa biliaria in duodenum reſpuit, quæ illis ſe admiſcet, & tali adjutorio in liquorem reſolvit, reliqua verò ſpirituoſa pars, quæ anteà à craſſioribus materiæ partibus in centro ligabatur, ad ſuperficiem ſe movet, & eodem motu per inteſtinorum fibras ad nutritionis loca etiam defertur. Accidit quandòque vel errante in ſtomacho digeſtione, vel fellei liquoris debilitate, ut pars illa ætherea ſè cibariorum clauſtris ſe non extricet, ſed tota illa maſſa indigeſta diverſos ſortitur colores, & præcipuè flavum, nigrum, &c. ut in infantibus lac inceſſanter ſugentibus obſervare eſt, & in muſto, quod in deſtillatione aquoſum liquorem inſipidum reddit, poſt quem in liquidæ picis conſiſtentiam exſiccatur, & tunc citrinum eructat oleum, quod præcedenti liquori ſupernatat. Quod ſi in hoc naturæ conflictu diſtributiva facultas alienetur, & excrementum illud ad inteſtina craſſa tanquàm ad locum ſuum naturalem non deferatur, ſed per inteſtinorum fibras diſtribuatur, tunc in venas ſe inſinuat, & cum ſanguine, qui totus ſub ultimâ digeſtione exhalat, ad totam corporis peripheriam ſe extrinſecat, & ſuo colore tingit, fæces albeſcunt, & urina crocea evadit. Flava plerùmque accidit, quia talis coloris excrementum eſt ſulphureum, & faciliùs volatilizatur, quod ſi in aliis acciderit, aliæ ictericiæ ſpecies ſcaturiunt.

Prognoſis.

Ictericia morbus lethalis non eſt, attamen ſi cum calculo in fellis veſica, vel ſcirrho, vel obſtructione in hepate complicata ſit, incurabilem reddit morbum ob fellis debilitatem. Lethalis in ictero hepatis inflammatio cenſetur, quia plerùmque in abſceſſum abire ſolet. Undè *Hip. ſect. 6. aph. 42. Morbo regio laborantibus, ſi fiat hepar durum, malum.* Lethiferum icterum venter turgidus, & vehementer intumeſcens portendit. Diuturnus hydropem minatur, præcipuè ſi urina ſimul diù aquoſa appareat; hepatis n. obſtructionem ingentem denotat. Urina in ictero alba, vel parùm tincta ſemper malum oſtendit, crocea verò ſemper ſalutarior habetur. Icterus ſi in diuturnitatem abeat,

periculoſus eſſe ſolet, nàm diù errante, digeſtivâ, & diſtributivâ, ut aliqua pars princeps opprimatur, neceſſe eſt. Rarò vel nunquàm in ſenibus etiam abſque febre ob fellis debilitatem curatur. Icterus cum dejectâ appetentiâ, vigiliis, & delirio in diſcrimine verſatur, & præcipuè ſi cum labore loquelam formet, lethalis habetur. Icterus ſymptomaticus ſemper malus, criticùs verò ſemper bonus exiſtimatur. Quisnàm ſymptomaticus, quiſvè criticùs habendus ſit. *Hip. ſect.* 4. *aph.* 64. *Icterus in febribus die* 7. *ſuperveniens, bonum, nec non die* 9. 11. *&* 14. *& eâdem ſect. aph.* 62. *Quibus in febribus morbus regius ante diem* 7. *accidit, malum*, luculenter expreſſit. *Sed* 4. *de victûs rat. in acut.* inquiens. *In febre bilioſa morbus regius ante diem* 7. *natus cum rigore morbum ſolvit, ſine rigore peſtiferum*, ſibi contradicere videtur; nàm ſæpè ante diem 7. icterum per criſin ſalutarem obſervamus, & criſes die 3. 4. & 5. per ventris fluxum, urinam, ſudores contingere; ſed ut verùm fateamur criſis non eſt ità ſtrictè 7. diei alliganda, nec dierum numero, quàm coctione æſtimanda eſt. Si itàque coctionis ſigna appareant, eſtò ante, vel poſt 7. diem, icterus ſuperveniat, pro critico habendus eſt, & ſi die critico [quem ex ſupputatione exiſtimamus] ſuperveniat, pro ſymptomatico cenſendus eſt. Verùm enim verò ut *Hipp.* exiſtimationem ſalvemus, dicendum, quòd per diem 7. quemvis criticum intelligit, & 7. nominat tanquàm nobiliorem criticum, ut pro omnibus aliis vult, intelligatur. Si alvi fæces, tum urinâ ſint valdè coloratæ, malum portendunt. Flavus icterus ſecurior eſt, quàm niger, attamen ſi color alius ex alio oriatur, morbi longitudinem ſignificat.

Veterum Curatio.

Maleferiati Galeniſtæ, quia icterum meatuum veſiculæ fellis obſtructionem ab humorum craſſitie, & viſciditate eſſe, indèque bilis ad hepar regurgitationem, ac hepar incaleſcere, & majorem bilis copiam coacervare, eandemq; propterea bilem ad inteſtina non deſcendere, ſed per venas univerſum corpus unà cum ſanguine pervadere, & proprio colore cutem inficere dicunt, ad bilem per alvum ſubducendam clyſteribus utuntur, nàm in hoc morbo alvus adſtricta manet, ob bilis defectum, quæ inteſtina non irritat, ſed irritare ſolet, quia non tantùm inteſtinorum ſtercora ſubducunt, ſed etiam naturam ſtimulant: ſed falluntur, quia quædam ſtercorum fœtidi ſulphuris aura agitata ſtomachum obnubilat, appetentiâ dejicit, & malum adauget. Prætereà clyſterum vis ad ductum cholidocum aperiendum non pertingit. Deindè humores craſſos, & viſcidos obſtruentes tribus ſyrupis incidunt, attenuantque, ut

℞. *Syr. de quinque radic.*
cichor. an. ℥j.
aq. fumariæ ℥iij. *m.*

Præparatos humores purgant, ut

℞. *Fol. ſen. or.*
epithymi an ℥ß.
mirobolanor. citr. ℈iv.
tartar. vini alb. ℥j.
f. decoct. in aq. fumariæ
& in ſuff. q. diſſolve
ſyr. roſ. ſolut.
de cichor. compoſ. an. ℥ijß
electuar. de ſucc. roſ. ʒij.
m. f. potus. Vel

℞. *Decocti ſolutivi comm.* ℥v.
rhabar. infuſ. & expreſſ. ʒj.
manna Calabrina ℥ijß.

f. potus.

f. potui.

Vel in formâ boli:

℞. *Caſſiæ recens extract.* ℥j.
diaphœnicon. ℥ß.
trochiſc. de rhabarb. ℈iv.
m. cum ſacchar. f. bolus.

Vel in formâ pilul.

℞. *Maſſ. pilul. de rhabarb.*
hieræ ſimplicis.
pilul. aggregativar. an. ʒß.
diagrydii gr. viij.
ſyr. de abſynth.
f. pilul. vij. *& deaurentur.*

Verùm ſolutiva remedia, quæ vehementer purgant, nocent, quia ſitim inferunt, & appetentiam dejiciunt, ideòque lenientia eſſe debent. His purgantibus ſperant bilis verſus inteſtina deſcenſum irritare, & ſimul obſtructa vaſa ab infarctu liberare: ſed decipiuntur, nàm ſolis purgantibus icteritiam nunquàm ſublatam vidimus. Poſtmodùm, purgato corpore ſanguinem mittunt, verùm in hoc morbo potiùs adeſt cacochymia, quàm ſanguinis plenitudo. Inſuper ſanguinis miſſio obſtructionem non tollit, quam in icteritiâ ſupponunt, ſed potiùs auget.

Præmiſſis præſidiis univerſalibus, ſi morbus non ceſſerit, quia obſtructio eſt pertinax, ad aperientia fortiora progrediuntur, & per aliquod temporis ſpatium propinant ſequens decoctum per ſeptem, vel octo dies, quod icteritiam radicitùs tollit, ut

℞. *Fol. marrubii,*
chelidoniæ majoris,
agrimoniæ an. m. j.
ciceror. rubr. ℥ij.
radic. rubiæ tinctor. petroſelini,
fragariæ an. ℥ß.
cinnamomi ʒj. *croci* ℈ß.
infundantur per noctem in aq. ſtillatitiæ abſynth. lib. ß.
manè bulliant,
colaturæ adde ſacchari ℥ij.

Doſis ℥v. capiat manè tribus, vel quatuor horis ante prandium. Vel ſequentem ſyrupum propinant quolibet mane ad icteritiæ extinctionem, ut

℞. *Foliorum,*
florum hyperici an. m. ß.
ſummitat. abſynth.
cuſcutæ an. m. j.
paſſularum ℥ij.
raſur. eboris ʒiij. *croci* ℈ß.
f. decoctum in aq. fragariæ lib. iij.
in colaturâ diſſolve Sacchari q. ſ.
& f. ſyr. ſ. art.
Doſis ℥ij. *in aquâ abſynthij.*

Vulgares medici ſuis non carent ſpecificis; etenim morbo regio laborantibus imponunt, ut aurum, aureaſq; picturas ſemper intueantur: inquiunt n. ſicut aurum ad ſe habet vim magneticam hominum corda trahendi, ità multò magis aureos illos humores. Ridiculum ſanè ſpecificum, quia ipſi ridiculi.

Noſtra Curatio.

Optima ſunt remedia pro icteritiæ curatione, & ea præſcribere debet medicus, quæ huic morbo ſunt appropriata, & ſpecifica; verùm ſi ictericus diætam non obſervabit, incaſsùm laborabit, nec pro diætâ cibum, & potum tantùm, ut vulgus opinatur, intelligimus, ſed etiam ſex res non-naturales, quarum prima eſt

Aër, qui temperatus eſſe debet, & frigidus in calidiorem mutetur.

Cibus ſit facilioris coctionis, & boni ſucci, carnes ſint potiùs ſylveſtres, quàm domeſticæ, aſſatæ, quàm elixæ, ut aviculæ montanæ, phaſianorum, perdicum, & aliarum avicularum monta-

narum, pullorum, gallinarum, caponum, &c. quibus incoquantur ea, quæ virulentum fermentum abradere,& per urinam exturbare poſſunt, ut aſparagi, ſium, fœniculi, radices petroſelini, ſerpilli, &c. Vitentur omnia ea, quæ difficulter concoquuntur, ut ſunt carnes cervinæ, bubalæ, bovinæ duriuſculæ, multùmque ſalſæ, pinguia omnia, piſces arefacti, duramque habentes carnem. Exulent legumina, præter cicera rubra, piſces, præter ſaxatiles; itèm fructus horarii, mellita, ſaccharata, & dulcia. Sit tandèm cibus extenuans, & moderatè ſumatur, ingluvies n maximoperè nocet, quia *Impura corpora, quantò plus nutris, tantò magis lædes.*

Potus ſit vinum tenue, & album aquâ fragariæ, vel decocto radicum rubiæ tinctorum dilutum.

Motus ſit moderatus, ſed præſertim multum ſe exerceat æger, ſi medicamenta martialia ſumat; prodeſt n. morbo regio correptis deambulare, laborare, & ſudare, ut habetur ex *Hip.lib.7.Epid.*

Quies aliqualis conducit, ſed non abeat in deſidiam, quia malum augeret.

Somnus ſit moderatus, non nimio utatur, vitetur diurnus, & ſi æger ſit diurno aſſuetus, poſt prandium ſomno ſe breviter componat.

Vigilia ſit ſomno productior.

Excretiones alvinæ arctè, vel naturà reſpondeant indies juxta exigentiam, quæ ægro debetur.

Animi paſſiones, quæ ſtomachi digeſtionem impedire poſſunt, ut ira, & triſtitia vitentur, & quæ omnium oblectare queunt, admittantur, ac propterèa morbus hic regius vocatur, quia jucunditate, & animi hilaritate curatur, quâ Reges ſemper delectantur.

Icteri curatio pro cauſarum occaſionalium diverſitate variè inſtituenda eſt; nàm ſi à calculo in fellis veſicâ, ab hepatis obſtructione, ſcirrho, & inflammatione dependet, non niſi hæ affectiones fuerint ſublatæ, incaſsùm laborabis, his verò ſublatis, ſponte ceſſat. Si criticus non medicamento, ſed naturæ beneficio curatur; Symptomaticus verò nullam peculiarem admittit curationem, ſed ad principalem morbum tota eſt dirigenda, quo ſublato, aufertur.

Totus igitur curationis cardo non tantùm in ventriculi corrigendo vitio, ſed etiam virulento fermento in extinguendo, conſiſtit, quo habito, ſtatim ad priſtinum munus diſtributiva redit.

Si magnâ excrementorum colluvie ſtomachus gravetur, ex *ſale albo vitrioli à* ℨj. *ad* ℈iv. ter propinetur blandum vomitorium, quod ſi affectus contumacior ſit *croc. metallor. turpetum minerale* exhiberi poteſt, & ad *merc. vitæ à gr.* vj. *ad* viij. *in vino infuſum* terrecurrendum eſt, vel ad *noſtrum hippocras emeticum.*

Purgantia à lenioribus ad fortiora progredi debent, attamen in fellis debilitate venena ſunt, cognoſcitur hoc, quia excrementa colorata ſunt. Talia erunt Manna potabilis, rhabarb. extract aloës eſſentia; diatart. & alia purgantia hydragoga, & phlegagoga, quæ etiam flava excrementa evacuant, quod *Galenum* non obſervaſſe miramur; nàm 5. *de ſimpl. cap.* 25. purgantia determinatos humores trahere forſan non decreviſſet.

Poſt univerſalia præſidia ad ea, quæ ventriculum corrigunt, & virulentum fermentum extingunt, deveniendum eſt, talia ſunt; *tinct. rhabar. croc. martis, abſynth. & hyperic. ſal. urinæ humanæ, tart. vitriolat. ſal. tartar. abſynth. menthæ, & omnia alkalia. Spiritus ſalis, Julph. urinæ humanæ,*

humana, ol. & ſp. vitriol. in aq. deſtillat. ut abſynth. marrubii, chelidonia, agrimonia, centaurii minoris propinari poſſunt. Pulvis lumbricorũ terreſtrium in decoct. abſynth. Album gallina in vino infuſum, & colatura bibita. Pulvis fol. perforata ad ʒj. *in vino albo ſumptus per aliquot auroras. Puerorum icteritiam fragaria decoctum cum paſſulis corinthiacis ex aquâ paratum ſolvit; adultorum verò ſi marrubii m. ß. vel, in vino, vel decocto priori maceratus fuerit, quo ad bibendum utatur ad morbi declinationem. Chalybeata õnia multùm conferunt;* nàm ſanguinẽ purificant, & venenũ abradunt.

Specifica quamplurima à recentioribus contra icteritiam excogitata fuêre, & præcipua ſunt, ut

℞. *Rubia tinctor.* ℥j.
vini græci lib. jß.
ponantur in matulâ cum capitello cæco, digere per 24. horas, deindè in igne arena bull. ad h. 2. amoto igne, & frigefacto vaſe, aperi, & decanta. Doſis cochlearia aliquot manè. Vel

℞ *Flor. ſulph. q. v. croc. contuſ. par. & cum ſacchar. alb. æqualibus m.* Doſis eſt quantum cuſpide cultri capi poteſt, manè, & veſperi, & intra triduum icterum pellit. *Mercurii lutei gr.* j. *vel ij cum theriacâ, vel ejus extract.* repetitis vicibus, ſi opus fuerit ſimplicem tollunt arquatum.

Extincto virulento fermento, & ſublatâ icteritiâ, ut plurimùm flavus ille color cuti impreſſus brevi temporis intervallo evaneſcit, ſed ut citiùs abeat, diaphoreticis, & ſudorificis diſcutiendus eſt, nempè *mercurio luteo, antim. diaphor. bezoartico Joviali, ſp. tartari, &c.* At quia facies in conſpectum venit, curare debemus, ut fædus illius color, quàm citiùs evaneſcat, itàque *aq. flor. fabar. ol. tart. p. d. vigorata* abluenda eſt. Ad hunc quoque ſcopum nonnulli *ſuccum cucumeris agreſti aq. roſ. vel lacte dilutum attrahendum per nares imperant.*

CAP. XVIII.
De Ictero ex Veneno.

Sed adhuc, ex venenatorum animalium morſu, hauſto veneno, & lue venereâ, quomodò icteritia generetur, major difficultas non tantùm veterum, verùm etiam recentiorum ſcholas contorquet, undè

Veterum Cauſa.

Vulgarium grex quomodò icteritiam inducant, interſe non æquè convenientes, varios modos, aniléſque nugas excogitârunt, & quidèm cum ſectatoribus Gal. 5. de loc. aff. cap. 7. ſanguinem corrumpi, & in bilem converti ſancivit. Alii malam hepati qualitatem imprimi, ut plurimam generet bilem, quam poſteà per univerſam cutim diſpergi ſtatuerunt. Alii verò à veneno, ſive à morſu venenato eos ſolummodò icteros fieri, qui plurimâ exuberant bile, dixêre, ex eo quod expultricem laceſſit, & ità ſimul bilem toto in corpore redundantem ad corporis peripheriam detrudit, inficitque. Nonnulli tàdèm relictis fabulamẽtis à quatuor qualitatibus mendicatis, ad occultas recurrunt, & hac ſe ignorantiâ tegũt.

Sed à veritatis ſcopo multùm aberrat cum ſectariis *Galenus*, nàm ſecundum eorum ſententiam ſanguis corruptus ſynocham putrim excitare deberet, attamen hoc falſum experimur, cùm ad tactum parvi pulſus exorbitantem calorem non patefaciant. Præterquàm quòd ſanguinis in venis, vel arteriis putrefactio manifeſtum involuẽ

 errorem

errorem, & impoſſibilem exiſtimamus; nàm minima pars labe corruptionis infecta, ſemper ulteriùs ſerpendo corrumperet, juxtà vulgatum in Scholis axioma: *Quod tangitur à putrido, putreſcit*, donec totam ſanguinis maſſam corrumperet, putrefaceretque, & ſic in naturæ gratiam redire non poſſet, cum *à privatione ad habitum non detur regreſſus*, & vita ampliùs perſiſtere non poſſet. Neque verum eſt malam qualitatem hepari imprimi, ut indè magnam bilis copiam generet; nàm illa mala qualitas (quam quid ſit, non explicant) non poteſt ſolùm hepati imprimi quin alias partes in tranſitu priùs non inficiat. Nec primò bilis copia generatur, & deindè icteritia provenit, cum illa toto in corpore mutatio ſubitò fiat. Neque neceſſarium eſt, ut priùs bilis exuberantia in toto corpore inveniatur, & expultrix inſurgat; nàm ſi expultricem ſolummodò ſtimularet, utiq; pro individui cõſervatione potiùs veneno à centro ad circumferentiam, quàm tantùm bilem, vel utrumq; eliminaret. Præterquamquòd omnes климатbilioſi præexiſtere deberent. Qui ad occultas qualitates recurrunt, ruſticâ nimis philoſophiâ utuntur, & ad ignorantiæ aſylum confugiunt, dùm qualitatem ſibi notam in effectu, & ignoratam in causâ accuſant, & cùm ratio deficit, ad cauſas occultas, in teſtes non citabiles recurrunt.

Noſtra Cauſa.

Perpenſis vulgarium fabellis, noſtram ſententiam in medium proferamus, pro quâ ſtabiliendâ, eſtò magnas involvat difficultates, integrumq; exigeret volumen, tamen breviter præmittemus

Primò, ut diximus in noſtrâ *Pyrotechniâ Sophicâ lib.3.c.1.* Venenum eſt omne id, quod ſive naturâ ſuâ exoticum, ſive exuberans intra vitæ noſtræ receptum, vitam diverſimodè agitat, quatit, atque ſuâ præſentiâ in varios pellit motus præternaturales, ut in furorem, iram, pavorem, &c. quibus agitatus vitæ ſpiritus, ſicut ægrotat, ità demùm ni deficiãt tales motus, faticit atq; extinguitur.

Secũdò hîc nos loqui non de venenis, quæ noſtro in corpore progignũtur, ſed de his, quæ deforis homini deveniunt. Hæc triplici ex fonte oriuntur à vegetabilibus nempè, animalibus, & mineralibus. Ea omnia vegetabilia venenata cenſemus, quæ ciborum naturæ omninò repugnant, & adverſantur; quæ naturâ non ejuſmodi ſunt, ut eſitata in alimentum cedere poſſint. Quinimò contrariam obtinent facultatem, ità ut membra jàm nutrita convertant in ſeipſa. Hujuſmodi ſunt *Napellus, Aconitum, Sardonia, Nerium*, & alia quamplurima plantarum genera. Animalia ea omnia veneno inficiunt, cujus naturæ humanæ prorsùs adverſantur, id patet in *viperis, aſpidibus, rubetis, rabidis quadrupedibus:* Itèm in morticinis carnibus, aut fulmine occiſis aut à venenoſis, & tabidis animalibus. Metalla illa omnia dicuntur venenata, quæ maleficiâ, & lethali vi conſtant, ità ſunt *Sandaracha, & Realgar*, quæ in metallorum fodinis reperiuntur, *Mercurius ſublimatus, Arſenicum cryſtallinum*, & alia quamplurima, quæ hominum malitiâ conficiuntur, miſcendo, & exaltando naturalia venena, quæ tàm intùs aſſumpta, quàm contactu, affrictu, illinitione, halitu, & odore hominem de medio tollere valeat.

De modo, quo venena in viventia agant Galenus, ejuſq; ſectatores tàm varii, ràmq; diſcrepantes videntur, ut in compeſcibili litigio invicem magno logiſ-

logiſmorum apparatu muniri digladientur contendátq; & turmas inſtructi, unuſquiſq; pro propriâ ſuadendâ ſententiâ inſudet. Aliqui n. qualitatum elementarium exceſſu quatum miſtione conſtant, agere aſſeverant. Quidam propriâ tantùm qualitate, aut formâ, quam occultam proprietatem appellant. Alii verò utroq; modo ſimul agere, nempè qualitate elementari, & propriâ formâ, quam formam ſpecificum vocant. Alii tandèm qualitatum tàm manifeſtarum, quàm occultarum in ſufficientiam intuentes *Ariſtotelis*, & *Galeni* præjudiciis exuti, in *Epicureum*, *Democrateaſq;* atomos impinſerunt, & tali, vel tali particularum, ſeu corpuſculorum poſitui veneni actionem refundunt. Quæ ſententiæ, ad veritatis ſcopum colliment, ſapientibus, & inſipientibus exponendas relinquimus, & interim in tanto opinionum conflictu ad noſtram ſtabiliendam accedemus.

Certum eſt venena diverſimodè in nos agere: aliqua n. ſunt corroſiva, & putrefactiva, quę uſtulando nos rodunt, talia ſunt, *Arſenicum*, *Sandaraca*, *Realgar*, *Mercurius meteorizatus*, *Calx viva*, *&c.* quæ nimio ſulphure inflammabili, & plurimo ſale cauſtico, corroſivo, acuto, volatili, & extracto conſtant. Alia vim ſuffocantem habent, hujuſmodi *Napellus*, *Aconitum*, *Taxus*, *Nerium*, *Fungi*, & quamplurima alia, quæ nimiâ fracedine, & gas virulento exuberant, ac, vitæ noſtræ ſpiritum exſufflant. Patet id, nàm ſi in cadum amplum flammam immiſeris, ſi fracedinē vas redoleat, vel fracidæ fœcis tantillum contineat, illicò lychnii, aut candelæ flammam extinguit. Idem in vitalibus igniculis intelligendū eſt. Eâdem ratione quoquè in cryptis, fodinis, ſepulturis, & ciſternis necantur viventia odore, & gas loci. Alia verò ſunt obſtupefactiva, quæ ſpiritus incraſſando, & immobiles reddendo procedunt, talia ſunt *cicuta*, *hyoſcyamus*, *ſolanum*, *mandragora*, *opium*, *ſtramonia*, *&c.* Hæc tenebricosâ caligine obnubilant, obtenebrantque ſpiritus animales, & vitales figunt, ineptoſq; reddūt ad motum. Hinc ſtuporem, anhelandi difficultatem, & non nunquàm ſuffocationes, quas ſpiritus denſando invehunt, & ob omnium facultatū omnimodam interceptionem ſpiritus in totiùs corporis partibus exiſtentes figunt. Vegetabilia hæc omnia patrant quoddàm gas ſulphureum, anodynū, vaporoſum & fœtidum, quod in omnes facultates inſpirat, in quo omnis vis obſtupefactiva conſiſtit. Alia tandèm ſanguinem coagulandi vim retinent, hujuſmodi eſt *viperæ*, *aſpidis*, *rubetæ*, *ſcorpionis*, *&c.* venenum. Patet id, nàm demorſi membrum ſtatim arctâ victurâ obducitur, & ſuctu, vel cucurbitulâ extrahitur, nè tota ſanguinis maſſa coaguletur, quia horum venenum acidum eſt, ex quo coagulatrix vis pendet, & quoniam omne acidum à ſalſo præcipitatur, obtunditurq; hinc oritur viperas, ruberas aſpides, ſcorpiones, &c qui parvas incolunt inſulas, veneno carere, eorumq; morſum nil præter vulnus habere, quia maris ſalſæ exhalationes obtundunt, hebetantque horum virus. Undè ad demorſi virus nullum præſentaneum antidotum, quàm ex ſale petendum. Alia quamplurima, quæ ſub amicâ ſpecie nos illudunt, occultumque intus hoſtem deliterium gerunt, omittimus.

Notandum hîc, ut in noſtrâ *Pyrotechnâ*, & alibi pluries diximus, quòd omne ens morboſum à duplici causâ conſtituitur in eſſe, & operari. Prima eſt efficiens idea in vitæ ſpiritu ad noxii præſentiam concepta, in cujus obſequium

ſemel

ſemel redacta vita, & ab eâ impulsa ei ſervit, à quo impellitur. Secunda occaſionalis, veluti occaſio ad ejus præſentiam talis ſuſcitatur idea in vitâ, ut omne id, quod vitæ noſtræ extraneum intra ejus domicilium eſt introductum, ſuâ præſentiâ totâ vitæ ſpiritibus œconomiam turbat, & quietem invertit, ſive id deforis receptum, ſive ſuſceptum, ut venenum, vel omne aliud vitæ noſtræ exoticum ſimul cum cibo, potu, &c. in in noſtrum corpus furtivè introductum, ſive inſpiratum gas, aut minerale, aut quomodocumque putridum, & ſimilia, quæ deforis introducta, ſui præſentiâ ideam morboſam in vitâ ſuſcitare, ſive vitæ integritatem intercipere valeat.

Hinc unumquodque venenum propriâ habet ſpheram ſuæ activitatis, intra quam agit, quod à ſubjecto ſe propagat in totum, & mortem infert. Undè corroſivum hæc horrenda ſymptomata excitat linguæ, faucium, & gulæ aſperitatem, æſtum, ſitim inextinguibilem, eroſiones ventriculi, & inteſtinorum vehementiſſimos cruciatus, ſingultum, tuſſim, ſpirandi difficultatem, deliquia, palpitationes, vomitus, convulſiones, manuum, & pedum ſtupiditates, urinæ ſuppreſſionem, dyſenteriam, ſudores frigidos, & tandèm mors ſequitur, & capilli, & pili defluunt. Suffocans hæc prava ſymptomata comitantur lingua, labia, frons, oculi, totumque corpus intumeſcũt, quale hydropicorum eſſe ſolet. Caput perturbatur, gravitas ſequitur, & vertigo, deliriũ, animi deliquiũ, muſculorum, temporum convulſio, tremor, oculorum rubedo, lacrymæ involuntariæ, laterum dolor, pectoris gravitas, anhelitus difficultas, copioſi flatus in inteſtinis, pylori morſus crura vacillant, frigidus ſudor in toto corpore, pulſus languidi totumq; corpus livido colore fœdatur. Obſtupefactivum vertiginem inducit, ſomnum profundiſſimum lethargo non obſimilem, à quo æger difficulter excitatur, & magno clamore excitatus ſtatim iterùm obdormiſcit. Segnis, languidus, & triſtis evadit. Quandòque in amentiam, furorem, & anhelitus difficultatem concitatur. Ebriorum more modò delirat, modò rixatur, & modò varios edit gemitus. Oculos habet rubicundos; & prominentes. Lingua, & os ità areſcunt, ut ore ſemper hiante, frigidum attrahere aërem cogatur. Alvus, ut nihil excernatur arctiſſimè conſtringitur. Coagulans ſanguinem, ſi ab ictu, vel ab inflicto morſu dependeat, primò è vulnere ſanguis emanat purus, deindè pars liveſcit, nigreſſit, totumque corpus nobilem in tumorem attolitur, nunc flaveſcentem, purpuraſcentem, viriſcentem, & nunc nigricantem. In parte læsâ vehemens calor, & puſtulæ excitantur. Succedit inappetentia, vomitiones bilioſæ, ſingultus, vertigines, mentis ſtupor, tremores, lipothymiæ, anhelitûs difficultates, parvi pulſus, profundus ſopor, &c.

Hinc ſi venenum, ſive corroſivum, ſuffocans obſtupefactivum, ſive coagulans intra vitæ domicilium receptum, ſive ſit ſuſceptum vitam diverſimodè agitat, quatit, perturbat, & ſuâ præſentiâ in varios impellit motus præternaturales, ut in furorem, iram, terrorem, pavorem, triſtitiam, &c à quibus agitatus vitæ ſpiritus tales deficiant motus, extinguitur. In tanto ſymptomatum conflictu vitæ noſtræ ſpiritus in ſuis functionibus pervertitur, & ſi juxta proprietatem veneni digeſtiva, vitietur,

&, alie-

& alienatur diſtributiva, ſtatim icterus emergit. Itàque ſi venenum aſſumptum, venenatus morſus, ſive Lues Venerea quoquo modo digeſtivam vitiet, & ſimul diſtributivam alienet in promptu erit icteritia.

Signa, & Prognoſis.

Signa ex cauſis ſuprà allatis patent. Quò ad prognoſim verò icterus periculoſus eſſe ſolet, & quantò venenum nocentius, à quo provenit, tantò periculoſior cenſetur, attamen à Lue Venereâ periculo vacat.

Noſtra Curatio.

Indicatio hujus icteritiæ curativa eſt, ut venenenum eâ viâ, quâ corpus ſubivit, ſi fieri poteſt, educatur, & expellatur. His ritè peractis, evaneſcit icteritia. Si per os venenum fuerit aſſumptum, illicò è corpore evacuetur emeticis, quæ leniora ſint, & unà lentorem habeant, ut ſalia corroſiva, & ſulphura inflammabilia obtundant, & refringant, & ſimul iis immiſtum foras detrudatur. Talia erunt ex *pinguibus*, *juſculis*, *oleo*, *butyro*, *lacte*, *&c.* parata, quibus addere alexipharmaca, & mucilagines, quæ vomitum non cohibent, non inutile erit. Exhibeantur in quantitate, & pluries, donec nulla veneni ſuſpicio ex ſapore odore, nauſeâ, & dolore ſentiatur. Inteſtina clyſteribus pinguibus, & mucilaginoſis, ſi in ipſa deſcenderit, eluenda, & mundanda ſunt. Phlebotomia, & catharticum eſt ipſo veneno nocentius Poſt evacuatum venenum ad alexipharmaca recurrendum eſt: quædam n. ſunt communia, & quædam propria. Communia ſunt, *tormentilla*, *ſcorzonera*, *ruta capraria*, *ſcordium*, *c. c. terra ſigillata*, *bolus arm. aq. theriac. theriaca*, *mitridatium*, *orvietanum*, *elect. de bacc. juniper*, *bezoar*, *unicornu*, *&c.* Sed utinàm hæc toxicato prodeſſent, ſicuti à vulgaribus decantantur. Miramur ſanè curandorum venenorum artem ad hyſtrionum impoſturas ſe tranſtuliſſe: Magnates, & Principes hoc intelligunt, vident, ſinunt, nec ſibi ipſis proſpiciunt; cùm venenum potiùs in auro, quàm in ligneâ paroxide bibatur. Si venenum univerſalibus præſidiis expugnare intendit medicus, ambulabit in tenebris, & toxicatus ſedebit in umbrâ mortis; nàm ſi, aſſumpto corroſivo, ut erit arſenicum, merc. meteorizatus, &c. propinabitur *theriaca*, *mithridatium*, *unicornu*, *&c.* utique illud reportabit juvamen, quod ex unguento hernia. Dantur multa alexipharmaca univerſalia, ut *theriaca de mumiâ*, *arcanum Theophraſti*, *electuar. noſtrum*, *ad quævis veneni genera*, *cujuſmodi ſunt Napellus*, *virus aranearum*, *bufonum*, *thora*, *cerebrum felis*, *menſtrua*, *&c.* Sed hæc non reperiuntur in pharmacopolio. Neceſsè igitur eſt venenum cognitum haberi, ut ſpeciatim alexi pharmacum naturæ veneni exhibeatur, v.g. *mercurii ſublimati* nullum præſentaneum remedium, *quàm alkalia*, *quorum defectum lixivium ſupplet*; aquæ Tuphaniæ *ſuccus limonum*, *vel mali citri*, dummodò non celebrata fuerit phlebotomia, Napelli *ol. caravitæ*, *ſeu Matthioli ex ſcorpionibus*, *&c.*

Si verò icteritia à morſu, vel ictu animalis venenati pendeat, curandi ratio erit, ut venenum ſtatim foràs pellatur, nè ad interiora ſerpat, ut inhibeatur; & tandèm ſi in venas, vel arterias ſe inſi-

nu avit, & extrahi non poſſit, alexipharmacis expugnetur. Undè vulnus inflictum non eſt magni momenti, imò ratione ipſius eſt ultimum in executione; id quod urget, eſt venenum, quod illicò eſt extinguendum, & è vulnere tollendum, & eradicandum. Cùm igitur affectio hæc tibi occurrit, ſtatim ipſi vulneri, totique corpori ſuccurrendum eſt alexiteriis, quibus chymicorum penu turget. Priùs vulneri ſuccurres, ſi pars icta, vel demorsa arctâ ligaturâ obducetur, eique cucurbitulam cum magnâ flammâ applicando, ut major fiat veneni attractio, & iterando, dein ſolâ *aquâ theriacali ex ſpiritu vini cum ſale calcinato abluatur.* Interiùs exhiberi poterunt alexipharmaca, quæ vim aciditatis veneni extinguendæ habent, ut ſunt *alkalia omnia, ſpiritus vini, ſpiritus ſalis non vulgaris præparationis, antidotus viperarum, alkool, & viperarum ſal,* quod olim in magno uſu apud *Galenum*, qui ut credo lumine naturæ doctus obſcurè chymiam ſubodoravit, & ex viperis magna illa confectio, *Theriaca*, quam cùm idem *Galenus s. de loc. aff. c.* 7. cuidam ſervorum imperialium à viperâ demorſo exhibuiſſet, citiſſimè colorem ſuum ſecũdum naturam reſtituit. Interim cum alexipharmacis diaphoretica, quæ à centro ad corporis peripheriam virus expellunt, ſunt miſcenda, vulnus verò *empl. ſtyptico ol. ſcorp. malaxato foveatur, vel empl. noſtro benedicto.*

Si à Lue venereâ pendeat icteritia, mercurialibus tale venenum extinguitur.

CAP. XIX.

De Melancholiâ Hypochondriacâ.

Illud malum trutinandum aggredimur, quod affectio flatuoſa, & ab Arabibus *Myrachialis* appellatur, nos verò cùm communi *malum hypochondriacum*, ideſt *dæmoniacum* apppellamus, vulgò autem *ludibrium, & opprobrium Medicorum, & infirmorum flagellum*, quia hujuſmodi malum debitis adhibitis remediis vix unquàm cedit, & licèt quandòque perfectè curetur, patientes tamen quaſi ſemper quæq; peſſima ſibi augurantur, nec dùm malum expugnatum eſſe credere poſſunt, ſed ſemper timent, (naturâ n. ſunt timoris pleni) nè præter malum, quod ſentiunt, adhuc aliud periculoſius penes eos deliteſcat, eoque præcipiti, inopinatòque occumbant; ideòque medicos quoſcumque inveniunt, conſulunt, nullius tamen præſcriptis remediis ad longum, deſtinatumq; temporis ſpatium utuntur, ſed brevi deſiſtunt, & novo iterùm poſtulant remedia, iiſque ſtatim ſatiantur, & aſſiduis queremoniis medicos infeſtant, eoſque ſæpiſſimè mutant, quâ de causâ nunquàm curatio ex voto ſuccedere poteſt; morbus n. iſte diuturnus eſt, longoque remediorum uſu expugnatur, quod ſi quandòque cedere videatur, ex levi aliquo errato, vel animi pathemate regreditur.

Signa.

Non admodùm hujus affectûs ſigna difficilia ſunt, cùm ex ſymptomatibus, quæ illum comitari ſolent, requirenda ſunt, non tamen in omnibus ægris eodem modo ſe habent, ſed alia in his

his, alia in illis contingunt. Primò igitur pleriſque hypochondriacis ſtomachi coctio læditur, ac nimis, vel tardè, vel perversè, vel negligenter concoquit. Nonnullis inteſtinorum coctio vitiatur, & fæces in ſe diù retinent, undè plus juſto exſiccantur, & demùm laboriosè, & non niſi vehementiori excernuntur conatu. Continuò aquoſitate oppletur, & pthialiſmo, ſeu crebrâ oris ſalivatione, & expuitione tentatur, undè humiditas illa, quæ aliàs forſan fluxiorem conſiſtentiam fæcibus conciliabat, jàm ſursùm arripitur. Verùm in his, qui nullâ crebra oris expuitione tentantur, alvi adſtrictio provenit, quod pars cibalis in materiam viſcidam, & glutinoſam commutatur, quæ cum inteſtinis adhæreat, alvi adſtrictionem patit. Interdùm alvi profluvium contingit ob alimenti degenerationem, naturâ veneni indolem laxativi inducente. Cordis palpitatio in hoc morbo adeſſe, ægrumque ſatis vehementer perturbare ſolet, & utplurimùm circa mediam noctem, adeò ut æger ab eâ è ſomno excitetur, & plurimo terrore, & metu conſternetur, quia nox, & tenebræ naturaliter metum, terroremque augent; accidit autem cordis palpitatio à peregrino excremento, præſertim auſtero, acido, & vitriolato, quod ſanguinem inficit, cordiſque fibras contrahit, undè ſpiritus vitalis tranſitum quærens, non invenit, & attollit partem, quæ gravitate suâ iterùm concidit, & cor palpitat, ut obſervare eſt operationibus chymicis, qui aquas ſtygias deſtillant, mercurium ſublimant, antimonii flores, metalla ſolvunt, &c. quod frequenter cordis palpitatione tentantur. Tunc ægri in magno vitæ diſcrimine conſtitutos ſe exiſtimant, & auxilium anxiè quærunt. Utplurimum, quoque propter obſtructionem in hypochrondriis æſtus persentitur, qui à ſalium pugnâ excitatur, & fermentatione; nàm quæ fermentantur invicèm effervescunt, & ebulliunt, hinc flatus, & murmura in hypochondriis percipiuntur, & interdùm illorum flatuum pars per ſuperiora: & inferiora explodiтur. Non rarò dolores in ventriculo, & hypochondriis à flatibus excitantur, & interdùm ad dorſum, & lumbos extenduntur, ut nephriticos æmulentur præſertim ſi urina rubra, & craſſa, quæ hypochondriacis familiaris eſſe ſolet, excernatur. Solet in hoc morbo difficilis eſſe reſpiratio, quia obſtructa viſcera inflantur, & diaphragma comprimunt. Genuum robur in acclivi labaſcit motu, quia crurum muſculi altiùs aſcendendo contrahuntur. Pulſatio in ſiniſtro hypochondrio non nunquàm percipitur, quandò ſcilicèt magna ſalium ætherogeneitas in his fermenteſcit locis, & indè ſyſtolen, & diaſtolen majorem efficiunt arteriæ, ità ut tùm ab ægris, tùm ab adſtantibus manum hypochondrio admoventibus pulſatio percipitur, quæ tùm imprimis commovetur, quandò ægri ab irâ, motu citatiori, aut potu vini largiori incaleſcunt. Hæc pulſatio in arteriâ cœliacâ inſignior fit, quæ quandòque ità continua, & indeſinens in morbo inveterato eſt, ut quocumque tempore manum admoveas, perpetuò pulſationem percipies, quod morbum habitualem, & deploratum denotat. Ad quam rem etiam faciunt plurimæ in meſenterio glandulæ, & præcipuè illa magna, quæ in ejus centro primæ vaſorum di-

micoctum deſcendere.

Quod præterea dicunt prædicta viſcera intemperata per aſſationem concoquere, & non per elixationem, ut fieri debet, evertitur etiam non ſolùm quia non ſanguificat, ſed quia ſanguificatio, neque aſſatio eſt, ut parebit.

Neque ex ſanguine aſſato melancholia producitur, ut periculum quiſque facere poteſt, ſanguinem aſſando, ut coqui ſciunt. Meſeraicas non poſſe obſtrui modo, quem dicunt, jàm probavimus.

Diocles, à quo *Galenus* non valdè abhorret, vult hujus affectûs ſedem in ventriculo eſſe, ſive potius in meſeraicis, & inflammatoriam paſſionem eſſe ipſarum partium, licèt afferat etiam quorundam opinionem, qui exiſtimabant pylori os inflammatum eſſe, *Galenus* vult φλογώσιμ, non verâ inflammationem eſſe, quæ opiniones etiam ab ipſiſmet Galenicis parùm probantur, nàm primò, calor non ſemper percipitur in illis partibus: ergò priùs dicendus eſt effectus, non causa hypochondriacæ. Præterea hi abundant acido humore, qui frigiditatis ſoboles eſt, ut ipſi volunt, & frigidus hic humor acidus eſt, & cóſequenter non valens φλογώσιμ excitare. Secundò coctio hypochondriacis imminuta eſt frequenter non depravata, quod penuriam caloris oſtendit. Has, & ſimiles rationes perpendentes Galenici, & videntes eorum magiſtrum conciſè admodùm, quod facere non ſolent, & dubitantis ſimilem de his diſſerviſſe alio modo philoſophati ſunt.

Dicunt hepar in hypochondriacis eſſe plus juſto calidum, & ſtomachum plus juſto frigidum vel ex naturali conſtitutione calorem ſtomachi hepar abſumens, ut flamma major minorem abſumit flammam.

Quibus hypotheſibus, calida, quæ obſervantur in hoc affectu, & frigida defendunt, & differentiam curationis excuſant, obſtructionem pariter in meſeraicis venis volunt eſſe generatam, ut explicavimus, cætera videte apud authores.

Plauſibilis admodùm hæc ſententia vulgò eſt, quòd maximæ falſitatis indicium, falſitas hujus ſententiæ probatur. I. quia hic affectus ſtatim tolleretur abſque remediis, quia ſtomachus frigidus à vicino hepate calido corrigeretur, & hepar calidum à ſtomacho, & ſic brevi utrumque viſcus ad priſtinam, & debitam temperiem rediret. Præterea ſtomachus frigidus chylum frigidum conficeret, & hunc hepar calefaceret, hepar ſanguinem calidum efficeret, hunc ſtomachus ad calorem debitũ reſtitueret. Itèm calor hepatis, à quo ſtomachus circumdatur, coctionem adjuvaret ipſius ſtomachi, & defectum corrigeret, non aliter ac corrigere poſſunt in communi ſententiâ calefacientia medicamenta foris, & intra adhibita ad temperiem frigidam ſtomachi, & coctionem adjuvare per illam non perfectam. Sic olla, ſive aenum frigidum, ſi igni ponatur, aquam calidam redit. II. Qualitates has ſenſibiles ſunt, & actu exiſtere debent; ut agant; non in omnibus hypochondriacis, & non ſemper hepar calere videtur, imò cùm hepar caler, & ſtomachus, & cætera quoque viſcera calent. Nec ſtomachus frigidus obſervatur, ſi tactus hujus indicem conſulas III. Calor omnis in partibus eſt à ſanguine, qui cùm caler, vel friget, partes omnes, & calere, & frigere facit. Eſſe calorem omnem à ſanguine patet, quia ablato ſanguine, aufertur

ſtatim calor. IV. Quia digeſtiones, ut probavimus de ventriculi actione, à calore non peraguntur, ſed à fermentis.

Ridiculum autem eſt, quod afferunt de flammâ majori abſumente minorem, nàm flamma, neque trahit minorem, neque conſumit, ſed illius alimentum depaſcens, quo tempore illam majorem facit, conſumere videtur.

Quòd ſi dicant hepar conſumere pabulum ignis ſtomachi, parùm refert, hoc remanente igne hepatis, qui ipſum benè ſupplere poteſt, ſic cubiculum clauſum, in quo flamma major abſumit alimentum minoris, calidum remanet, quouſque flamma major perſeverat.

Neque dicant calorem hepatis non eſſe proprium ſtomachi, & conſequenter non poſſe ſtomachi coctionem adjuvare, quia calores ejuſdem ſpeciei ſunt, & antequàm calor hepatis alimentum aggrediatur, ſtomacho communicatur, tùm quia naturalis eſt, tum quia debitus, & ab hoc ſtomachus adjutus coctionem facit. Sic calor in membris refrigeratis introductus à calore externo, & ab interno etiam febrili illius membri naturalis fit ille gradus, ſcilicèt, qui debitus, & temperiei naturali illius, & cùm febrilis deſtruitur, ille remanet, & ac functiones facit, quas debet. Modus, quo calor, & dolor trahere videantur, inferiùs explicabitur.

Helmontius moleſtari quamplurimùm in hoc affectu pylorum credit, ex eo quod in pancreate corpore glauduloſo multis fermentis dato pro neceſſitate œconomiæ naturalis, peregrinum aliquod ſal volatile ex digeſtione notum illàc irrepſit mediante latice, vel cruore, hoc quia non vitali Archeo moleſtum, & maturitate temporis incaleſcit; calor n. omnis opera corroſivorum ſalium fit, atque hinc ſecundum ipſum reſultat hypochondriaca φλογῶσις, & ex hoc provenit, quod Archeus partis ſentiens hoſpitem exoſum, blas alterativum excitat, illumque non valens expellere, variè commutat, propter quæ partis viciniâ pylorus afficitur, & induit pertinacem ſegnitiem, propterquam non operatur, quandò opus eſt, & alimentum diutiùs retinetur, quàm par eſt, ſupra quod vis fermentalis agens pluſquàm par eſt, chyli partem tranſmigrare cogit in flatus, qui ſi per ructus non expelluntur, compreſſionem excitant illam, de quâ hypochondriaci lamentantur: pancreas igitur, & pylorus maximè affliguntur in hoc affectu, occaſionalis cauſa in pancreate, quæ Archeum pylori ad furorem irritat, ſed meſenterium quoque ſedes melancholiæ hypochondriacæ eſt, quæ cloacæ, ſimile varia indigeſtionum producta continet, quæ in tempus ſilent uſque ad plenam maturitatem, in quâ exaltata veneni indolem exponunt, & pro hujus varietate agunt in Archei duumviratum, qui commotus in ſe fabricat entia morboſa, nulla in hoc affectu intemperies accuſanda, ſed quæ affectum ſubſequuntur, ea effectus eſt enixi morbi, quod eſt antequàm ipſam producat. Ens hoc ex proprietate ſeminis non ſolùm calidam, ſed frigidam intemperiem producere poteſt, atque hinc hypochondriaci, & à calidis, & à frigidis læduntur, non quòd calidum hepar frigida lædant.

Ex

Ex quibus colligit in hypochondriacâ non proſpiciendum eſſe ad calidam vel frigidam intemperiem, licèt cavenda ſint, quæ Archei furores intendere valent Cauſam occaſionalem proritare, accumulare, & digeſtionum perturbationem magis excitare valent acria, & calefacientia valdè, à quibus ſummè læduntur hypochondriaci quia augent ſymptomata, φλογώσιμ ſcilicèt, & à digeſtivâ vi non ſubiguntur, & conſequenter abeunt in excrementa affinia ſalibus illis in ſede melancholiæ ſtabularis.

Quæ de Archeis *Helmontius* fabulatur, utinàm fuiſſent, pylorum furere, ſi non metaphoricè dicatur, non eſt ſanæ mentis aſſerere. Omnes rationes, quas adducit pro eorum confirmatione, facilè ſolvuntur. Verum eſt in hypochondriacâ pylorum utplurimùm ſtatuto tempore aperiri, ſed hoc non ex furore, ſed ab aliâ causâ, evenit, ut dicemus.

Obſervatur in hypochondriacâ timor, & mœſtitia, quæ ut vult *Galenus* ex ſpirituum animalium obtenebratione fit, hi. n. naturâ ſuâ puri, & perſpicui alacritatem, & lætitiam inducunt, à quâ conſtitutione cùm dejiciuntur, & opaci, ac tenebroſi evadunt, alacritatem, & lætitiam in mæſtitiam, & timorem mutant. Confirmat hoc idem author 2 *de ſympt. cauſ. c.* 7. exemplo ſumpto à tenebris exterioribus his verbis: *Siquidèm etiam eorum, quæ extra corpus ſunt, nihil videmus, quod nos perindè terreat, ac tenebræ: ergò cùm tenebræ rationalis animæ parti ſunt circumfuſæ, neceſſe eſt hominem timere, ut qui ſemper unà cum corpore ſui timoris cauſam circumferat.* Spirituum tenebroſitas cauſatur ab humore melancholico, qui ſuâ craſſitie, opacitate, & colore nigro præditus ſpiritus animales inficit, & tenebricoſos reddit, ut ipſemet *Galenus 3. de loc. aff. c.* 7. ait: *Quemadmodùm externæ tenebræ omnibus ferè hominibus pavorem inducunt, niſi vel audaces admodùm, vel docti fuerint, ſic atrabilis color mentis ſedem tenebris ſimilem reddens timorem efficit.*

Hæc *Galeni* ſententia puerilis eſt, nàm ſi anima, ut ipſe vult, temperamentum eſt, quod tamen falſum expreſsè, & ridiculum eſt aſſerere, quid negotii temperamento cum lumine eſſe poteſt? Primæ qualitates, quarum proportio temperamentum eſt, & cum lumine, & ſine lumine agunt; ſi temperamentum non eſt, ut de anima humanâ fides nos docet, & ſpiritualis ſpiritus à lumine non afficitur, niſi quatenùs radii à corpore luminoſo manantes retinam motu afficiant, qui animæ ſedi communicatur, ex quâ communicatione anima luminis actionem percipit. Ad hoc autem efficiendum non eſt neceſſarium, ut ſpiritus animales luminoſi ſint, ſufficit n. ſi motum recipere apti ſint, & illum cerebro communicare, ad quod apti ſunt ij, qui in hypochondriacis inveniuntur, qui non aliter ac ſani oculorum functiones exercent. Neque conſtat ſpiritus animales lucidos eſſe, ut diximus: ergò alia cauſa quærenda eſt.

Noſtra Cauſa.

Difficilè autem admodùm eſt hujus affectûs cauſam certam invenire, & phœnomina, quæ in hypochondriacis obſervantur, explicare, undè dependeant;

pendeant ; aliquid tamen , ſi non verum , veroſimile ſaltim afferemus.

Coctionem ventriculi , fœcum ſeparationem , & expulſionem , ætherex ſubſtantiæ ciborum ſeparationem , & diſtributionem variari in hypochondriacâ paſſione omnibus notum eſt. Excitari præterea flatus innumeros in ipsâ, nemo eſt, qui neget : incipiendum eſt igitur pro cauſæ inveſtigatione à coctionis læſione, exquâ omnia alia procedere videntur , & poſſunt. Læditur coctio, quotieſcumque fermentum vel acre , nimis quàm par eſt , exiſtit, vel minus , vel volatile admodùm,vel fixum , vel vitiatum eſt in ipſo ſtomacho ; ſed non ſolùm fermentum ſufficit ad coctionem rectè exequendam , requiritur n. aptus calor & alimentorum qualitas apta debitæ fermentationi,& ut retineatur in ventriculo ſpatio requiſito. Ad diſtiſtributionem debitam requiritur , ut pylorus nec arctè nimis, quàm par eſt, claud itur, nec laxè nimis. Ut à fermento incipiamus ex illius vitiosâ conſtitutione oriri poteſt hypochondriaca paſſio ; ſi valdè acre eſt fermentationem ſatis magnam excitat, ex quâ flatûs erumpunt , & pura ciborum pars in ventriculo diù retenta , & exagitata aciditate ſe non ſpoliat , & ſimul cum ciborum reliquiis in nidoroſam, acrioremque tranſit ſubſtantiam , quorum pars, quæ fixa manere debebat, volatilis redditur , hæc in ſtomachi tunicas cum quadam parte aqueâ ſeſe inſinuat, illaſque pedetentim obſtruere incipit. Superfluæ ſeroſitates ex nimio potu, vel potulentis cibis in ventriculo degenerant, cænoſam contrahentes aciditatem à liene, qui corpus eſt ſpongioſum ex arteriolarum multitudine contextum, alliciuntur per vaſa brevia, ipſumque obſtruunt lienem. Ciborum reliquiæ per pylorum in inteſtina deſcendentes, ſecùm rapiunt ſucci alimentitii portionem, quæ primam fermentationem in ſtomacho paſſa, ſecundam fermentationem in duodeno , & jejuno ſuſtinet , undè pars eſſentialis ciborum reliquiis commiſta eandem nanciſcitur indolem , & inteſtinorum fibras pertranſeundo, paulatim eas obſtruere incipit , & meſenterii glandulas , à quibus variæ diſtributiones venæ portæ , & arteriæ magnæ,& venarum lymphâ craſſâ refertarum fulciuntur , inficit, & infarcit, quapropter obſtruuntur , & ſuccci alimentitii depravati partem aqueum,& tenue ſolùm admittunt , & hinc urinæ copia, ſtypticitas, macies, & alia , quæ hypochondriacis accidere ſolent , ſubſequuntur.

Hæc eadem facere po eſt fermentum vitiatum, vitiatur, cùm ſalibus conjungitur ipſis peregrinis exiſtentibus in ventriculi tunicis,per quas ciborum eſſentia tranſit , à quibus etiam in ipſomet ſtomacho vitiatur. Vitiatum fermentum probam ciborum eſſentiam inficit, improba ciborũ eſſentia obſtructiones vel novas parit, vel antiquas duplicat, infeſta ſalia multiplicat,ex improbâ ciborũ eſſenti improbus ſanguis efficitur , & quia ſanguis per hepar tranſcolatur , ipſum infarcit, & obſtructiones parit.

Ex fermentatione depravatâ acidus ſuccus non ſe mutat in ſalſum, & propter nimiam aciditatem nullo modo corrigi poteſt ; hinc pylorum arctè claudit , ex quo nec ciborum eſſentia depravata ſe in ſtomachi fibras inſinuat , nec eorum reliquiæ ſuo tempore ejici

ejici poſſunt, & cùm ejiciuntur aciditate ſuâ inteſtina corrugantur, ſtercoratio impeditur, fellis effluvium obtunditur, nec ciborum reliquiæ fluxiles redduntur,& ſtypticitatem pariunt. Interdum verò nimiùm exaltata acida pylorum, & inteſtina irritant, & varii generis alvi fluxus hypochondriacis ſuccedunt, etiam quandóque bilioſi, ſive ob nimiam apertionem ab his irritantibus meatum bilis factam, ſive bile ab iiſdem compreſſa ubertim tota ſimul fluente. Varia interim ſalium genera ex iis reſultant, quæ in omnibus partibus hypochondriorum, & præcipuè in meſenterii glandulis fixantur, quæ quandóque fermentantur, calorem acrem, qui in hypochondriis obſervatur, excitant, & præſertim in ipsâmet cibi fermentatione, & in excrementorum expulſione, quia tunc à fermentatione excitantur. Cùm verò corpus lubricum eſt, non adeò infeſtant, quia non adeò fermentantur, & quod ab illis erumpit flatuoſum, vel halituoſum liberè tranſit. Incendium excitari poſſe à ſalibus diverſis ſimul miſtis,quiſque qui à primo limine chymiam vix ſalutavit, ſcit.

Et quia fellis effluvio ciborum reliquiæ à ſtomacho dimiſſæ non ſolvuntur, cùm fellis effluvium vitiatum eſt, hypochondriaca quoque oriri poteſt.

Ex his colligitur rectè cognoviſſe veteres à ſucco acido, qui à ciborum fermentatione oritur,ventriculum corrugari, & pylorum claudi, ſed non aſſignâſſe cauſam, ob quam peractâ coctione, ipſe aperiatur, quæ eſt, quia in coctione aciditas ferè omnis in ventriculo mutatur in ſalſedinem, ut videre eſt in vini deſtillatione. Cùm igitur vel Medici, vel Philoſophi ad naturam, ad potentias, ad facultates, vel aliquid ſimile recurrunt, ſignum eſt illos genuinam ignorare cauſam,& velle inſciis imponere.

Multoties oriri poteſt hypochondriaca ex malâ conformatione præſertim pylori, ob quam tempore ſtatuto reſerari non poteſt,ut debet,ex quâ oritur nimia alimentorum retentio, & ſupra illam fermentatio, à quâ aciditas, &c. Cùm acidus ſuccus, qui in hypochondriacorum ventriculis,ut diximus, plus juſto generatur, phlegmate, quod ipſum compeſcebat,ſpoliatur,exaltatur, & acerrimus evadit,ut pro variâ intenſione exaltationis,modò mitiora, modò vehementiora ſymptomata inducit, & aquæ fortis ex vitriolo, alumine, & nitro conflatæ naturam redolet,& illius effectus imitatur, & modò caninam famem,modò rabiem, cùm ſcilicèt ventriculo congeſtus fuerit, & inſultat fermentatione ingenti,appetitus depravatos variarum inſolitarum rerum excitat, argillæ, interdum calcis, boli armeni, carbonum, & ſimilium. Exquiruntur autem res, quæ combibendo liberare poſſunt ventriculum à ſpiritibus illis acribus, & quia varii illi ſunt, varia exigunt corpora, in quæ ſeſe inſinuare poſſint, ideóque ad varias res feruntur.

Curantur hæ affectiones præcipuè vomitoriis, quibus acidi latices evacuantur, & remediis prohibentibus illorum generationem. Analogus eſt hic humor,quàm maximè aceto, & ſicut acetum ſpiritibus quibuſdam excitatis acidum eſt, qui cum ab eo ſeparantur, acidum non remanet, ut experiuntur, qui acetum deſtillant. Hi primò laticem inſipidum ab aceto ſeparant, ſecundò laticem acidiſſimum,

remanent tertiò in alembico fœces, quàm maximè omnium acidæ; nihil enim aliud ſunt, quàm fixiores ſalis acidi partes capiti mortuo adhærentes, ut maximè unitæ. Has fœces ſi in retortâ ulteriùs aperto deſtillant igne, qualis ad vitrioli ſpiritum eliciendum requiritur, aſcendunt primò ſpiritus craſſi inſtar nubis, qui in oleum, ſeu liquorem mordaciſſimum, & cauſticum vertuntur. Neque mirum, cùm ſpoliati ſunt à terrâ damnatâ, cujus conſortium impediebat ulteriorem exaltationem, & penetrationem.

Hinc patet, ex quo oriântur varii melancholiæ hypochondriacæ gradus. Mitiora ſymptomata oriuntur ex acido ſucco depreſſo, majora exaltato, fœcibus aceti ſimillimo in variis hypochondriacorum partibus degente, à quibus ſeparari vix poteſt, elevantur ex omnibus flatus, qui ad varias corporis partes fluentes, modo quem explicavimus, varias præter naturam excitant affectiones, & quia tantus ignis in corpore noſtro non eſt, qui flatus valeat, præſertim ex fœcibus acidi ſucci elevare, fermentativo motu indiget, qui ſuppleat, imò ſuperet omnem caloris vim.

Enucleandi ſunt modi, quibus generantur varia phœnomena in hypochondriacis; Obſervatur primò in ipſis modò maxima appetentia, modò inappetentia; appetentia fit ab acidi humoris nimiâ vi ventriculi tunicas vellicante, & abſumente, & ſibi ſimile reddente dulces latices, vel alios ſapores in ipſo exiſtentes, quibus explebatur, & muniebatur ab acidorum inſultu. Inappetentia contingit, cùm copulentur multa excrementa ex digeſtione malè peractâ prodeuntia, & ex pylori nimiâ clauſione retenta, à quibus impletur ventriculus, & inhibetur acidorum actio.

Secundò, æſtus præſentitur in hypochondriis, excitatum verò diximus à variâ ſalium pugnâ, & fermentatione, quæ maxima eſt, cùm viæ clauduntur, & excrementa retinentur, in quibus ſalium ſedes eſt.

Tertiò, in digeſtione varia patiuntur aliqui, injecto cibo benè ſe habent, ab illo enim deprimuntur acres humores, in progreſſu verò, cùm ſcilicèt actio fermenti alimentum aggreditur, torquentur, ex eo quia tunc acidi latices moventur, & junguntur acidis humoribus ab alimentis reſultantibus. Præcipuè omnes laborant finitâ coctione, cùm excrementa à pyloro deſcendere debent, quia à pertinaci pylori clauſurâ retinentur, & ulteriori fermentatione agitantur, & ſeparatâ dulciori parte, ſive minus acidâ mirum in modum aceſcunt.

Eſſe hæc omnia à pylori clauſurâ pertinaci hoc comprobat, quia cùm laxativum aliquod ſumitur, à quo pylorus aperiatur, & excrementa dejiciantur, benè ſe habent.

Quartò, adeſt flatuum copia variorum, qui oriuntur à fermentatione variorum ſalium, ut diximus, & quia flatus naturam retinent eorum, à quibus elevati ſunt, hinc varias excitant in hypochondriacis paſſiones, quæ etiam diverſificantur locorum ratione. Excitatur in corde palpitatio aliquibus, aliis inteſtinorum dolores, aliis capitis, &c.

Modos, ſive vias, quibus flatus ad partes diſtantes feruntur, difficilè eſt inveſtigare. Diceremus per arterias ferri ad cor, ſi arteriæ ad cor quid exporta-

portarent. Diceremus per venas, ſed palpitatio per ructus, flatu evacuato, tollitur. Alia igitur via invenienda eſt.

Dicamus igitur à flatibus, ſive à naturâ flatuum quædam effluvia exire, maximè cùm agitatur, & flatus emittit, & effluvia hæc ſubtiliſſima modò ad caput, modò ad cor perveniunt, non aliter ac corpuſcula lucis à lucido corpore in corde, vel in capite conglobantur, & uniuntur in flatuum ſpeciem, & continuò diſſipantur, & novo egent effluvio, quod ſi ceſſat, illicò ceſſant, ratione eorum flatuum læduntur operationes animæ plerùmque, & ſemper metu, & triſtitiâ hypochondriaci torquentur. Quomodò hoc eveniat, examinandum eſt.

Anima (de humanâ loquimur) eſt ſubſtantia realiter à corpore diſtincta, & actu ſeparabilis, & per ſe ſubſiſtens, unitur corpori, ut forma, cum quo analogiam habet, & illo indiget ad aliquas operationes obeundas, quas ſcimus, nam ſi quid agit, corpore inſcio, ut revetà agit, cùm ſeparata eſt, neſcimus modum, quo agit; à corpore igitur rerum phantaſmata excipit, ſine quibus cogitare nequit; hinc cùm corpus adeò patitur, ut ad phantaſmata offerenda, ineptum reddatùr, anima non operatur.

Atque hinc apoplectici, epileptici, & his ſimilibus alii affectibus obnoxii non cogitant, vel ſaltem ſciri non poteſt, ſi cogitant; non enim animadvertunt tunc illi ſe cogitare, nec recordantur poſtea tempore inſultûs ſe cogitâſſe, ut cùm ſunt liberi, quo tempore ſe cogitare cognoſcunt, & poſtea recordantur ſe cogitaviſſe. Ex his animæ eſſentia colligitur eſſe ſubſtantiam incorpoream in còrpore apto cogitare valentem.

Brutorum perceptio licèt in aliquibus ſimilis videatur cogitationi animæ, differt tamen ab hac adeò, & ſic imperfecta eſt, ut cogitatio dici non mereatur. Eſt in corpore modo nobis cognito; non enim coëxtenditur corpori, nec eſt tota in toto, quamvis corpus animatum ſit, nam ſi coëxtenderetur corpori, ita ut ejus eſſentia in toto corpore eſſet extenſa, & conſequenter materialis, atque corporea. Ejus eſſentia, & exiſtentia hoc eſt, eſſe aliquid in corpore cogitativum eſt corpore ipſo manifeſtior, nam ſemper dubitare licet, num aliquando nobis imponat, cùm corpora ſenſibus cognoſcimus, ſed non cùm cogitamus, nam & ſi cogitatione falsâ, ut vera percipimus, non poſſumus, cenſendo id, quod cogitat, vel decipiamur, vel non exiſtere, & cogitare.

Senſatio, quâ objecta ſenſibilia percipimus, vel excitatur ab objectis præſentibus, & ſenſatio propriè dicitur, vel ab objectis non præſentibus, & imaginatio appellatur. Excitatur ab objectis præſentibus, cùm objecta præſentia movent nervorum fibrillas, fibrillæ movent ſpiritus animales, qui movent vel glandulam pinealem, vel totum cerebrum, à quo motu anima admonetur, & phantaſma generatur, & rem percipit.

Spiritus animales nil aliud ſunt, quàm viviores, & ſubtiliores ſanguinis partes media fermentatione, & calore ab ea excitato, in corde rarefactæ, quæ indeſinenter ingrediuntur magnâ cum copiâ cerebri cavitates. Commeant autem potiùs illuc, quàm aliò, quia omnis ſanguis, qui è corde egre-

ditur rectâ lineâ per magnam arteriam ſuum dirigit curſum in illum locum, in quem per vias anguſtas valdè, cùm non poſſit totus ingredi, ingrediuntur ſolæ illius partes magis agitatæ, volatiliores & ſubtiliores, reliquis ſeſe diffundentibus per omnes corporis partes.

Iſtæ autem ſubtiliſſimæ, & volatiliores ſanguinis partes ſpiritus animales ſunt, nec egent ullâ mutatione in cerebro, ut tales fiant, niſi ſeparatione, quâ rejectis ſanguinis partibus minùs ſubtilibus impedimentum unioni afferentibus, uniantur. Spiritus igitur animales corpora mera ſunt, & nullam aliam habent proprietatem, niſi tenuitatem, & celerrimum motum, quo cientur, non aliter ac flammæ corpuſcula ex face exeuntia, propter quem nunquam conſiſtunt, quandiù egrediuntur. Quidam ex illis in cerebri cavitates ſimiliter ingrediuntur, alii per poros, qui in cerebri ſunt ſubſtantiâ, poros tranſeunt, à nervis in muſculos, & corpus movent.

In nervis tria ſunt conſideranda, medulla, ſive ſubſtantia interior ſeſe extendens inſtar tenuium filamentorum ab origine uſque ad extremitates membrorum, quibus filamenta nectuntur; Pelliculæ filamenta prædicta circumdantes, & includentes, parvoſque tubulos referentes; ſpiritus denique animales, qui feruntur per hos ipſos tubulos à cerebro uſque ad muſculos, & efficiunt, ut filamenta hæc tali modo extenſa maneant, ut vel minima res, quæ movet partem eam corporis, cujus extremitati aliquid eorum innectitur, movere faciat ſimul partem cerebri, ex quâ venit: non aliter ac cùm extrema pars tenſæ chordæ movetur, alia etiam ei appoſita motum concipit.

Senſatio, quæ fit ab objectis abſentibus, & imaginatio dicitur, vera ſenſatio eſt; verè enim animal à motu ſimili in organo facto admonetur, quamvis objectum præſens non ſit, quod per accidens eſt. Sic campana horologii rectè indicat, & admonet nos de horâ, licèt à manu, & non à machinamentis horologii pulſetur; ſed quomodo percipiatur id, quod præſens non eſt, non eſt difficile explicare. Quod præſens eſt, movet nervorum fibrillas, fibrillæ movent ſpiritus, ſpiritus movent organum, quod dicitur. Quotieſcunque igitur ſpiritus licèt à fibrillis non moveantur, eodem modo movent interdùm organum, admonetur animal, & phantaſma efficitur. Poteſt contingere motus hic à nervis inſciis multiplici modo, vel aliquâ aliâ re movente interiùs ipſos ſpiritus, & hoc in ſomnis accidit, & etiam in vigiliâ, non tamen ſemper percipimus motus in vigiliâ internos ſolos ob motus vehementiores ab externis objectis excitatos, quibus anima auſcultat, quod evenit etiam in ipſiſmet motibus externis; validus enim ſonus percipere non facit invalidum, ſed aliquando cauſa interna eſt tàm valida, ut externum vincat, & hâc de causâ contemplationi nimiæ dediti ab objectis præſentibus non moventur, & tam vehemens hic motus eſt interdùm, ut etiam in vigiliâ reverà cenſeamus objecta eſſe præſentia, à quibus validus motus immitti ſolet, & efficit, ut vel motus præſentium objectorum non percipiantur ſimul cum aliis, ac ſi omnia præſentia eſſent.

Contingit etiam animæ imperio, quod cùm rei ideam percipere vult, dirigit ſpiritus ad locum, in quo veſtigium

gium excitatum, ſive impreſſum eſt ab aliis ſpiritibus jam motis ab externo objecto, à quo veſtigia modificantur, ità ut motum ibi conficiant conſimilem illi, ex quo ab objecto externo jàm ideam percepit. Atque hanc cogitationis ſpeciem, ut in ſimplicem ſenſationem, quæ, ut diximus, ab illâ non differt, cùm non affirmet, neque neget, ideſt neque conjungat, neque disjungat, error cadere non poteſt. Non rectè igitur Philoſophi, & Medici Philoſophos ſecuti volunt hanc falli poſſe, & cùm hanc falli exiſtimant, non hæc fallitur, ſed alia ipſius imaginationis ſpecies, quâ cenſet anima vel ea eſſe conjuncta, quæ non ſunt, vel ſimplicem apprehenſionem, ſivè cogitationem fuiſſe excitatam ab objecto externo deceptam à motûs vehementiâ, quia ab objecto externo, ſed non ſemper, ſolet excitari, hoc etiam poteſt accidere ob defectum motûs vehementioris, ut in ſomniis accidit. Poteſt igitur vel ob ſpirituum tenuitatem, & mobilitatem maximam, vel ob ſenſorii conſtitutionem deludi anima, & exiſtimare motum illum fuiſſe excitatum ab objecto præſenti. Poteſt etiam hoc accidere à vehementiâ nimiâ illius objecti præcedenti cognitione.

Quæres, an poſſit veſtigium hoc ſpecies, ſive imago, ſive phantaſma appellari?

Reſpondemus ſpecies expreſſa appellata eſt illud ipſum, quod apprehendimus, cùm re ipſa imaginamur, & hæc eſt vera imago rei, ſi imago dici poteſt, imò & ipſamet res objectivè reſidens, ut loquuntur, in animâ tempore ſolo imaginationis, nam extra illum actum non eſt, at veſtigium eſt cauſa, & occaſio, ut in imaginationis actu ipſam imaginationem, quæ tota repræſentatur, effingamus, ſive rem ipſam intueamur. Neque poteſt dici, niſi largiſſimo modo ſpecies impreſſa hoc veſtigium; non enim repræſentat rem, ſed effectus eſt rei effectum repræſentans. Neque phantaſma appellari poteſt, quod ſoli expreſſæ appellatæ convenit, etenim ſola videtur, & ſolum in actu imaginandi eſt, ut diximus, & quemadmodùm verò rem præſentem intuemur, anima non convertitur, neque ad ſpiritus, neque ad nervos, à quibus motus, neque ad ſeipſam, quæ à motu excitatur ad imaginandum, ſed ad rem, à quo principium eſt motûs, ſic dùm abſentem imaginamur, non ſe ipſam, nec ad cerebrum, vel ad veſtigium in eo relictum convertitur, ſed ad eandem rem, quam ob factam eandem motionem apprehendit, tanquam eodem modo ſibi objectam, & apparentem; & reverà nequit anima, neque ad ſpiritus, neque ad cerebrum, neque ad ſe ipſam converti, quia ut experimur, non cognoſcit, niſi modo à nobis expoſito, unde ſi vult cognoſcere & ſui ſpiritûs, & cerebri, & ſpirituum naturam, debet ex iis, quæ extra adveniunt, deducere, ut patet, hunc forſan alium modum cogitandi in corpore neſcimus, à fide edocti ſumus extra corpus poſſe, & habere modum aliter rem cognoſcendi.

Ex veſtigiis relictis memoria componitur, hæc quaſi plicæ ſunt in cerebro exiſtentes, ſuper quibus & novæ plicæ, primis non deletis, ſuperinduci poſſunt, non aliter ac in chartæ folio agyrtæ facere ſolent, cum quo rerum mille figuræ, modò has, modo illas repræſentant, plicarum ſe-

ribus momento mutatis. Innumeræ autem plicæ in cerebro eſſe poſſunt, teſtatur hoc tenuitas imperceptibilis animalium ſpirituum, à quibus fiunt.

Reminiſcentia igitur nullo pacto differt ab imaginatione, ſivè ſenſatione rerum abſentium, ſed dicitur hæc reminiſcentia, quatenùs à veſtigiis à memoriâ ſervatis excitatur. Subtiliſſimæ plicæ, ut diximus, occaſiones ſunt reminiſcentiæ, eæque variæ, & inconfuſæ, cùm nullum ſit ſenſorium membranarum, vel nervo in eo, cui fit impreſſio ſenſibili re modis innumerabilibus variare non poſſit, cùm vel ſolus ſitus unâ centies milleſimâ parte eorum, quælibet invariatus varietatem ſpecialem faciat, ex quo intelliges, quàm variè cogatur reſilire ſpiritus, quantâque varietate plicas, plicarúmque ſeries inducere poſſit.

Ex hoc quodammodò poteſt intelligi, quomodò valeamus totam repetere ordine eodem orationem memoriæ commiſſam, nempè ut plica quædam prima in papyro aſſumpta, cæteræ in eâdem ſerie conſtitutæ ſequuntur, ità aſſumpta in memoriâ unâ quadam primâ rei lectæ ſ. vel auditæ initium, quod exhibetur plicâ, cæteræ facilè ſequuntur, quæ ad eandem ſeriem attinent.

Intelliges etiam, quomodò reminiſcamur rei, quæ aliàs oblita videtur, nempè ut in papyro prædictâ cùm requirimus cauſam non facilè obviam diſtinctam quampiam in eâdem ſerie, pro quâ occurrit, deligimus, à quâ cœpta deductio redit, & tandèm occultam, & quæſitam in memoriâ prout in eâdem ſerie nobis occurrit, arripimus, à quâ incipientes deducere, & volvere ſeriem diù procedamus, quousque illam detegamus, quam occultam requirimus, c. g. ſi obliti fuerimus nomen hominis Pauli vocati, evolvimus ſeriem, & plicam in ea poſitam, in qua Petrus eſt, ſivè à quâ excitatur imaginatio, vel phantaſma Petri formandum, cui cùm proxima plica Pauli ſit, in Pauli plicam incidimus.

Sic quoque intelliges, quomodò facilè reminiſcimur eorum, quæ memoriæ, aut recentiùs committimus, aut repetitò defigimus; quemadmodùm enim papyri plicæ, quæ poſteriùs fiunt, vel ſæpiùs repetuntur, conſtantiores ſunt cæteris, & faciliùs occurrunt, & faciliorem conſequutionem habent, ita & illa. Ex hoc etiam patet, quomodò, ea quæ memoriæ jàm mandavimus, ſi plurima ſuper illis imprimamus, à memoriâ deleantur, vel vix retineantur, non aliter ac plicæ jàm factæ in papyro, plicarumvè ſeries aliis multiplicibus ſuperinductis, vel deleantur, vel evadunt ità debiles, ut nullo modo reſumi, & conſequi valeant.

Hinc etiam intellige, quomodò ſi inter memorandum attentionem non habemus, ità ut rerum ſerie, quam ſequemur, revertamur ad aliam, non eodem modo, quo memoriæ mandavimus, orationem dicimus, ſed tranſponimus, & denique ab illâ excedimus ob ſpirituum mobilitatem, qui cùm ab animâ attentè non diriguntur, in aliàs plicas ſeſe inſinuant, nec eandem ſeriem ſervant in motu: non aliter ac in papyro, cùm plicarum ſeries ſcitè circumſpectæ non tractantur, facilè tranſitur de unâ in aliam.

Imaginatio vel ſimpliciter tres comprehendit, non affirmans ſ. neque negans,

gans, ſivè nec conjungens, nec disjungens, dici ſolet ſimpliciter imaginatio. Continuò autem anima imaginatur, quia continuò moventur ſpiritus, & modò hùc, modò illùc recurrentes in cerebri veſtigia, ſive plicas ab externis objectis impreſſas, ut explicavimus, non parùm confert motui huic ſpirituum ipſorum ſubtilitas; adjuvant, & peragunt hoc etiam aliæ cauſæ, à quibus impelli, & transferri poſſunt, & quamvis ſpiritus ſeſe inſinuant, ferè ſemper per plures plicas, non plures res ſimul imaginamur, forſan quia cum una ſit anima non poteſt ad plures attendere, & converti, vel quia ſemper ad vehementiorem præ aliis motum convertitur; tanta enim eſt in principiis naturæ inæqualitas, ut nulli unquàm æquales, ſimileſque ſint ex omni parte. Convertitur tamen aliquandò ad plura, cùm illa ſe habent per modum unius, quæ vel connectuntur, vel diſſociantur, adeò ut quaſi una totalis imaginatio ſit, quæ ex duabus, vel tribus imaginationibus conſtet, non aliter ut ſe habet imaginatio tunc ac homo, qui utraque manu duas res juxtim ſitas, aut ſtringit, aut disjicit; quippè dùm unâ apprehenſione, quod imaginamur, & hac non dimiſſâ, aliam elicit, tunc has duas apprehenſiones, vel tanquàm congruas copulat, vel diſtrahit tanquam incongruas, ſicque illud quod apprehendit non ut duas res, ſed ut unam, aut non unam, ſed ut duas habet imaginatio, ſi comprehenſio dicitur etiam compoſitio, & diviſio, ſive aſſenſio, vel diſſenſio, quæ affirmatio, & negatio, enunciatio, & judicium enunciativum appellatur etiam, & in hac operatione anima errare poteſt.

Quæres, an compoſitiva imaginatio univerſale cum particularibus conjungat, vel ſejungat, quod videntur facere nè dùm homines, ſed etiam bruta, e. g. cùm canis hominem lapides colligentem obſervat, aufugit, videtur conjungere particularem illum hominem lapides colligentem ex univerſali, quod ex inductione didicit, & hanc propoſitionem affirmare: Quiſquis lapides colligit, percuſſurus eſt.

Reſpondemus nihil ſenſibus offerri, quod particulare non ſit, & conſequenter nullum veſtigium imprimi in cerebro, quod particularis rei index non ſit. Cùm igitur propoſitionem univerſalem quis affirmat, plurium particularium aggeriem concipit, & ſimul unit, quæ veſtigia habent in cerebro; nullo autem modo univerſale confici poteſt, ut loquuntur ſcholæ, niſi aggeries ſingularium unita, ut veri Logici docent.

Cùm imaginatio ulteriùs procedit, dicitur ratiocinatio, argumentatio, diſcurſus, & judicium conſequutionis.

Neque aliud eſt hæc operatio, niſi comparatio quædam, nàm priùs, ut diximus, anima duas apprehenſiones, aut componit, aut dividit, prout congruas, vel incongruas inter ſe eſſe judicat, poſteà unam iſtarum apprehenſionum, vel componit cum tertiâ quadam illi congruâ, vel ſejungit ab illâ, ſi incongrua, ita ut alteram ſtatim cum eâdem tertiâ, aut tanquàm ſimul congruam inferendo componat, aut tanquam ſimul incongruam inferendo dividat, & hæc eſt argumentatio e. g. apprehendimus primò Socratem, & hominem, hoc eſt plurium hominum congeriem, & convenientiam, quam habent inter ſe illi plures homines. Judicamus

dicamus poſteà judicio enunciativo homines, ſive convenientiam, quam habent illi plures homines inter ſe congruere cum apprehenſione Socratis, vel implicitè, vel explicitè enunciamus: Socrates eſt homo. Perſeverante poſteà hac apprehenſione apprehendimus animal modo quo ſuprà, & judicantes apprehenſionem univerſalis cum apprehenſione hominis congruere, enunciamus: homo eſt animal.

Denique neceſſariò ſponte naturæ repetentes apprehenſionem Socratis, judicamus apprehenſionem animalis cum Socratis apprehenſione congruere, & enunciando inferimus: igitur Socrates eſt animal. Exemplum hoc in quartam, quam dicunt, figuram magis quadrat, quia illa magis naturalis videtur, & imaginationi accomodatior, quia gradatim procedit à ſingulari ad univerſale, & ad plurium congeriem.

Movetur enim cogitatio primò, & per ſe à ſingulari aliquo, quod ſtatim agnoſcit, ac enunciat unum ex pluribus ſimilibus, quorum aggeries pro univerſali habenda eſt; & quia hæc eſt una ex aggeriebus pluribus, quæ ob quandam inter ſe ſimilitudinem pro unâ totali, & univerſaliori habentur, idcircò facilè agnoſcit, & enunciat totalem aggeriem eſſe unam earum, quæ quapiam in re conſimiles inter ſe ſunt, ac proinde efficitur, ut facilè cognoſcat, & inferat ſingulare illud, quod ſpectare cenſuit ad aggeriem ſimplicem, ad aggeriem quoque ſpectare.

Nihil enim aliud eſt, cùm dicitur: Socrates eſt homo: homo eſt animal: ergò Socrates eſt animal, ac ſi dicatur: ſpectat Socrates ad aggeriem hominum: ſpectat ad aggeriem animalium: ergò Socrates quoque ſpectat ad aggeriem animalium.

Ex his colligitur, quod quærebamus, & primò ſupponendum animam ex ſe non errare errore ſaltèm, qui à nobis cognoſci poteſt. Totus igitur error provenit à corpore, quo mediante res cognoſcit. Secundò, ſenſationem, & ſimplicem apprehenſionem errare non poſſe; non enim judicat, cujus eſt error, & ſemper anima imaginatur, & imaginari debet excitata à motu cerebri; imò ſi alias imaginaretur, erraret ipſa apprehenſio. Tertiò, errorem totum eſſe poſſe in duabus poſterioribus cogitationibus, & primò in judicio errare poteſt judicium enunciativum externorum ſenſuum culpâ, cùm ſ. ſic moventur ab aliquo, quod objectum non eſt ſenſibile, ut motum deferant cerebro ſimilem illi excitato ab objecto ſenſibili, quapropter ſimplex cogitatio apprehendit objectum ſenſibile, ſed non judicat, nàm judicare non poteſt, an extra corpus ſit, & reverà adſit objectum, ſed enunciativa cogitatio decepta à ſimilitudine motûs decernit objectum eſſe præſens. Poteſt etiam hic error evenire ex cauſâ exiſtente non in ſenſoriis, ſed in cerebro, in quo ſit cauſa valens movere ſpiritus motu illi ſimili, quo moveri ſolent ab aliquo objecto externo. Itèm poteſt errare anima in enunciando defectu ſpirituum, ſive potius motum ipſorum malè modificatorum à plicis, qui motus occaſiones ſunt poſtea, ob quas anima ſciens, ſic evenire judicat ſimilia, ſive jungat, quæ jungenda non ſunt, & contrà.

Error etiam ſuboriri poteſt ex ipſiſmet plicis, quæ præternaturaliter quadam cauſâ ſic mutentur, ut animæ occaſiones ſint concipiendi aliter Ideam, ac

ac conciperet, ſi plicæ rectè ſe haberent, quod ignorans perperàm judicat, quamvis reverà ipſa anima non errat, nàm ſic debet judicare de illis ideis ſic conceptis, & ſi aliter judicaret, erraret; error autem in hoc eſt, quòd neſcit plicas non ſe rectè habere, quod ſcire debebat.

Nec minùs poteſt eſſe defectus, ſive occaſio ex ſpiritibus tàm celeriter de unâ plicâ in aliam tranſcurrentibus, & ſpatium non dantibus animæ ad immorandum in cogitatione, quantùm immorari debet, ut ſimilitudinem,& diſſimilitudinem benè perpendat.

Ex his etiam colligitur, quod memoria vel penitùs aboletur, vel minuitur; aboletur totaliter, cùm aboleutur totaliter veſtigia, vel ab aliquo irrepente cooperiuntur, ſi hoc fixum eſt, ſive potiùs fixè adhæret, memoriæ defectus durat, ſi non fixum, brevi tollitur.

In melaucholiâ hypochondriacâ enunciativa cogitatio læditur, primò cùm flatus vel generantur, vel confluunt in ſenſoria, quæ ſic agitant, ut agitarent ſenſibilia objecti ibi exiſtentia, vel ad illa effluvia emittunt, & ſic forſan deludebatur, qui tibicines ſe audire exiſtimabat. Poteſt etiam flatus idem efficere, vel delatus, vel generatus in cerebro ſpiritibus immediatè motum præbens, qui etiam ſic plicas mutare poteſt, ut varias occaſiones animæ præbeant ad errandum. Interdum defectus eſt hypochondriacis in ipſiſmet ſpiritibus, qui ex ſanguine acriori acriores generantur, hi cùm volatiles ſint hominem maximè ingenioſum reddunt; facilè enim mobiles ſunt, & animæ imperio obſequentes, cùm fixantur, inepti admodum redduntur, & ſtupidos faciunt, & hac de causâ melancholici, modò ſtupidi ſunt, modò ingenioſi; Immò ipſimet, qui olim ingenioſi erant, ſtupidi redduntur, & è converſo. Accidit fixatio vel ex pravâ victûs ratione, vel ex indigeſtione tartarum non ſequeſtrante, & ex omnibus aliis cauſis coagulantibus explicatis à nobis in apoplexiâ, & hinc quærenda ratio eſt, cur melancholici fiant epileptici, & è converſo. Fiunt melancholici epileptici, cum fixantur ſpiritus, & acerrimi redduntur, & qualitate vitriolatâ narcoticâ imbuuntur.

Omnis autem hypochondriaca à ſtomacho, & hypochondriis ortum ducit, quicquid dicant authores de melancholiâ per eſſentiam, & conſenſum; nullibi enim reperitur melancholicus ſuccus, niſi in ſtomacho, & cùm ſanguis aliquâ qualitate ab illo imbuitur, ille accuſandus eſt, qui aliundè haberi non poteſt.

Judicium comitantur ſæpè affectus, qui ſunt impetus, quibus anima ab opinione objecti boni, vel mali diverſimodè affecta, illaque ope corporis, vel fugere, vel proſequi, vel aliter dirigere cupiens ſpiritus animales per nervos in cor, ejuſque vaſa, & fibras, aliaſque corporis partes determinat, quo illa plus ſolito vel conſtringuntur, vel dilatantur, & ſanguis vel parciùs, vel copioſiùs per corpus diſtribuitur; quapropter totum corpus deinde variè perturbatur. Hinc colligitur affectuum, quatenùs ad corpus ſpectant, ſedem eſſe in corde, cor enim præcipuè ab affectibus alteratur, ſed quatenùs mentem etiam afficiunt, eſſe in cerebro; anima nàmque ab hoc ſolo pati poteſt, ut docuimus.

Affectus præcipui ſunt amor, odium, lætitia,

lætitia, triſtitia, ſpes, deſperatio, audacia, timor, ira, pudor. In triſtitiâ, timore, & deſperatione, qui affectus comitantur melancholicos, ſpiritus cerebri ità determinantur, ut illi ſe inſinuent in illas cordis, & lienis fibras, quæ cordis orificia, & vaſa arctant, & copioſi ſanguinis ingreſſum, & regreſſum impediunt, & craſſas ſanguinis partes à reliquo ſeparent, quæ cum ſanguine in corde miſtæ dilatationem ibi minuant, ex quo totum corpus pallet. Sed hoc non ſolùm à cerebro evenire poteſt, nàm ſi ſanguis vitriolatâ ſcateat ſtypicitate, qualis melancholicorum eſt, valebit etiam orificia coarctare, & ſanguinem veluti congelare, unde cor debiliùs movetur, & arteriæ eâdem ratione, & ideò pulſus melancholicorum obſervantur debiles, & lenti utplurimùm. Contractionem, quam haurit à vitriolato ſanguine cor, per nervum cerebro nunciat, ex quo anima mœret, & timet, & remittens cordi ſpiritus affectos modo, quem explicavimus, veram triſtitiam, & metum efficit.

Pallent hypochondriaci, & reliqui, qui triſtitiâ, & metu afficiuntur ex coarctatione arteriarum, quarum extrema pauciſſimam ſanguinis quantitatem continent, & eò magis quò diſtantiores à corde arteriæ ſunt, quæ cùm in vultu viſibiliores ſint, vultus videtur ſanguine deſtitutus. Poteſt etiam hoc evenire ex ſanguinis incraſſatione. Deeſt tamen aliquando hypochondriacis pallor, cùm ſcilicèt flatus, vel alia cauſa adeſt ſanguinem dilatans, & arctans.

Prognoſis.

Morbus hic periculoſus non eſt, obſtinatiſſimus tamen, & longiſſimus ita deprehenditur, ut in quibuſdam per totum vitæ curriculum perſeveret, quadere vulgò ludibrium, opprobrium, & flagellum medicorum dicitur, quia malum hoc remediis valdè exquiſitis utplurimùm non cedit, & licèt tandèm multa poſt remedia æger convaleſcere videatur, paucos tamen intra menſes recrudeſcit, & omnia redintegrantur ſymptomata. Pertinaciſſimus itaque eſt morbus hic, nec ejus curatio ex voto ſuccedit, quia ægri prolixam medicaminum ſeriem peroſi inobedientes fiunt; unde medicos ſæpè mutant, & magnum negotium medico, majus (crede nobis) ægroto faceſſit morbus iſte: quadere noſtri veterenarii nè exiſtimationis in hujuſmodi ægrotis jacturam faciant, medicâ, ſed vulpinâ dexteritate, ut probum aufugiant, ad ruſticanum caloris, & frigoris dogma confugiunt: Impoſſibilem hujus morbi ſanationem ex ventriculo frigido, & hepate calido pendere aſſeverant, quia ſi calida adhibent medicamenta pro ſtomachi calore reficiendo, hepar adurunt, ſi frigida pro hepatis refrigerio, ventriculum magis refrigerant, undè ſanationis impoſſibilitas, & ſic miſeris imponunt ægrotis. Urina craſſior melior eſt in hoc morbo tenui, & aquoſâ; urinam verò nigram ſine febre ſæpè hunc morbum ſolviſſe conſpeximus. Alvum conſtanter laxam habere, bonum; adſtrictam vero, malum. Vomitus ſæpè utilis deprehenditur. Moderatus hæmorrhoidum fluxus ſuperveniens inſigniter juvat; immoderatus tamen vires exhauriendo periculum portendit. Varices multùm prodeſſe poſſunt. Menſes in mulieribus ſolvunt morbum. Viri faciliùs hoc corripiuntur morbo, quàm mulieres, tum quia humidiores, tùm quia

quia menſtruis parvi excernuntur humores; attamen ſi eæ corripiantur, difficulter, vel rarò perſanantur, cùm vehementem cauſam præceſſiſſe neceſſe fuerit, & utplurimùm huic malo uterinæ ſeſe aſſociant affectiones, & id graviùs, pertinaciùſq; reddunt. Si dextrum hypochondrium hoc corripiatur malo, mitius eſt, ſi verò ſiniſtrum gravius, ſi utrumque graviſſimum. Si in omenti cavitate contineatur, contumaciſſimum, quia vix illùc medicamina adire poſſunt. Hypochondriaci interdùm in febres hecticæ non abſimiles incidunt, & tabidi moriuntur. Sæpè hæc affectio ſcorbutum comitem ſibi aſciſcit, & utplurimùm in cachexiam, & hydropem degenerat. Incipiens faciliùs curari poteſt, inveterata verò ægerrimè, quia in habitum tranſit. Si nimiùm ingraveſcit, facilè in epilepſiam, vel apoplexiam, vel furorem tranſit, & præcipuè ſi vertigo vel pertinax capitis dolor concurrat.

Veterum Curatio.

Humorum vitioſorum colluvie in hypochondriis ſtagnante, primam ſumunt indicationem vulgares, ut tales humores exturbentur, & vapores, qui ab his elevantur, & varia ſymptomata gignunt, diſcutiantur. Commodè id efficiunt lenientibus medicamentis, non ſolùm humores evacuando craſſiores, & viſcidos, ſed etiam infarctos ductus aperiendo, quibus incidentia, attenuantia, aperientia, & detergentia admiſcent. Cæterùm cùm humores hujus mali cauſa ſint calidi, & vaſa, quæ hoc continent, calidiora, & ſicciora, non ſolùm ſine inſigni calefactione peragunt, ſed refrigerantibus, & humectantibus talem corrigunt intemperiem, & curant ne hi vitioſi regenerentur humores, & partium, quarum vitio generati ſunt, intemperiem, & debilitatem corrigunt, & roborant, ac naturalem conſervant temperiem. Optima quidem eſt vulgarium indicatio, ſed hoc opus, hic labor eſt, facilior dictu, quàm factu eſt, cùm ipſi contrarias aſſignent indicationes, & quidem ventriculus frigidus, qui calida requirit, & hepar calidum, quod refrigerantia expoſtulat, & dùm uni prodeſſe ſtudent, alteri nocent, imò:

Qui binos lepores unâ ſectabitur horâ.
Quandòque uno, & quandòque carebit utroque.

Ad craſſos, & viſcidos ſuccos ventriculi vitio genitos, & ad torridos, & aduſtos hepatis culpâ partos evacuandos tàm purgantibus per os aſſumptis, quàm in anum infuſis utuntur. Clyſteres in hoc affectu ad alvum leniendam parare ſolent ex herbis emollientibus, mercuriali, malvâ, parietariâ, floribus meliloti, chamomillæ, &c. Si flatus conjungantur, induunt carminativa, itèm oleum, & mel violatum, mel roſatum, diaphœnicon, caſſiam pro clyſteribus, & pro ſtimulo aliquid ſalis, ut

℞. *Herb. mercurialis,*
chamomillæ,
malvar. an. m. jß.
aniſorum p. j.
decoquantur ſ. art.
℞. *dicti decoct.* ℔.jß.
mell. violat. ℥ij.
diaphœnic.
caſſiæ extract. ana ℥ß.
ſalis ʒ j. *m.*

Sunt ità frequentes clyſteres in hoc affectu, ut unuſquiſque vulgaris medicus myriades calleat, ſed clyſteres hypochondria non adeunt, quia longa eſt via, nec hypochondriacum clyſteribus

ſanatum,ſed potiùs ex his malè ſe habere vidimus, quia regionem turbant naturalem, ubi mali ſedes eſt, eſtò *Hippocrates in epid.* plurimas referat ægrotantium hiſtorias, vix unquàm alius remedii, quàm clyſteris, & ſuppoſitorii mentionem facit, quia maximè hoc remedii genus diligebat. Sunt clyſteres Græcorum remedia, & ſalacibus conducunt, ac proinde non ſine conſcientiæ ſcrupulo præſcribi poſſunt, verùm hæc ani remedia Galeniſtis legavit *Hippocrates.*

Præmiſſis aliquòt clyſteriis, melancholicos humores tribus præparant ſyrupis, ut

♃. *Syr. de trib. radic. Gentilis,*
cichor. an. ℥j.
aq. capillor. Vener. ℥iij. *m.*

Vel ſi melancholia ſit aduſta, humectantia,& refrigerantia præſcribunt, ut

♃. *Syr. boraginis,*
fumariæ ſimplicis,
violarum ℥ij.
aq. lupulor. ℥iij. *m.*

Præparatos humores purgatorio expellunt medicamento, ut

♃. *Flor. cordial. p.* j.
fol. ſen. or. cum follicul. ℥j.
agarici trochiſc. ʒiv.
f. decoct. in aq. capillor. Vener.
& in ſuff. colaturâ.
diſſolv. ſyr. de fumar. major.
ſueſſani an. ℥iij.
confect. hamech. ʒj.
rhabar. infuſ. in parte dictæ decoct.
colati, & non expreſſi ʒj.
m. f. potus.
adde aq. cinnamom. parum.
ad flatus diſcutiendos.

Cùm humor hujus mali cauſa pertinax ſit, & non unâ vice tollatur, poſt celebratam bis, vel ter, & pluries purgationem, evacuant humorum reliquias, quæ morbum fovent, quare exhibere ſolent quotidiè rhabarbari ℈j. vel rhabarbarum maſticari, & ſalivâ rhabarbaro infectam deglutiri præſcribunt; certò rhabarbari tincturam ſalivâ factam eſſe credimus.

Si affectus magis urgeat ad *ſyruporum magiſtralium* uſum deveniunt, qui certam ſalutem reſtituere ſolent, quos parant:

♃. *Succ. utriuſque cichor.*
utriuſque endiviæ an. ℔ß.
ſucc. hepaticæ,
fumariæ an. ℥iv.
bulliant, & deſpumentur,
addendo fol. ſen. or.
polypodii quercini an. ℥j.
fol. agrimoniæ,
capillor. Veneris,
ſcolopendriæ,
meliſſæ an. p. j.
radic. cappar.
fœniculi,
apii,
petroſelini num. iij.
f. colatura, & cum
ſacchar. f. ſyr. longus,
cui infunde
rhabarbari opt. vigorati,
& incluſi in pupatellâ ʒij.

Doſis ℥v. pro vice exhibeatur ad vij. vel viij. vices juxta neceſſitatem. Vel ſyr. magiſtralium vice exhibent *ſyr. de cichor. Nicolai cum duplicato rhabarbaro, vel ſyr. de fumariâ majori hellebor. ad* ℥iv. *pro vice.*

Verùm ſi vulgares purgantibus hunc affectum curare tentabunt, incaſsùm laborabunt; malum nàmque exaſperatur, ſymptomata excandeſcunt, cùm purgantibus non obtemperet,& ventriculus

culus cùm in hypochondriacis debilis ſit, & purgantibus eò magis debilitatur, undè ſymptomatum procella excitabitur, & æger in aperto verſabitur diſcrimine: à frequentibus igitur purgantibus lenientibus, ut & à validis abſtinendum, nè ex diſſitis partibus verſùs primas vias trahantur humores, & ibi cumulentur, metus ſit, undè lenientia tantummodò adhibenda ſunt, & etiam rarò conducunt: ſed quia ægri quandòque morbi diuturnitate fracti purgantia faſtidiunt, clyſteres alternis diebus injiciunt ad vapores revellendos, & ad humores peccantium portionem educendam. Verùm clyſteres inteſtina non ſubeunt, nec à venis meſeraicis illuviei partem exhauriunt propter valvulæ impedimentum.

Corpore ſufficienter, & periodicè purgato, ac producto ablato, vel minorato, ſanguinem mittere ſolent, quod remedii genus huic affectui quam maximè adverſatur, nàm ut purgetur ventriculi regio, ſemper ſcatet excrementis, & maximam infertur nocumentum à venæ ſectione, ut ipſi vulgares ſciunt. Non quòd, ut ſibi perſuadent, exinanitæ venæ excrementa trahant; nàm cùm venæ deplentur, ſtatim concidunt, ut in promptu obſervare eſt, & à ſolo ſanguine turgent, nec ulla tractiva vis in corpore noſtro eſt, quam fingunt ſuperficiarii Philoſophi, & Medici, ut contemplanti patet. Noxa igitur provenit ex eo, quòd minuitur ſanguis, à cujus effluviis excrementa corriguntur, & reſolvuntur, minuitur etiam calor, qui idem adjuvat, & quia in ſanguinis miſſione volatiliores illius partes egrediuntur, vires labeſcunt, obſtructiones augentur, metus, & triſtitia, cæteraque ſymptomata incrementum maximum recipiunt.

Ridiculum autem eſt, cùm putant melancholicum humorem expurgari poſſe, hæmorrhoïdum venis apertis; nam venæ hæ non ex ſplene, ut volunt, ſanguinem recipiunt, ſed ad ipſum reportant, quem hauriunt ab arteriis, & quia proximè illum hauriunt, ſanguis floridiſſimus eſt. Quò[illegible] aliquandò exeat, vel videatur craſſus, id accidit, quia in multis varicoſa quædam affectio exiſtit, propterquam ſanguinis portio ſtagnat, & non circulatur. Evenit etiam hoc ex orificio ſtricto ab hirudinibus facto, ex quo ſanguis ferè guttatim exit, quapropter ſtatim congelatur in ſanguinis miſſione, cùm ſit orificium ſtrictum. Ex orificio autem ſtricto non pars aquoſa ſanguinis, ſed craſſior, in quâ volatiliores partes conduntur, & conſequenter melior, & utilior ſanguinis pars excernitur, ſeroſâ excluſâ, quomodò hoc accidere poſſit, non eſt, qui neſciat, ſi fluminum curſus obſervaverit. Quapropter non audiendi ſunt, qui putant ſanguinem ex venis hæmorrhoidalibus non admodùm debilitare; nàm, ut *Cardanus* obſervavit, & paſſim videre eſt in iis, qui ſunt evacuationibus hiſce obnoxii, propter allatam rationem magis debilitat hæc evacuatio, quàm omnis alia. Obſervate, quæsò, & comparate eos, qui hæmorrhagiam ex aliâ corporis parte patiuntur, & videbitis eâdem ſanguinis copiâ exhauſtâ, magis debiles apparere ſubditos infernæ evacuationi.

Neque quod objiciunt adjumentum affert; nàm non ſemper ars imitari poteſt, quod natura facit: non ſemper enim ſcit artifex, an natura id facere debeat, & non poſſit, ut ille ſuppleat. Evacuat natura ſanguinem ali-

aliquandò per infernas partes,ſed quandòque id facit non rectè, quandòque rectè, ut evacuet, quod in venis fluctuat excrementitium, ſed quomodo ſcias excrementitium hoc fluctuare in venis, & quâ arte aſſequi datur partem, ex quâ natura excrementum evacuare vult, nàm quamvis circuletur ſanguis, & excrementum fluctuet, non ſemper fluctuat, nec ſemper circulatur cum toto ſanguine per totum corpus, & interdùm, miſſo ſanguine ex parte ab excremento diſtante minuitur motus ſanguinis, & excrementum vel in vaſorum parietibus remanet, vel in viis illis, per quas ex uno vaſe ad aliud tranſit ſanguis.

Non negaverimus tamen, ſi deficiant alia medicamenta in aſſuetis huic evacuationi, ex quâ impeditâ oboriatur aliquis p. n. affectus; poſſe ſedis venas aperiri, ſed cautè id faciendum eſt, & cùm deſunt alia medicamenta.

Ad ſydera, & tanquàm arcana extollunt *jura alterata*, ut

℞. *Radic. aſparagi*,
graminis,
cichorii an. ℥ß.
fol. agrimon.
ceterach,
capillor. Veneris,
bugloſſæ,
cichor. an. m. ß.
cremoris tartari ʒj.

coquantur cum pullo gallinaceo, *& fiat juſculum per* x. *aut* xij. *dies continuandum*: ſed hæc jura potiùs ad ſtomachum debilitandum, & relaxandum, quàm ad corroborandum inſerviunt.

Quandòque, & ferè ſemper purgantibus, & hactenùs propoſitis medicamentis pluribus repetitis vicibus malum hoc non cedit, quia contumacius, & diuturnius eſt, ad chalybis uſum recurrunt. Chalybem vulgarium Medicorum aliqui temperatum, alii frigidum, quidam calidum, & ſicciſſimum eſſe ſtatuunt: ſed per vulgares qualitates chalybis naturam ineptè venantur, quam nunquàm aſſequentur. Quomodò ferrum, & chalybs in melancholiâ hypochondriacâ proſit, variorum vulgarium variæ ſunt ſententiæ, & relictis primarum qualitatum figmentis, alii pondere obſtructas permeare partes, & ità ab infarctu liberare; aliqui abſtergendi,& aperiendi; alii etiam purgandi vim habere ſtatuunt. *Sennertus* ferrum, & chalybem peculiarem cum humoribus melancholicis, & aduſtis cognationem habere, atque idcircò eos trahere, ſeu imbibere, ſeu cum iis uniri credidit, cùm melancholia ferrugineum habeat ſaporem. Quique macrocoſmi, & microcoſmi analogiam explicant: ſcribunt, quòd Mars metallicùs majoris Mundi reſpondet Marti microcoſmi ejuſque ſervitio deſtinantur, & cuſtos valitudinis ſit ejus membri, cui cœlitùs deſtinatus eſſe videtur: Sed hæc vana ſomnia, anileſque fabellæ à Chymicis Medicinæ arti immiſta cordatos dedecent Medicos. Chalybs cùm ſit legitimus Martis filius, & ab Aſtrologis habeatur planeta igneus, & ſiccus, nullo modo affectioni hypochondriacæ, quæ ab humore ſicco, & aduſto generatur, convenit, quia humorem atrum ferociorem redderet. Qui chalybem, ſeu ferrum ſuo pondere in hoc affectu prodeſſe, quia obſtructas penetrat partes, decernunt, falluntur, quia alia metalla, ut aurum, mercurius, plumbum, ſtannum, æs, & ex

arte factum aurichalcum ſunt ipſo chalybe ponderoſiora, & tamen in melancholiâ hypochondriacâ non conducunt. Errant vulgares cum *Galeno* aſſignando chalybem frigidum, & ſiccum lapidi illum comparando, cùm aperiendi vi inſigniatur, nàm calidi eſt aperire, attenuare, &c. Rentur chalybem cum humoribus melancholicis, & aduſtis cognationem habere, ſed pro probandâ hac cognitione teſtibus deſtituuntur.

Chalybs corpus metallicum eſt, ac proindè in alimentum cedere nequit, & quia etiam craſſioris eſt ſubſtantiæ, in penitiores corporis partes penetrare non poteſt, ac per alvum exturbetur neceſſe eſt, & unà cum eo humor melancholicus imbibitus evacuatur, verùm ſecundum hanc doctrinam tantummodò in primis viis hærens, ſtomacho, & inteſtinis prodeſt, & cùm dejicitur, fœces nigræ redduntur, & niſi fiant, parùm felix erit chalybis uſus,& ab eo abſtinendum.Non itaque hepar, lienem, meſenterium, &c. penetrare, & morbum curare poteſt. Quomodò chalybs operetur in hac affectione in noſtrâ curatione dicemus.

Exhibent chalybem vulgares variis modis; alii nàmque eum ſubtiliter limatum propinant; alii calcinatum, alii priùs præparatum, præparatur,dum ejus limatura in aceto maceratur,poſtmodùm ſiccatur, & tandèm trituratur. Chalybis ſubtiliter limati in ſubſtantiâ citra ullam præparationem à ℈ij. ad ʒj. exhibent in aliquâ conſervâ, vel ſyrupo: ſed poſt aliquot doſes ſuo pondere ſtomacho fit moleſtus, vomitum provocat, & alvum turbat. Cum ſulphure calcinatus, vel aceto præparatus omninò inutilis eſt, quia omnem ſuam activitatem in ſulphure, vel aceto exerit, & adſtringendi vim acquirit. Alii vinum chalybeatum parant, eum infundendo in vino albo,vel vindemiarum tempore conficiunt,quæ ex chalybe medicamenta per menſem exhibent mane iejuno ſtomacho,& eo ſumpto, unâ, vel alterâ horâ obambulet æger, ut faciliùs diſtribuatur,ſed acclivia petat loca, deindè quieſcat.Si vires ſint infirmæ exercitium omitti poteſt, & æger in lecto decumbens aſſumat, & à medicamento ſumpto, quatuor elapſis horis,prandeat,vel ſi fuerit vinum chalybeatum,in prandio poſt aliquot bolos hujus cyathulum bibat.

Vel tandèm, ſi anni tempus fuerit opportunum poſt ſufficientem purgationem balneum aquæ tepidæ per aliquot dies uſurpant; quandoquidèm *Galenus 8.de loc.aff cap.6.* Solis balneis aquarum dulcium ſe multos melancholicos abſque alio medicamento ſanâſſe jactitat: Sed hæc ſunt aquarum dulcium remedia. Miſeri hypochondriaci optatam ſalutem mediis in aquis fruſtrà piſcantur!

Serum medicatum, vel copioſum ad plures præſcribunt dies. Tandèm ſolent in cruribus cauteria aperire ad extrahendum fomitem illum melancholicum, & plura alia in hoc morbo adducunt, ſed barda, quia ipſi bardi, medicamenta, quæ meritò prætermittimus.

Unum tantùm in melancholiæ hypochondriacæ curatione monemus poſt tot incaſsùm experta remedia naturæ remiſſionem dandam, & à medicamentis abſtinendum eſſe per aliquod temporis ſpatium; in curatione, & remediorum curſu hypochondriacos maximè à vulgaribus torqueri, & à quiete

verò

verò meliùs ſe habere, & convaleſcere, ac proindè multos ſic ægrotantes curationis tempore nihil commodi percepiſſe, demiſſo verò medicamentorum uſu, & ejectis medentibus, qui ſibi, non aliis medentur, reſtitutos fuiſſe comperimus.

Noſtra Curatio.

Si nullus morbus eſt, qui exactam, & exquiſitam expoſtulat diætam, hæc in affectione hypochondriacâ neceſſaria eſt, cùm à diætæ erroribus ſuam ſumat geneſim, & foveatur; ideòque hypochondriacos cruditates fugiant oportet, quantùm fieri poteſt, imò neque debere multùm impleri, neque etiam jejunare dicimus, eò quòd tàm exceſſus, quàm defectus admodùm melancholicis eſt infenſus. Multi exquiſitâ diætâ ab hoc morbo non admodùm afflictitantur, nec parùm ad hunc expugnandum prodeſſe obſervamus, & ſine eâ medicamentorum uſus parùm, aut nihil confert: verùm hoc diætæ nomen non tantùm ad cibum, & potum ſe protendit, ſed etiam ad ſex illas res non-naturales dictas, inter quas primum ſibi vendicat locum

Aër, quem moderatè calidum, & purum eſſe oportet, hinc frigidus, borealis, & auſtralis vitetur, quia hypochondriacam parit affectionem, & hac ratione frigidas incolentes plagas hoc morbo infeſtantur.

Cibus ſit boni ſucci, & facilis digeſtionis, ſit calefaciens, ut obſtructionem tollere poſſit. Nimiam ferculorum repletionem vitet hypochondriacus, neque admittat alimenta, priuſquàm digeſta ſint, quæ priùs ſumpta fuerunt, benè maſticentur, & ità moderatè victitet, ut famis reliquiæ maneant, dùm ſurgit à menſâ. Vitet ciborum varietatem, & quamcumque inordinatam diætam, quia nobis plures conciliamus morbos, nam totius vitæ cardo in ſobrietate conſiſtit. Conducunt itàque carnes agninæ, vituiinæ, vervecinæ, bubulæ, ſaltim juniores, & teneræ. Conveniunt etiam pulli, gallinæ, capones, perdices, phaſiani, ſturnæ, aviculæ montanæ, merulæ, ruſticulæ, turdi, rubeculæ, alaudæ, ficedulæ, &c. In varia edulia, variiſq; modis præparati, quandòque elixi, ſed ut plurimum inaſſati, hoc nàmque modo hypochondriaci meliùs ſe habent, quia acor in hæc edulia agit, & agendo patitur, & patiendo enervatur, undè alvus lubrica redditur, quæ ab aciditate conſtipabatur. Fugiantur carnes ſuillæ, hircinæ, caprinæ, bubulæ vetuſtiores, cervinæ, anatum, anſerum, fulicarum, & ſimiles duriores, ac pingues, quia noxiæ ſunt. Carnes ſale conditæ, vel fumo induratæ, & exſiccatæ omninò vitentur, ut etiam pedes, & animalium viſcera; Ova recentia, & tremula non ſunt inutilia, juſcula pullorum, gallinarum, &c. mediocri tamen quantitate ſumpta hypochondriorum æſtum temperant, nimiâ verò quantitate fluctuationes pariunt. Nocent inter piſces carpiones, anguillæ, cochleæ, tingæ, cancri, piſces duri, ſepiæ, oſtreæ, polypus, & marinæ, plerùmq; inprimis exſiccati, ut & muriâ durati, vel fumo ſiccati. Juvant piſces ſaxatiles, & ex puris aquis, lupi, percæ, &c. Declinentur cibi duræ coctionis, ut legumina, imò in cibis, quæ flatum corrigunt, ſemper admiſceantur. Fructus plerique rejiciendi ſunt, tum utplurimùm dulces, ac flatulenti, & qui

qui facilè corrumpuntur, præter paſtulas, & pineas. Cappares à vulgaribus commendantur, verùm magnâ cautelâ ſunt uſurpandi, nàm non ſolùm difficilis coctionis ſunt, ſed quod pejus, acetum, quo condiuntur, humorem, quem dicunt, melancholicum fermentat, & exaltat, ac proindè in hoc morbo acetum tamquàm toxicum exulet. Proſcribuntur oleoſa, ut olivæ, muriâ conditæ; nuces juglandes, amygdalæ, quia oleoſæ, & hac de causâ oleum hypochondriacis eſt lethale venenum ob occultum acidum, quod continet. Nocent proindè ea, quæ acidum, ſive manifeſtum, ſive deliteſcens habent, quia acidum præexiſtens maximè adauget, malum augetur, & ipſum acidum exaltatum intendit, & viſcera eò magis acorem concipiunt, humores incraſſantur, & malum pertinacius evadit, ſpiritus animales quodammodò figuntur, torpiores redduntur, debilitantur, nec facilè reſtaurantur, ſed ſenſim deficiunt, & influxus ad viſcera pervertitur, tubuli majorem nanciſcuntur obſtructionem, & hinc lerna malorum. Eodem modo vitentur ſaccharum, bellaria, & mellita, ut magna ſyruporum multitudo à vulgaribus præſcriptorum, qui ex ſaccharo, vel melle conficiuntur, & eſtò ſaccharum, & mel palato dulcia videantur, tamen occultum ſal continent. Nocet lac, & ex eo lacticinia, quia facilè acorem concipiunt, quæ ex farinâ conficiuntur, ut lagana, placentæ, encris, ſpiræ, &c. quicquid craſſæ, & viſcidæ eſt ſubſtantiæ, quoniam viſcidam, tenacem, & glutinoſam mucilaginem pariunt, & facilè ab interno acore aceſcunt. Inter olera aſparagum, apium, & petroſelinum commendamus, quia aperientia ſunt. Panis conficiendus eſt ex farinâ cum furfure, non verò ex flore farinæ. Non poſſumus non vulgarium medicorum ignaviam, vel calliditatem criminari, qui hypochondriacorum languentem ſtomachum oleribus refrigerantibus infarciunt, ut endiviâ, cichoreo, boragine, cucurbitâ, &c. quia hæ herbæ facilè aceſcunt, & in ſtomacho corrumpuntur, & corruptela ſolet quandòque alvum ſolvere, ſed utplurimùm, & ferè ſemper per aſſiduum pthialiſmum expuuntur, & ideò hypochondriaci validi ſunt ſputatores, undè fœces exſiccantur, & alvi ſtypticitas inſignis oritur. Deus non creavit pro hominibus herbas, ſed pro beſtiis, nam *Herbam dedit ſervituti hominum*, & qui herbis veſcuntur homines meritò beſtiales appellari debent.

Quæres, cur hîc Neapoli major hominum pars hypochondriaco malo laboret?

Reſpondemus vel ob inordinatam diætam, vel ob cibi, & potûs varietatem, vel quantitatem, quæ à ſtomacho ſubigi nequit, & in acidam, vel nidoroſam degenerat ſubſtantiam, vel, & hæc eſt genuina cauſa, ob pravam victûs rationem, quâ omnes indiſcriminatim neceſſariò utuntur.

Quo ad victum inprimis olera non naturâ, ſed arte hîc conficiuntur, ac proindè criminoſa ſunt, nàm horti, & viridaria, quæ olera ubertim pro quotidiano victu ſugerunt, totius Civitatis latrinis, & cloacis ſtercorantur, ſaginantur, undè tellus ferè menſatim oleribus luxuriat. Vocatur Neapolis oletum Civitas, & Neapolitani per antonomaſiam præter omnes Orbis nationes olerum lurcones dicuntur, vulgò *Magna Foglie*, & tot ſunt hîc fora olito-

ria, quot vicos habet Civitas, & in acervos aſſurgunt olera. Sunt proindè olera ſtercorum ſoboles, pauci nutrimenti, pravi ſucci, ſubtilis, & aquoſi, ac inſigni humiditate excrementitiâ potiuntur, quæ facilè in acorem tranſeunt: ſunt itàque olera vel paupertatis, vel beſtialitatis indicium. Sunt Parthenopæi Pythagoreis non abſimiles, qui oleribus veſcebantur, utpotè quibus animata interdici putabant.

Omnium generum fructus eſtò ſint uberes, jucundi, & ſuaves, tamen ob propolarum dolum; & quæſtum acerbi, & immaturi ex arboribus vi ſimul auferuntur, & in domibus ſubterraneis tamdiù aſſervantur, donec citrinum, vel pallidum nanciſcantur colorem, & maturitatem mentiantur, & ſic venduntur: Cognoſcuntur autem, quia pediculi ſunt exſiccati, attamen ſemicorrupti, ac proindè inſuaves, & inſipidi experiuntur; fructus nàmque in arboribus matureſcunt tanquàm fœtus in utero matris, extra verò corrumpuntur. Vel immaturi, & acerbi venduntur, & tunc eò magis ab omnibus emuntur. Sola ficus recens inter fructus, cùm ſit fugax, hos non patitur manes, & artificiosâ maturitate caret, & ad ejus maturitatem etiam urgendam acu oleo delibuta groſſorum oſcilla terebrant coloni. Quandò naturæ ordine ſervato matureſcit, tunc ejus uſus eſt magnum palati oblectamentum, & utilis; nàm optimè nutrit, impinguat, alvum lenit, juvenum vires auget; ſenibus meliorem facit valetudinem, minuſque rugarum, vires adjuvat, & idcircò athletæ olim hoc veſcebantur cibo.

Carnes, eſtò quandòque ſint pingues, ob pravæ qualitatis pabula ſunt injucundæ, inſuaves, & omnis ſaporis expertes, nec earum pinguedo condit fercula, imò quandòque putent, dùm lanij has in puteis, diebus quibus veſci non licet, aſſervant. Aves, & ſylveſtria animalia; quia à diſſitis veniunt locis, eorum carnes utplurimùm putidæ manduntur, eſtò optimæ ſint.

Piſces, quorum omnis generis noſtrum Parthenopæum mare maximam ſuppeditat ubertatem; optimæ ſunt notæ, ſed minoris nutrimenti, quàm carnes, attamen quia in hypogæis diù conduntur, ut diebus, in quibus carnibus veſci nefas eſt, caro vendantur pretio in foro piſcario, ubi à loci algore exteriùs recens capti videntur, intrinſecùs autem putrilaginem condunt.

Quò ad potum, eſtò vina ſint pretioſiſſima, ubertima, generoſa, & ſuaviſſima, tamen adulterantur ab œnopolis, vel ſunt ſulphurea, vel aluminoſa, nitroſa, armoniaca, quæ ab Ænariâ Inſulâ, vel Puteolano Neapolim advehuntur, vel quæ circa Veſevi culmen, vel radices fiunt, vel quæ in cunctis Parthenopæis agris producuntur, quia omnes ferè ſoli partes ſalinis, ſulphureis, aluminoſis, nitroſis, armoniacis, & vitriolatis refertæ ſunt particulis, quæ intra noſtrum corpus furtivè ſe inſinuant, aptæ ſunt huic morbo procreandæ.

Aquæ, quas pro frigiditate, & bonitate in deliciis habent Neapolitani, ſunt ſalubres, leves, & permeabiles, hæ arcuatis fornicibus per M. P. in Urbem per ſubterraneos cuniculos lateritios invehuntur, quam totam irrigant, & in ſingulas quaſque deducuntur domos,

tàm in depreſſiori, quàm altiori Urbis parte locatas, pro quotidiano uſu quædam ædificia replent ampliſſima, & profundiſſima, quæ vulgò Parthenopæi *Formali* appellant: ſed earum bonitas, ſimplicitas, & ſalubritas à tot extraneis quandòque, ut felibus muribus, gallinis, aliiſque putreſcentibus, quæ inibi ſuffocantur, occiſorum cadavera, in quæ quandòque injiciuntur omittimus, vel cloacas, ut annis elapſis noſtræ domæ evenit, quæ in hæc prorumpunt, &c. vitiatur polluitur, depravatur, corrumpitur; Conſtat itàque ex hac pravâ victûs ratione, quæ inevitabilis eſt, & aliis juſtis de cauſis, quas omittimus, omnes ferè fieri Neapolitanos hypochondriacos. Sed cibum hypochondriacis aptum reſumamus.

Circa cibum monemus, ut nulla committatur cruditas, idcircò maxima ſtomachi habenda eſt ratio, qui in affectione maximè laborat, & perpetuò hujuſmodi ægri de ſtomacho, & & capite, quod compatitur, conqueruntur; non n. ſtomachus ſemper, & in omnibus eodem modo ſe habet, & ob vitioſum, quo nutritur alimentum, non nullos cibos ſæpè peculiariter, à quibus læditur, refugit, quorum electionem difficulter aſſequitur æger, & medicus, præſertim in morbi exordio, quandò iſto tempore magis affligit, donec ſibi medicinam, & ſuimet medicum ſe efficiat. Ac proindè non ſemper cibi tenujores, & qui facilè alterantur, conducunt, cùm in iis, quibus nidoroſa cruditas eſt familiaris, tales cibi facilè corrumpuntur, ac propterea iis exhibendi non ſunt; ſicut contra iis, qui acidæ cruditati ſunt obnoxii, cibi, qui vulgò frigidi dicuntur, ut olera non conveniunt. Eapropter ad peculiarem cibi naturam reſpiciamus oportet: ea itàque alimenta exhibenda ſunt, quæ ægrum optimè tolerare, concoquere, & ſine ullâ moleſtiâ diſtribuere animadvertimus. Ideòque parùm refert, an cibi boni ſint, an mali, qui exhibentur, ſufficit, ut optimè concoquantur, & diſtribuantur: ſiquidèm cibi etiam optimi, ſi non benè coquantur in ſtomacho, plùs nocent quàm deteriores, ſi optimè coquantur.

Potus ſit vinum, quod hîc *lacrima* vocatur, benè dilutum, maturum, defæcatum, antiquum, ſuave, & lene; vitetur dulce, adſtrigens, auſterum, acidulum, craſſum, novum, & album, quia flatulentum eſt; vinorum varietas, & ebrietas omninò fugienda, nè ſtomachus obruatur. Si æger vinum non bibat, aquâ ſaſſafras utatur. Non bibat priuſquàm, niſi pro ratione alimentum aſſumpſerit.

Motus corporis ſit moderatus, nec excedat, ſed ſumpto cibo, exercitia vitentur, & deſidiæ, & quieti incumbat æger, non legat, non ſcribat, neque acu, vel penicillo pingat, & interpoſito ſpatio moderatum admittatur exercitium. Multum confert exercitium, nàm calor, qui motum excitat, humores attenuat, vaſa aperit, & obſtructiones lenit, quadere multi hypochondriaci ſolo corporis exercitio, ſi non curantur, meliùs tamen ſe habent, & præſertim ſi proprios relinquant lares, & itinerantur animi gratiâ, ſed non pedeſtres per diverſos pagos, oppida, & urbes, ibique per aliquot dies inhabitent, & deindè domum repetant. Annis elapſis Domin.

Coſmus Ceraſuolo noſter Compater Aromatarius, Vir integerrimæ probitatis ad mortem uſq; ab affectione hypochondriacâ ità torquebatur, ut actuùm mori videbatur, poſt multa, & incaſſùm adhibita remedia, tandèm, quid agendum, nos conſuluit, quem ſuaſimus, ut animi gratiâ proficiſceretur, & citò vecti, Romam profecti fuimus, & primo die adeò ſanum ſe ſentiebat, ut multa milliaria in itinere quotidiè pedeſtris conficiebat, quandò Neapoli vix greſſum movere poterat, & in pandochæis quicquid apponebatur, mandebat: Romæ verò, quia Quadrageſimæ tempus recurrebat, & carnibus veſci nefas erat, fabis, ciceribus, faſeolis, lentibus, prototomis, aliiſque oleribus, halecibus infumatis, caroris, aliiſque Quadrageſimæ tempore quibus uti licet, citra ſalutis noxam veſcebatur, & quotidiè totam percurrebamus Urbem, tandèm incolumis factus domum mari reverſi, & nunc quotannis Equotutici, & Salerni nundinas petit, ut majori ſalute fruatur, & ſemper velut altera phœnix Neapolim repetit. Quantùm valet corporis exercitatio pro hujus morbi præſervatione, dicant ruſtici, qui ob exercitam, & laborioſam vitam nunquàm hoc corripiuntur morbo, & tamen pravâ utuntur victûs ratione, & innumera tolerant incommoda. O utinàm exercitium vendi poſſet à medicis, nàm ditiores fierent.

Quies nimia quidêm noxia, & præ omnibus aliis ſex rebus non-naturalibus apta nata eſt hunc inducere morbum dœmoniacum, quadere multi hypochondriaci, poſt vana medicorum experta medicamina, & æs à medicis, & ſeplaſeariis expilatum, exorciſtis Monachis ſe ſe committunt, ut quicquid ſupereſt, ab his arte dœmoniacâ expiletur. Mulieres ob vitam ſedentaream magis, quàm viri hoc afficiuntur morbo, qui ab aliquibus hypochondria uterina vocatur, quia ſemper compatitur uterus. Ob hanc eandem cauſam magis viri docti, quàm indocti, & ruſtici hoc morbo vexantur. Mulieres namque pulvinario pro conficiendis laciniis, & docti libri incumbentes incurvati proni ſedent, undè ventriculus, pancreas, & alia adeò comprimuntur, ut ſuccus liberè perreptare, neque debitè colligi poſſit, ſed ſtagnatione aceſcat neceſſe eſt, ac ſpiritibus vix ad viſcera commeatus concedatur ob muſculorum, & viſcerum complicaturam.

Somnus ſit mediocris, tempeſtivus, & nocturnus, vitetur diurnos, & diuturnus, nè ſpiritus animales nimiùm obtorpeſcant, & in viſcera non influant, quia ipſorum tonus ceſſaret, fibrillæ laxiores redderentur, & viſcera ſuo non fungerentur munere, & pro animo à diuturnis curis relevando fieret lethi conſanguineus.

Vigilia non nimis protrahatur; qui ſpiritus animales abſumendo nocet; itàque ſomnus, & vigilia convenientiæ terminos non excedant.

Excreta, & retenta ſuum ſervent ordinem, idcircò alvi excrementa ingeſtis proportionaliter reſpondeant, & hypochondriaci, qui alvum habent laxam, & bis, vel ſaltim ſemel quotidiè ſcybala egerunt, leviter affliguntur, vel malum non adeò ſentiunt, quia ſemper in egeſtione aliquem producti portionem deponunt, ac proindè qui tali afflictitantur morbo, os clauſum, & podicem apertum, ideſt ſobriè vivere,

vivere & alvum lubricam habere debent. Menſtrua in fœminis, & in viris hæmorrhoides, aliæque conſuetæ evacuationes ſuum ſervent curſum, nam excernenda retenta vitium capiunt, mora aceſcunt, & malum intendunt: nimiæ verò excretiones ſpiritus planè exauriunt, ideòque compeſcendæ ſunt.

Animi motus vehementiores rectâ ratione cohibeantur, ut triſtitia, quia ſpiritus perturbat animales, eoſque in ſuo motu naturali figit, qui tamen nunquàm ſubſiſtere, ſed perpetuò ſe movere deberent, in triſtitiâ nàmque ſpiritus animales conſternuntur, & perterriti, quo aufugere debeant, neſciunt, & eundem triſtem affectum primò ſentit ſtomachus, ubi primi ſentiuntur inſultus, deindè hunc cordi communicat, illud conſtringit, & moleſtiæ ſenſus percipitur, corde ità conſtricto, ſanguis intra cordis ſinus ſtagnat, in coagulum abit undè aſſidua ſuſpiria, anxietates, ſuffocationes, & cordis lipothymiæ hypochondriacis obveniunt frequentes. Timor, qui eſt mentis de inſtanti, vel futuro periculo trepidatio, ablegandus eſt, & hic præcipuè hypochondriacorum mentes affligit, qui ſemper nè inopinatò præcipitii occumbant morti, animo volutant. In timore omnes ſpiritus perterriti inentâ conſternatione, ut ſe ſoſpites ſervent: munitam cordis arcem petunt, & ſanguis in toto corpore effœtus, & veluti vappa, in venis, & arteriis remanet, hinc ſanguis coit, tremor artus occupat, genua labeſcunt, appetitus perit, comæ ſtant, & vox hæret, excrementa propter reſolutionem ſponte fluunt, & id toties, quoties prava eveniunt ſymptomata. Leniendus itaq; timor dulcedine ſpei, quę afflictorum medicina eſt, & dùm ſpirat, ſperat ægrotus. Proſcribantur idcircò maligna, & graviora animi pathemata, ut mœſtitia, anxietas, ira, timor, triſtitia, &c. quæ vel ſola hunc affectum producere, vel præſentem miris fovere modis, vel augere valent. Admonitos igitur, & exhortatos volumus ægrotos, nè his malignis animi paſſionibus ſe irretiant, quarum aliter fruſtrà medicus curationem tentabit, quia pro his non potitur medicamentis, quæ animi paſſiones deleant, ſed tantum dexteritate quadam uti poterit, quæ quandòq; non collimat ad ſcopum: quapropter poteſt eſſe ſui medicus æger, aliter ſui ipſius carnifex erit. Maximopere bęnigni animi affectus prodeſſe poſſunt, & in primis gaudium, quo mediante ſpiritus animales cerebrum petentes jucundas producunt imaginationes, & nervoſum genus vegetiùs actuant, qui illicò ad pectus derivantur, tunc cordis muſculus pleniùs vibratur, & ſanguinem rapidiùs gaudium extrudit, & veluti flammam clariùs accenſam cum vigore per totum corpus diffundit: Cum ſit itàque affectus iſte melancholicus, ejus unicum remedium erit ſolum gaudium, undè ſequentes hos verſiculos pro morbi curatione hypochondriacus obſervet:

Atra melancholico regnat, ſi in corpore bilis,
Læta ede, læta bibe, læta age, læta vide.

Conducit quandòque ad melancholiam leniendam Veneris palæſtra, hæc namque Venus ab antiquis pulchritudinis, deliciarum, voluptatum, & gaudiorum omnium Dea habita

fuit, & optimum eſt contra melancholiam remedium; ſuo námque igne ſpiritus ignavos reddit alacres, corporis torporem fugat, humorem illuviem ſenſibiliter, & inſenſibiliter exturbat, appetentiam excitat, ſomnum conciliat, & melancholicos lætificat, & eò magis convenit Veneris uſus, quia melancholici ſunt flatulenti, ac proindè ſalaces.

Melancholia hypochondriaca forſan nunquàm curatur, poteſt tamen ità minui, ut æger ſibimet perſuadeat ſe ab illâ relictum eſſe. Primùm ſcopus ad productum dirigitur, quod ſemper obſervari debet in medicinâ, quandò à producto cauſæ ablatio impeditur, & quia hoc unicâ vice auferri non poteſt, pluribus tentari debet. Sordes ſunt in primis vijs, & à medicamentis acrioribus, & vehementibus, & ipſæ cauſæ ità exacerbantur, ut malum duplum efficiant; quapropter inter purgantia eligenda ſunt lenientia, & ſtercoracea, interdùm tantùm vomitum ciere debent, interdùm alvum deijcere, interdùm verò utrumque exequi. Statuitur quale debeat eſſe medicamentum à loco, ſive receptaculo ſordium. Vomitoria ſint mitiſſima, & ſufficiet *ſal vitrioli*, quod alio capite etiam juvabit. Doſis ſit ℈j. pondere, quæ tamen augeri poterit, ſi magna excrementorum copia adſit, & æger tortus non fuerit ab alijs medicis. Alvum deijcientia erunt *Tartarus ſive ſimplex, ſive in cremorem redactus, ſena, ex quâ tinctura fieri poterit, manna*, ſed hæc non ſemper convenit, habet n. annexum neſcio quid laxativum, quod de ſcammonij acrimoniâ participat, quæ maximè huic adverſatur affectui.

Utiliter conficitur medicamentum ex *ſenâ, & tartaro introductum à Paulo Æmilio*, quod *Panacea*, *Neapolitana* nunc dicitur, & neſcimus, an appoſitè ad omnes ferè morbos adhibeatur, ſervanda tamen ſunt aliqua in aquæ compoſitione, & exhibitione, quæ in noſtrâ *Pyrotechiâ* poſuimus. Sed advertendum eſt, nè aqua nimis, quàm par eſt, moveat, vel minùs, nàm ſi primùm evenerit, ſalium acrimonia exaltabitur, ſtypticitas augebitur, & malum mirum in modum augebit, augens aciditatem ſuccorum in ſtomacho exiſtentium, & in aliis partibus. Aquæ admiſcent alij *polypodium*, & alij utuntur loco aquæ ſyr. fumariæ compoſ. & ſyr. alijs magiſtralibus polypodium admiſcentibus, & quandòque etiam alia vehementiora cathartica, edocti ab authoribus: Sed hi quàm maximè errant, nàm polypodium præſertim, ut experientiâ conſtat, ferini quid habet, & malum auget, & hoc timebat *Galenus*, cùm diceret ſe ſolis balneis, victuque humido, hujuſmodi morbum curàſſe, quod tamen experientiæ non reſpondet; ſubdit tamen fortiora remedia requiri, cùm diuturnus factus eſt morbus.

Poterit etiam ex *ſenâ* fieri ſyr. quem *aureum, ſeu regium* vocant, paratur ex ſenâ, & tartaro. Aliqui addunt, vel *ſuccum, vel tincturam roſ. pallid.* cujus doſis eſt ℥iv. vel v. ad lubricitatem verò tantùm procurandam ſufficit ℥j. Ad hoc etiam deſervit *diatartari Confectio*, cujus deſcriptionem exhibuimus. Unicè prodeſt extractum de ammoniaco, vel ejus pilulæ, quæ ſequenti fiunt modo:

℞ Gummi Ammoniaci ℥ij.
diſſolve in aceto, & per pannum trajiciatur, adde

aloës

aloës ſucc. roſ. nut; ita ℥ß.
ſal. abſynthij ʒij.
incorporentur omnia, & f. maſſa conſervanda in alutâ malefactâ ol. aniſor. de quâ per intervallâ ♃ ℈ij. ad ʒj. & f. pilula.

Dirigenda igitur eſt curatio ad fermentorum correctionem, & quia hæc arcana poſtulant magna, & utplurimùm aliundè fermentis advenit noxa, ab excrementis ſcilicèt ſalinis, à quibus inficiuntur, hæc ſunt vel averruncanda, vel deprimenda, quibus ablatis, vel depreſſis obſtructioni quoque conſulitur, & quia utplurimùm hæc ſunt vitriolata, & acida, deprimuntur remediis à nobis explicatis, in quibus cautè procedendum eſt: deprimentia igitur ſint ſimul evacuantia, talia ſunt medicamenta, quæ ex Marte parantur, & licèt uberior ejus proventus, & frequentia, quâ ubique extat, non nihil ſibi derogare videtur, cùm paucis expenſis ex eo parentur pharmaca, cùm ea ſolùm ſint rara, quæ cara, attamen recentiores chymiam profitentes, varia jucunda, & ineſtimabilia conficiunt, eſtò crudum, limatumque exhibeant noſtri barbari, quaſi ſtruthinum ſtomachos ferrum digerentes habeant hypochondriaci.

Sed antequàm ad medicamenta martialia deveniamus, inquirendum, quid ſit Mars, ſcilicèt ferrum, quid chalybs, & quomodò melancholiam hypochondriacam curet, quomodò aperiat, & adſtringat.

Mars eſt corpus metallicum conſtans ex copioſo ſale acido, minimo mercurio, & modico ſulphure, cum ſufficiente quantitate terræ craſſæ, indigeſtæ, & immaturæ. Differunt Mars, & Chalybs in eo, quòd chalybs ſit magis maturus, & præparatus, cùm ſit durior, & purior. Fit ex ferro chalybs artificialiter, ſi fiat S. S. S. cum ſalibus alkalibus, vel cum carbonibus, qui magnam ſalis alkali copiam habent, ut ſunt carbones fagi, ſal tartari, raſura cornu tauri, & ſimilia. Mars copioſo acido non ſufficienter ſaturato abundat: cùm ergo ſtratificatur cum ſalibus alkalibus fixis, aut cum raſurâ cornu tauri, quæ copioſo ſale volatili conſtat, ſalia alkalia, ſive volatilia, ſive fixa in Martis poroſitates ſe inſinuant, uniant, & conjungant cum acido martis, & marti majorem duritiem, & firmiorem elaborationem conciliant, & ità mars in chalybem mutatur. Hinc fabri ferrarij ſæpiùs marti candenti, ſcilicèt ferro animalium cornu affricant, & dùm igniti martis beneficio cornua liqueſcunt, eorum ſal volatile in martem candentem ſe inſinuant, & ejus acido ſaturatur, & materia fit durior, quàm aliàs ferrum. Verùm hæc differentia eſt tantùm accidentalis inter ferrum, & chalybem, cùm utrumque ſit de familiâ ferreâ; magis defæcatum, depuratum, & durius, atque exindè etiam ſtabilius eſt corpus chalybis, quàm ferrum: eſt proindè chalybs humanæ vitæ uſibus accomodatius, mars verò, ſcilicèt ferrum multis depellendis morbis idoneus; chalybs nàmque ſalibus alkalibus, vel volatilibus, vel fixis ſaturatus, ideòque ſubſtantiæ compactæ eſt, & ſalia acida ſylveſtria abſorbere non poteſt: Mars verò quia non compactæ eſt ſubſtantiæ, ſed poroſus, facilè ſalia acida vitriolata, & ſylveſtria abſorbet. Veniat in exemplum vitriolum martis, quod in ſuâ confectione ſpiritus vi-

trioli in martis corpus agens ſupra modum dulceſcit, ſi verò ſupra hoc vitriolum martis bis, ter, & quater vitrioli ſpiritus affundatur, non dulceſcit, ut guſtanti patet, quia Mars ſaturatus eſt, nec poros ſubire, nec dulceſcere poteſt. Hinc proficuus eſt martis non præparati uſus, quia acidum abſorbet, ejus acrimoniam corrigit, temperat, & dulcificat. Ea propter martis limatura in ſubſtantiâ aſſumi debet commodè præſertim ijs, quorum ventriculi fermentum præternaturaliter eſt acidum, ut martem ſolvere poſſet, vel quibus ſuccus pancreaticus eſt nimis acidus, & in quorum inteſtinis acidum eſt corroſivum: in ſubjectis tamen tenerioribus commodè propinari non poteſt, quia periculum eſt, nè Mars in ventriculi fundo ſubſideat, & exindè acido ſaturetur, fiat vitriolum in magnâ doſi, quod vomitum excitet; vitriolum namque martis pondere unius ſcrupuli, vel majoris eſt vomitivum, ut vitriolum commune.

Eſt mars alexipharmacum melancholiæ hypochondriacæ, panacæa cachexiarum, digeſtivum melancholiæ, & obſtructionum profilacticon, & nullâ aliâ ratione has curat affectiones, & intra corpus ſumptus humorem melancholicum dictum Galenicis, modernis ſuccum acidum ſalia acida coagulativa, ſylveſtria, & corroſiva abſorbet, quæ, dùm martem diſſolvere conantur, corriguntur eorum acores, & coagulationes diſſolvuntur, quia eâdem actione, quâ in martem agere tentant, arripiuntur, abſorbentur, obtunduntur, corriguntur, temperantur, & dulceſcunt ſupra metallicum martis corpus, quia debilia ſunt ad tantam martis duritiem, & firmitatem, ac tandem abſorpta, & victa præcipitata ſecum per alvum educit.

Martis proprietates ſunt variæ, nunc n. adſtringit, nunc aperit, & reſolvit: hanc operationis diverſitatem oriri exiſtimamus, quia cum Mars conſtet ex mercurio in minimâ quantitate, ſulphure modicâ, copioſo ſale acido, & ſufficiente terrâ damnatâ, ſi principia activa in operatione, ut mercurij, ſulphuris, & ſalis particulæ per calcinationem evaporeſcant, & terra damnata tantùm remanet, vel per ſulphur, acetum, alioſque ſuccos acidos hæ particulæ ità maximè acidis ſaturantur, ut inertes, & effœtæ reddantur ad abſorbendum, variæ croci operationes vulgariter fiunt. Crocus itaque martis aperitivus non eſt præparandus cum nimis forti acido, quia in quantùm acidum abundat, & in ejus operatione accedit, in tantùm vis aperitiva impeditur, quia, dùm acido imprægnatus eſt, non poteſt illud in humano corpore abſorbere. Undè pauciſſimo acido præparandus eſt mars, quoniam tunc plus abſorbere poteſt in corpore: aliàs quæcumque acida facilè martem ſolvunt, ſive ſint mineralia, ſive vegetabilia. Fit itàque crocus martis aperitivus per ſolam aquæ ſimplicis effuſionem, ſi martis limatura ſubtiliter trita diebus canicularibus aquâ ſimplici irroretur, & radijs ſolaribus exponatur, & intra paucos dies eadem martis limatura in crocum vertitur, & ingens excitatur efferveſcentia. Quidam aquam ſimplicem ſale abſynthij fixo acuunt, & tali aquæ in loco tepido effundunt martis limaturam, & ſic crocum martis aperitivum egregium efficiunt.

Hic

Hic crocus martis aperitivus eſt pulveris cachectici baſis, ex hoc croco aperitivo tinctura croci martis, ejus eſſentia, extractus, & cætera antihypochondriaca dicuntur, eliciuntur. Feliciter nos certo eventu utimur *tincturâ martis aperitivâ*.

℞ Limaturæ martis ℔.j.
cui affunde roris majalis per ſenas rejteratas deſtillationes, vigorati cum optimi vini græci ℥vj. *expone Soli percurrenti ſignum Leonis, aliquoties move, & ad ſiccitatem redigatur, hoc facto, tere limaturam martis, & reaffunde roris majalis vigorati tantundem, move, exiccta, & tere, hòc ſepties, vel octies reitera, tùm demùm in vaſe vitreo ſuperfunde vini ſpiritum q ſ. digere in lento igne cinerum, & ſenſim videbis ſpiritum roſeo colore infici, decanta, ſerva, & novum vini ſpiritum ſuper affundè, & ità procede, donec nullatenus tingatur, hos omnes decantatos ſpiritus deſtilla ad tincturæ remanentiam, quam in vaſe vitreo obſerato ſerva, & habebis martis tincturam abſque ullo corroſivo elaboratam.* Doſis ℈ß. ad j. in convenienti liquore.

Maximè confert *vitriolum martis*, ut
℞ Limaturæ martis mundatæ ℥j.
ſp. vitriol. ℥iv.
ſolvatur mars in ſpiritu vitrioli, & in frigore concreſcit in cryſtallos virides, ſepara, & ſerva. Nonnulli *poſt martis ſolutionem, ſcilicèt poſt* 24. *horas affundunt aquæ communis* ℥iv. *filtrant per chartam emporeticam, & deſtillant lento igne, quo uſque cuticula appareat, tunc permittunt in cellâ vinariâ per aliquot horas refrigerari, & martis vitriolum in cryſtallos redactum colligunt, remanentem ſolutionem iteratò ad omnimodam vitrioli extractionem deſtillant.*

Verùm in confectione vitrioli, ſeu magiſterij martis obſervetur, quod ſpiritus vitrioli aquâ communi ſit benè dilutus, obſervatum nàmque eſt, quòd ſpiritus vitrioli fortiter rectificatus marti affuſus, eundem diſſoluere non potuit: contrà dilutus cum ſufficienti phlegmate, vel aquâ communi ſubitò martem corrodit, & diſſoluit, quia particulæ ſalinæ ſunt adeò unitæ, ut non poſſint una, poſt alteram in martis poros ſe inſinuare, ſin verò ſint dilutæ, facilè poſſunt martis poros intrare, & diſſoluere.

Non exhibeatur martis vitriolum, niſi leniter purgato corpore. Nos uti ſolemus pondere granorum quinque, addito *extracto rhabarbari, ſale abſynthij, vel volatili, vel fixo, vel utroque.* Interim per epicraſim, ſi alvus non liberatur à chalybe, laxanda eſt, vel *diatartaro* exhibito pondere ℥j. vel panacæâ, vel aliquo alio. Martis uſus non debet eſſe brevis, ſed juxta exigentiam.

Aliqui ex marte vinum parant per ſolam infuſionem, ſed præſtantius eſt, quod vindemiarum tempore conficitur. Bibitur vel jejuno ſtomacho quatuor horis ante prandium, vel ſimul cum cibo. Quantitas præſcribitur à majori, vel minori ſalis portione in vino exiſtente, ab ægrotantis, morbi naturâ, &c.

Conficiunt ex marte varios ſyrupos, & julepos, ſed præſtantiſſimus eſt ſequens, ut

℞ Limaturæ martis mund. ℥vj.
vini albi optimi ℔.ij.
digere in M. B. trium dierum ſpatio, materiam ſemper agitando, decanta, & liquori decantato infunde
paſſul. enucleat. ℥iv.
fol. camedrios,
fumariæ an. m. ß.

flor. anthos.
cichorei,
cortic. tamariſch. an. ℥ß.
granor. kermes,
raſur. eboris an. ʒiij,
aloës,
ſantal. citrini an. ʒj,
macis,
cinnamomi,
caryophyllor. an. ℈ij,
croci. ℈ß.

Bulliant in balneo per horam, clauſo vaſe, colaturæ adde ſacchari q. ſ. coque ad conſiſtentiam ſyrupi, cui adde
ſyr. de pomis ℥iv.
confect. alkermes ℥j.
Doſis eſt ℥j.

Præ cœteris prodeſt *ſpiritus vitrioli martis*, qui gratiſſimi ſaporis eſt cum moderatâ aciditate dulcedinem quandam ſapiens. Hepati, lieni, & ventriculo roborando, tùm etiam obſtructionibus eorundem reſerandis efficax eſt. Ventriculos cerebri permeat, undè epilepticis, & apoplecticis deſtinatur, in vehiculis quibuſcumque exhibitus.

Pari pacto jùvant aquæ particulis martialibus impregnatæ, hinc etiam dicitur ferrariorum canes ſplene carere, non quòd omninò ijs ſplen deficiat, ſed quod ſit admodùm parvus, quia canes aquam ferrariorum bibunt, aſſumunt ſimul particulas martiales, quæ lienis inflationem, & tumorem inhibent, quoniam acidum coagulativum abſorbent, quod dat ſcirrhos, & lienis inflationes. Multi recipiunt aquam cotis, quæ defluxit, ex cote, dùm acuitur inſtrumentum ferreum, & in hac aquâ cotis aliquoties chalybem extingunt ignitum, quæ poſteà aqua eſt pauperum medicina in omnibus morbis fere chronicis, V. G. in morbo hypochondriaco, ſcorbuto, menſibus ſuppreſſis, alvi obſtructione, ſcirrho, ictero flavo, & nigro, & in cachexiâ, & omnibus ſimilibus affectibus, cùm in his omnibus morbis perſanandis mirificas vires obtineat ferrum: nàm in genere in ijs affectibus, quos dicunt ab humore melancholico oriri, martialia medicamenta ſunt danda, quæ acidum illud abſorbent, & acrimoniam corrigunt.

Juvat etiam ſerum tempeſtivè adhibitum, quod tamen non ſemper, & in omnibus convenit. Non parùm juvaminis affert tinctura abſynthij n. d. ſi tinctura fuerit guſtui ingrata, ſaccharo, vel aliâ aquâ appropriatâ, vel ſyrupo illam emenda. Rhabarbari tinctura multùm quoque juvat, attamen juxta noſtram deſcriptionem, poteſt miſceri cum ſyr. roſ. pallidar. vel aliquo alio convenienti. Prodeſt aqua abſynthij noſtræ præparationis, quæ odorem, & colorem refert.

In hypochondriacis magna ſtomachi ratio habenda eſt; hic n. eſt officina, ubi morbus cuditur, & in reliqua viſcera alimenta perversè confecta transferuntur: jure meritò itàque rectificandus, & corroborandus eſt, ut rectè concoquat, & tranſmittat, ad hunc finem nos præſcribimus pulveres ſtomachicos per plures dies aſſumendos, ut

℞ *Pulu. ſtomach. ſin. ſacch.* ℥ß.
elaoſacch. citri ʒjß.
m. f. chartula. x.
in jure, vel aquâ tepidâ aſſumendæ.

Vel

℞ *Syr. de Abſynth. Io. Zuvelſeri cochlear.* j.
tinctur. martis n. d. gutt. x. *m.*

& per plures dies aſſumatur manè jejuno ſtomacho cum exercitio.

Vel

℞ *Tartar. vitriolat.* ℈j.
electuar. de bacc. juniper. q. ſ.
f. pilul. iij.

Vel

℞ *Spiritus ſal. coagulat. Mynſicht.*
gr. x. vel xv.

propina in convenienti vehiculo, advertendum tamen eſt, quòd hæc medicamenta ad plures dies aſſumi debent.

Solet quandòque ſtomachus manè tumultuari, & totam vitæ œconomiam ſubvertit, huic incommodo facilè medebitur patiens, ſi ſtatim ingruente tumultu, aliquid cibi, & parum vini aſſumat, nàm ſic reprimitur, & omnis noxia ceſſat.

Utplurimùm hypochondriacos magnus rigor, & partium extremarum frigus concutit, & effumationes caput petunt, diceres actutùm apoplexiam inſtare, tunc *ſpiritu vini, vel aquâ Reginæ Hungariæ* inungi, & per os *aquam cinnamomi, vel elixir proprietatis per infuſ.* aſſumere debent.

Medicamenta, quæ ex tartaro parantur, multùm valent in hoc morbo, quæ ſi morbum non tollunt, ſaltim leniunt, ità eſt ſal tartari fixum, ſal tartari volatile, tartarus vitriolatus, & ſuprà his ad ſydera extollitur tinctura tartari, ſed ab aliquibus pſeudo-chymicis impoſtoribus, quid pro quo auro charius hypochondriacis venditant.

Id, quod hypochondriacos magis torquet, eſt alvi ſtypticitas, quia inteſtinorum coctio vitiatur, & ſcybala diù retinetur, & hinc plus juſto exſiccantur, ac demùm laborioſè, & non niſi vehementi conatu excernuntur, & quandòque ad plures dies retinentur, & eò magis indurantur, & malum duplo majus efficiunt; ſi itàque alvum habeant laxam, non tàm acriter à morbo excruciantur, cùm ſordes, & ſalium acrimonia exaltata per alvum unà cùm medicamento leniter lubricante exturbentur. Nonnulli ad alvum laxandam utuntur *pilulis de aloë* ſemel, vel bis in hebdomadâ, quas ante cœnam aſſumunt: hæ pilulæ ſunt innocuæ, & ſtercoraceæ vocantur, quia ſtercus ex primis vijs educunt.

Nos feliciter præſcribimus *pilulas familiares*, quibus noſtri ægroti magno cum juvamine contra vim morbi, & ſtypticitatem utuntur, ut

℞ *Ammoniaci* ℥iv.
aloës hepaticæ ℥ij.
rbarbari electi ℥j.
ſpec. diarrhod. Abb.
trium ſantalorum an. ʒij.
magiſterij perlarum,
coralliorum,
tartari vitriolati an. ʒjß.

ammoniacum diſſolve, & extrahe cum aceto ſcillitico, aloën cum ſucco endiviæ, rhabarbarum, & ſpecies cum ſucco citri. Reduc ammoniacum in optimam conſiſtentiam, cui adde alia extracta, & evapora ad extracti conſiſtentiam, & repone ad uſum pro pilulis efformandis. Doſis ʒj. ante cœnam ſumitur.

Optimus eſt *ſyr. fol. ſenæ or. ad* ℥j. *cum aliquot guttis aquæ cinnamomi corroboratus*, & poſt levem cœnulam cubitum iturus, ei admiſcendo tantundem aquæ ſimplicis aſſumitur, ventrem leniter laxat, & lubricam conſervat, poteſt ſemel in hebdomadâ aſſumi juxta neceſſitatem: Sed nos feliciùs utimur ſequenti

 lenitivo,

lenitivo, quod alvum laxat, & morbo medetur, ut

℞. *Fol. ſenæ or.* ℥ij.
tartari vini albi ℥iij.
cinnamomi acuti parum
f. omnium pulvis ſubtiliſſimus,
& cum ſyr. de cichoreo Nicolai f. maſſa,

quæ tota doſis, manè jejuno ſtomacho aſſumitur in jure, vel deſuper cyathulum juris ſuperbibendo, & poſt unam, vel alteram horam, vel immediatè ſe cibet æger, ſemel in menſe ſumitur, vel juxta neceſſitatem.

CAP. XX.

De Hydrope.

MOrbus, de quo in præſenti agimus, græcis ὕδρωψ nominatur, à latinis *aquaintercus*, & aqua intercutem, & ab aquâ nomen ſortitus eſt ὕδρο, & genericè aquoſi, & ſeroſi humoris abundantiam ſignificat, ob quam aliqua corporis pars, vel ipſum corpus p. n. intumeſcit. Vndè hydrops particularis, & univerſalis eſt: ſi itàque aquoſi humoris colluvies in capite ſtagnat, dicitur ὑδροκέφαλον, de quo egimus in noſtrâ *Trutinâ Chirurgico-Phyſicâ de Tumoribus cap. de Hydrocephalo.* Si in umbilico dicitur ἐξόμφαλος de quo egimus. Si in ſcroto ὑδροκήλη. Si in utero, uteri hydrops, & dicitur particularis; univerſalis eſt totius corporis, aut certè abdominis tumor ab aquoſo humore factus, & de hoc hydrope hîc agimus, & dupliciter ſe habet, vel totum abdomen, vel univerſum corpus à materiâ aquoſâ intumeſcit.

Hinc triplex emergit hydrops; primus ἀσκίτης, in quo totus venter inferior humore aquoſo, & ſeroſo impletur, & vulgò *utricularis* dicitur, eò quòd aqua in peritonæo velut in utre continetur, ut inſtar utris pleni turgeat. Secundus ἀνασάρκα, vel ὑποσάρκα, vel σαρκητες, vel λευκοφλεγματία, & eſt albæ pituitæ per corpus diffuſio, eò quòd ex pituitâ liquida conſtat, quæ ex ſui naturâ quidèm ſemper in aquæ claræ modum albet, ex admiſtione verò alterius cujuſvis humoris alio quoque colore tingitur, & colorem mutat, & univerſa corporis moles per carnem, & ſub carne, humore albo, & pituitoſo ſuffuſo, tumida apparet. Tertius τυμπανίτης à tympano, quoniam à flatu venter, & inteſtina tumefit, & diſtenditur, quaſi pellis ſuper tympano, & compreſſus, vel percuſſus ſonum edit quaſi tympanum, & dicitur hydrops ſiccus, quia non ex humore aqueo, ut primæ duæ ſpecies, ſed ex materiâ flatuosâ conſtat.

Verùm hi humores aquoſi miſcentur, ut rarò ſit aqua ſine flatu, & flatus ſine aquâ in abdomine, & hac de causâ *Hippocrates* ſub tympanite aſcitem comprehendit, ex eo tamen, quod abundat, appellatio ſumitur, & cùm parum flatuum admiſcetur, aſcites appellatur, cùm vero copioſus flatus cum aquâ exiguâ, tympanites, ſed plerumque aqua abundat. Ideòque ſi accuratè rem animadvertere velimus, præcipuam hydropen dicimus aſciten, cœteras verò ſpecies per hujus ſimilitudinem. Ac proindè cùm, ſi quis abſolutè hydropicus appellatur, aſcite laborare intelligatur, cùm aſcites præcipua ſit hydropis ſpecies, & dum ſcriptores abſolutè hydropen nominant,

nant, aſciten ferè intelligant.

Signa.

Hydropis ſigna, & primò, aſcitis ſunt: abdomen valdè intumeſcit, & indies tumor plurimùm augetur, & aliæ corporis partes contabeſcunt. A copioſiori cibo, & potu aſſumpto tumor creſcit, imò ſecundum varias Lunæ phaſes nunc creſcit, nunc decreſcit. Vmbilicus prominet, cutis pellucet, pubes, crura, femora, & pedes in utroque ſexu, & in viris ſcrotum paulatim intumeſcere incipiunt. Æger dùm de latere in latus circumvolvitur murmurat, & fluctuat, aqua hinc indè velut aqua mota, vel aqua in utre ſemipleno, intra peritonæum, & inteſtina ex aquâ in abdominis capacitate concluſâ, nec mirum, cùm inteſtina, quaſi in aquâ natent. Multum urinæ in principio reddere ſolent, paulò verò pòſt ſenſim ejus copia minuitur, magiſque fit rubicunda cum craſſo ſedimento. Tantalea excruciat ſitis, ſed potu non reſtinguitur, tuſſis ſicca, interdùm humida, reſpiratio difficilis, crebra, & anhela, eò quòd diaphragma à tumore comprimitur. Facies flavet, & videtur æger quaſi ictero laborare. Quandòque, quamvis non ſemper appetitus proſtratur, & nauſea præmit. Poſteà verò febricitat continuò, & lentè.

Anaſarcæ ſigna ſunt: totum corpus enervatum languet, & intumeſcit, & tumor per omnem corporis ambitum æqualiter diffunditur. Carnes emortuo corpori perſimiles habet æger, molles n. laxæ, & pallidæ efficiuntur. Color albus totius corporis aſſimilis pituitæ vulgari, mollis omnium membrorum tumor, qui digito preſſus veſtigium, & foveam aliquandiù relinquit. Venter hîc minimè inflatur ut in aſcite, tactus tamen magis craſſum experitur. Febris lenta, & continua cum pulſu debili, inæquali, molli, & undoſo concurrit. Reſpiratio ſemper difficilis, potiſſimùm tamen poſt aſſumpta alimenta. Vrinæ ſunt tenues, & albæ. Ægri non ſemper, ut in aſcite, ſunt ſitibundi.

Tympanitis ſigna ſunt: tumet totus venter, univerſum autem corpus extenuatur, & emaciatur, undè præclarè aſſimilabat ille theſaurum Imperatoris hydropi ventris, qui quantò magis excreſcit, tantò magis Populi crumenæ extenuantur. Ventris tumor rotundus, diſtenſus, & durus manet, ac percuſſus ſonitum tympani inſtar reddit. Eſt tumor à flatibus inter inteſtina, & peritonæum incluſis, quamvis verò in hac hydropis ſpecie etiam ſæpeſæpiùs unà flatui ſerum extravaſatum ſit permiſtum, & ob paucitatem non fluctuat in corporis converſione; ea propter tympanites rarò ſolitariùs eſt, ſed ordinariò aſcitem habet comitem, quamvis etiam à ſolis flatibus fieri poſſe experientia docet. Major eſt ventris inflatio, ſed minor gravitas; frequenter hinc inteſtina rugitu obmurmurant, & crepitus, multaque flatuum concurrunt. Eructationes, & crepitus ſunt frequentes, qui nonnihil levant. Si æger ſupinus decumbat, venter non cadit ad latera, ſed in medium attollitur, cùm flatus non ità facilè deorſum deſcendat. Præceſſerunt tormina circa umbilicum, & lumborum dolor, ut *ſect.* 4. *aph.* 11. *Quibus tormina, & circa umbilicum dolores,*

res, lumborum dolor, qui neque à medicamento, neque aliàs ſolvitur, in hydropem ſiccum firmatur. Pulſus ſubdurus eſt, aliquantiſper tenſus, celerior, minuſque imbecillis, quàm in aſcite.

Sitis hydropicum malè excruciat, &

Quò plùs ſunt potæ, plùs ſitiuntur aquæ.

imò

Creſcit indulgens ſibi durus hydrops,
Nec ſitim pellit.

nec à ſeroſi humoris penuriâ oritur, ut hactenùs à *Galeni* mancipiis creditum eſt; nàm mento tenus, ut dicitur, eſt aquis immerſus, & velut in aquarum gurgite innatat. Pendet Tantalea ſitis à latice ſaturato plurimo ſale in abdomine diutiùs contento, qui indies plurimùm augetur, dùm per urinas non exturbatur, quia pauciſſimè redduntur; imò intenditur, & per varias fermentationes intenſæ emergunt ſalſedines. Malo creſcente, diſpnæa plerùmque ità inſignis accedit, ut hydropi erecti ſedere coguntur ob aquarum copiam diaphragmati comprimentem, & cùm decumbunt, niſi erigantur, ſuffocationis imminet periculum. Vrinæ paucitas oritur, quia ſerum, quod per urinarios ductus ordinariè eliminari debuerat, in abdominis cavitatem demittitur. Febris continua, lenta, & habitualis pendet à ſanguine ſuo latice deſtituto, nec à novo eluitur, & in concretionem abit, vel quandòque pro majori parte in laticem mutatur; eſt n. latex ſanguinis comes pro fluxilitate, & ad corporis ſordes eluendas deputatus: à ſtagnantibus, præter febrem lentam, varia febrium genera facilè accenduntur, ut in praxi obſervatur.

Veterum Cauſa.

Galenici, qui hepati latriam exhibent, illique immolant, & omnem incolumitatem, & languorem in toto corpore humano uni refundunt hepati, & omne bonum, omneque malum ab hepate oriri, ac proindè etiam hydropem à frigidâ hepatis intemperie ortum ducere imaginantur. Hæc frigida hepatis intemperies tàm à morbis calidis, quàm frigidis generatur, & ab hepate contrahitur, quæ per ſe hydropem producere poteſt, cujus cauſa proxima immediata eſt materia nutritioni inepta, ſeroſa, nimiùm pituitoſa, vel flatulenta in ventris imi cavitate, vel inter carnem, & cutem collecta copiâ ſuâ corporis partes diſtendens. Putant vulgares hepar eſſe ſanguificationis officinam, & quamdiù temperatum eſt, optimum ſanguinem, optimoſque gignit ſuccos; ubi verò intemperatum eſt, nequaquàm optimum ſanguinem gignere poteſt. Intemperatur jecur, vel quandò abundat calor, ut in febribus ardentibus, in immodico vinorum potentium, vel ſpiritûs vini, ciborum, vel medicamentorum calidorum uſu, &c. Hydrops ſæpè excitatur, eò quòd jecur ex nimiæ ſiccitatis occurſu quaſi areſcat, & membrana ambiens finditur, necnon deiſcat, ut in terrâ, ex nimiâ ſiccitate fieri ſolet; undè ſeroſi humores in abdomen facilè per fiſſuram illabuntur in aſcite, quaſi exudando, atque deſtillando. Id etiam contingit in durô hepatis tumore, quod finditur ob nimiam intumeſcen-

meſcentiam, & ipſa membrana hepar ambiens relaxatur, & ſenſim feroſa excrementa in abdominis capacitatem decidunt. Vel quandò calor deficit, vel eſt imbecillis, hepar refrigeratur, & ſanguinis feroſi copiam generat, ut ex immodicâ menſium hæmorrhoidum, vel hæmorrhagiarum evacuatione, in quâ unà cum ſanguine magna fit ſpirituum jactura. Sic quoque ex dyſenteriâ, nec non lienterâ id accidit malum, ſi diutiùs perſiſtant; calor .n. naturalis nimiùm diſſipatur, & hepar refrigeratur. Vel nativus hepatis calor debilitatur per ſuffocationem, quandò ſanguis nimiâ copiâ in venis redundat, præſertim impurus, qualis eſſe ſolet in menſium, vel hæmorrhoidum ſuppreſſione: per illas ſiquidem evacuationes corporis impuritates exturbari ſolent, quæ iiſdem ſuppreſſis, retentæ totam ſanguinis maſſam conſpurcant. Id etiam efficit hepatis inflammatio ad eum ferè modum, quo flamma major minorem extinguit. Hepatis, & lienis obſtructio, vel ſcirrhus hydropem gignere poteſt, quia hepar debilitatur, & hæmatoſim non exactè perficit, ſed pro ſanguine ſerum producit. Sic qui in longis febribus, quartanâ, aliiſque chronicis morbis conſumuntur, in hydropem incidunt, quia inſitus hepatis calor diſſipatur, & ſanguificationis officina intercidit. Ejuſdem quoque mali cauſa eſt aër nimis frigidus, immodica aquæ frigidæ potatio poſt æſtum, & validam corporis exercitationem, itèm aquæ paluſtris, impuræ, & turbidæ potatio, copioſus, & frequens alimentorum frigidorum, & craſſorum uſus, vita ſedentaria, nimius ſomnus, excernenda retenta, & ut ſummatim dicamus, quicquid ſanguificationis facultatem infringere poteſt, ſive per errores externos in ſex rebus non-naturalibus efficere, nè jecur chymum in ſanguinem mutare poſſit. In hydrope itàque ſemper adeſſe debet frigida hepatis intemperies, & citra ejus refrigerationem impoſſibile eſſe aliquem in hydropem incidere dicunt. Quandòque hydrops ventriculi lienis, pancreatis, inteſtinorum, venarum meſeraicarum, deploratæ obſtructionis, renum, veſicæ, uteri &c. vitio contingit; in hoc nàmque ſemper perpetuò hepar afficitur primariò, vel ſecundariò, ità ut nunquàm hydrops contingat, quin hæmatoſis vitietur, & hepar pro laudabili ſanguine aquoſum generet.

Cum itaque corpus ſanguine nutriatur, iſte ab hepate frigidriori generatus crudus, pituitoſus, & phlegmaticus in venarum genus talis, qualis genitus eſt, diſtribuitur, & indè in totum corporis habitum effunditur, qui tumidus, & albus apparet, undè primò cachexia; deindè leucophlegmatia, & cùm nutritioni ſit ineptus, partes nutrire nequit, remanet in partibus, eaſque tumidas reddit, & hinc anaſarca exurgit, & leucophlegmatia, & anaſarca generatur, quæ tamen ſecundum magis, & minus differunt.

Si pituitoſus humor in abdominis capacitatem inter peritonæum, & inteſtina ſenſim extillet, ibidemque retineatur aſcitem producit; idemmet humor pituitoſus, & crudus prolapſus, exagitatus, & attenuatus in abdominis cavitate ſi craſſos emittat vapores, & flatus, tympanites dicitur. Cæterum raro flatus tympanitem efficiens ſolus in abdomine continetur, ſed plerùmque

aquæ permixtus obſervatur, ſicut etiam in aſcite non aqua ſola, ſed flatus etiam in abdomine continetur, & uterque à prædominante nomen mutuatur. Si nimirùm aqua flatibus prævaleat, aſcites nominatur; Si verò major flatuum, & minor aquæ copia collecta ſit, dicitur tympanites: ſi denique utriuſque portio æqualis cumuletur, ambigitur inter utrumque, ità ut ambigere liceat, utrum aſcites, vel tympanites talis hydrops nominari debeat.

Sed ſicco pede, & ſilentio non prætereundum eſt, quod videtur difficile de illius humoris aquoſi tranſitu inter peritonæum, & inteſtina, cùm dubitandi ratio magnam habeat evidentiam, & nullus appareat manifeſtus meatus per quem tranſeat prædictus aquoſus humor. Ad hanc difficultatem nonnulli fieri dicunt illum tranſitum per venam umbilicalem, quæ opinio eſt manifeſtè falsa; ſiquidèm hæc vena, cum editus eſt fœtus, ſtatim areſcit, & validi ligamenti vicem ſupplet. Alii fieri reſpondent dictum tranſitum per quoſdam latentes & cœcos ductus, qui ſoli naturæ ſunt manifeſti, ſicut confirmat *Galenus* nonnullis exemplis de tranſitu præcipuè ſanguinis à dextro in ſiniſtrum ventriculum; de venis ad arterias, de ſanguine menſtruo ad mammas, de fœtûs tranſitu per anguſtum os matricis, quod geſtationis tempore nec ſpecillum quidèm admittit.

Verum allucinantur vulgares imaginantes, per latentes, & cæcos ductus ſeroſum humorem in abdominis capacitatem transferri. Vident hoſtem intra lares, & neſciunt, per quod oſtium ingreſſus eſt, forſitan januis clauſis? Non mirum, quia ſunt cœci & ſemper neſciunt cauſam, & admirantur effectû, & ſic ſciunt, quod neſciunt; ſufficiebat n. dicere, neſcimus ductus; per quos in abdominis cavitatem aqueus ille tranſit humor, & non cœcos aſſignare meatus. Sunt ipſi cœci, ſed nō cœci meatus, qui patet lippis, atq; tonſoribus. Si per cœcos meatus colligeretur aqua fieri non poſſet, ut unquam tanta colligeretur copia, ut videtur, ſiquidem ſæpè ventres aquâ repleri, velut dolia apparent. Præterea hydrope æquè omnes homines tentari poſſent, quia, cùm in unoquoq; corpore ſint latentes meatus, in omnibus etiam aqua genita colligi poſſet. Inſuper poſſet per hos occultos meatus aqua educi, nàm incaſsùm tot vias manifeſtas machinata eſſet natura ad expurgandam aquam, & alios ſuperfluos ſuccos. Ad *Galeni* confirmationem per exempla de tranſitu ſanguinis à dextro in ſiniſtrum cordis ventriculum, de venis ad arterias, de ſanguine menſtruo ad mammas, de fœtûs tranſitu per anguſtum os matricis, dicimus nullibi tàm ſuam patefacere ignaviam, quàm hîc. Si nunc viveret, in maximam felicitatem haberet ſe ſcire id, quod ſuo tempore natura non patefecit, & quæ ipſe neſcivit, & ſcire debuit, certè ab illis, qui medicinam à primo limine vix ſalutârunt, imò à tonſoribus addiſceret.

Sed ad hepar à *Galeno*, ejuſque mancipiis decantatam hydropis cauſam noſter redeat ſermo: in falſo volutantur ſuppoſito, in primis errant principiis, & à januâ aberrant; nàm excrecentiorum obſervationibus anatomicis jàm compertum eſt hepar non ſanguificare, quia putatitius chylus non ad venam portam, & deindè ad hepar aſcendit, ſed ad ſacculum lacteum deſcendit, & deindè in

in ſubclavias aſcendit, & demùm in cordis ventriculum. Prætereà in omni hydropicorum ſectione ſemper hepar ſanæ conſtitutionis, & incolume repertum fuit, ut multæ extant obſervationes. Inſuper quandoque hydrops à ſplene vitioſo, ex inteſtinis, ſi illa perforentur, ex renibus per obſtructionem, imbecillitatem, vel exulcerationem, vel ex utero. &c. generatur, hepate ſalvo. Tandem quidam ab hydrope liberantur ſola umbilici apertione, nullo habito ad hepar reſpectu; nàm ſi hepar tàm valdè frigidum eſſet, non tàm facilè ſanitati, evacuatâ aquâ, reſtituerentur. Multi prætereà, aquâ ſemel evacuatâ, vel omnimodâ à potu abſtinentiâ abſumptâ ab hydrope liberantur, quod utique non eveniret, ſi læſa eſſet hepatis ſanguificatio, nàm ſemel evacuata, vel abſumpta aqua iterùm generaretur, & ſic nunquàm curaretur, quod eſt contra multorum authorum obſervationes. Eſt itàque hepar inſons in hydrope, cùm à recentioribus dejectum ſit à ſanguificationis imperio. *Helmontius* in multis hoc morbo defunctis hepar innocuum, & ſemper inculpatum vidit, imò gloriatur ſe bis mille hydropicos etiam, quorum lotium jàm è cruento nigricaret, & qui tota nocte vix cochlear minxerant, in priſtinam ſanitatem reſtituiſſe, quorum hepar ſi vel mediocrem noxam habuiſſet, fatetur ſe ſanare non potuiſſe.

Paracelſus cum diſcipulis ſuis hydropis cauſam à ſale reſoluto pendere aſſerit, & quidem proximam hydropis cauſam ſtatuit ſal aluminoſum, quod etiam tartarum aluminoſum appellat, & ſal illud aluminoſum reſolvi, & liqueſcere à variis fatetur cauſis. Primò, ab influentiâ interni cœli, ſeu ſtellæ hydropicæ, & aquoſæ, à quâ pluvia interna movetur, quæ ſalem attingens, illum liquefacit. Secundò, à propriâ ſalis naturâ, qui naturâ ſuâ in reſolutionem abire aptus natus eſt. Tertiò, à diætâ aquoſâ, cibis humectantibus, & potu minùs convenienti. Quartò, à ſimilibus morbis, qui ſalem reſolvere poſſunt.

Ingenioſa quidem eſt *Paracelſi* ſententia, quia hepar non ſapit, ut ſtultum vulgarium opinamentum, & negandum non eſt humorem illum, qui in hydrope abundat, eſſe ſalſum. Verùm eſtò hydropicorum aqua ſalſa ſit, tamen aquam illam ex viſcerum ſale reſoluto factam eſſe negamus, cùm partes eæ in hydrope integræ ſint. Et ſi eorum ſal reſolveretur, tanta aquæ copia indè colligi non poſſet. Prætereà notum eſt ſalem non liqueſcere, & reſolvi, niſi à partibus oleoſis, terreniſque, quibus admiſtus eſt, ſeparatur, quod in hydropicis non accidit. Undè, quæ de cauſis reſolutionis dicuntur, fruſtrà afferuntur, & partim aliena, partim falſa ſunt. Si ſal purus alicubi eſſet in corpore in magnâ copiâ, à cibo, & potu, ſimilibuſque cauſis forſan liqueſcere poteſt, verùm cùm talis non detur, fruſtrà iſta afferuntur. Non mirum, ſi circa ſalia inſulſus *Paracelſus* deliravit, nàm ſicut in macrocoſmo ſunt ſalium fodinæ, ſaliniqne fontes, hos quoque in mirocoſco aſſignavit; quæ de pluviâ internâ in Cœlo microcoſmico à ſtellis hydropicis dicuntur, fabuloſa ſunt, & allegorica, & magis rhetorum, quàm phyſicorum, & medicorum

ſcholis apta ; in quibus allegoriis ludere non licet : ſed quando ratio deficit, ſemper ignari ad ſtellas, cauſaſque longinquas, & ad teſtes non citabiles recurrunt.

Helmontius, qui medicinam potiùs deſtruxit, quàm conſtruxit, ignotum hydropem in peculiari tractatu deſcribit, & hydropis vitium in rene collocavit, ac proindè cruor extravenatus, & grumefactus faciat ventris hydropen, & inſuper, quòd ren ſit adæquatus artifex, patrator, exequutor, & arbiter veri hydropis; & reverà hæc ſententia probabiliſſima videtur, nàm hydropici omnes paucas reddunt urinas, & ſanè in omnibus parcior, & longè minor, quàm aſſumptorum potulentorum fert ratio, prodire ſolet, undè renes primam hydropi præbent occaſionem, & ex ſolis renibus affectis, & lotium non exturbantibus ſupervenit hydrops; hinc eſt, quòd optima, & tutiſſima hydropicos curatio in urinæ provocatione conſiſtat, quâ denuò copioſiùs fluente, ſubitò evadunt: hydropis itàque vitium in renibus ſubſiſtit, verumenimverò parciùs mingunt hydropici, quia aquoſus humor in abdominis cavitatem labitur, nec ad emulgentes lymphaticas defertur, ut per urinam excernatur. Non negamus tamen quandòque hydropem non fieri renum culpâ propter eorum imbecillitatem, obſtructionem, exulcerationem, vel vulnus, &c. ſed, quòd omnis hydrops renum vitio fiat, hoc minimè arbitramur. Ignotum *Helmontius* vocavit hydropen, quia non hepatis, ſed aliorum viſcerum culpâ, imò interdùm viſceribus penitùs illæſis hydrops generatur, ac propterea ejus generatio, & fiendi ratio ignota, & obſcura eſt, ſi ex hepate oriri ſupponatur.

Noſtra Cauſa.

Antequàm hydropis cauſam ſtabiliamus cachexiam meditemur oportet, hæc nàmque eſt via compendiaria, quæ ad hydropem ſternitur. Eſt cachexia malus corporis, & partium cutanearum habitus, qui à naturali ſtatu mutationem in deteriorem innuit, & ex nutritionis vitio pendet, undè in cachexiâ corporis habitus à colore nativo in pallidum, ſubtumidum, & flaccidum degenerat, & ſi malum hoc non curetur leucophlegmatiam, & actutùm anaſarcam, & aſcitem parit. Hypropis igitur cauſa à digeſtionis vitio oritur, ex quo depravatus ſequitur ſuccus alimentitius, & hinc ſanguificationis depravatio. Ità ſunt ciborum intemperantia, exceſſiva ingluvies, & voracitas, quæ à ſtomachi fermento ſubigi non poteſt & ipſum fermentum infringitur, & obtunditur, & ſicut quantitas hunc parit effectum, ità gravæ qualitatis ingeſta pravum ſuccum, pravumque ſanguinem generant. Vel aſſumpta, quæ craſſum, pituitoſum, phlegmaticum, vel aquoſum pariunt ſanguinem. Multa potatio, & crebra vini meracioris ingurgitatio fermentum ventriculi acidum proſternit; potus enim, qui multum vini ſpiritûs in ſe vehit, atque etiam nimius vini ſpiritûs uſus in primis matutino tempore, vel poſt cibum aſſumptus ſemper aciditatem minuit, obtundit, & volatilitate, & oleoſitate ſua, ut patet ex flammâ, quam concipit vini ſpiritus, hebetat, infringit, & figit, ut experiri licet, confundendo vini ſpiritum cum ſpiritu ſalis, ſpiritu nitri, aquâ forti, vel alio aciddiſſimo liquore, & invicèm deſtillando;

do: ac ditas enim penè tota perit. Idem contingit ſi vini ſpiritum una, vel alterâ vice à pulveribus acidis, & corroſivis, ut ſpumâ venenatâ duorum draconum, mercurio præcipitato, &c. deſtillaveris; maniſeſtè enim deprehendes eorum auſteritatem, acorem, & corroſivitatem non tantùm auferri, ſed penitùs immutari. Idem ergò hæc aqua vitæ (ſed potiùs dicenda aqua mortis) in ventriculo patrabit, itâ namque acidum in ventriculo fermentum, ſine quo coctio fieri nequit, obtundet, ut alimenta fermentari, & abluvicem ſufficienter ſeparari nequeant, undè crudus, & corruptus ſuccus alimentitius neceſſariò producitur, & talis conditionis erit ſanguis. Prætereà ipſum vinum, & vini ſpiritus corpus itâ incendit, fermentum obtundit, vel ferè extinguit, ut iſti Lyei nihil ferè appetant, nec commedant, & cum Cerere divortium faciant. Interim acrimonia illa ſalino-ſulphurea, quæ eſt in vino adusto, vel ſublimato Tantaleam parit ſitim, quæ poſtmodum potu vix reſtinguitur: tunc ad tollendam illam acrimoniam, & ſitim reſtinguendam bibere coguntur, & eò magis bibunt, quia nutritionem per potum reſtaurare tentant; uàm *vini potus famem ſolvit*. Sic toto pomeridiano tempore non Cerealia, ſed Baccheia ſacra frequentant, ac propterea fermentum forſan in ventriculo relictum abluunt continuo illo potu nimio, & ſic flaccidior, & ineptior ad coctionem peragendam redditur ventriculus: undè cruditates indies augentur, nullus laudabilis ſuccus nutrimentitius generatur, niſi magnus aquoſitatis proventus, & non poteſt non generari ſanguis crudus, pituitoſus, aquoſus, vel aliâ qualitate vitioſus, & per corpus deductus primò Leucophlegmatiam, & deindè aſcitem producit.

Si potus aqueus craſſus, impurus, aut turbidus ubertim ingurgitatus; vel cibus craſſus, frigidus, & viſcidus frequenter uſitatus hydropem producere poteſt, nàm fermenta naturalia deſtruit, latices incraſſat, minùs reddit mobiles, & tubulos illos excretorios infarcit, & venulas capillares, & vaſa Lymphatica obſtruit; undè difficilior ſanguinis circulus, & copioſior laticis cumulus intempeſtiva, copioſior, & crebrior frigidi potûs ingurgitatio hydropem quandoque inferre poteſt. Ex copioſo frigidæ hauſtu poſt nimiam corporis æſtuationem hic affectus oriri ſolet. Sic in febrium paroxiſmo, qui copioſiùs bibunt, præſertim frigidam, non ægrè in hydropem incurrunt. Quidam quotidie ante prandium bibens, hydropicus factus eſt.

Evacuationes conſuetæ ſuppreſſæ, ut menſtrua, lochia, hæmorrhoides, hæmorrhagiæ, ureterũ obſtructio, fiſtulæ, & id genus alia, hydropis metum injiciunt; ſanguis enim retentus multis particulis ſalinis, acidis, ſulphureis, & aluminoſis ſcatet, venas opplet, & infarcit; nec his particulis expurgatur, ut per illas evacuationes omnes corporis impuritates expurgari ſolebant, ſed ſupprimitur, ac augetur ſecundum quantitatem, & pravam qualitatem, & totam ſanguinis maſſam conſpurcat, hæmatoſim depravat. Excretiones auctæ, aut frequenter repetentes, ut lochia immodica; menſtrua nimia, hæmorrhoides immoderatæ, hæmorrh. giæ immodicæ, ingens ſanguinis vomitus, ejuſque immodicum ſputum, vomitio enormis, lienteria, diarrhœa continua, purgationes nimiæ à catharticis malè adhibitis, dyſenteria diuturna, ptyaliſmus

rebellis, Venus immodica frequenter hyd opem minantur; hæ enim immoderatæ evacuationes magnam ſpirituum copiam exhauriunt, nativum hebetant calorem, fermentum peſſumdant, vel ferè abolent, ſtomachum enervant, nec bonus ſuccus alimentitius ſequeſtratur: undè laudabilis ſanguis non generatur, ſed ex depravatâ ſanguificatione in ſeroſitatem, & aqueam ſubſtantiam tranſit, quia maſſa ſanguinea ſuo volatili ſale deſtituta nil præter laticem fabricat.

Frequentior hydropis cauſa eſt hepatis, vel lienis ſcirrhus, hæc duo viſcera mediante ſcirrho in tumorem elevantur, & quia hepar eſt ſanguinis venalis, & lien arterialis colum, ſanguis tàm venalis, quàm arterialis ad circulationem propter meatus ſcirrhoſos obſtructos, & coarctatos ineptus redditur, & tantùm pars ſeroſa percolatur, quæ in abdomen effuſa ſtagnat.

Hydropem etiam producere poteſt vitium alicujus viſceris nobilioris, cujus uſus pro partibus naturalibus eſt ſummè neceſſarius, ità etiam præter hepar, & lienem ſunt meſenterium, pancreas, & emulgentia vaſa, quæ partes hunc affectum propignere queunt, cùm malè afficiantur ab obſtructionibus, vel ſcirrhis. Sic harum partium obſtructione circulans ſanguis in ſuis vaſis ſecretoriis retardatur, & tranſeuntes partes ſeroſæ tubuli eò magis obſtruuntur. Ità lympha, aliique humores per meſenterii glandulas quæ ſunt vaſa tranſculatoria, & veluti tot cribra & ſecernicula, ſecernuntur, & circulantur, & hæc quandóque ob craſſitiem obſtruuntur, & lympha ſtagnat, aggeritur, & in tumorē œdematoſum totum abdomen pedetentim magis, magiſque intumeſcit, donec tandem ſuperiora verſus aſſurgat. Imò contingit quandóque ipſa vaſa lymphatica in inferiori ventre latentia deprimi, & contentum liquorem exprimi, & propelli, vel ſi aliquâ de causâ rumpantur, quia ſunt valdè tenella, tunc ſeroſam lympham in abdominis capacitatem diffundunt, & ab ejus egeſtione hydrops generatur. Interdùm ruptis hiſce vaſis, lymphaticus liquor in abdominis cavitatem non diffunditur, ſed inter vicinas membranas effluit, & tunc indè veſiculæ producuntur, hydatides appellatæ, quibus hepar interdùm intùs, ſed frequentius foris nonnunquàm etiam lien, omentum, meſenterium, peritonæum, inteſtina, aliæque partes in abdomine ſcatere deprehenduntur, & aſcitem producunt. Interdùm hæ veſiculæ diſrumpuntur, & ſeroſum humorem in abdominis capacitatem profundunt, ex cujus collectione hydrops emergit.

Multoties renes hydropi anſam præbent; hi enim urinam variè excernunt, utplurimùm craſſam, intensè tinctam, & perquam lixivialem; quandóque tamen pauca pallida, tenuis, & cruda excerni ſolet, ſed in omnibus parcior, & longè minor, quàm aſſumptorum poculentorum fert ratio. Renes itaque primam occaſionem hydropi ſuggerunt, imò frequentiùs ex ſolis affectis renibus lotium non emittentibus ſupervenit hydrops. Hinc fit, quòd optima & tutiſſima hydropis curatio in urinæ excretione conſiſtat, quâ denuò copioſiùs fluente, hydropici ſubitò evadunt. Hinc eſt, quòd hoc ſerum, quod aliàs ſub urinæ formâ emittendum erat in abdomine coacervatum, & arte exhauſtum, nullas tamen urinæ proprietates nec ſapore, nec odore, nec colore exhibeat, ceſſante nempè renum functione. Quandò-

que renes adipe obſtruuntur, urina imminuitur, ſenſimque abolerur, & hydrops emergit. Interdùm lymphatica vaſa, quæ urinam ad renes deferunt, obſtruuntur, & hydrops generatur.

Datur etiam modus fiendi hydropis extraordinarius à colliquatione dependens dùm non tàm conſervati, quàm ex contentis aliàs humoribus per colliquationem ſerum hydropicum generari obſervatum eſt. Docet experientia in febribus acutis, & hecticis, ut aliàs excretiones colliquativæ ſunt familiares, ità etiam his ſubitò aquâ abdomen intumeſcere, ità ut præter nutrimentum, & ſanguinem ipſa etiam pinguedo colliquefacta in ſerum abire videatur, uti hoc ipſum in diabeticis quoque fieri ſolet, in quibus nutrimentum, ſanguis, pinguedo, & ipſæ carnes in aquam, ſeu urinam transmutari obſervatur: hoc, idem ipſum in hydrope accidere poteſt, & per colliquationem aquarum gurges in abdomine caocervetur, & per urinam nihil excernatur, ut in defuncto hydrope nos obſervavimus, qui ſectus, nec ſanguinis guttam in toto corpore culter anatomicus invenit Hinc hydropicis ſubindè obſervatur, aquam heri evacuatam arte per paracentheſim hodiè æqualiter demùm abdomen repleviſſe. Sed in hoc hydrope colliquationis primaria ratio habenda eſt, utpotè cujus affectus, ceu productum ſaltem eſt hydropica iſta intumeſcentia.

Si iſtaque ſeroſa colluvies in venis, arteriis, & inter carneas fibras pro nutritione delata, & quia ad hanc inepta eſt, dicitur anaſarca; ſi verò in abdominis capacitatem prolapſa, & hinc in tumorem verſus ſuperiora aſſurgat dicitur aſcites; ſi tandèm aſciti flatus ſit permiſtus, dicitur tympanites. Flatuum copia generatur ab humore crudo, & craſſo, qui à calore exagitatur, & in in vapores attenuatur, & hi flatus difficiliſſimè diſcutiuntur, quia in abdominis cavitate cum aquâ ſunt permiſti, & concluſi, & abdomen tympani inſtar extendunt, non retinentur flatus in ſtomacho, vel inteſtinis, quia vel per ructus, vel ventris crepitus exturbarentur, quicquid dicat *Platerus*.

Per quas vias latex, ſeu ſerum illud in abdominis capacitatem deferatur, vulgarium ingenia torſit, undè per cæcos meatus transferri aſſignarunt, & reverâ non extra choræam verſantur; nàm ſæpè in hydrope ingens aquæ quantitas unâ die per alvum excernitur hydragogo potiori exhibito, quòd fieri non poſſet, niſi aqua in abdomine contenta inteſtinorum tunicas pervadat, & ſicut per cæcos ductus exturbatur, ità per cæcos, & latentes transfunditur: verùm ne cæci nos ducant, & in foveam in quam inciderunt, incidamus, patentes, & evidentes aſſignabimus ductus.

Variæ ſunt cauſæ, quibus in hydrope fiat in abdominis cavitate aquarum collectio per patentes ductus præter violentes extrinſecùs incurrentes. Prima, quandò vaſa peritonæi relaxantur, & adeò rareſiunt, ut aqua transcoletur, & transcolata tandem in ſpatium illud præcipitetur, ut videmus, ſi per pannum lineum aquam transfundamus, aquam illam tranſcolari obſervamus quia per rariores panni poros transfunditur, & hoc modo aqua collecta longo tempore, & non ſta im hydropem facit. Secunda, quandò commiſti flatus aquæ in vaſis prædictis uſque adeò illa extendunt, ut aperiantur ora, quibus apertis, aqua ſimul, & flatus in ventre inferiori colligentur, ut fit in Tympania. Ter-

tia, quandò aqua ſola adeò eſt potens, & copioſa, ut propter copiam ipſius reſerentur ora vaſorum, quibus reſeratis, egrediatur. Quarta, cùm in contentis particulæ acres, acidæ, ſalinæ, & corroſivæ continentia vaſa lymphatica corrodunt, & exedunt, ac per corroſa vaſcula in imi ventris cavitatem aquarum colluviem evomunt, & hæc cauſa ſubitam, & improviſam faciunt hydropem. Quinta, poſt calculorum ægreſſum ſubitò fit hydrops, ideò fieri dicimus, quia fractus eſt unus, aut duo meatus urinales, quibus fractis, cùm urina in veſicam penetrare non poſſit, neceſſariò in ventris ſpecum præcipitat. His ſic adductis, cauſas, & vias, quibus inter peritonæum, & inteſtina colligitur aquarum gurges, breviter recenſemus: ſunt itàque eroſio à ſalinis particulis exaltatis, vaſculorum lymphaticorum obſtructio, aut compreſſio, rareſactio, exeſio, quorum ſolutà unitate effluit, & abdominis cavitatem latex, ſeu lympha delabitur, & ut uno verbo dicamus, cauſa eſt ſoluta unitas vaſculorum lymphaticorum, quæ fit per anaſtomoſin; vel diapedeſin, vel diæreſin. Hi meatus in viventibus hydropicis ſunt patentes, & in cadaveribus minimè conſpicui ſunt, attamen in aliquibus hos ductus culter anatomicus oſtentat. Concludimus tamen aſcitem, & tympanitem nunquàm generari poſſe ſine aliquâ interiorum partium abdominis ſolutione continui quacumque de cauſa induct, & eorum rejicimus ſententiam, qui hunc affectum generari docent per vaporum è vaſis interiorum partium exhalantium in abdomine cõdenſationem in aquam, cùm illa exhalatio in quibuslibet hominibus continuè procedat, & interim aſcites pauciſſimis contingat.

Nè mulieres gravidæ, & hydropicæ confundantur, ſequentes adducimus pro tyronibus differentias, quibus diſcernuntur. Primò, Ex colore faciei vivido, & benè habito. Secundò, Ex tumoris ſpecie; in gravidis nàmque abdominis tumor ad præcordia ſursùm vergit, & eſt inæqualis; in hydropicis autem inferior abdominis pars intumeſcit, ubera flacceſcunt, & tumor undique æqualis, & quaſi œdematoſus, ut nil de fœtûs motu dicamus. Tertiò, Certum eſt ſignum fluctuatio, nempè ad tactum ſenſies fluctuationem in hydrope. Quartò, vivacitas, & oculorum vigor ſignificat geſtationem, ſed ubi hydrops eſt, perit oculorum nitor, fiunt lividi, &c. Quintò, Urinæ in gravidis non ſunt ità conſtitutæ, ut in hydrope diximus. Sextò, hydrops valdè membrum gravat, in geſtatione non item. Septimò, quo ſe vertunt hydropicæ, eò labitur aqua, id quod non fit in geſtatione. In hydrope ſitis juncta eſt, in geſtatione non. Octavò deniq; ſub hydrope menſtrua quandóque fluunt, in geſtatione non, &c.

Prognoſis.

Omnis hydropis ſpecies pernicioſa eſt, curatu difficilis, & eò difficilior redditur, quantò magis inveterata eſt; verùm in principio non adeò difficilis eſt ejus curatio, ſed inveterata maximam inducit difficultatem, & faciliùs in ſervis, quàm in liberis curatur hydrops propter ſitis tolerantiam, & alia multa tœdia, quæ magis ſuſtinent ſervi, quàm liberi, & longè difficiliùs curantur divites, & primates, quàm pauperes, quia iſti ad ſitis tolerantiam magis cogi poſſunt.

Aqua intercutem laborantibus tuſſis ſuper-

ſuperveniens, malum. ſect. 7. aph. 35. Imò verò *ſect. 7 aph.* 47. *Aqua intercutem laborans, ſi tuſſi corripiatur, deſperatus eſt.* Verùm non eſt malum, ſi tuſſis præcedat ſed malum ſolummodò eſſe ſolet, ſi tuſſis ſubſequatur, id eſt ſi primò fiat hydrops, & deinde ſuperveniat tuſſis abſque ſcreatu: ad hoc enim ut tuſſis ſit mala, non ſolùm ſubſequi neceſſe eſt, verùm etiam hydropis ratione fieri, quia ſi tuſſis aliâ ratione, putà per novam fluxionem hydropi ſupervenientem accidat, nõ neceſſariò eſt mala. Mala erit, ſi fiat ex aqua in thoracem irrepente, ut aphoriſmi ſenſus eſt, ubi enim aquoſus humor in tantam crevit molem, ut in thoracem penetret, & jam aſperas occupet arterias, & deindè tuſſis ſuperveniat, periculum eſt, ne haud ita multò pòſt homo ſuffocetur.

Hydrops morbo acuto, puta febri ardenti &c. ſuperveniens, malus, quia cùm æger acuti morbi magnitudine ſit jàm extenuatus, ſuperveniente morbo novo, maximè periclitatur.

Hydrops à lienis duritie minùs periculoſus eſt, quàm à duritie hepatis, quia lien minùs princeps membrum eſt, quàm hepar. Scirrhus cujuſdam viſceris inſignioris v. g. hepatis, lienis, meſenterii &c. cum hydrope conjunctus nunquàm curatur, aut talis hydrops eſtò curatus appareat, facilè revertitur, qui recidivans ordinariò lethalis eſt, ac proinde ſi hydropes curationi ceſſit, ubi recurrit, omnem tollit ſpem. *Hydropici, qui remediorum efficaciâ liberantur, ſi in eundem reciderunt affectum deſperati ſunt. In coacis,* ſignificat enim aliquod vitium immedicabile interna viſcera laritare, quod, evacuatis aquis, novam earum generationem promovet. In hydrope malum ſignum eſt, quandò nulla aquæ in ventre fluctuatio percipitur; tunc enim venter aquis eſt nimis diſtentus.

Aquâ intercutem laborantibus exorta in corpore ulcera non facilè ſanantur ſect. 6. aph. 8. & ratio eſt, quòd hydrops aqua partium tubulos impleat, quæ cùm circulari non poſſit, per ulcus egredi conatur, ità ut ei non detur quies, quæ maximè ad ſananda ulcera requiritur. Prætereà ulcus exſiccatione indiget, quæ in corpore hydropico nullatenùs eſſe poteſt.

Abſceſſus, anthraces, ſeu carbunculi peſtiferi ſunt, & brevi ante mortem præcedunt, ut etiam ulcera oris, gingivarum, totiuſque corporis, vel maculæ lividæ hydropicorum cruribus erumpentes, lethales, quia *νεκρώσιν* præſeferunt. Hoc confirmat *Hipp. 7. epid. hiſtor. Biontis, & Cteſiphontis*, quorum ille oborto abſceſſu in genu ſiniſtro: & ſuppurato objiit. Huic verò paulò ante mortem collectio cum rubore aliquantulum livido in fæmore dextro apparuit, & paulò pòſt mortuus eſt. Et nos in quodam puero 16. annum agente aquâ intercutem laborante in oſcheo tumorem cum livore pro extraordinario obſervavimus, cujus ordinarius medicus erat Celeberrimus noſtri ævi Æſculapius *Dominus Antonius Bruno*, & tertiâ die hydropicus fatis ceſſit. Obſervavimus matrem *Domini Antonii Nola* Celebris Muſurgi hydropicam, cui in femore, quibuſdam obortis veſiculis, per illas magna laticis copia quotidiè effluebat, quo tandem, non ampliùs emanante, ſana evaſit.

In hydrope ubi manus, & facies ſunt molles

molles factæ, ſi pruritus ſuperveniat, æger ſecundâ, vel tertiâ die perit. *Quibus hepar aquâ plenum in omentum eruperit, iis venter aquâ repletur, & moriuntur. Sect. 7. aph. 53. Hydrope correpto, ſi aqua è venis in ventrem defluxerit, ſolvitur morbus. Sect. 6. aphor. 14.* Hic aphoriſmus priori contrarius eſſe videtur, ſed contrarietas hoc modo ſolvitur: in priori per ventrem abdominis capacitas, in poſteriori per ventrem alvus intelligitur. *Ei qui leucophlegmatia detinetur, ſi fortis ventris fluxus ſupervenerit, à morbo liberatur. Sect. 7. aph. 14.* Talis autem diarrhœa, morbo incipiente, aut ſaltem non inveterato fieri debet, & viribus adhuc conſtantibus, & integris viſceribus, & ſic intelligitur aph. 14. ſect. 6. Si enim ægro jàm debili exiſtente contingat, mortem inducit, undè *Avicennas* inquit: *Conſtitutio anhelitûs, & ventris ſolutio in tribus diebus, mortem ſignificat.* Urinæ paucitas in hydropicis mala, & quò minor illius quantitas excernitur eò deterior eſt morbus, quia materia potulenta in ventrem confluit, & nihil ferè illius ad renes pervenit. In ſicco hydrope ſtillidium urinæ malum eſt.

Hydrops à colliquatione dependens difficillimæ eſt curationis; vires enim omnes ſolvuntur, & corpus langueſcit, undè ægrum à tàm magno morbo ſervare difficillimum eſt.

Omnis hydrops ſatis curatu difficilis eſt, & periculoſus, una tamen hydropis ſpecies magis, vel minùs eſt aliâ difficilior, omnium tamen anaſarca facillimè curatur, antequàm in aſcitem tranſeat, nam anaſarca in aſcitem, & aſcites in tympanitem tranſire ſolet: anaſarca itàque cæteris facilior eſt curatu, ſignificatat enim naturæ robur, cùm ad omnes partes diffundatur id, quod noxium eſt, ſi verò in abdominis capacitatem aqua fluat, difficilis eſt curationis. Aſcites difficilior ob aquam fluxam in ventris ſpecum, & præſertim ſi omentum putrefactum ſit, & eſtò aqua punctione extrahatur, paucis pòſt diebus redit, ob alicujus viſceris vitium, & productum evacuatur, & cauſa non tollitur, & poſt punctionem remanet gelatina quædam in cavitate abdominis, quæ nullâ arte extrahi poteſt. Omnium periculoſiſſima eſt tympanites, quia præter aquam flatus habet admiſtos, pro quorum exploſione medicamentum flatus diſcutiens non habetur. Omnes hydropis ſpecies niſi citò in primo ſui ortûs principio curentur, chronicæ ſunt, & habitum corrumpunt, & in curandâ hac ægritudine opus totum hominem renovare, quod eſt ſolius DEI opus. Eſt tandèm hydrops juratus hoſtis, qui neceſſariò enecat.

Verumenimverò non omnes hydropici fatis cedunt, ſed quandóque in medicaminum curſu aliqua ſalutis ſpes affulget, quæ ægrum ſublevare poteſt; refert nàmque *Celſus lib. 3. cap. 21. Tum demùm ſecundæ valetudinis ſpes eſt, nàm ſi plus humoris excernitur, quàm aſſumitur. Neque alienum eſt metiri, & potionem ejus, & urinam.* Ideòque, an venter aſſumptis quibuſdam medicamentis, decreſcat. *Commodum eſt etiam lino quotidiè ventrem metiri, & qua comprehendit alvum, notam imponere: poſtero die videre, ſi plenius corpus ſit, an extenuetur: id enim quod extenuatur, medicinam ſentit.* Quòd ſi contrarium eveniat, paribus cæteris, inter peſſima recenſentur ſigna.

Certa ſalus hydropico pollicenda eſt, ſi hæc à *Celſo lib. 2. c. 7.* deſcripta reperiantur,

tiantur : *Utique ſi firma viſcera ſint, ſi ſpiritus facilis, ſi nullus dolor, ſi ſine calore corpus eſt, æqualiter in extremis partibus macrum eſt, ſi venter mollis, ſi nulla tuſſis, nulla ſitis, ſi lingua nè per ſomnum quidèm areſcit ſi cibi cupiditas eſt, ſi venter medicamentis movetur, ſi per ſe excernit mollia, & figurata, ſi non extenuatur, ſi urina ex vini potatione, & non potis aliquibus medicamentis mutatur, corpus ſine laſſitudine eſt, & morbum facilè ſuſtinet, ſiquidèm in quo hæc omnia ſunt, is ex toto tutus eſt: in quo plura ex his ſunt, is in bonâ ſpe eſt.* Sed quis eſt hic hydropicus, & laudabimus eum. Si hydropus has optimas habeat notas, certè non infirmus erit, ſed optimâ ſalute fruetur, cùm nullas habeat actiones læſas, in quibus morbus conſiſtit.

Veterum Curatio.

Duplicem indicationem pro hydropis curatione deſumunt vulgares medici, unam, quæ ad pituitæ, vel aquæ, vel flatus evacuationem pertinet, ſive hæc materia ſit in abdomine, vel in toto corporis habitu contineatur; alteram à cauſarum ablatione, quæ talem producunt materiam, & à viſcerum, præſertim hepatis, roboratione deſumunt : Hepar nàmque optimis, exquiſitiſque remediis corrigatur, & roboretur, quia omne malum ab ipſo originem habet ; ipſo nàmque correpto, & roborato, aquæ educuntur, flatus diſcutiuntur, & venter imminuitur.

Ante omnia alvum clyſterum uſu leniunt, qui multùm in aſcite, & tympanite conducunt, nàm in his duabus hydropis ſpeciebus materia proxima in abdomine, & inteſtinis continetur, & facilè per clyſteres educitur, ſed non ità in anaſarcâ, cùm materiæ evacuanda remota ſit ab inteſtinis:

℞. *Radic. cyclaminis,*
ebuli,
aſari an. ℥ß.
fol. mercurialis,
braſſicæ marinæ,
eupatorii,
abſynth.
pulegii an. mj.
ſemin. carvi,
petroſelini,
geniſtæ,
aniſorum an. ʒiij.
polypodii quercini,
ſenæ Alexandrinæ an. ℥ß.
flor. geniſtæ m.j.
coquantur in aq. ſ.q. ad lib. j.
colaturæ addatur
diaturbit cum rhabarbaro ℥ß.
benedictæ laxativæ ʒiij.
ol. rutacei.
irini an. ʒß.
ſal. communis ʒj.
f. clyſter, quo ſæpius utatur.

Vel

℞. *Semin. carthami* ℥j.
agarici optimi ℥ß.
pulpæ colocynthidis ʒiij.
fol. centaureæ minoris,
chamædrios,
abſynth. utriuſque an. m. ß.
coquantur ad lib. j.
in colaturâ diſſolve
ol. chamæmilini,
rutæ,
de capparibus an. ℥j.
mellis roſacei ℥ij.
f. clyſter.

Optimum remedium eſt clyſter, non hydropis, ſed podicis, nec abdominis ſpecum, in quo ſtagnat aquoſus humor adit, nec flatus, qui in abdomine conti-

nentur, exturbat, nec inteſtina ſuperiora propter valvulam perreptat, nec inteſtinorum excrementa, quæ per clyſterem excernuntur, hydropem cudunt.

Emollitâ per clyſteres alvo, ſtatim ad ſanguinis eductionem ſe convertunt, in hydrope contendentes adeſſe tres illos, ſcopos ſanguinis miſſionem indicantes, ſcilicèt morbi magnitudinem, viriumrobur, & ætatem. Atqui errant vulgares. nàm ſanguinis miſſio non eſt maledictum remedium, illud eſt magnum, quod, eſtò cujuſcumque vilioris conditionis, magnum ſanat morbum. Vires pro phlebotomia licèt ſint validæ, ſtatim in hoc affectu proſternuntur, nec ætas quidquam prodeſt. Si hydrops à menſium, vel hæmorrhoidum ſuppreſſione ortum habuerit, quia ſanguis in hepar irruit, ejuſque nativum colorem ſuffocat ob malignam aliquam qualitatem, aut ejus copiam, ſanguinem largiùs emittunt. Verùm horum affectuum ſuppreſſiones non ampliùs militant, quia in alios affectus prioribus pejores degenerârunt, quorum occaſionales tantùm fuerunt cauſæ, nec eductus ſanguis juvare poteſt, quia totus ejuſdem eſt conditionis, aqueus purà, ad ultimam guttam uſque.

Deindè pro pituitæ, vel aquæ eductione ſolemnia medicamenta purgantia inſtituunt, ſed primò evacuandæ materiæ coctionem expectant, ſed fruſtrà, quia nullam coctionem admittit, & per ſe ſatis tenuis, & ad fluendum apta eſt. Præparant itàque hos humores per ſeptem, aut octo dies *ſyrupis de corticibus citri*, *radicibus Gentilis*, *abſynthio*, *capillis Veneris*, *& praſſio cum aquis appropriatis*, ut

℞. *Syr. de tribus Radicibus Gentilis, capillis Veneris an.* ℥j. *aq. abſynt.* ℥iij. *m.*

Sed his ſyrupis exhibitis ventriculus debilitantur, venter repletur, & malum augetur. Præparatos humores aqueos purgant *ſyr. de ſpinâ ponticâ*, & nos tali modo præſcribimus, ut

℞. *Syr. de ſpinâ ponticâ* ℥iij.
de ſucco violar. ℥j.
electuarii de ſucco roſ. ʒiij. *m.*

& diſſolve in vini græci, vel juris carnium ℥v. *& exhibe immediatè ante breve prandium.* Præcipuus hujus ſyrupi uſus eſt in cachexia, hydrope & arthritide, quia potenter aqueos purgat humores: conveniunt itàque in hoc morbo phlegmagoga, & hydragoga. Vel purgant pilulis aquam educentibus, ut

℞. *Pilulur. aggregat.*
de rhabarbaro,
agarico an. ʒj.
pilul. de mezereo ℈iv. *m.*
& cum cathartico roſ. formentur pilulæ.

Si neceſſarium videatur, exhibent apozema, ut

℞. *Syr. roſ. ſolutivarum,*
Sueſſani an. ℥ij.
aq. betonicæ ℥j. *m.*

detur immediatè ante prandium. Verùm purgantia validiora frequentiùs non ſunt uſurpanda, quia vires enervant, & deindè major aquarum exoritur proventus, nihil verò mitioribus proficientibus, tùm ad fortiora recurrendum eſt.

Præter hæc compoſita alia aquoſum humorem ſimplicia, & mitiora habent purgantia, ut eſt *mechoacanna à* ʒj. *ad ij cui addunt* j. *vel* ij. *diagrydii grana. exhiben que in formâ pulveris.* Potentiorem, & efficaciorem prædicant *radicem jalapæ à* ℈ij *ad* ʒjß. *Frangulam* commendant quæ purgat ſerum, humoreſvè aquoſos copioſiſſimè, & vehemen-

mentiſſimè per alvum in primis, deindè etiam per vomitum. Doſis in ſubſtantiâ ℨj.

Sambucus, *& ebulus* ejus affinis in hydrope commendatur, ſed efficaciùs ſeroſos educit humores ſambucus, quàm ebulus, ac proindè eorum ſuccus expreſſus ex interiori cortice ad ℥j vel ij. in decocto paſſularum cum momento cinnamomi propinatur, & per ſuperiora, & inferiora purgat. Succus expreſſus non coquitur, quia coctione purgandi vis minuitur: Sed ob harum plantarum ubertatem in noſtris regionibus earum ſuccus vileſcit, & tantùm eſt renajoris fortunæ hominum medicamentum, quod à tonſoribus, & fœmellis præbetur.

Ricini grana in hydrope à vulgaribus præſcribuntur, at nullatenùs ab optimæ notæ medicis uſurpantur, quia nimis potentes, fortiter, ac violenter evacuant, & cum impetu ſursùm, atque deorsùm quicquid inveniunt, ejiciunt. Doſis granum j. vel vix alterum ſumi poteſt propter nimiam violentiam: ſed hoc medicamenti genus in agyrtas tranſivit, & peſſimos obſervavimus eventus.

Ad hydropicorum aquas educendas extollunt *Gummi gutta*, vomitum tamen quandóque etiam movet, ſed non ſemper, præcipuè ſi ſpecierum aromatici roſati aliquid addatur. Doſis grana viij. ad xij. ſed non ſine corporis perturbatione operari ſolet, quadere nunc in aromatopoliis proſtat, & tantùm pictoribus inſervit.

Soldanellam, ſeu braſſicam marinam in evacuandâ hydropicorum aquâ uſurpant, quam ſalubriter adhibent, quia malignitate caret, nec in hydropiſcos curatione omittendam cenſent, utunturque ſub formâ pulveris à ℨß. ad j. Succus verò expreſſus propinatur ad ℥j. In decocto præſcribitur à m. j ad jß. miſceri poteſt reliquis hydragogis, & ſic mira proprietate hydropem evertit. Magna hujus ſoldanellæ ubertas in littorali Puteolorum ora extat, quâ infimæ ſortis homines quotannis adventante vere acetarium concinnant, & ſe purgant.

His, & aliis medicamentis vulgares hydropicorum aquas iteratò eliminare contendunt, ſed nunquàm per ſeceſſum ſtagnantes ſeroſitates in aſcite, & tympanite exturbabunt, cùm inter peritonæum; & inteſtina veluti mortuæ ſtagnent; ſuas in hoc ſ. ecu depoſitæ, & extra naturæ juriſdictionem jacent, quò purgandi vis ſe inſinuare non poteſt, & aſſiduè ex ſolutis unitatibus, quaſi in cavam pelvim deſtillant, nec à catharſi per cœcos ductus, vel per pſeudothyrum eliminari poſſunt. a: proind. laterem lavant. Aliquid emolumenti purgantia in anaſarcâ moliuntur, ſed antequàm lympham è conceptaculis in imi ventris cavitatem depoſuerit, quia tunc

Facilis deſcenſus Averni,
Sed revocare gradum, ſuperaſque evadere ad auras
Hoc opus, hic labor eſt.

Interdùm in uſu habent alia remedia, quibus jecur tanti mali cauſam, corroborant, ejuſque intemperiem frigidam emendant, quod peragunt tàm aſſumptis, quàm admotis medicamentis. Inter remedia hepar corroborantia primum locum tenere *rhabarbarum* putant, ac proindè in hydrope commendant, vocantque illud animam hepatis, & hepar refrigeratum, & quaſi emortuum animare, & ad vitam revocare credunt: Sed

rhabarbarum ſecundùm eorum opinamentum bilem, non verò ſeroſos hydropicorum purgat humores, nec in hydrope bilis peccat. Commendatur à vulgaribus, cùm a bile hydrops origi nem habeat, quæ per venas meſeraicas, ipſumque hepar diſperſa calorem viſcerum, & præcipuè hepatis, nativum corrumpit. Hoc unum ſcimus rhabarbarum in hydrope uſurpari poſſe, tunc cùm à viſcerum obſtructionibus originem habet, & in primo principio antequàm aquoſus humor ventris cavum deſtillare incæperit, propinatur, quia poſtmodùm ad hydragoga confugiendum eſt. Si itáque hydropis in causâ ſint obſtructiones, ea, quæ deobſtruunt medicamenta præſcribunt, ut *rhabarbarum, chamæpytis uſus, abſynthium, eupatorium, radices aperientes*, & ex his varia medicamenta confecta; itèm *aqua cinnamomi*, cujus cochlear. j. manè, vel ante cœnam interdùm exhiberi poterit. Pluriimùm valet *conſerva abſynthii pontici*, ex una parte comarum illius, & tribus ſacchari partibus compoſita, cujus uſu nonnullos hydropicos percuratos fuiſſe teſtatur *Matthiolus cap. de abſynthio.* Vel propinant ſequens electuarium, ut

℞. *Dialaccæ,*
diacurcumæ ana ʒiij.
nucis moſchatæ,
ſemin. petroſelini ana ℈ij.
glycirrhizæ raſæ ℈j.
ſyr. de abſynthio,
de eupatorio ana q. ſ.
ad electuarii mollis conſiſtentiam m.

Doſis ad avellanæ quantitatem mane, & ſerò, ante prandium, & cœnam.

Extollunt *diarrhodon Abb. aromaticum roſatum, hepar lupi, galangam, conſervam acori*, & omnia, quæ hepar corroborare credunt. In toto morbi decurſu hepar robotantia, nunquàm deſerunt, quia fruſtrà aquas educere credunt, niſi novam earum generationem impediant, quod non niſi hepar reficiendo, & ad priſtinam temperiem reſtituendo conſequi poſſunt. Sed ò bardum hominum genus uni hepati alligatum! Si hydrops confirmatus fuerit, & latex in imum ventrem per rarefactas, vel adeſas venas lymphaticas prolapſus, medicamenta hepar corroborantia, ſeu veriùs aperientia dicta, magis nocent, quia vaſa magis aperiunt, & hydrops feſtinanter ad ultimam deducitur metam.

Impensè extollunt ſudorifica ex decocto *ligni guajaci, chinæ, & ſalſæ parillæ*; ſic enim latices ſi non ſenſibiliter, tamen inſenſibiliter evacuant. *Martinus Rulandus* ſudorificum parat ex *baccis juniperi*, quæ cùm urinas etiam movendi vim non exiguam habeant, utraque ratione plurimùm prodeſſe poterunt, cujus compoſitio eſt:

℞. *Granor. juniperi contuſ. m. iij.*
vini generoſi q. ſ.
decoquantur ad medias, & exhibeantur ℥vj. *ſingulis diebus manè, corpuſque optimè tegatur.*

Horatius Reſerus apud Scholtzium, ſe multos pueros, & nonnullas mulieres anaſarca laborantes curaſſe gloriatur uſu *ſyrupi Sancti Ambroſii*, qui ſudorificus eſt; illiuſque deſcriptio ità ſe habet:

℞. *Millii excortic* ℥ij.
aq. fontis. lib ß.
bulliant donec ℥iij. *vel* IV *illius aquæ ſuperſint: quæ percolata cum æquali vini albi generoſi portione miſceatur, de-*

turque

turque calidum hydropico: copioſiſſimè enim ſudabit ſi optimè tegatur. Sed his ſudoriferis malum ſemper in deterius ſuo pondere labitur, quid hydropici liberam non habent tranſp rationem ob maximam ſeri colluviem, ac proindè difficulter ſudant, & citra madorem illorum corpus eſt, nec in balneis facilè ſudore madeſcunt, & hoc commune cum aliis cachécticis habent, qui omnes difficulter ad ſudorem cogi poſſunt. Præterea ſudorifera decocta quotieſcumque neque inſenſibiliter, neque ſenſibiliter ſuum ſortiuntur effectum, neceſſariò per urinam exturbare debent, & cùm urina parcior reddatur, in abdominis capacitate magnus fit aquarum cumulus, & morbus deterior redditur. Inſuper in aſcite, & tympanite majus damnum afferre poſſunt decocta ſudorifera, cum aquarum colluvies veluti cadaveroſa ſtagnet extra naturæ juriſdictionem; in anaſarca tantùm locum habere poſſunt, dummodò ſudorem moveant, cùm anaſarcæ materia non adeò incidi, ſubtiliarique poſſit, ut per ſudorem reſolvatur, ac proindè tunc fruſtrà præbentur

Medicamenta diuretica maximopere commendant; hæc enim per urinas ſeroſos evacuant latices & curatio feliciter ſuccedit, nàm in hydrope urinam minui, & ſtagnare videmus. Optimum diureticum eſt apud vulgares *ſuccus chærefolii*, cujus ℥ij. exhibent per plures dies quolibet mane cum vino albo. *Item ſemina dauci, apii, urticæ, petroſelini, radix rubia tinctorum, cicera rubra, baccæ juniperi, alkekengi, &c.* Vel vina diuretica plurimùm conferre cenſent, quorum exemplum tale eſt.

℞. *Radic enulæ campanæ,*
apii,
fœniculi,
iridis ſiccarum an. ℥jß.
radic. valerianæ,
gentianæ,
aſari,
ſcillæ an. ℨj.
cortic. medianæ ſambuci,
ligni ſaſſafras an. ℨvj.
fol. abſynthii,
agrimoniæ,
chamædrios,
capillor. veneris ſicc. an. ℨij.
ſummit. centaurii minoris,
flor. geniſtæ an. ℨjß.
petroſelini,
ameos,
anethi an. ℨjß.
cinnamomi ℨij.
ſpicæ nardi ℨß.

Conquaſſentur omnia, & infundantur in vini albi menſuris ij. vel iij. per aliquot dies, deinde hoc vino utatur omni mane.

Optima ſunt diuretica, ſed non in aſcite, & tympanite, ubi aqua inter peritonæum, & inteſtina ſtagnat, quia eſſet aquam in gurgitem præcipitare abſque ſpe exhauriendi & præcipuè ſi renum, vel emulgentium vitio hydrops oriatur; juvare tamen poteſt in anaſarcâ dummodò acrimonia ſalina vaſa non excederit, & tunc diuretica corroborantibus miſta proſunt, ut ulterior effectûs generatio præcaveatur. Notant vulgares medicamenta in hydrope meliori cum ſucceſſu, lunâ decreſcente magis adminiſtrari, quàm quidem alio tempore

Dùm interna pro hydropiſcos curatione celebrant, externa etiam adminiſtrant, quæ non parùm ad ventris tumorem diſcutiendum conferunt ità ſunt unguenta, cataplaſmata, linimen-

ta, & emplaſtra, quæ in hunc modum concinnant:

℞. *Unguenti Aggrippæ* ℥jß.
arthanitæ majoris ℥j.
martiati,
olei nardini,
ſcorpionum an·ʒß.
ſucci rutæ ʒiij.
aquæ vitæ ℥ß.
aceti guttas aliquot
f. unguentum molle.

pro ventris inunctione, quæ calida adhibeatur. Vel

℞. *Radic.ebuli* ℥jß.
bryoniæ,
ireos an. ℥j.
baccar. lauri ʒvj.
flor.camomillæ m.ij.
ſemin aniſi ℥j.

Coquantur in aquâ, & vino q.ſ.ad mollitiem, addendo

farinæ lupinorum,
cumini an. ℥jß.
ſulphuris ℥j.
ſtercoris vaccini, vel
caprini ʒvij.
mellis q. ſ.
f. cataplaſma molle,

pro ventris regione, quod multùm etiam in tympanite confert. Vel

℞. *Radic. aſari*,
ariſtolochiæ rotundæ an. ʒjß.
rutæ,
lupinorum,
petroſelini,
cumini an. ʒij.
*cicerum rubr.*ʒj.
ſucci, panis porcini,
braſſicæ marinæ an. ℥j.
laureolæ,
thymeleæ an. ʒiij.
olei ſcorpionum ℥j.
ceræ q.ſ. f. linimentum.

pro renum, umbilici, & veſicæ regione. Efficacia ſunt hæc medicamenta extrinſeca ad ſubuculas conſpurcandas, & ubi interna fruſtratoria experiuntur, externa nullatenùs prodeſſe poſſunt: nàm circumferentiam attingunt, & internum hoſtem à penetralibus non abigunt.

In deſperato malo ad paracentheſim, ſeu abdominis ſectionem tranſeunt; ſed hoc remedii genus rariſſimè uſurpandum eſt, in cujus operatione multæ conditiones obſervandæ ſunt, quæ non in omnibus reperiri poſſunt. Prima eſt, ut nunquàm ad hoc remedium deveniatur, niſi venter ità fuerit aquâ plenus, & gravatus, ut virtutem quidem gravet, ſed non proſternat, & ratio eſt, quoniam multò feliciùs educitur aqua, quandò copioſa eſt, quàm quandò copioſa non eſt, eò quòd humoris copia diſtentum peritonæum, & diſtenta cutis facilè perforatur. Secunda, ut non fiat, niſi ægri conſtantibus viribus ſint, ità ut poſſint ſeſe erigere & conſtrictionem, quæ neceſſaria eſt ſuſtinere. Tertia, ut ægri ſint ſine febre magna, & ſpirandi difficultate. Quarta, ut qui ſunt perforandi ventriculum non habeant imbecillum, vel omentū corruptum. Quinta, ut nunquàm perforentur, qui corporis habitum valdè contaminatum habent, quia fieri non poteſt, ut nullâ ope ſanitati reſtituantur. Sexta, ut ii non perforentur, quorum corporis habitus eſt nimis emaciatus, & debilitatus; ſunt enim aliqui qui perforare audēt, ubi jàm prope mortem ſunt ægri, & non eſt mirum, ſi res ipſis ſiniſtro omine ſuccedat, ut poſt apertionem facillimè intermoriantur, nàm cū lympha emittitur, etiam puſilli ſpiritus avolant. Itàque ſtatim *Hip.6.epi t ſect.6.* ſecare jubet, in eo ſcilicè, qui ſine febre eſt, ſine pulmonis ulcere, ſine alvi fluxu, corpore

corpore non emaciato, ætate florente, qui partes nobiliores adhuc ſanas,& integras habent,nàm neq; in ſenibus,neq; in infantibus hęc operatio proſperè ſuccedit. Nàm ſi hydrops jam longo tempore ſit congeſtus, vires jàm conciderint,& viſcera ſint debilitata,ſicut etiam in aſcite,qui à ſcirrho hepatis, aut lienis,aut morbo aliquo exiſtit, per ſe lethalis eſſe ſolet, fruſtrà hoc præſidium tentatur, & anima cum aquâ educitur, & extinguitur.

Perforationis modus apud varios authores legi poteſt, & aqua non tota unicâ vice educenda eſt, à [illegible] juxta *Hip. aph.27.ſect.6. Quicumq; empyi,aut hydropici uruntur, vel ſecantur, ſi pus, aut aqua univerſim effluxerint omninò moriuntur.* Quapropter ſemel,vel bis in die tantùm ad unam, vel non ultra duas libras educenda eſt aqua,quod continuatur uſq; quò æger fermè omni aquâ ſit exoneratus;nàm omnem emittere aquã non licet,quin partes vehementi frigore lædantur,& patiens,jàm tot calamitatibus & laboribus exantlatis,etiam animã exhalet:quia vires, & ſpiritus unà cum aquæ ſaburrà exhauriuntur, ſpiritus ſæpiùs in aquam illam decumbunt, ut extremam accipiant putredinem,ità ut per longum temporis intervallũ in abdomine contenta aqua omnis fœtoris ſit expers, quem evacuata citiſſimè contrahat. Aqua itàque poſt paracenthesim ſubinde ſcatens,neceſſariis ſpiritibus deſtituta non poteſt,non in inſignes labi putredines in, extremam viſcerum corruptelam.

Reverà paracenthesis eſt optimum remedium pro curando hydrope, imò eſt via cõpendiaria pro aquæ eductione, nàm ità faciliter a parte declivi exhauritur,nàm eſtò hydropicus maximâ aquæ quantitate ſit repletus, habet tamen, undè eam extinctâ ſiti evacuet, Verùm, ut verum fateamur, eſt admodùm antiqua paracenthesis, & periculo plena,& tot conditiones pro eâ celebrãdâ maximam involuunt difficultatem, non negamus tamen ægrum aliquandò in vitâ conſervâſſe. Undè naturâ,& caſus medicos audaculos reddiderunt: nõ proindè exercenda, quia monſtra in naturâ contingunt, quia ex eâ pauci evadunt,præſertim cùm ægri,& illorum affines eam operationem fieri nolint niſi confirmato morbo,& corruptis viſceribus cùm nulla ſalutis ſpes ſuperſit, & tùm intra breve tempus,& libenter gangrænam accerſit. Præterea aquã hydropicorum educere non eſt hydropem ſanare nàm productum,& effectus educitur,& cauſa intacta relinquitur,ac mali fomes in glandulis, ſanguine,vel ſoluta lymphaticorum vaſoru unitate remanet, quæ deindè ulteriori ven[illegible] ſcaturire ſolet; nam ſemper ad cauſam reſpiciendũ eſt,ut eam tollamus,aliter morbũ curare impoſſibile eſt,& *Venuſinus* inquit:

Niſi cauſa morbi
Fugerit venis,& aquoſus albo
Corpore languor.

ac proindè etiam fruſtranea redditur operatio, quia exhauſtâ ſeroſiori parte, remanet craſſior gelatinæ inſtar in abdominis ſpecu, quæ nullo artificio, ac medicamine eliminari poteſt.

Tandem pro hydropis curatione aliqui ad ſcroti perforationẽ confugiunt, & profectò iſta operatio quammaximè laudatur, cùm facilè per hanc ſine ullâ moleſtiâ,& periculo ac maximo cum emolumento in praxi aquam educi experitur, & ferè infinitæ leguntur obſervationes. Cæterùm ſcroti perforatio tãtùm prodeſſe poteſt in hydrocele, cùm

aqua

aqua tantùm in ipſo ſtagnet, non verò in aſcite, tympanite, & anaſarca, quia eſtò aqua evacuetur ex oſcheo, non tamē ex toto corpore exhauriri poteſt, & dato, quod hoc eveniat, gelatinam illam per tale foramen evacuari impoſſibile eſt, undè ſemper fomes, & caput mortuum reſidet.

Alii cauteria, veſicatoria, & ſcatificationes abhibent, & eadem difficultas urget, & gangrænam ſæpè induxiſſe obſervavimus, quia puſillus partiū calor facilè extinguitur. Ideóq; ſatius eſt ab hujuſmodi bardis operationibus abſtinere, quàm cum ægri maximo periculo eas experiri, licèt aliquandò nonnullis profuerint, ſi aliorum obſervationibus credere ſit poſſibile. nàm rationes, & ipſa experientia oppoſitum oſtendunt.

Noſtra Curatio.

Peragratâ futuli vulgarium curatione, ad noſtram devenire operæ pretium eſt, pro cujus exordio illud ante omnia animadvertendum eſt, quod olim memoriâ dignum prodidit *Heraclitus*, is n cùm hydrope laboraret, & medici eū inviſerent, interrogavit eos, quomodò ex tempore pluvioſo ſerenitas eſſet facienda. Medici cùm *Heracliti* obſcuritatem non intelligerent, abierunt, quo factum eſt, ut *Heraclitus* eos curationis hydropis tanquàm ignaros deſerverit: nàm tota curationis ratio eſt, ut ex pluviâ fiat ſerenitas, hoc eſt, ut nimia corporis humiditas deſiccetur, hoc autem fieri non poteſt, niſi partes, à quibus malum oritur corrigantur, & roborentur, nec hoc fieri poteſt, niſi univerſum corpus expurgetur, & propterea primò curatio inchoanda eſt à totius corporis purgatione, neq, hoc feliciter evenit, niſi victûs rationem inſtituamus; ab exactâ namque diætâ, & præſertim à totali potûs abſtinentiâ multos hydropicos abſque aliorum medicamentorum ope curatos fuiſſe compertum eſt, ſed non ſolùm in hac rectâ vivendi ratione curatio conſiſtit, verùm etiam in rectâ aliarum ſex rerum non-naturalium adminiſtratione; propterea

Aër, in quo æger verſatur ad modicè calidum, ſiccum, & ſerenum declinet, vitetur ventoſus, humidus, craſſus, & paluſtris; nihil nàmque in hydrope, quàm aër frigidus, craſſus, ventoſus, & præſertim autumnalis nocet.

Cibus ſit boni ſucci, facilioris coctionis, & quantùm fieri poteſt, ſit tenuis, cùm abſtinentia hìc multùm proſit. Conveniunt carnes leporinæ, gallinarum pullorum, columbarum, perdicum, phaſianorum, & cæterarum avium montanarum, aſſæ potiùs, quàm elixæ, nàm ſic caro magis ſiccat. undè *Celſus* dicebat hydropicorum victum eſſe debere durum, hoc eſt ſiccum. Carnes bovinæ, cùm difficulter concoquantur, vitentur. Omnia liquida ſunt fugienda, & omnia, quæ aquam augere poſſunt, ac proinde juſcula carnium vix admittantur, niſi dejectorium ſumpſerit medicamentum. Ova ſorbilia, & gallinarum hepata plurimùm laudantur. Hydropicorum epulæ cinnamomo, caryophyllis, aniſis, calamo aromatico, coriandris, vel pipere albo condiantur. Nullo modo admittantur acida, ſalſa, viſcida, craſſa, lenta, & glutinoſa, quæ difficilioris ſunt coctionis. Itèm lacticinia, quæ obſtructiones magis adaugent, nocent legumina, & præſertim flatulenta præter cicera. Vitentur piſces, & niſi ſitis urgeat, ſalſis ſunt anteponendi, ut alices, haringes, ſulmo, cæterique ſaliti, aut fumo indurati. Fugiantur olera,

olera, præter ea, quæ urinam proliciunt, ut aſparagi, lupuli, naſturtium aquaticum, ſinapi, cochlearia, chærefolium, &c. Inter fructus conducunt paſſulæ, piſtachia, amygdalæ, nuces juglandes, & avellanæ, vitentur crudi. Panis ſit optimè fermentatus, & coctus, ac aniſo, vel coriandro condiatur, ſed ſi panis fiat ex farinâ, & furfure, melior erit, laudamus tamen, ut hydropici biſcotio utantur, modò concoquere valeant, quia vehementer ſiccat, & aquoſitates abſumit.

Potus quantò parcior eſt, tantò utilior, & ut famem tolerare magnum in hoc malo eſt remedium, ità ſitim perferre omnium maximè prodeſt. Debet hydrops eſſe alter Tantalus, qui, ut eſt in fabulis, apud inferos perpetuâ fame, & ſiti torquetur inter poma, quæ recedunt, & mediis in aquis, quæ evaneſcunt, dùm famem, & ſitim levare tentat, & reverà fames, & ſitis eſt inferni ſupplicium. Totalis à potu abſtentia, ſi æger tolerare poteſt, eſt certiſſimum hydropiſeos curativum remediorum remedium, cùm innumeræ teſtentur obſervationes multos priſtinæ ſanitati reſtitutos fuiſſe, qui ab omni potu per menſes aliquot, imò integrum annum abſtinuerunt, & hìc valet illud carmen:

Abſtine, & efficies, quod medicina nequit.

Hiſtoriam habemus apud *Plinium lib. 7. cap.* 8. de Iulio equite Romano, qui ſibi omni potûs genere interdicto, ab hydrope curatus fuit. Illius ruſtici, apud *Antonium*, hiſtoriam habemus, quem cùm poſtularet, quomodò ab hydrope liberari poſſet, abſtine à potu, dixit, quo facto liberatus fuit. Refert *Helmontius tract. ignot. hydr.* quod Comitiſſa de Fallaix, quæ dùm juvencula tumeret, ſuaſu cujuſdam medici abſtinuit ferè per ſolidum annum à potu, ſolidiori cibo, & juſculis contenta, & ſana evaſit, vivitque modò ſeptuaginaria. Sunt, qui commendârunt propter ſitis intolerantiam, ut potetur, & continuò evomatur, is fuit *Metrodorus Epicuri diſcipulus*, ut refert *Celſus*, qui cùm hoc morbo tentaretur, neque æquo animo ſitim neceſſariam ferret, ubi diù abſtinuerat, bibere ſolitus eſt, deindè evomuit: ſed tale conſilium pernicioſiſſimum videtur, multò melius eſt à potu abſtinere, quàm continuò potare, & vomere; nàm ſi redditur, quicquid receptum eſt, multum tœdio demit, ſi à ſtomacho retentum eſt, morbum auget. Potûs abſtinentia maximum ſupplicium eſt, dandus itàque non ultra, quàm ut vitam ſuſtineat, nec frigidus, & optimus eſt, qui urinam movet. Convenit itàq; vinum album, tenue, & odoratum, vel abſynthio, vel agrimoniâ medicatum; dulce nequaquàm detur, cùm hoc ſitim non ſedet; ab aquæ potu omninò abſtineat æger. Vini ſpiritus omninò vitetur. *Vierus* ſe ægris ſuis ultra lib. ß. vini qualibet die non permittere ſtrictâ lege ſcribit. Et ut minori moleſtiâ hìc obedire queant ægri, commodum eſſe, ſi ex vitro anguſti orificii bibant. Humectatur n. ſæpiùs vini ſtillantis momento lingua, & promptiùs fallitur ſitis, nec ejus copiâ venter gravatur. Hydropicus non abſimilis eſſe debet, quàm diviti illi Evangelico: *Pater Abraham, miſerere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti ſui in aquâ, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flammâ.*

Motus nullatenùs convenit ſi febris adeſt, vel ſi placet, debet eſſe mediocris citra patientis moleſtiam, & lecticâ,

curru, navi, aut aliquâ aliâ geſtatione uti debet; ſi abeſt febris ambulandum currendum, & corpus multis exercitationibus movendum; fuit n. ſententia *Hippocratis 5. epid.* omni laborum genere exercendos hydropicos, ſed ante ciborum aſſumptionem, dummodò difficilis reſpiratio non urgeat, aliàs moderatè animi gratia obambulet, quia

Et vitium capiunt, ni moveantur aquæ.

Superiores maximè partes ſic perfricandæ, ut ſpiritum ipſe contineat, evacuandus eſt ſudor non tantùm exercitatione, ſed etiam in arenâ calidâ, vel laconico, & maximè utiles ſunt naturales, & ſiccæ ſudationes, quales in plagâ Puteolanâ, & Pithecuſis habemus. Prodeſſe etiam poſſunt ſola balnea naturalia aluminoſa, ſed magis nitroſa, vel ſulphurea, verùm omnis humor alienus eſt.

Quies poſt cibum neceſſaria eſt, & præcipuè ſi æger ſit debilis, vel venter adeò intumuerit, ut dolium aquâ plenum referat, quia propter anhelitûs difficultatem ſuffocari poteſt.

Somnus brevis eſſe debet, iſque nocturnus, meridianus vitetur, & diuturnus, quia excrementorum colluviem aggerit.

Vigilia cùm magis exſiccet, magis juvat, quàm ſomnus, nec nimis vigiliis opiatorum uſu ſuccurrere oportet, nàm ſalutare aliàs narcoticum erit necroticum.

Alvus mollis ſervanda urina diureticis ſollicitanda, & ſi aliqua evacuatio aucta hydropiſeos in causâ ſit, ut enormes vomitus, diarrhœa continua, & nimia hæmorrhagia coërceatur; vel ſi ſuppreſſa, ut menſium, lochiorum, hæmorrhoidum, vel fiſtularum evacuatio eundem pariat morbum, provocanda.

Animi pathemata, ut mœror, curæ, triſtitia, metus, & id genus alia, nocent, & ita nonnihil juvar, & ſola ſpes, quæ afflictorum eſt medicina, hydropicum ſolari poteſt, & interim eſt alma fugienda Venus.

Hydropiſeos noſtra curatio eſt, ut primò ultrices aquæ removeantur, ſecundò, ut earum ſcaturigo ſiſtatur, quia collecta aquarum colluvies potiorem inhibet curationem, ac propereà, quantùm poſſibile eſt, exhaurienda venit. Vitiatam hæmatoſin, & deindè ſanguinis craſim emendare, primam digeſtionem corrigere, & urinæ fluxum concitare in genere oportet: quod totum à cauſis occaſionalibus, & prægreſſis auſpicamur, & pro talium cauſarum varietate curationis principium aggredi neceſſe eſt, & ea, quæ cachexiam tollere valent, maximoperè adhibenda cenſemus.

Quò ad primam itàque intentionem, ad hauriendam aquarum colluviem purgantia benè conveniunt, cùm per hæc quandòque aquam ex abdominis capacitate evacuari contingat; notamus tamen purgantia ſæpiùs iterata noxia eſſe ſolere, quia, dùm ſeroſitates evacuantur, utiles ſucci plus minuſvè unà colliquantur, & exturbantur, ac proindè vires enervantur, viſcera ſternuntur, & malum augetur. In hydrope itàque rarò purgare, & ea vitare medicamenta, quæ vehementer purgant, ac intermedio tempore ea præbere, quæ ſanguinis maſſam emendant, & debemas. In principio ſint lenia medicamenta, quæ blandè moveant, & eliminent, primas tantùm abſtergendo vias, & per epicraſim evacuando, quòd ſi id aſſequemur, bonum, quia primæ viæ ad

ad fortiora purgantia diſponuntur, & corporis contenta non evacuantur, quia aliàs malum augeretur.

Nonnulli vomitoria commendant, quia eorundem uſus quandòque proficuus obſervatus fuit, verùm non ſemper eſt tutus, ac propterea ſi propinanda ſint, ſit patiens ad vomendum pronus, & facilis, juvenis, & robuſtus, nec ab anhelitûs difficultate præmatur, & tunc commodè vomitus inſtitui poteſt. Medicamenta vomitiva largâ doſi præſertim in hydrope confirmato. nàm aliter raras promovebunt vomitiones. Ità *Mercurius vitæ ad gr. iij. vel* iv. potentiſſimè vomitus excitat, atqui hydropicum vix movebit, & tantùm per inferiora mitiùs operabitur, quia à ſeroſitatibus acido-ſalſis fixatur. Ità nos experientia monet, nàm ſi mercurius vitæ cum ſale roſto pro duplà quantitate ſuper porphirite teratur, & deindè à ſale liberetur, leniter per ſeceſſum excernit, nec iſte mercurius ſenibus propinandus eſt, nàm ani procidentiam producere ſolet. Vomitiva eſſe poſſunt *crocus metallorum, flores antimonii, vitrum antimonii hyacinthinum*, quæ tàm in formâ pulveris, quàm eorum infuſa propinari poſſunt; itèm *turpetum minerale, & arcanum corallinum*, ſed cautè à vulgaribus, & tyronibus uſurpari debent.

Tutiora ſunt purgantia, & inter hæc ſelectiora, quorum energia humores crudos, ſeroſitates, & aquarum colluviem exturbandi vi potiatur, computabimus, & hydragoga dicuntur.

Flores perſicorum, ex quibus conſerva, & ſyrupus efformatur, ſerum ſine moleſtiâ, & torminum cruciatu elicit, ut

℞. *Conſ. flor. perſic.* ℥. iij.
elect. de ſucc. roſ ʒ. i j. *m.*

propinetur immediatè ante prandium. Vel

℞. *Syr. flor. perſic.* ℥ v.
decoct. ſolut. q. s. f. p.

Jalapa in genere purgat, ſicut reliqua purgantia, quæcumque invenit, & præcipuè ſeroſa, & aquoſa excrementa, vel ſaltim excrementa ſero, & aquæ convoluta, ejuſque doſis eſt ʒ. j. ad ʒ. j. ß. Sumitur in formâ pulveris in decocto cinnamomi, vel aniſorum. Paratur ex jalapæ radice *magiſterium, ſeu Reſina jalapæ*, quæ in minori doſi exhibetur, ut

℞. *Reſina jalapæ gr.* xv.
tart. vitriolati. ℈ j.
diagryd. pro ſtimulo gr. j.
eſſentia citri gut. ij. vel iij.
m. forment ur pilulæ iij.
& deaurentur pro una vice.

Sunt, qui ex radice, jalapæ cum ſpiritu vini *tincturam* extrahunt, quam aromatiſant cum eſſentiâ corticum citri, & eſt velut arcanum contra hydropem ſeroſam purgans colluviem. Eaſdem *jalapæ* habet vires in hydrope *mechoacanna*, hæc nàmque ad ʒj. aquoſa, ſeroſa, & pituitoſa evacuat excrementa.

Bryonia radix ſpecificum eſt hydropicorum purgans, nàm ejus radix hydropis ſignaturam habet, & potenter nimiam ſeri, vel lymphæ copiam, à quâ hydrops occaſionaliter fovetur, per ſuperiora, & inferiora cum aliis humoribus evacuare ſolet. Undè radix correcta, ejus ſuccus, & exindè paratus ſyrupus valdè uſitatus eſt in hydrope. Brioniæ ſuccum pro arcano in hydrope revelamus, & ſequenti colligitur modo, Lunâ creſcente, tempore

Veris bryoniæ radicem terræ adhuc commiſſam excava, & operculum ex ſuperioris radicis parte abſciſsâ paratum ſuperpone,& ſingulis auroris duo, vel tria cochlearia iſtius ſucci in cavo invenies, quem ſingulis matutinis horis hydropico à cochleari j. uſque ad ij. vel iij. exhibe, quo ſolo medicamēto plures hydropicos, Deo annuente, curavimus. Non tantùm bryoniæ radix internè adhibita hydropem curat, ſed externè etiam contuſa, vel ejus ſuccus applicatus cum ſtercore vaccino, vel columbino hydropicorum aquam evacuare poteſt. In ſpecie in hydrope bryoniæ radix ſingulare quid obtinere videtur.

Ex cucumeris aſinini ſucco expreſſo, & inſpiſſato fit *elaterium*, violentum, ſed tamen potens medicamentum hydropicos purgans, & præcipuè in aſcite, conducit, cùm per experientiam compertum ſit ex abdominis cavitate hydropicorum ſerum, & lympham evacuare. Hoc elaterium, quò vetuſtius, eò efficacius, & melius deprehenditur, & *Cardanus* ad centum annos durare poſſe aſſerit.

℞. *Elaterii gr. vj.*
reſinæ jalapæ gr. v.
trochis. Alhandal. gr. ij.
m. cum eſſentiâ abſynthii
f. pilul. j. & deauretur.

Fit ex *elaterio extractum*, ut

℞. *Extracti elaterii gr. iij.*
mercurii dulcis ℈. ß.
magiſt. gum. gutt. gr. ij.
m. cum. s. q. eſſentiæ ſambuci,
f. pilul. iij. & deaurentur.

Maximoperè commendamus pilulas hydragogas *in pharmacopœiâ Auguſtanâ* & electuarium hydragogum ex *ebulo, vel electuarium de ſpinâ cervinâ in Pharmacopœiâ Regiâ Zuuolferi.*

Mercurialia in hydropiſeos curatione maximè in deſperatis decantantur; hinc mercurius dulcis miſtus cum mercurio vitæ conveniens eſt laxativum, ut

℞. *Rob Sambuci ʒ j.*
mercurii vitæ gr. ij.
mercurii dulcis gr. xv.
extracti elaterii gr. ij.
cum ſyr. de ſpinâ ponticâ f. bolus pro unâ doſi.

Verùm *mercurius vitæ*, & *mercurius dulcis* ſedulò ſuper porphyrite per aliquot horas lævigentur: ſic n. mercurii vitæ vis emetica torpet, & ille cū mercurio dulci tantùm per inferiora blandè purgat, & hæc miſtura ſolitariè accipi poteſt cum *conſervæ flor perſicor.* ʒj. *Vel mercurius dulcis propinari poteſt cum extracto gummi ammoniaci*, ut

℞. *Extracti gummi ammoniaci ʒj.*
mercurii dulcis gr. xv.
f. pilul. v. & deaurentur pro unâ doſi

Sic mercurii ope obſtructiones reſerantur, & non tantùm per alvum, ſed etiam per urinæ vias exturbatur, ac læſa vaſcula gummi ammoniaci mucagine conſolidantur, ſed iteratò aliquot interjectis diebus exhibeantur. Nonnulli majora audent cum mercurio dulci in hydropis curatione; ipſo nàmque ſalivationem promovent, hydropico prius purgato hoc digeſtivo, ut

℞. *Tartari vitriolati ʒj. ß.*
fæculæ bryoniæ ʒj.
ſal. card. benedicti,
geniſtæ an. ʒ. ß.
magiſter. coralllior. ℈. ij.
m. pro octo partibus.

Poſteà purgant, ut

℞. *Mercurii dulcis gr. xv.*
gumm. guttæ gr. v.

conſerv.

Conſer. roſ. ℥ß.
cum ſyr. roſ. q. ſ. f. bolus.

Doſim poſteà tribus granis quolibet mane augent., quouſque ptialiſmus ubertim proveniat. Vel

℞. *Conſervæ flor. viol.* ℥j.
mercurii dulcis gr. x. m.

quotidie augendo gr. iij. & ad oris ſalivationem uſque præbe. Itèm externè per mercurii illinitionem, vel per mercurii ſuffumigium cinnabaris ope prunis injectus in ſchedula ſalivatio promoveatur, & per infundibulum ore hiante excipiatur fumus, donec ſenſim ſalivationem excitet. Poſtmodùm regatur hydropicus in ptialiſmo, ut diximus de *Lue Venereâ*. Inſolens reverà eſt medicamentum, ſed inſolentior hydrops, & pernicioſus, ac multos curavit; nàm non ſolùm ſalivationem, ſed quandòque ſudorem, & utplurimùm alvum, & utinam promovet: ſed medicus tunc majori ſedulitate, & æger maximâ obedientiâ uti debet.

Præteteà *Paracelſus* omnes hydropiſeos ſpecies ſolâ mercurii diaphoretici exhibitione curabat, ut ejus epitaphium Salisburgi in Sancti Sebaſtiani Noſocomio teſtatur, circa ullam moleſtiam, & recidivæ metum. *Helmontius* ſuum mercurium diaphoreticum in hydrope extollit ad gr. ij exhibitum terque, quaterque quo pluſquàm mille hydropicos curaſſe gloriatur, & citra ſenſilem evacuationem hydropem abſque recidivæ timore ſanat, & eò præſtantius eſt medicamentum, quò tutiùs omnem hydropis ſpeciem tollit, omnes corporis partes pervadendo, per diaphæreſim omnem hujus mali mineram eliminat, cùm inſenſilis evacuatio omnes ſenſiles ſuperet. Optima ſunt cathartica hydragoga, ſed aſcitem, & tympanitem non tollunt, cùm aquarum colluvies in abdominis capacitate, velut paluſtris, & cadaveroſa extra naturæ juriſdictionem ſtagnet; quapropter has duas ſpecies exacerbant, & incurabilem reddunt. Non negamus tamen facilè anaſarcam levare, & curate poſſe, dummodò vaſcula lymphatica non ſint ſoluta, vel exſeſa.

Diaphoretica itàque medicamenta, & ſudorifera maximoperè commendamus, non ſolùm ſi aquea, ſeroſa, & lymphatica excrementa ſub cute ſtagnent, [hydrops nàmque aqua intercus vocatur] ſed etiam ſi in abdominis ſpecu, vel in aliquâ cavitate, ut in hydiatibus, ubi paludem efformant, per diaphæreſim, & ſudorem attenuari, & reſolvi poſſunt. Ità ſunt ſudorifera illa acriora, & aromaticâ vi imbuta, ut *decocta ligni guajaci, corticum ſaſſafras, juniperi, buxi, imperatoriæ, radicis bardanæ, &c.* facta in aquâ cardui ſancti vaſe clauſo. Hydropicorum pori cutis continuò aperti ſerventur, & hydropici in ſudore detinendi ſunt. Undè balnea nitroſa vel ſulphurea calida conducunt. Vel parari poſſunt balnea artificialia, quibus incocta fuerint *abſynthium, flores ebuli, ſambuci, agrimoniæ, chamæmilla, & parum nitri*: ſed majori cum commodo *arena Sanctæ Reſtitutæ, in Ænaria, vel in Plagâ Puteolanâ, vel ſudatorium cocti in Ænariâ, vel ſudatorium Trituli in tractu Bajano, vel ſtupha ſicca cum ſpiritu vini accenſa inſtituta*, vel tandèm *laconicum domi accomodatum*, ante cujus ingreſſum hydropico *ſequens decoctum* propinari poteſt, ut

℞. *Rhadicis ſalſæ parillæ, raſur. guajaci an.* ℥ß. *ſaſſafras* ℥ij.
Infunde in ſ. q. aquæ communis per h. 24. poſteà coque ad lib. ß. colaturæ adde

ſyr. de card. benedicto,
ſcabioſæ ana ℥vj.
ſal. card. benedicti ℈j.
aq. cinnamomi ℥ij.
m pro duabus doſibus.

Aut detur doſis *bezoartici mineralis, aut antimonii fixi diaphoretici* cum *gr. ij. lapidis bezoartici.*

Interna ſudorifera, & diaphoretica ex mineralium regno ſunt *antimonium diaphoreticum à* ℈ß. *ad j. & ultra. Bezoarticum minerale à gr.* vj. *ad* x. *Ceruſſa antimonii à gr.* v. *ad* x. *Sulphur auratum diaphoreticum, flores antimonii diaphoretici,* & cætera ex vegetabilium regno parata.

In hydrope bona ſunt purgantia, meliora diaphoretica, & ſudorifera, ſed optima ſunt diuretica; per urinæ nàmque vias faciliter omnis aquarum colluvies exturbatur citra tamen moleſtiã, & non ut cathartica, & ſudorifica efficiunt; & hæc diuretica omnem hydropis ſpeciem curant, tàm anaſarcam, quàm aſcitem, & gelatinam in abdominis fundo concretam incidunt, & attenuant partim ex ſale fixo, quo pollent, ità ſunt ſalia alkalia, ſeu lixivialia *ſarmentorum vitium, juniperi, geniſtæ, ſtipitum fabarum, abſynthii, ſimi columbini &c.* partim ex ſale volatili, ut eſt *ſal volatile urinæ, tartari, armoniaci, cornu cervi, &c.* partim ex ſale volatili oleoſo, ut ſunt *olea aromatica, ſtillatitia quævis.* Vel ſunt acida, ad quæ pertinent ſpiritus, ut *ſalis dulcis, nitri dulcis, vitrioli, vitrioli philoſophici, ſulphuris, armoniaci, lumbricorum, & omnes aquæ anti-nephriticæ.* Sed præſtat *ſal è bufonibus combuſtis eductus.* Præſtans eſt *lixivium benedictum Hadriani à Mynſicht*, ut

♃. *Cinerum lignor. & extremit. frond. junip. artemiſiæ rubræ, geniſtæ, fabarum adhuc in paleis, abſynthii an.* ℥j. *& cum vini albi potentis q. ſ. f. ſ. art. lixivium.*

Hoc validiſſimè hydropicorũ aquam per urinam expellit, & nullo alio diebus aliquot adhibito remedio hydropẽm ſanat. Doſis manè jejuno ſtomacho ℥ij. ad iij.

Eandem virtutem habet ejusdem *à Mynſicht lixivium diureticum*, & potenter hydropicorum aquas per urinam exturbat, ut

♃. *Herbæ linariæ cum floribus,*
geniſtæ cum floribus,
Ebuli cum toto,
ſambuci cum floribus an. q. ſ.
f. cinis, ut artis eſt, ex quo poſteà
cum vini rhenani q. ſ.
præparetur lixivium clarum.

Doſis ab ℥ij. ad iij per ſe, vel cum vehiculis ſpecificis.

Subtiliſſimus *bufonum pulvis* hydropicorum aquas educit à gr. x. ad xv. Datur per iij. vel iv. vices, & poſtmodùm tres, vel quatuor dies non capiantur, nè æger debilitetur. Optima equidèm ſunt diuretica ad hydropem curandum, ſed præſertim anaſarcam, & non ad hydropem, qui fit per reſolutionem, nec in aſcite, & tympanite; nàm colliquati latices in abdominis gurgitem præcipitant ob impeditam urinæ excretionem, & præcipuè ſi affectus ex emulgentium, vel renum vitio ortum duxerit, quia malum augetur, niſi ad occultos naturæ meatus confugere velimus.

In hoc morbo à principio maxima ſtomachi ratio habenda eſt, ipſe nàmque depravatè cibos concoquens volatilem ciborum eſſentiam nimio phlegmate ſaturatam ab ingeſtis educit, quod vitium nec in aliis locorum digeſtionibus

nibus corrigi poteſt, nàm vitium primæ digeſtionis non corrigitur in ſecundâ, imò ſemper in deteriùs ruit, & creſcit eundo Undè dùm per ſe hydrops incipit, ferè vitium læſæ in primis viis digeſtionis ſubeſſe ſolet, & hinc prava hæmatoſis ſuccedit, & ſanguis in ſerum, laticem, vel aquam degenerat: huic adde inſenſilis tranſpirationis defectus, & imminuta urinæ excretio, ut *He montio* placet, hydrops nunquàm fit, niſi tenum vitio. Latex, ſeu ſerum hoc eſt nutritioni ineptus, ideò hydropici, intumeſcente abdomine, contabeſcunt, & quia circulo alteratur, & attenuatur in inferiores decumbit partes, & extra vaſa ſubſiſtens tumorem facit. Fit ſerum hoc intensè ſalinum, & & hinc ſitis; corroſivum. & continui ſolutiones in vaſis lymphaticis, & in abdominis cavitatem extillat, & hinc viſcera naturalia corrumpit. Quia cutis pori ferè in tumore oblitterantur, parùm tranſpirant, & ſudant.

Hæc, & alia ſymptomatum procella ab uno ſtomachi vitio, & pravâ hæmatoſi pendet, utrique itàque in hujus mali principio occurrendum eſt, quia

Cum mala per longas convaluere moras.

conclamatum eſt de hydropici ſalute. In incipienti hydrope corroborandus eſt ſtomachus, ut ſuum munus rectè peragat, & optimam ciborum eſſentiam nimio phlegmate, ſeu latice nudatam efficiat, & ſanguis optimæ notæ producatur. Hæc medicamenta ex Marte perenda veniunt, & ea ſunt omnia, quæ in melancholiâ hypochondriac retulimus, & brevitatis ergò deſcribere omittimus.

Hydropici viſcera corroborentur, & hæc corroboratio tantùm in eorum deobſtructione conſiſtit. Ubi vaſa lymphatica ſunt tarefacta, vel rupta, conducunt medicamenta vulgò conſolidantia dicta, ut *radix caryophyllatæ, tormentillæ, conſolidæ majoris, folia conſolidæ ſaracenicæ, ſaniculæ, agrimoniæ, ſtellariæ, alchimillæ, verbenæ, plantaginis, virgæ aureæ, centinodiæ, piloſellæ, &c.* itèm *corallia, bolus Armena, ſanguis draconis*. Verùm hæc à principio hydropis uſurpanda ſunt, ſed primò aqua eſt educenda, aliàs fruſtrà laboratur.

In tympanite notamus ſemper admiſcēda eſſe, vel ſolitariè uſurpanda ea medicamenta, quæ flatus reſolvunt, & diſſipant, ità ſunt *eſſentia amſorum, cumini extractum, liquor ex floribus tapſi*. Extra applicatur *empl. de baccis lauri*, quod an proſit, dicant hydropici.

Opiata hydropicis lethalia experiuntur, quia hæc in morbis acutis antequàm vires dejiciantur, & viſcerum tonus ulteriùs labefactetur: hydrops cùm ſit morbus chronicus, ac propemodùm ad extrema deducat, & eſtò vigiliæ accedant, opiata omninò ſunt vitanda, & non niſi ſedulâ adminiſtratione, & parvâ doſi cum timore ſunt exhibenda. Imò poſt morbos chronicos, aut acutos, dùm adhuc ægri languent, & quædam adhuc ſuperſunt ſymptomata, ſi iiſdem opio ſuccurrere velimus, periculum imminet, nè ægri hydropici exindè fiant, quod fieri obſervatum eſt.

Medicamenta pro hydropis curatione recenſere eſt arenam littoris connumerare, ſelectiora, & quæ praxis nos docuit, ſelegimus. Omittimus extrinſeca in hydrope medicamenta, ut unguenta, emplaſtra, cataplaſmata, fomenta, ſacculos, & alia, quæ nihil faciunt ad curationem, nàm cutem, non verò

aquam intercutem attingunt. Paracentheſim repudiavimus, quia ex mille vix unus, quem Juppiter amavit, eripitur, cùm ſemper gelatina, quæ fit à lymphæ aciditate, in abdominis fundo remanet, citra ultra exturbationis ſpem. Umbilici, ſcroti, & in mulieribus labiorũ cunni perforatio eosdem patitur manes. Veſicantia, cauteria, exulcerationes, & cætera carnificum medicamenta gangrænam, inducere, & hydropicum ab hac lacrymarũ valle eripere poſſunt.

Vanas tot obſervationes ab authoribus de hydropis curatione externis remediis applicatis conſcriptas arbitramur. Sic *Riverius* refert bufones medios ſectos, & renibus applicatos hydropicorum aquas eduxiſſe. *Helmontius* hoc confirmat, & addit ſe vidiſſe hydropicum ſanatum, alligatâ anguium ſenectâ ſuper ventrem, & renes. *Mattheus de Gradibus* ranas vivas renibus applicatas mirabiliter aquas hydropicorum evacuare ſcribit. *Hieronymus Fabricius ab Aquapendente* magnam ſpongiã novam aquâ calcis vivæ calidæ imbuit, expreſſamque abdomini ſuperligavit, quo remedio pluries non ſolùm hydropem, verùm etiam hydrocephalum capiti admotâ ſpongia curavit. Sic enim hydropicorum aquas inſenſibiliter abſumi, & frigidam, humidamque viſcerum intemperiem tolli, & lienem induratam ſanari aſſerit.

Optima ſunt hæc remedia, ſed empirica citra rationem, & perpetuò medentes fefellerunt, & in his obſervationibus, ſi veræ ſunt, deceptos, & allucinatos fuiſſe credimus, & vana credulitas de talibus remediorum viribus eos decepit ob felices eventus, qui multoties ſpontè ſuâ ut monſtrua accidunt, & fallaciam, non cauſam, ut cauſam committunt: atqui medicus non uſui, aut experientiæ, ſed rationi ſtare debet. In hujus rei confirmationem obſervationem nobis cognitam adducemus: quidam eques totali urinæ ſuppreſſione ad plures dies poſt multa, & exquiſita remedia incaſsùm adhibita laborabat; medici circa ægroti cubile in coronæ modum aſſidentes, pro inveniendo medicamine, quod urinam exturbaret, conſulebant. Sed ecce cubiculum audacter ingreditur ruſticus, & inſalutatis medicis, ægrotum, quo morbo affligeretur, interrogat, mingendi impotentiâ reſpondit, cui ruſticus, nunc nunc te mejendum ſub pœnâ capitis curabo, & egreſſus, cum aliquot herbis regreſſus, quas in mortario contundere cœpit: dicebat enim debere ſumere harum herbarum ſucci tantùm ℥j. & actutùm mingeret, dùm herbarum ſuccus intra cyathum exprimebatur, medentes magno cum rubore ſeſe intuebantur. Interim inopinatò ægrotus matulam petiit, & uberrim mingere cœpit. Si talem ſuccum ad aliquot guttas ſummis labiis deguſtâſſet æger, quis diceret non à ruſtico curatum fuiſſe? Multa ſponte ſuâ, vel naturâ operante in morbis accidunt, quæ barda medicorum credulitas irritis medicamentis aſcribit.

CAP. XXI.

De Diabete.

Διαβήτης, à Διαβαίνω, ideſt tranſeo, quod urina citò tranſeat nomen habet. Alii ὑδρόπατις ἀμίδα hydropem ad matulam, alii urinæ profluvium nominant. Eſt itaque celeris, & copioſius urinæ tranſitus, quem ſitis intenſa & totius corporis colliquatio ſequitur. Lienteriæ comparatur, nàm ſicuti in hoc

affectu cibus non immutatus, ſed prout ſu erat aſſumptus per inteſtina celeriter excernitur: ità in diabete potus non immutatus, ſed ut aſſumitur ſine ulla alteratione per renes ad veſicam delabitur; undè quibusdam diarrhœa nephritica dicitur, ſed congruentiùs lienteriã nephriticam diceremus. Ità ſolet urina copioſiſſima in hoc affectu profluere, ut decantatæ hiſtoriæ hyperbolicæ videantur: Narrat *Donodæus ſe vidiſſe quendam, qui uno die ampliùs quàm* 40. *libras urinæ reddebat. Cardanus notabilem, ſed majorem fide hiſtoriam refert de quâdam puellâ annorum* 18. *quæ paſſa eſt urinæ profluvium, adeò ut ſingulis diebus urinæ libras circitèr* 36. *emingeret, cùm ex potu, & cibo non plus* 7. *libris aſſumeret. Cùmque hoc* 60 *diebus perſeveraret, emiſit ultra cibi, & potus libras* 1740. *quod pondus puellæ, & ſi totam in urinam fuiſſet reſoluta, cùm puella non potuerit excedere pondus* 255. *librarum, imò nec* 250. *attingeret.*

Signa.

Diabetes ægrè in principio cognoſcitur, cùm pedetentim, & inſenſibiliter creſcat eundo; undè licet æger plus ſolito mingat, ad potum, vel ad aliam cauſam id referre ſolet. Temporis progreſſu majores adipiſcitur vires, & æger ſenſim majorem urinæ copiam reddere incipit, quæ poſtremò urinæ quantitas potus quantitatem longè ſuperat. Fit urinæ profluvium, itèm aquæ ſitis, quam aſſumptus largè potus minimè ſedat, quia ſtatim, ac aſſumptus eſt, per renes ad veſicam rejiciatur. Urina fit tenuis, aquoſa, cruda, abſque ſedimẽto, in quâ temporis curriculo quædam tenuia corpuſcula ſupernatant. Tandem totum corpus extenuatur, & contabeſcit, quòd ſi urinam contineant ægri, lumbi, teſtes, & coxæ intumeſcunt.

Veterum Cauſæ.

Pro immediatâ hujus affectus causâ *Gal. 6. de loc. aff. c.* 3. cui ejus ſequaces ſe ſubſcribunt, accuſant calidam renum intemperiem, cujus opera copioſiſſimè ſerum è venis attrahunt, venæ exhauſtæ ab hepate, hepar ab inteſtinis, & ventriculo. Hinc ſub tanto pondere preſſi renes irritatâ expultrice, & gravatâ retentrice, ad veſicam ſero ſe exonerant. Undè indefinens exoritur cupiditas potus, qui ſimul ac aſſumptus eſt, denuò renibus arripitur ab hepate, inteſtinis, & ventriculo, & iterùm gravatâ retentrice, & irritatâ expultrice, ad veſicam immutatum potum deturbant.

Nonnulli ſectatores calidæ renum intemperiei inſufficientiam meditantes, abdicata fide *Galeni*, rem ulteriùs trutinarunt. Undè non tantùm renes calidâ intemperie laborare protulerunt, verùm etiam ipſum hepar, & proptereà aduſtos humores ab ipſo genitos, bilem ſcilicèt, ſalſamque pituitam renum parenchymati imbibitam, quæ aſſiduè retentricem irritant pro causâ ſtabiliunt.

Alii eidem intemperiei inſiſtentes, reſolutionem, & colliquationem eſſe decernunt, quæ in venis fit, & in toto corpore ab inſigni hepatis, & venoſi generis caliditate orta.

Aliqui calidæ intemperiei non acquieſcentes ab analogiſmo ducti cujusdam ſerpentis, qui Διψαχος appellatur, & in Lybiâ præſertim reperitur, morſu ſuo venenum quoddam in homines inſinuat, à quo ſitis inextinguibilis inducitur; eodem modo credunt venenum in viventium corporibus generari ex quadam, & peculiari humorum corruptelâ idoneum ad ſimilem potûs indu-

ſcendam cupidinem, qui ſtatim ac aſumptus eſt, per urinam redditur.

Hæc, & quamplurima alia de diabetis cauſâ fabulamenta commentata eſt vulgarium medentum credula grex, quæ an veritati conſona ſint, perquiremus.

Non eſſe à renum calidâ intemperie hunc affectum ſuadetur, quia facilè tolleretur, ablatâ intemperie, tùm externis, tùm internis, quod non ſuccedit. Prætereà calida renum intemperiès eſt affectus frequentiſſimus, diabetes verò rariſſimus, & rariſſimus à rariſſimâ cauſâ accidat, neceſſe eſt Obſervamus quamplurimos præſertim calculoſos renes præcalidos habere, qui tamen diabetem non patiuntur. Inſuper multi renum inflammatione, ſeu febre renum laborant, & diabeti obnoxii non ſunt.

Neque credibile vidètur renum attractricem tantam eſſe poſſe, ut etiam ad hepar, & ventriculum uſque ſe extendat, atque indè crudum potum attrahat.

Qui reſolutionem, & colliquationem eſſe dicunt, nil veri afferunt, quia febris elodes, & colliquativa diabetem comitem non habent.

Qui verò ad venenum recurrunt, ad ignotam, & occultam cauſam confugiunt, quam quid ſit, neſciunt.

Joannis Baptiſta Van-Helmont. ſententia eſt diabeticam affectionem fieri ab aciditate non caſtigata à felle; vult enim ipſe chylum totum aciditatum à fermento ſtomachi, inſpirato felleo fermento, confeſtim mutari in ſalſum, quod ſi contingeret non caſtigari, & cum latice in renes ſe recipere, diabetem excitari.

Noſtra Cauſa.

Pro noſtrâ de diabetis ſententiâ ſtabiliendâ præmittimus primò, quod ſanguis multo abundat latice [inſervit latex iſte ad aciditatem in ſanguine corrigendam, & ad ipſius circulationem], qui expurgari non poteſt, niſi per diaphæreſim, & renum officio Non eſt latex iſte pars ſudoris, nec urinæ, quia adhuc manifeſtum ſal non continet. Sudor materialiter eſt latex, eſt fit ſalſus ſudor à ſubtili, ſpirituosâ, & ſalsâ ciborum eſſentiâ per univerſi corporis fibras diſperſâ. Urina quoque materialiter eſt latex & ſuum recipit ſal à renum fermento. Undè ſal ſudoris, & ſal urinæ longè differunt, ut in eorum anatome patet. Aves toto corpore actualiter calent, idèoque nocturnos hyemis rigores ſub aperto Jove tolerant, non meunt autem quia renibus, & veſicâ carent, ergò quicquid aves bibant, totum per inſenſilem tranſpirationem recedit. Hinc liquet quòd ſoli renes faciũt urinam, quæ aliàs eſſet ſudor.

Secundò, evacuationem per inſenſilem tranſpirationem eſſe copioſiorum, quàm quæ per ſenſilem, fit ut luculenter docet *SanBorius libello de Staticâ Medicinâ*, ubi probat perſpirationem inſenſilem eſſe longè pleniorem, quàm omnes evacuationes ſenſiles ſimul unitas, itâ ut ſi cibus, & potus unius diei ſit ponderis 8. librarum tranſpiratio inſenſilis ad quinq circiter libras aſcendit.

Tertiò, repetendum, quod diximus de ventriculi actione: Separatio puri ab impuro in ciborum coctione per fermentationem fit; pars nàmque ætherea excitata à ventriculi calore ſe movet, & per intrinſecam fermentationem ſapor acidus fermentatis cibis ſupervenit, qui acidus ſal apparet, quòd ſi illa pars ætherea ſeparetur, ſalſus evadit. His præmiſſis

Pars

Pars illa ciborum ætheteæ naturæ acida per fermentationem facta, ſi aciditas non totaliter evadit ſalſa, ſed aliqua aciditatis portio remanet unà cum patte ſpirituoſa, vel excipitur à villis, tùm ventriculi, tùm inteſtinorum, & inter fibratum ſpermaticarum texturas per univerſum corpus ſe diffundit, ſeparaturque, quod aqueum, & ſeroſum eſt, cum aciditate in renes demittitur. Vel hæc aciditas unà cum ſuperfluis humiditatibus à liene per vaſa brevia, quibus ventriculi fundo connectitur, ſugitur, & ad renes tranſmittitur: ſi ibi exaltatur, diabeticam producit paſſionem, hæc veluti ſpina digito infixa excitat in renibus calorem, mutat in lotium ſanguinem, & ciborum eſſentiam, quæ viventium vitam ſuſtentat, non ſecus ac oleum per ellychnii fibras aſcendit, accenſam ſuſtentat flammam, ineptam ſuſtentationi reddit, quapropter diabetici contabeſcunt. Oriuntur ab hac aciditate quandòque dolores, vel ulcera, quia ſparſa eſt in magnâ laticis copiâ, diluitur, & ſtatim evacuatur, & eſt valdè volatilis: cùm verò hæc fixa eſt, & à minori copiâ ſeri diluitur, tunc alios generat affectus, ſtranguriam, &c.

Non inauditum videantur aciditatem ciborum eſſentiæ immiſſam intra fibratum ſpermaticarum texturas per univerſum corpus diffuſam unà cum latice, vel ſuperfluis humiditatibus per vas breve ad lienem, & à liene ad renes delatam hunc excitare morbum, ſanguinem in lotium mutare, alimentum vitæ ſuſtentationi reddere ineptum, & tandèm contabeſcentiam inducere; nàm omnia acida diuretica ſunt, & exaltata valent dura ſolvere corpora, patet id in berberum, & limonum ſucco, & in aceto deſtillato, quod uniones, margaritas, & corallia ſolvit; acetum verò radicatum non tantùm corallia, & uniones, verùm etiam duriſſimos lapides, & mineralia ſolvit.

Quod tantam urinæ copiam diabetici mingant, ut *Dodonæi*, & *Cardani* hiſtoria teſtatur, non alienum à veritate credimus; nàm licèt diximus ſenſilem evacuationem ab inſenſili ſuperari, accidit quandòque inſenſilem per ſenſilem compenſari: obſervamus nàmque per æſtatis decurſum, habitu corporis rarefacto, & poris valdè reſeratis, majorem diaphæreſim, & ſudoris evacuationem, paucam verò urinæ excretionem. Contrà verò hyeme, denſatâ à frigore cute, repercuſſa effluvia non integrè exhalant per cõrporis peripheriam, hinc copioſa materiæ ſeroſæ per venas excretio.

Præter aciditatem in diabeticis ſanguinem in lotium mutantem, & nutrimentum ineptum ad vitæ ſuſtentationem reddentem; non integra per corporis habitum fit diaphæreſis, ſed diminuta, hinc urinæ excretio, huic poſteà familiarem alui conſtipationem adde.

Prognoſis.

Diabetis prognoſis eſt, quod juniores non ægrè perſanantur, dummodò in principio cognoſcatur, & debita exhibeantur medicamina: diſtingui tamen debet à criticâ urinæ expulſione, quæ in magnâ copiâ non ſolùm non lædit, verùm etiam ſalutaris eſſe ſolet. Seniores ferè omnes intereunt, ceu etiã poſt laborem immodicum. Veneris uſum, & poſt acutas, vel chronicas febres, ſi contingat, lethalis plerùmque eſt. Si in confirmationem abierit, in-

tenſa ſitis excruciat, & omnem alimentitium corporis ſuccum ad renes rapit tùm tabem, & demùm mortem inducit.

Veterum Curatio.

Vulgares practici, qui omnes affectus utplurimùm calori refundunt, à refrigerantibus, & parùm adſtringentibus curationem aggrediuntur, in quâ calidam renum intemperiem vel emendare, vel auferre ſatagunt; ac proindè humores intemperiem efficientes præparant cum *ſyr. de agreſtâ, ſucco myrtillorum, cydoniorum, nymphæâ, roſis ſiccis, aceroſitate citri, portulacâ, &c. cum aquis intubi, plantaginis, buglosſæ, portulacæ, &c.* Præparatos humores evacuant, ut

℞. *Decocti myrobulan.*
cydoniorum,
tamarindorum ℥iv.
rhabarbari infuſ. in dicto decocto, & expreſſi ℈ v.
ſyr. roſ. ſolut. ℥iij.
m. f. potus.

Vel in formâ boli, ut

℞. *Pulp. caſſ. fiſt. recèns extract.* ℥j.
pulpæ tamarind. ʒiij.
rhabarbari electi ʒß.
ſacchari roſ. q. ſ. f. bolus.

Purgato corpore, non per hoc tota diabetis cauſa ſtatim amputatur, undè intrinſecis medicamentis malo ſuccurrunt, ut repellatur materia, divertatur, & renes reborentur. Repellunt à renibus, fomentis, & inunctionibus. Fomenta faciunt ex decoctis, & ſuccis refrigerantibus, ut

℞. *Fol. nymphææ,*
roſ. rubr.
plantagin. an. m. j.
fol. rubi m. ß.
baccar. myrti ℥j.
ſandalor. alb.
rubrorum an. ʒj.
coquantur in aquâ, deindè
℞. *dicti decocti lib. ij.*
ſucci ſymphyti,
ſucci omphacii lib. ß. *m. omnia, & cum ſpongiâ fomententur renes.* Hoc fomentum applicari poteſt etiam pectinis regioni, quia quandòque à pectine hoc malum renibus communicatur. Si hæ fomentationes non proſunt, obſtupefacientia incoquunt, ut *capita papaverina, hyoſcyami, fol. ſolani, & mandragoræ.*

Præter fomenta ad humores à renibus repellendos, eoſque renes refrigerandos accommodatæ ſunt inunctiones, ut

℞. *Omnium ſantalorum* ℈j.
cornu cervi uſti ℈ß.
roſar. rubrarum,
ſemin. portulacæ ʒß.
plantaginis ℈ij.
olei roſ. omphacini,
myrtillorum an. ℥j.
ung. populeon. ʒvj.
aceti roſacei guttas aliquot.
ceræ q. ſ. f. unguentum.

Vel

℞. *Unguenti roſ.*
infrigidantis Galeni,
populeonis an. ℥ß.
camphoræ ʒj.
ol roſacei,
cydoniorum an. ʒiij.
ceræ, & aceti parum
f. unguentum.

Pro renibus, quo etiam tota ſpina ab ultimis potiſſimùm coſtis inungatur. Quod ſi nihil hæc proficiant, obſtupefacientia addunt, ut *folia hyoſcyami, vel modicum opii; hæc n. graviora mala debellare ſolent.*

Interim,

Interim, dùm extrinſeca adhibent medicamenta, intrinſecis utuntur ad renes corroborandos, & refrigerandos, ut

℞. *Tro his. de ſpodio* ℥ß.
cupular. glandium ʒjß.
ſemin. roſarum,
portulacæ an. ℈j.
carnis cydoniorũ ſine ſpeciebus ℥ij.
ſyr myrti'orum q. ſ.
f. electuarium mol'is conſiſtentiæ.
Doſis ʒjß. *pro vice.*

Vel

℞. *Boli Armeni* ʒj.
balauſtiorum,
roſarum,
ſpodii an. ʒjß.
ſemin. plantaginis,
lactucæ,
portulacæ ana ʒij.
gummi Arabici ʒß.
camphoræ ℈ß.
ſyr. myrtillor. q. ſ.
f. maſſa pilularis
Doſis ʒj.

Si hæc nihil, vel parùm profuerint, diabeticum in balneum conjiciunt, quod arte ità parant, ut

℞. *Fol. violarum*,
endiviæ,
malvæ,
althææ,
plantaginis,
nymphææ an. m. iij.
roſ. rubr. m. iv.
ſemin. cydoniorum ℥iij.
hordei lib. ß.

Coquantur in aquâ q. ſ. pro balneo. Tempore uſûs lactis recens mulcti aliquot menſuras addunt.

Quod ſi diabetes à causâ frigidâ fiat, contrariâ ratione procedunt, & omnia tùm intrinſeca, tùm extrinſeca medicamenta calida propinant.

Noſtra Curatio.

Eam vivendi rationem, quæ in diabete curando eſt neceſſaria, prætermittere oportet; diætâ n. ſi malum non tollitur, ſaltim miteſcit, & quandòque ſolummodò ſpontè deſiſtere ſolet: Verùm ut totalem diætæ rationem tradamus, à ſex rebus non-naturalibus ordimur, itàque

Aer ad frigidum, & humidum inclinet, aliàs talis arte paretur, vitetur calidus, & ſiccus.

Cibus ſit facilis coctionis, & conducunt carnes vervecinæ, vitulinæ, hædinæ, agninæ bovinæ, porcinæ macilentæ, gallinarum, & præſertim avicularum montanarum, ſed benè coquantur. Omnes conveniunt cibi, qui ſale alkali temperato, vel lentore mucilaginoſo potiuntur; hoc nàmque ſal omnem acorem immutat, imbibit, & dulcificat, ita ſunt animalium interiora, & extrema, ut pedes, cerebrum, ova ſorbilia, lac, à quo ablatum ſit ſerum, lac amygdalarum, priſanæ ſuccus, oryza panicum, caſeus recens, non ſalitus. Inter olera conveniunt portulaca, intubus, & lactuca. Inter fructus poma, pyra, paſſulæ. Inter piſces, ſaxatiles recentes. A cibis ſalitis, ſaccharo, oleo, acribus & acidis, iiſque qui urinam provocare poſſunt omninò abſtineat. Panis optimus ille eſt, qui fit ex floræ farinæ.

Potus ſit aqua fluviatilis, chalybeata, ſed in paucâ quantitate, vel aqua hordei parùm torrefacti, cui admiſceri poteſt ſuccus cydoniorum, vel ribium, vel cornorum, aqua plantaginis, vel aqua florum myrtillorum. Convenit vinum rubrum, adſtringens, & craſſum, vel vinum ex ceraſis auſteris. Vitanda autem ſunt omnia vina, eaque

potuum genera, quæ urinam maximè provocant, & ſicut non multùm potandum, ità etiam urgente ſiti, paulò plus potus concedatur, quàm conſueverit; & ſicut ſitis maximus eſt cruciatus, & multùm potare in hoc morbo valdè noxium eſt, ità non multùm bibere, nec etiam abſtinere oportet, verùm potus non ſit ſpirituoſior, & calidior.

Motus corporis omnes fugiendi, quia renes laborant, & in motu nimis incaleſcunt, aciditas magis intenditur, & malum exaſperatur.

Quies magis convenit, quia humorum motum compeſcit; ideòque in lecto ſe contineat æger, & decubitus non ſit ſuper dorſum, nè renum ſubſtantia nimis coarctetur, & incaleſcat.

Somnus conſueto diutiùs admittatur, quia in ſomno urinæ excretio ceſſat, non nimiùm tamen, & ultra modum producatur, quia tunc nocet, ſpiritus languidiores, & craſſiores reddendo, undè acidum in ſanguinis maſſa augetur.

Vigiliæ nimia maximè nocet, nàm ſpiritus exhauriendo, acor augetur.

Excernenda excernantur, & *retinenda* retineantur in diabete. Alvus lubrica ſervetur, nàm alvo fluente, efficitur quædam humorum diverſio à renibus ad alvum. Sic hæmorrhoides, & menſes ſuppreſſi ad naturalem redigantur fluorem.

Animi pathemata immodica vitentur, nàm timor, terror, mœror, & ira valdè obſunt. Proſunt benignæ animi paſſiones, ut lætus nuncius, gaudium, & ſpes. Veneris uſus omninò proſcribatur, quia non ſolùm lumborum fermentum depauperat, ſed ſpiritus abſumit animales.

Indicatio diabetis curativa eſt, ut acor auferatur, vel ſaltim contemperetur, nè ſanguis, & nutrimentum mutetur in lotium, & renes roborentur, ad acorem auferendum, vel temperandum præſtant *aquæ dulcis balnea*; hæc n. poros aperiunt, & acidos latices exhalare faciunt, at ex *aquâ ferrariorum* parata balnea majoris erunt energiæ.

Purgantia medicamenta non conveniunt, quia acutiores, & fluxiores redduntur latices. Conducunt chalybeata, quatenus ſal acidum in ſanguine redundans excipiunt, abſorbent, & renes roborantur. Confert *martis eſſentia, tinctura ex n. d. decoctum C. C. ſal, magiſterium, & coralliorum tinctura, ſal ſantali rubri. Aqua ſtillatitia, conſerva, & extractum ſymphyti majoris, margaritæ, oſſa ſepiæ, ebur præparatum, pulveres cruſtacei, & teſtacei.*

℞. *Julep. de chalybe n. d.* ℥j.
detur ad plures auroras eadē doſis.

Vel

℞. *Tinctura corallior.*
martis an. ℈ß.
de hyacintho ℨij
m. pro duabus vicibus.

Vel

℞. *Extracti ſymphyti majoris* ℨiij.
croci martis adſtringentis ℈j.
magiſter. corallior ℨß.
ſal. ſantal. rubri ℈ß.
m. f. pilul. ix. & deaurentur.
pro tribus vicibus.

Vel

℞. *Margaritar. præparat.* ℨß.
eboris præparat. ℨij.
coralliorr. rubr. præp. ℨiij.
diacodii q. ſ. f. electuarium.
propina mane, & veſperi ad quantitatem duarum avellanarum.

Vel

℞. *Diaplantaginis* ℥iv.

croci

croci martis adſtringentis ʒjß.
m. f. pulvis
Doſis ℈ij. *in ſyr. de ſymphyto.* Vel
℞. *Decocti ſem. papav. albi*,
fol. roſ. rubr.
radic. tormentillæ an. ℥j.
cryſtalli martis gr. viij. *m.*

Hæc omnia non tantùm acorem immutant, & abſorbent, verùm etiam ſanguini lentorem conciliant in ſuo curſu retardant, incraſſant, effervelcentiam inhibent, & nonnihil ejus fuſionem in urinam impediunt.

Aliquandò, ut acida figentur fermenta, ad opiata confugiendum eſt, ut *laudanum liquidum*, *aut cydoniatum*, *ribeſiatum*, *ſine opio*, *vel diaſcordium Fracaſtoris*, quia omnem evacuationem tollunt, & præcipuè urinæ diluvium ſiſtunt.

Conveniunt ſudores parcè excitati cum extracto radicis chinæ, vel ſalſæ, vel externis remediis, vaporibus ſcilicèt decoctorum convenientium. Diaphoretica hîc ſunt vitanda, quia ſi per diaphœreſim non operantur, diuretica evadunt, & urinam movere in diabete minimè convenit.

Conducunt hîc omnia, quæ ſale volatili temperato, vel mucilaginoſo conſtant, vel aliquâ ſtypticitate gaudent, ut *gummi Arabicum*, *tragacanthum*, *ſuccus acaciæ*, *ſaccharum penidiatum*, *ſpecies diatragacanthi frigidi*, *terra ſigillata*, *bolus Armenus*, *ſemina papaveris albi*, *lactucæ*, *portulacæ*, *plantaginis*, *ut*

℞. *Gummi Arabici* ʒij.
terræ ſigillatæ ʒj.
ſpec. diatragantbi frigidi ʒjß.
f. omnium pulvis,
cujus doſis ℥j. *in decoct. rad. torment.* Vel

℞. *Decocti hordei cum radic. nymphææ lib.* jß.
amygdal. dulc. ℥ij.
ſemin. papaver. alb. ʒiij.
lactucæ ʒj. *portulacæ*,
plantaginis an. ℥ß.
f. emulſio, *& adde*
ſacchari perlati ℥jß.
Doſis ℥iv. *ter in die.*

Aliqui probant *lac*, in quod, ad ſerum abſumendum, ſilices candentes injiciunt. Præſtantiſſimum medicamen parari poſſet ex *aquâ ſtillatitiâ è ranarum ſpermate*, ſi in eâ *ſal Saturni* ſolvetur, & madefacta lintiola renibus applicentur.

Paracelſus anodyna renibus applicanda unicè commendat in hunc modum:

℞. *Herbar. hyoſcyami*,
papaveris an. cum toto,
contunde eas probè, *& cum ſuccorum earum expreſſorum portione olla*, *vel cantharo inde*, *eamque optimè lutatam in B. bullientis fervore detine per duos dies*, *vel plures*, *hinc omnem ſuccolentiam exprime*, *& colatam per pannum leni calore evapora ad ſpiſſitudinem mellis*, *& ſic quoque cum lolio*, *ſolano*, *& plantagine procede*, *facto hoc*

℞. *inſpiſſatæ mellaginis hyoſcyami*,
papaveris ℥j. *lolii* ʒj.
plantaginis, *ſolani*,
roſarum an. ℈ß. *camphoræ* ʒj.
m. f. linimentum.

Alii conſulunt renibus fotum ex *decocto plantaginis*, *cortic. granator*, *roſ. rubrarum*, quæ renes roborant, nè ſalinos recipiant latices, ut inunctiones ex ol. *nymphææ*, *ung. populeon. &c.* Sed utinàm juvarent, ſtulta nàmque ſunt medicamina circa corporis peripheriam, ubi centralia laborant. Plurimùm confert *pulv. ocul. cancr. fluvial.*

præp.

præp. Alkali ſuberum ſpecificum in diabete eſt, acidum enim alkalium attractu ſtatim dulceſcit, ut experientiâ liquet.

CAP. XXII.

De Nephritide.

QUemadmodùm pleuritis eſt membranæ coſtas ſuccingentis inflammatio, hepatitis hepatis inflammatio, & phrenitis inflammatio cerebri; ſic nephritis propriè vocari debet renum inflammatio. Propriè dicimus, quia apud veteres medicos ut *ex Hippocrate lib. de internis aff.* colligere licet, hoc nomen nephritis omnibus ferè renum affectibus commune fuit: verùm apud recentiores conſuetudo invaluit, ut dici debeat de renum dolore ex calculo, & arenâ.

Pars affecta ſunt renes, in quibus arenæ, & calculi generantur: ſed cur in renibus calculi, & arenæ concreſcant, & non in ureterum poris, cùm tales meatus anguſti ſint, inquiramus; ut fiat nàmque calculus, adeſſe debet materia neceſſaria, agens neceſſarium, & debitum etiam temporis intervallum, adhoc ut agens materiam ad formam deducat, illud temporis intervallum metitur ex materiæ morâ in loco notali, cùm verò in ureterum poris hæc materia diù permanere non poſſit, quæ in calculos, vel arenas tranſit, ideò cogi non poteſt, quia non adeſt tale temporis ſpatium, nàm urinæ impetus propter anguſtos meatus tantus eſt, ut ſecum rapiat, detrudatque materiam lapidiſcentem ex illis partibus Sicuti videre eſt in canalibus declivibus, & anguſtis propter delabentis aquæ nil concreſcere, ità in vaſis urinariis ſimiliter contingit. Undè in pueris ob meatuum uretericorum anguſtiam in renibus non fieri calculos, vel arenulas obſervamus. Renes itàque affecto, eſſe ipſe dolor indicabit cum poſitu; in renum n. loco quaſi ſtabilis dolor, jugiter ſæpè affligit, in dextro quidèm latere, aut ſiniſtro, aut utroque, prout ren dexter, vel ſiniſter, vel uterque affectus erit. Generantur autem calculi, aut in renum ſtomacho, ſinibuſvè, vel in carne eorundem, vel ſubſtantiâ. Aliquandò etiam generantur calculi in hepate, pulmone, inteſtinis, juncturis, aliiſque corporis partibus, ſed frequentiùs multò generantur in renibus, atque veſicâ, de quibus potiſſimùm hîc eſt ſermo.

Signa.

Dolor nephriticus tantam habet affinitatem cum colico, ut ipſe *Galenus* in eorum diſtinctione deceptus fuerit, nàm colico vexatus dolore, ſe nephritico laborare ex lapide alteri ureterum impacto arbitrabatur, donec humore per alvum excreto, & indè ſublato dolore, colicum eſſe animadverterit. Ità fatetur *de loc. aff. lib. 2. cap. 5. Porrò memini mihi ipſi accidiſſe dolorem vehementiſſimum, ut mihi viderer in intimo ventre terebro perforari, in eo ſpatio, per quod à renibus ad veſicam ureteres ſcimus extendi. Injecto deindè rutaceo oleo, quùm id paulopòſt excernere tentarem, excrevi ſimul graviſſimo cum dolore humorem vitreum à Praxagorâ appellatum.* Contingit itàque non rarò peritiſſimos medicos in nephritici, & colici doloris diagnoſi errare cùm unicum ſignum certam diagnoſim conſtituere non poſſit; ſunt n. omnia ſigna æquivoca, & valdè incerta, & cum aliis adjuncta diagnoſim adjuvant.

Diſtiguitur à nephritico colicus dolor ſequen-

ſequentibus notis. Primò, nephriticus eſt dolor gravativus in lumbis, conſtans, in uno loco fixus, & perpetuò affligens, (ſi à calculo procedit) acerbiùs tamen corpore inclinato, vel fortiùs in terram pede alliſo, & teſticuli lateris affecti contractio: colicus verò dolor in uno loco fixus non permanet, ſed hinc indè circumvagatur circa teſticulorum contractionem. Secundò, decubitus in parte affectâ tolerabilis eſt in nephritico: non itèm in colico. Tertiò, colicus dolor poſt paſtum intenditur: nephriticus verò minuitur. Quartò, in dolore colico majus levamen ab excretionibus per alvum, & vomitum emergit, quàm quidèm in nephritico dolore. Quintò, urina primùm clara, tenuis, & pauca, velut percolata, vel cruenta, procedente verò tempore turbidum quoddam ſedimentum exhibet, & tandèm in dolore nephritico arenulæ, aut lapilli egrediuntur: in colico verò urinæ ab initio fiunt, & excernuntur craſſiores. Sextò, ſtupor cruris è directo renis laborantis; calculus n. grandior nervum illum comprimit, qui in muſculos lumbales inſeritur, renibus ſubſtratos, ab anatomicis ψῶαι nominatos qui muſculi ad coxam deferuntur, motui ejuſdem inſervientes. Talis ſtupor percipitur ex inſeſſione ſupra femur ob compreſſionem.

Nephritidis ſigna ſeorſim ſpectata æquivoca ſunt, & aliis morbis communia, ſi tamen omnia ſimul conjuncta conſiderentur, certam diagnoſim efficient Dolor itàque in loco renum ſæpè acerbiſſimè urget, cùm calculus in ureteres ingreditur, vel cùm ità ſedem mutat intra renem, ut membranam attingegere poſſit, & dolor tunc potiſſimùm intenditur, cùm motibus vehementioribus corpus exercetur, & ſpinam crebriùs inflectit æger. Dolor hic tactu non exacerbatur, ut in aliis dolorum ſpeciebus fit. Sæpè etiam ità calculus urget, cùm ſibi exitum quærit, ut infixi aculei ſenſationem exhibeat.; quamdiù verò quieſcit, dolor potiùs eſt gravativus, quàm punctorius in rene incumbens ſentitur, qui magnâ ex parte ſtabilis, & fixus eſt, & ſubindè etiam ad teſtem proximum excurrit, undè teſtis retractio ejus lateris, in quo dolor eſt; renes nàmque, & ureteres acerbitate doloris irritati ſeſe vehementer contrahunt, & unà vaſa ſpermatica, & omnes partes vicinæ ſe contrahunt; quæ vaſa teſtem ſibi annexum ſursùm retrahunt, ut inguini aliquandò infixus videatur; Hæc partium retractio ad veſicam, & inteſtina uſque extenditur, & in tantâ doloris immanitate ſupprimitur urinæ, & alvi excretio, ità ut tunc temporis medicamenta purgantia nihil operentur, contractione illâ ejus actionem impediente. Alvi excrementa magna ex parte detinentur, undè dolor in renibus augetur, quia à fœcibus, vel flatibus renes comprimuntur.

Nauſea concurrit, & ad vomitum irritatio, & doloribus increſcentibus, major oritur nauſea, & tandèm vomitus pituitæ, bilis flavæ, & ſubindè etiam æruginoſæ ſequitur ob renum cum ventriculo connexionem per membranam à peritonæo mutuatam, & per nervum ſextæ conjugationis, cujus duo rami à ſtomacho in tunicam renum interiorem deferuntur. Ideò cùm partes illæ ſentientes vellicantur in renibus, ventriculus compatiens ad rei noxiæ excluſionem irritatur, & primùm pituitam reiicit mox bilem, & tandèm bilem æruginoſam ſi malum protrahatur, undè à vomitu dolores miteſcunt.

Urina apparet cruenta, & hæc fit ex apertis venulis, aut eroſis in renis ſubſtantiâ diſperſis, ab attritione, quæ fit à calculo aſpero, vel acuminato ipſius parenchymati inhærenti. At ſi pauciſſimus ſanguis excernatur, ſanguinis colorem amittit cum urinâ permiſtus, & urina lixivium repreſentat; atqui hoc certum non eſt ſignum, cùm ab aliis cauſis pondere poſſit. Circa paroxyſmi nephritici initium urina eſſe ſolet tenuis, aquoſa, & pauca, quam quandóque integra ſuppreſſio conſequitur, niſi ambo renes fuerint obſtructi. Dùm paroxyſmus ſolvitur, & calculus uteri impactus in veſicam demittitur, urinæ craſſæ, turbidæ, & copioſæ excernuntur arenoſum habentes ſedimentum.

Ultimum ſignum eſt calculorum excretio, & ſi patiens nonnullos anteà excreverit, quamvis exiguos, quoties doloribus affligitur, à calculo affectum provenire certa conjectura eſſe poteſt. Arenularum excretio certum ſignum non eſt, plurimos nàmq; obſervavimus totâ vitâ multas arenulas cum urinis excreviſſe, qui nunquàm calculo laborârunt. Ubi itàque arenulæ apparent, ibi calculum adeſſe pronunciandum non eſt, calculus cum arenulis complicatur, at non arenulæ cum calculo. Unum tantùm omnium certiſſimum ſignum eſt; calculus excretus, ſi enim aliquod ſignum ex ſuperioribus, quantumvis æquivocum appareat, & aliàs calculus ab ægroto excretus fuerit, calculoſum affectum certò pronunciare poſſumus.

Veterum Cauſa.

Cauſæ à Galenicis de nephritide aſſignatæ ridiculæ, & prorſus inanes ſunt, quas in trutinâ ponere neceſſe eſt, ut quanti ſint, quiſque animadvertere poſſit. Cenſuit *Galenus* cum diſcipulis ſuis calculi cauſam materialem eſſe materiam pituitoſam, craſſam, viſcidam, & lentam concretioni idoneam; efficientem verò calorem, materiam illam exſiccantem, & indurantem, & in lapidem tandèm convertentem. Hæ cauſæ à *Galeno* allatæ non omnibus placent Galeniſtis, ſed tantùm aliquibus bardis, undè *Riverius* multis rationibus in hos invehit, &

Primò, ſi calculi ex materiâ pituitoſâ, viſcidâ, & craſsâ generarentur, in cerebro, ventriculo, & inteſtinis frequenter producerentur, in quibus talis pituita maximè exorbitat. Neque dicant in illis partibus calorem ad concretionem efficiendam non eſſe ſufficientem; ſiquidèm *Hippocratis* doctrina eſt, quòd calor remiſſus diuturniori actione ad concretionem efficiendam ſufficit. Hinc eſt, quòd ſenes ad calculorum generationem ſunt magis diſpoſiti, nàm calculi materia diutiùs in eorum renibus moratur propter facultatis expultricis imbecillitatem, & ità diutiùs concoquitur à renum calore, & ab eo tandèm induratur, eſtò longè remiſſior ſit.

Secundò, ex *Ariſtotele* habetur: Quæ concreſcunt à calore, liquantur ab humido: ſic lutum à Solis calore induratum, in humido liquatur; Calculus verò nunquàm diſſolvitur in aquâ. Neque dicas fortem calorem tantam efficere concretionem, ut in humido ſolvi nequeat: quemadmodùm in lateribus contingit, qui probè in fornace cocti, poſtmodùm in aquâ non ſolvuntur. Nàm primùm in corpore humano tantus calor non reperitur, deindè laterum concretio ab aquâ non ſolubilis minimè pendet à calore intenſiori, ſed potiùs ab argillæ diſpoſitione, ex quâ lateres conficiuntur, quæ materiam habet:

bet lapideæ conſiſtentiæ,& indiſſolubili acquirendę idoneam. Lutum n.ex terrâ vulgari conflatum, quantumvis in fornace coquatur, nunquàm lateritiam acquiret conſiſtentiam, ſed perpetuò in humido liqueſcet.

Tertiò,color concretionem efficiens debet eſſe ſiccus, & hoc præſtat per exſiccationem,& partium humidarum reſolutionem: at cum perpetua ſit humiditatis ſeroſæ affuſio in renes, & veſicam,talis exſiccatio,& induratio in his partibus fieri nequit.

Præterea in fluviis,& fontibus lapides generantur,in quibus nullus eſt calor, imò verò in cavernis aqua ſtillans in lapidem condenſatur, undè pyramides,aliæ exurgunt figuræ:ergò alia cauſa efficiens præter calorem,& alia materia præter humorem viſcidum,& glutinoſum eſt inquirenda.

Tandèm pituita indurata gypſeam induit naturam, & ſemper friabilis eſt, ut in articulorum tophis videre eſt: at calculi non rarò ſilicei ſunt,quàm conſiſtentiam ex pituitâ habere non poſſunt. Neque tantus calor in humano corpore reperitur, qui ſiliceam illam conſiſtentiam tali materiæ indere poſſit.

In calculi materiâ Galenici hallucinati quid pro quo expiſcati ſunt.& mucoſam illam pituitam pro materiali cauſâ acceperunt, quæ in multorum calculoſorum urinis reperitur: ſed quam maximè capiti longè à veritatis ſcopo aberrârunt non n. in renum calculo mucoſæ illæ urinæ utplurimum viſuntur. ſed frequentius in veſicæ calculo apparent. Si hæc eſſet calculi materia in utriuſque partis calculo æqualiter appareret; eſt nimirùm veſicæ malè affectæ excrementum. Veſicæ corpus calculo laborans carnoſum evadit, & pollicis craſſitiem ità acquirit,ut totam illius cavitatem impleat, undè calculum arctè complectitur, donec urinam ſupprimens, ægrum miſerè juguler. Calculus grandior, aut inæqualis, vel aculeis præditus interiorem veſicæ tunicam vellicat pungit,diſtrahit,& quodammodò diſcerpit,& atterit,undè dolor,& imbecillitas parti accidit.Natura, quæ eſt veluti pia mater illi ſuppetias ferre tentans, ad eam partem ſolito copioſiorem ſuccum alimentitium pro roboratione,laticem pro abſterſione,& ſanguinem pro nutritione ad eam mittit, & reliquæ partes robuſtiores ad eam ſuperfluitates deponunt. Veſicæ ſubſtantia hos ſuccos nec concoquit, nec aſſimilat. Hi humores cùm à malè affectæ veſicæ ſubſtantiâ nec concoquantur, nec aſſimilentur, nec reſolvantur propter partis dolorem, & imbecillitatem, veſicæ ſubſtantiam craſſiorem, & carnoſiorem evadere, & ad hoſtis præſentiam magnam excrementorum colluviem mucilaginoſam depluere neceſſe eſt.

His,& aliis rationibus aliqui convicti materialem calculi cauſam aſſignant ſuccum lapideſcentem, & efficientem ſpiritum quendam lapidificum *Succum lapideſcentem* humorem quendam vocant lunata, & peculiari vi præditum, ut in lapidem convertatur.

Cæcutit tanquàm nycticorax humanus intellectus in rerum naturalium aſſignandâ cauſâ materiali & efficienti,id clarè patet in calculi renum, & veſicæ generatione, nec medicus quantumvis philoſophus genuinam hujus cauſam, quem nos ſciamus, aſſecutus fuit, omnes muſcas in aëre volantes venantur,& quiſque à verâ generationis viâ aberrat.

Aſſignant aliqui ſuccum lapideſcentem pro materiali,& pro efficienti ſpiritum lapidificum: ſed ſi quæratur, cujus conditionis, & indolis ſit hic ſuccus lapideſcens? Qua nàm innatâ, & peculiari virtute præditus, occultâ an manifeſtâ & cujus energiæ ſit hic ſuccus? Non explicant, quia neſciunt, ſunt philoſophi nominales, non reapſe, & ſciunt, quod neſciunt. Itèm ſpiritus iſte lapidificus cujus ordinis conditionis, & virtutis ſit, ac quomodò operatur, non explicant. Si hic ſpiritus lapidificus datur, dari debet juxta tria naturæ regna, ſpiritus vegetabilificus, qui utique non ſunt in rerum naturâ, niſi intelligant mundi ſpiritum illum univerſalem:

Spiritus intus alit, totamque infuſa per artus,
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

Admirantur calculum medentes, ſed materialem, & efficientem neſciunt cauſam. Cognoſcunt prolem, & parentes ignorant.

Adhuno ſpiritum lapidificum ex lapidum generatione, quæ in majori mundo fit, probare contendunt calculi generationem rerum experientiâ perſuaſi in rebus naturalibus, quæ maximi momenti eſt, adducuntque quoſdam fontes,& fluvios reperiri,& præſertim flumen apud Cicones Thraciæ populos, ex quo qui bibit, in lapidem vertitur. Ita cecinit *Ovidius lib. 15. Metamorphoſeos fabulâ 17.*

Flumen habent Cicones, quod potum ſaxea reddit
Viſcera, quod tactis inducit marmora rebus.

Magnam experientiam adducunt pro lapidum generatione, & ſi alias non aſſignant rationes, actum eſt de rerum naturalium cauſis: itá vulgarium philoſophia eſt rationibus indiga, ut ad *Ovidii* fabulamenta pro lapidum geneſi comprobandâ recurrat.

Itèm quamplurimis ab authoribus collectis hiſtoriis conſtare dicunt quorundam fontium aquas in lapides,& ſaxa converti; alias quæcumq; iniiciuntur, ligna, ſtirpes, animalia intra paucos dies cruſta lapideâ obducere; liquores in quorundam montium cavernis in ſtrias, & columnas converti: ſed quomodò in magno Mundo generentur lapides, his philoſophis,& medicis omninò deliteſcit. Aquam in lapides,& ſaxa converti *Helmontii* fuit opinio, nempè omnia ex aquâ fieri tanquàm ex materiâ. Sunt multi fontes, quibus injecta ligna, ſtirpes, & folia cruſtâ obducuntur, ſed non lapideâ, verùm tophaceâ, quod totum ex aquarum impuritate limoſâ, & glutinoſâ ortum ducit, ut pluries nos obſervavimus in his thopis poſt ſtirpium, & foliorum macerationem horum effigies, & faciliter ſcindi poſſunt, imò ex his tophis in noſtris regionibus, quia leves ſunt reſpectu ſilicum, domorum altitudines conſtruuntur, quos tophos è fluminibus tanquàm è fodinis eruunt. Liquores in montium cavernis in ſtrias, & columnellas converti obſervavimus in multis locis, & præcipuè in Sudatorio Triruli in tractu Bajano, ſed hæ in fornice ſunt quædam partes ſalinæ, quæ ex aquis ferventibus elevantur, & in fornice apponuntur, ac quandam terream particulam liquant, & ſunt itá friabiles, ut nullâ vi terantur. Obſervantur hi tophi è renibus excuti, ſed friabiles, & in igne facilè in ſalinam ſubſtantiam rediguntur, & quomodò hi generentur, infrà dicemus: de calculis fili-

ſiliceam habentibus ſubſtantiam, qui nec dentibus, vel ferè malleo frangi poſſunt, generationis cauſam aſſignare difficillimum eſt.

Præterea hos ſpiritus lapidificos dari, & obvia quæque in ſaxa, & lapides converti luculentis hiſtoriis à variis authoribus relatis probant. Sic refert *Aventinus lib. 7. annalium Bavaric. ann* 1348. ex terremotu plures, quàm 50 ruſticos, itèm vaccas emulgentes cum ipſis vaccis extinctos diriguiſſe, & corpora in ſalinas, & lapideas ſtatuas redacta fuiſſe. Sic narrat *Ortelius in deſcriptione Ruſſiæ* de pecudū gregibus, & armentis illicò petrefactis Eandem hiſtoriam narrat *Philippus Camerarius in deſcriptione Ptholem. argument. centur. 2. capit.* 70. *ex Cornelio Winſtidio de aura meridionali* certis anni temporibus flante in locis montanis Provinciæ Chilenſis in Armeniâ; cujus quidèm afflatu integræ equitum turmæ velut in ſtatuas lapideas ſubitò obriguerint, ſteterintq; in viâ eo aciei ordine, quo anteà metamorphoſin adhuc vivæ iter facerent. Imò apud alios authores Civitates integras, incolas canes, feles, &c. in lapides a ſpiritu iſto lapidifico converſas fuiſſe legimus. Adeſt prope Bajas arbor in petram mutata, quæ ab illuc adventantibus rerum antiquarum curioſis viſitur. Multa miranda canunt iſti authores, ſed non credenda, videntur non hiſtoriæ, ſed fabulæ, & profectò miranda ſimulacra forent adamuſſim naturalia. Cœterùm hos authores hallucinatos fuiſſe credimus, nàm ruſticos, greges, armenta, & equitum turmas catalepſi correpta & extincta fuiſſe, & quid pro quo accepiſſe certum eſt. Poëticum cenſemus ſpiritum hunc lapidificum eſſe, & non abſimilem Meduſæ capiti, cujus aſpectu Perſeus homines in ſaxa mutavit. De arbore lapideâ dicimus eſſe lapidem in arborem arte mutatum. Hujus farinæ ſunt ſtatuæ apud Charinos, quæ ſimulacra ſibi, & Cancellario Auſtriaco conſpecta fuerint; fuerunt namque ſaxa arte in has converſa figuras, quæ in fabellas apud bardos tranſivêre. Hunc itàque ſpiritum lapidificum in renibus collocant, & materiam lapideſcentem in cibo, & potu latitare credunt, undè in renibus calculos, & hinc in veſicam prolabentes, & morantes in prægrandes præ loci capacitate lapides per incruſtationem partis ad partem fieri, eodem ferè modo ac lapides bezoar in rupicaparum ventriculis generantur.

Fernelius pro calculi generatione arenoſam, calculoſamque renum conſtitutionem, ſeu diſpoſitionem aſſignat, quæ renibus inſita eſt, hæreditario jure ut plurimùm à parentibus adepta, cùm ille affectus inter hæreditarios principem ferè locum obtineat. Verùm in iis, qui talem à naturâ, aut hæreditario jure renum diſpoſitionem non habent, calculi etiam generantur: attamen quæ ſit illa calculoſa, & arenoſa renum conſtitutio, non explicat, putat nàmque eſſe arcanam, ac proindè explicari non poſſe, quod idem eſt ac dicere ſe cauſam ignorare.

Quidam medici Aſtrologiam profitentes renum, & veſicæ calculos à cœlo mendicant, & eorum cauſas petunt, dicunt n. Saturno cum Mercurio in octavâ domo in nativitate diurnâ, ſignificare, quòd natus erit calculoſus, aut veſicæ morbum patietur. Miramur ſanè Aſtrologos lunam non collimare inter omnia aſtra terræ viciniorem, & poſt-

modum. Saturnum cum Mercurio in octavâ domo calculoſos vaticinantur; nec proindè à iàm diſſitis Planetis calculorum cauſam aſſequuntur.

Noſtra Cauſa.

Exploſâ Galenicorum, aliorumque medicorum cauſâ materiali, & efficienti pro calculorum generatione, noſtram ſupereſt naturæ luminæ inquirere, quæ certè difficillima eſt, & eſtò calculi in renibus, vel veſicâ reperiantur, eorum cauſa efficiens, & materialis ferè clandeſtina videtur, & hinc velut occultus ſe intra lares patefacit hoſtis ubi furtim generatur, & adoleſcit, nobis inſcijs, & totam noſtræ vitæ œconomiam ſubvertit calculus.

Cauſa materialis calculi humani, ſeu materia lapideſcens eſt humidum pingue, viſcoſum, tenax, & alkalinum ſal continens; ſeu aqua turbida, lutulenta, glutinoſa, & ſalſa, quæ è venis lymphaticis, quarum magna ubertas in emulgentibus conſpicitur, ut in anatome renum diximus, in renum ventriculos extillat: huic pro cauſâ efficienti, ſeu ſpiritu lapidifico accedit acidum vitioſum, quod urinæ impuritates, & ſalinas particulas fermentat, ut videre eſt in liquoris acidi, & ſalſi admiſtione, in quâ friabiles in calculos præcipitat, & ſi aliquod viſcoſum, & tenax his liquoribus adhæreſceret, in duros lapides, reſoluto humido, concretio haberetur. Lapides multum ſalis habent cum humido viſcoſo, ex quo fiunt, permiſtum; ſal n. copiâ ſuâ duritiem, & firmitatem operatur, undè lapides impuro turgent ſale, & indurantur, quia ſal coagulativum, & fixativum eſt principium. Cum magna ſalis copia, & humidum viſcoſum non adſit, fit lapidum ſubſtantia friabilis propter ſummam ſiccitatem, quæ ſummopere humidum illud viſcoſum deſiccat; quod ſi magna ſalis copia adſit, & humidum illud viſcoſum non exſiccetur, eorum ſubſtantia duritiem adipiſcitur. Dùm urina prolabitur è vaſis lymphaticis in pelvim, ſatis quam par eſt, in renum cavitatibus moratur, acidum illud vitioſum præternaturaliter fermentat, & particulæ illæ terreæ, pingues, mucilaginoſæ, & ſalinæ fermenteſcentes in arenulas, & calculos fixantur, & coguntur, qui quotidiè coagmentantur, & non rarò tota renum pelvis omneſque tubuli tali calculoſo excremento ità infarciuntur, & replentur, ut omnimoda urinæ excretio ſupprimatur, ut in quodam Monacho poſt diſſectionem obſervavimus. Calculi in renibus geniti tùm à vitioſo acido coagmentantur, tùm à materiâ lapideſcente ſenſim augentur, vel arenularum appoſitione concreſcunt; arenulæ n. iſtæ glutine quodam conjunguntur, & ſpiritu acido coagulantur, & parvo tempore in magnos excreſcunt calculos, niſi priùs eliminentur. Calculi minores per ureteres in veſicam delapſi citò augmentum ſumunt, & in prægrandes lapides loci capacitate lamellatim concreſcunt, & incruſtantur, ut in lapide bezoar, vel lapide ex folliculo bovis felleo obſervabile eſt; obſervantur nàmque in his lamellæ, ſeu cortices ſibi invicem ſuperpoſitæ. Sic n. calculus humanus diffractus copioſarum lamellarum inſtar reperitur contextus, in ambitu notabili relicto diſtinctionis ſpatio, in cujus centro quaſi lapillus, vel arenula ut nucleus reperitur.

Ex ſuprà dictis eruimus conſtitutionem, ſeu diſpoſitionem illam calculoſam, à *Fernelio* dictam, quam ipſe non explicat, non provenire niſi à pelvis

membra-

membranoſæ laxitudine, vel rugoſitate ab acido peregrino, & vitioſo introductâ, in quâ urina remoram contrahit, fermentatur, & arenulæ, vel calculi generantur; hinc etiam deducimus parvulis arenis in pelvi contentis, quandoque renes ſpaſmodicè contrahi, & per hanc contractionem, & cunctationem, arenulas coagmentari, & in calculum majorem concreſcere. Non negamus tamen aliquorum renes vitium aliquod, ſeu fermentum vitioſum contrahere, & ipſis inhærere, quod præter labentem urinam inficiat, & ità ad calculoſam concretionem diſponat. Ità aſparagorum comeſtio reddit copioſam urinam fœtidam graveolentem, & putrilaginoſam, & hinc vitioſum acidum exoritur, fermentat, ac renes inficit, quos ad calculum diſponit. Exemplum habemus apud *Helmontium tract. de lithiaſi cap.* 5. §. 17. *de Icto*, qui ex nimio aſparigi uſu lithiaſin contraxit. Undè perperàm medici vulgares aſparagos inter quinque radices aperientes collocant, & ſic pro diuretico lithontriptico fœtum expellentes, cùm potiùs renes inficiat, & lithiaſis in cauſâ ſit.

Lithiaſis, vel diætæ vitio contrahitur, vel eſt morbus hæreditarius, qui à parentibus in liberos tranſplantatur; liberi nàmque parem cum parentibus tàm internè, quàm externè conſtitutionem, & conformationem ſortiuntur, & eandem in renibus aſſequuntur, undè parentes calculoſi liberos etiã calculoſos generant. Aut etiam unà cum lacte nutricis hauritur, ut exemplum lithiaſeos ex nutrice lithiaſi affectâ habemus apud *Helmontium tract. de lithiaſi*; mores nàmque, qualitates, genium, conſtitutiones, & temperamenta unà cum lacte ab infantibus ſuguntur, & hauriuntur.

Arenarum, & calculorum cauſa remota eſt ſtomachi culina, qui eſt velut primus calculorum Architectus, quatenùs acidum vitioſum ex ſtomacho ſuos haurit natales, vel quatenùs errores in diætâ committuntur, vel quatenus alimenta pingui, tartareo, terreſtri, tenaci, glutinoſo, & ſalſo referta ſunt excremento; vel potus lutulentus, & turbidus hauritur. Undè calculoſi poſt crapulas, & cruditates certò calculi pœnam luunt. Hinc præcipuam calculi materiam ſuppeditant panis azymus, aut non benè fermentatus, aut malè coctus, pultes, legumina ferè omnia, lac, & lacticinia omnia, caſeus, ova indurata. Carnes bubulæ, porcinæ, anſerinæ, anatinæ, & in primis ſale, ac fumo induratæ. E partibus animalium ventriculus, cerebrum, cor, pulmones, ſplen, inteſtina, pedes. Piſces omnes grandiores, anguilla, item murenæ, alijque ſquamis carentes, etiam viſcoli, cancri, oſtreæ, & conchylia, ut & piſces ſale conditi, vel fumo ſiccati. Fructus immaturi, auſteri, acerbi, & meſpila, pyra, cydonia, caſtaneæ, fungi, tubera. Vinum immaturum, auſterum, nigrum, craſſum, fœculentum, dulce, præcipuè muſtum, & id vini genus, quod in locis argilloſâ, tartareâ, & calculoſâ materiâ abundantibus fit. Aquæ craſſæ, paluſtres, ex nive liquatæ. Undè accidit, quòd poſt eſculenta, & potulenta ſæpiùs renaſcantur calculi; quia hæc acido viſcoſo in primis vijs facilè corrumpuntur, & poſtmodùm, ad renes devehuntur, & ad calculoſæ materiæ elaborationem diſponuntur, quia retinentur, & putreſcunt: Vndè renum lubricitas, quia iſta materia facilè labitur, magna immunitas eſt calculo. Materiæ hujus limoſæ, terreſtris, tartareæ, & ſalſæ in omni urinâ aliquid reperitur,

peritur, ut in matulis appaiet, attamen in aliquibus corporibus plus, in aliis minus cumulatur propter cauſas, quæ eam ſuppeditant; obſervamus enim, quòd urina clara, & perſpicua excreta ſi ad tempus in matulâ moretur, corrumpi, & leviter putreſcere inchoët, & hinc arenulæ, & ſucceſſivè cruſta calculoſa ejus parietibus ſeſe affigat.

Prognoſis.

Nephritici dolores cenſibus emphyteoticis aſſimilantur, nàm eſtò curentur effectus, non tollitur diſpoſitio, quare affectio eſt periculoſiſſima non tantùm ratione doloris, ſed etiam ſymptomatum, & ni tempeſtivè cruciatibus à calculo excitatis ſuccurratur, dolor ille continuus vires atterit, vigilias infert, inflammationes, febres, exulcerationes, urinæ ſuppreſſiones, & alia excitat ſymptomata, ægroſque in maximum vitæ periculum conjicit, & ſi per aliquot dies continuaverit, nec ullis cedat medicamentis, mors metuenda eſt, in primis ſi cum extremorum perfrigeratione ſudor frigidus in facie erumpat. Lapis prout eſt parvus, vel magnus, magis, vel minus erit periculoſus, & etiam variatur prognoſis ad ſupervenientium ſymptomatum varietatem. Parvi, vel læves, & rotundi calculi faciliùs excluduntur, quàm majores, longiores, aſperiores, & acutiores; hi n. cùm in uretetes detruduntur, acerbiores inferunt dolores & difficiliùs excluduntur. Calculus friabilior quoque tolerabilior eſt ſiliceo, ille n. conteri, hic verò nequaquàm comminui poteſt, ac proindè calculus renum faciliùs comminuitur, quàm veſicæ, tùm propter loci diſtantiam, & duritiem, quàm illis locis lapis iſte induere ſolet, tùm quia eſt extra naturæ juriſdictionem eliminatus. Minimo etiam calculo multùm ægri cruciantur, dùm per urinarios meatus propellitur, qui anteà hoc non laborârunt malo. Si affectus hæreditarius ſit, reverti ſolet, donec patiens eo intereat. Difficillimam curationem in ſene calculus renum recipit, eſtque ſenibus magis frequens cruciatus, quàm pueris, cùm hi in veſicâ hunc potiùs experiantur, ut habetur *aph.6. ſect.6. Renum, & veſicæ vitia in ſenibus difficulter curantur. Et 6. popular. ſect.8 inquit: Renum affectione non vidi ſanatas ſupra 50. annum.* In viventibus ſæpè calculi præſentia in renibus deprehenſa eſt ſolâ ſanguinis mictione, nullo alio concurrente incommodo, in quibus contingit aliquandò, quòd præter omnem opinionem in tali caſu dolor excitatur omnium acerbiſſimus; contingit quoque hunc dolorem redire poſt longa aliquandò intervalla, quaſi per quoſdam periodos. Si urina primò tenuis, & poſtmodùm ſpiſſior, & liberaliori mictu emittatur, arenoſamque hypoſtaſin faciat, morbi ſolutio inſtat. Fœminæ renum calculo laborantes ſi utero gerant, facillimè abortiunt, vel moriuntur.

Veterum Curatio.

Vulgares medici nephritidis curationem primò à præſervatione auſpicantur, quam in rectâ victus ratione collocant, nè calculo materiam ſuppeditet, ſed hæc immunitas à diætâ certò polliceri non poteſt, non n. nephritici exactam diætam ſemper obſervare poſſunt, quod quandòque non errent, & ità dulciter decipiuntur, ut in optimæ notæ eſculentis, & potulentis calculorum ſemina non deliteſcant, & illis inſcijs in hanc affectionem labantur, imò non tantùm in cibi, & potûs electione

ctione præſervatio conſiſtit, ſed in omnibus ſex rebus non-naturalibus, quas declinare impoſſibile eſt.

Indicatio curativa vulgarium eſt, ut calculus jàm genitus è corpore eliminetur, ſi magnus ſit, ut priùs comminuatur, adhoc ut facilè egredi poſſit; & doloris vehementia mitigetur. Quibus indicationibus ſatisfaciunt, alvum ſubducendo emollientibus, vel anodynis, vel carminativis clyſteribus, quos in hoc affectu quammaximè commendant, ut

℞ *Diacatholic.*
caſſiæ extractæ an. ℥ß.
elect. de ſucc. roſ. ʒiij.
rhodomell.
olei rutacei ana ℥iij.
cum. decocto com. q. ſ.
f. clyſter.

Vel

℞ *Fol. malv.*
mercurialis,
parietariæ,
betæ ana m. j.
furfurum ℥j.
flor. chamomillæ,
meliloti an. p. j.
ſemin. lini,
fœnugraci,
fœniculi,
geniſtæ ana ʒiij.
coquantur in aquâ ad ℔ j.
colaturæ diſſolve
electuarij eloſcoph ℥j.
benedictæ laxativæ ℥ß.
ol. chamomelini,
anethini an ℥j.
ſcorpion ʒvj.
terebinthinæ Venetæ ℥ß.
ſal com. ʒj.
m. f. clyſter.

Sed non ſufficit unus, vel alter clyſter, ſed ſæpiùs reiteretur, quia ſicut *gutta cavat lapidem non ſemel, & bis, ſed ſæpè cadendo*, ità clyſter non ſemel, & bis, ſed ſæpè iteratus exturbat calculum.

Peccant renes, & podicem ſollicitant, quaſi podex eſſet calculorum artifex. Prætereà validiores clyſteres majorem humorum copiam ad inteſtina trahunt, & meatus urinarij comprimuntur, dolores exaſperantur, & nihil emolumenti nephriticis afferre poſſunt, imò contractione propter dolorem, vel non recipiuntur, vel recepti non redduntur, & dolores adaugent renes, & urinalia vaſa comprimendo; extra dolorem nôn inſerviunt, quia ſi malum dat inducias, eſſet irritare crabrones, non ſedato itàque dolore, incaſsùm ſollicitatur ægrotus.

Poſt clyſteres venam baſilicam dextri, vel ſiniſtri cubiti aperiunt, ſi in principio plenitudo ſit in toto corpore. At ſi plenitudo ad partem affectam decubuerit, in poplite, vel malleolo derivationis gratiâ venam ſecant ad ℥viij. vel ix. pro ægrotantis plenitudine, & viribus. Pulchrum paradoxum, calculi morbum efficiunt, & iſti bardi ſanguinem mittunt, quaſi ſanguis calculos in renibus cuderet! Timent inflammationem in dolore nephritico, & ad eam præcavendam ſanguinem mittunt: futura prævident, ut prudentis eſt, & præſentia non curant. Non quia ſanguinis plenitudo adeſt in nephritico, educto ſanguine, calculus educitur, imò vires labaſcunt, venæ concidunt, & calor, qui meatus ampliat, minuitur. Audacter ſanguinem fundunt ab illo *Hip. aph.* 11. *ſect.* 6. edocti: *Melancholicis, & nephriticis hæmorrhoides ſupervenientes, bonum. Hippocrates* n. per hæmorrhoides ſanguinem craſſum vini fæci ſimilem

evacuari,

evacuari, & hunc calculorum cauſam eſſe putavit. Si itàque nephriticis hæmorrhoides ſupervenerint, bonum, quia ſanguis per hæmorrhoides craſſus, & fæculentus calculorum cauſam educit, aliter craſſities, & fæculentia illa à ſanguine unà cum ſero educta, & ad renes delata eſſet cauſa calculorum proxima. Sed hanc calculorum cauſam refutavimus, nec ſerum per emulgentes educitur, ſed à venis lymphaticis in pelvim extillat. Unum ſcimus hunc aphoriſmum in pluribus nephriticis non verum experti ſumus, nam hæmorrhoidibus ſupervenientibus, non per hoc dolor ceſſat: atqui, ut antiquam *Hippocratis* æſtimationem tueamur, dicendum nephriticos, ideſt nephritidi obnoxios hæmorrhoidum fluxum patientes rariùs tentari nephritide, & hæc eſt vera aphoriſmi ſecundum *Hippocratis* mentem interpetratio, ſed præſenti malo ſi ſupervenerint, nullum juvamen ſentiri; perindè ex hoc aphoriſmo ſanguinem mittendum ex brachio, vel malleolo, vel venis ſedis non eruimus.

Poſt venæ ſectionem iterùm nephriticum clyſteriſant, ut

℞ *Flor. chamamel.*
meliloti,
ſummit. anethi,
parietariæ ana m. ß.
ſemin. aniſi,
fœniculi,
cumini ana ℥ß.
f. decoct. ad ℔. j.
in quo diſſolve
diaphœnic. ℥ß.
terebinthinæ vitello ovi diſſol. ℥j.
ol. anethini,
ſcorpionum ana ℥iij,
m. f. clyſter.

Poſt clyſteres venæ ſectionem, vel hæmorrhoïdum apertionem, ut eorum mos eſt, ad purgans confugiunt medicamentum ob magnam crudorum humorum colluviem, quæ hunc affectum plerùmque comitatur, & præcipuè ſub formâ boli nè revomatur; hujuſmodi nàmque ægroti utplurimùm nauſeabundi eſſè ſolent, imò vomitus, ob connexionem renum cum ventriculo, eſt unum nephritidis ſignum, ut

℞ *Caſſiæ recens extractæ* ℥j.
diaphœnici ʒiij.
rhabarbari pulu. ʒj.
cum pulu. liquiritiæ,
& tragacanthi
f. bolus. Vel

℞ *Elect. epiſcopi, ſeu eleſcoph,*
benedictæ laxativæ ana ℥ß.
rhabarb. ʒjß.
ſacchari alb. q. ſ.
f. bolus. Vel

℞ *Diaſebeſten Montagn.* ℥j.
caſſiæ recèns extractæ ℥ß.
ſemin. petroſelini,
nucis moſchatæ an. ℈j.
pulu. liquiritiæ q. ſ.
f. bolus.

Si æger bolum devorare non poſſit, purgantia in *aquâ florum fabarum, ononidis, vel in decocto malvarum, vel liquiritiæ* diſſolvunt. Verùm hæc medicamenta purgantia in magno doloris cruciatu exhibenda non ſunt; dolore n. valdè urgente exhibita etiam vehementia ſæpè non purgant, quia tunc temporis omnes partes ſeſe contrahunt, imò cruciatus augere, calculum tantùm movere, & non expellere, ac magnam ſaburram renibus ſuppeditare poſſunt.

Vomitoria quandòque propinant, quibus humorum colluviem educunt; revellere

revellere n. à parte affectâ credunt, quia non rarò natura ſponte, urgentibus doloribus, hanc evacuationem magno cum diabetici levamine molitur, ut

℞ *Aquæ tepidæ* ℥iv.
ol. com. ℥j.
ſyr. acetoſ. ſimpl. ℥j.
m. f. vomitorium.

Vel confugiunt ad *ſal vitrioli.* Nos vomitoria non improbamus, ſed aliûs conditionis eſſe debent, quam vulgares præſcribunt, imò ſæpiſſimè illis felici cum ſucceſſu utimur, & præſertim ſi dolor nephriticus à paſtu invadat, vel ſit contumax, & inter vomitoria omnibus palmam præripit *mercurius vitæ*, per quem miracula experti ſumus; in tanto n. per ſuperiora, & inferiora nixu, & agitatione, in quo omnis colluvies exturbatur, non poteſt non eliminari calculus.

Eodem tempore parti dolenti applicant linimenta, cataplaſmata, unguenta, inunctiones, placentas, &c. ut

℞ *Ol. ſcorpionum* ℥ij.
butyri recentis,
axungiæ gallinæ,
ol. liliorum,
amygdalar. dulc. an. ℥j.
f. linimentum. Vel

℞ *Fol. malvæ,*
parietariæ ana m. ij.
petroſelini cum radic. m. j.
radic. raphani ℥ij.

Decoquantur ad putrilaginem, & contundantur, addendo
cepas ſub cineribus coctas num. ij.
ol. liliorum,
amygdal. amararum,
butyri recentis ana ℥ij.
f. cataplaſma.

quod duobus linteis incluſum ventri applicetur calidè ſecundum longitudinem ureteris, & quoties refrixerit, in ſartagine recaleſcat.

Vel

℞ *Ol. keirini* ℥j.
ſcorpionum,
chamomillæ,
anethi ana ʒß.
pinguedin. hirci ℈ij.
ceræ parum
f. linimentum pro renibus.

Vel

℞ *Ol. lini,*
lilior. alborum ana ʒß.
ol. chamomelini,
ſcorpionum ana ℥j.
ung. de altheâ ℥jß.
f. unguentum.

Vel conficiunt placentam ex *cepis minutim diſſectis in ſartagine frixis cum axungiâ porci, additis ovis v. vel vj. calidè applicandam.* Hæc non eſt medicamentum pro renum dolore ſedando, ſed eſculentum; hæc n. placenta ex ovis cum cæpâ in magnis delicijs eſt noſtris ruſticis.

Hîc noſtri barbati *unguento nephritico* pro dolentis partis frictione, utuntur cujus compoſitio eſt:

℞ *Butyri vaccini* ℔.ß.
ol. communis ℥ij.
reſinæ pini,
ſemin. cumini pulu. ana ℥j.
ſucci cyclaminis,
apij ana ℥ij.
ceræ citrinæ. q. ſ.
f. unguentum. Vel

℞ *Fol. apij.*
petroſelini,
parietariæ ana m. j.
ol. amygdal. dulc. ℥ij.
ſcorpionum ℥iv. *m.*

frige in ſartagine, & calidè inter duas petias raras reni dolenti admove poſt

 refri-

refrigerationem calefiat, & iteratò applica.

Vel

℞ *Quatuor anodyna in formâ,*
Bulliant in hydroleo

& infunde ſpongiam, vel mataſſam fili cannabini crudi, & callidè ſupra partem dolentem applica.

Si dictis linimentis, & inunctionibus dolor non tollatur, vel ſaltim non liniatur, ægrum in ſemiculum demittunt ex *decocto emollientium, ſemin. lin. fœnugræci, flor. chamomillæ, meliloti, malvæ, radicum althææ, &c. compoſitum addito vino albo* hoc n. miteſcit dolor ut plurimùm, ſaltem quandiù æger in eo reſidet. Non tamen frequentiùs ægri demergendi ſunt, quandoquidèm vires diuturniori balnei uſu admodùm exolvuntur.

Optimæ ſunt, inunctiones, & frictiones, ſed extrinſecè applicantur, obſeſſa non adeunt loca, nec facilè ea relaxare poſſunt, ut calculus, relaxatis ureteribus prolabatur. Peripheriam uſtulant, ſubuculas conſpurcant, nec dolorem his impoſturis tantulùm deliniunt, nec inquilinum abigunt hoſtem.

Cucurbitulas ſecundum vaſorum diureticorum ductum applicant, idque una poſt aliam, à rene ad pubem deſcendendo obliquè; adeò n. coacervatim lapidem movent, ut dolores repentè ſupprimantur, lapide nimirùm in veſicæ amplitudinem tranſvecto.

His, aliiſque remediis, & evacuationibus univerſalibus uſurpatis, quibus dolor nephriticus utplurimùm curari conſuevit, ſi adhuc obſtinatus perſeveret, purgationes iterant, & clyſteres frequentant: tunc calculos grandiores renes, & ureteres obſtruere certum eſt, quos diureticis frangunt, & expellunt.

Cæterum antequam calculos comminuentia, & expellentia exibeantur, dolorem nimiùm ſævientem ſedant, confugiuntque ad *philonium Romanum, requiem Nicolai, theriacam novellam, & pilulas de cynogloſſâ, vel ſyrupum de papavere albo.*

Calculum comminuunt, & educunt *radices ononidis, ſaxifragiæ, pimpinellæ petroſelini Macedonii, fœniculi, capilli Veneris, chæreſolium, parietaria, ſabina; Semina ocymi, petroſelini aſparagi baccæ hederæ, juniperi, cicera rubra, amygdalæ amaræ, nuclei perſicorum, alkekengi, ſuccus limonum, terebinthina, decoctum ligni nephritici, millepedes quatuor ſemina majora frigida dicta, lapis nephriticus, liquiritia, lapis judaicus, teſtæ ovorum, ex quibus pulli excluſi ſunt. Sanguis hirci nephriticus præparatus ad* ʒj. *ſed hircus per menſem nutriendus eſt herbis diureticis ſine ullo potu. Nuclei dactylorum, meſpilorum, ceraſorum, cepæ, &c.* ex quibus varia decocta, aquas electuaria, tabellas, emulſiones, pulveres pilulas, concinnant. Reverà nullus alius morbus, quàm nephryticus tot habet medicamenta, hic morbus tot habet medicos, quot ſunt homines.

℞. *Radic rubiæ tinctorum,*
althææ ana ℥j.
cicerum rubrorum m. jß.
baccarum juniperi,
hederæ ana ℥ß.
glycyrrhizæ raſæ ʒiij.
ſemin. aſparagi,
apii,
petroſelini ana ʒij.ß.
f. decoctum in aquâ
capillor. Vener. ad remanentiam
lib. j.

Doſis lib. ß. quæ dulcificetur cum ſyr.

de

de althæâ fernelii. Vel

♃ *Radic. althææ in vino alb. mundat. lib.ß,*
radic. bardanæ,
graminis ana ℥iv.
radic. petroſelini,
ononidis,
fœniculi contuſ. ana ℥ij.
fol. parietariæ,
cherefolij,
malvarum ana m.iij.
ſemin ocymi,
hyperici,
geniſtæ ana ℥iij.
terebinthinæ ℥iv.

contundenda contundantur, infunde vini albi lib. v. ſtent in loco calido per 24. h. deindè deſtilla in M. B. hujus aquæ nephriticus capiat ℥ij. tribus horis ante cibum, manè, & ſerò. Vel

♃. *Semin. aſparagi,*
milij ſolis,
urticæ ana ʒiij.
Lapid. judaici ʒj.
ſanguin. hirci nephritici ʒß.
trochiſcor. alkakengi ʒiiß.
ſucci liquiritiæ inſpiſſati ℥j.

pulveriſanda pulveriſentur tenuiſſimè, & cum conſerva florum malvarum f. electuarium. Doſis ℥ß. manè, & veſperi, Vel

♃. *Quatuor. ſem. frigid. major. mund. glycyrrhizæ raſæ an. ℈j.*
ſemin pimpinellæ,
ocymi,
petroſelini Macedonici,
nucis moſchatæ ana ℈ß.
pulv. aromatic. roſ. ℈ij.
ſacchari in aq alkakengi diſſ. ℥iv.
f. tabella pondere ʒiij.

Capiat æger unam manè ante paſtum ſuperbibendo aquæ ononidis ℥ v. Vel

♃. *Quatuor. ſemin. frigid major. an. ʒij.*
apij ʒj.
geniſtæ ʒß.
cardui benedicti ʒjß.
f. emulſio in aqua fragariæ ℥iv.
ſanguin. hirci ad nephritidem ʒj.
ſyr. de ſucco limonum ℥ij.
m. pro uno hauſtu. Vel

♃. *Cortic. avellanar. interior.*
oſſium meſpilor. ana ℥iij.
lapid. ſpongiæ,
judaici ana ʒj.
milij Solis ʒij.
nuc. moſchata ʒß.
millepedum ℈ij.
f. omnium pulvis ſubtiliſſ.
Doſis ʒj. in ſyr. de althæâ.

Vel

♃. *Macis ʒj.*
ſangu. hirc. præparat. ʒij.
ſemin. baſil. ʒß.
cineris ſcorpionum ℈j.
gummi tragacanthi diſſolut. in aquâ fragariæ, f. maſſa pilularis.
Doſis ʒj.

Sed admonitos volumus medicos vulgares, nè diù medicamentis diureticis inſiſtent, nàm corpore non purgato, vel cacochymo, magnam humorum colluviem ad renes affectos deducere, & malum augere, vel renibus inflammationem, vel urinæ profluvium, vel paſſionem diabeticam inducere poſſunt; non n. diuretica calculos comminuunt, vel exturbant, quia calculi intra medicamenta diuretica poſiti comminuerentur, quod non ſuccedit, ſed tantùm vias lubricant, & laxat, & hinc calculi, quá datâ viâ ruunt.

Noſtra Curatio.

Dolor nephriticus colicam paſſionem, odontalgiam, cephalalgiam, podagram, partûs dolores ſuperat, eſt adeò intenſus, & acerbus, ut inter pri-

mos cruciatus recenſendus ſit; non itàque in tantâ cruciatum laniena, & inferni doloribus, de victûs ratione agendum arbitramur, nec de nephritici victu cogitandum putamus, quia aliàs infarctus ſtomachus renes premens, dolorem intenderet. Victus rationem extra actum doloris, & cùm malum miteſcit, & dat inducias, vel ad præcautionem præſcribamus oportet, nec ſub diætæ nomine venit tantùm cibus, & potus, ſed omnia, quæ huic morbo anſam præbere poſſunt, ut ſunt omnes res non-naturales.

Aër igitur purus, ſerenus, & temperatus convenit; fugiendus omnis aër frigidus, ſicut, & omnia alia frigida.

Cibus debet eſſe pauciſſimus, nè in tantâ dolorum lanienâ vires labaſcant, & moderatè ſumptus, quamdiù dolores urgent, faciliſque coctionis, qui parum excrementi ſuppeditet, ciborum varietas, ſatietas, & crapula, quæ eſt morborum altrix, proſcribatur, nè ſtomachus gravetur, renes comprimantur, & dolor præſens exacerbetur, vel frequenter hunc pariat morbum. In temperaturis frigidioribus, & obeſis attenuandi, & incidendi energiâ ſit præditus, at in gracilibus, & aduſtos in corpore habentibus humores extenuantium uſus tutus non eſt, ſed potiùs humectans victus requiritur. Utilis ergò eſt panis benè coctus, & fermentatus furfuris non planè expers. Conducit caro vervecina, vitulina, leporina, ova ſorbilia. Inter aves alauda primum ſibi vendicat locum, & troglotites. Itèm pernix, coturnix, & cœteræ montanæ. Carnes decoquantur cum diureticis, verùm de herbis, oleribus, & cibis diureticam vim habentibus admonitos volumus tyrones, nè nimium, quàm par eſt, uſurpentur, cum primæ viæ impuritatibus ſunt refertæ, neque cum cibis miſceantur, nè cibos crudos, vel eorum excrementa ſecum in renes deducant, at ſi impuritates vigeant, ſolis, & jejuno ventriculo iis utendum. Carnes craſſum & viſcidum gignentes ſuccum vitentur, ut ſuilla, bubula, taurina, arietina, hircina, annoſa, & muriâ, vel aceto condita, ſale, aut fumo indurata. Similiter animalium ventres, cerebra, pulmones, lien, meſenterium, inteſtina, cor renes teſtes, & pedes. Itèm aves lacuſtres, anſer, anas, fulica, &c. hæc nàmque, & alia eſculenta reddunt ſanguinem, & ſerum mucilaginoſa, viſcoſa, tartarea, & accedente tunc acido vitioſo calculus facilè generatur. Hujus etiam conditionis ſunt omne leguminum genus, propter cicera rubra, & ipſorum brodium, omnia dulcia, & pinguia, oleum, lacticinia omnia, & ex lacte parata nocent, ut caſeus, hippax, tæcutia, &c. Vitentur piſces grandiores, lampetræ, mugiles, polypus, rajæ, &c. Item piſces muriâ, vel aceto conditi, vel fumo durati, ut haleces, ſulmo, abdomen thymni, &c. ſaxatiles concedi poſſunt, ut lucius, perca, &c. Inter fructus vitentur immaturi, auſteri, acerbi, cydonia, pyra, meſpila, caſtaneæ, tubera, fungi. Commendantur ſemina frigida dicta, ut ſemina melonum, amygdalæ amaræ, nuclei ceraſorum, perſicorum, avellanarum, ficus tum ſiccæ, tum virides. Inter hos extant fructus cynosbati, qui inſigniter contra calculum commendantur, quem non tantum exturbant, ſed etiam nè generetur, præcavent, hos pharmacopolæ in conſervâ conditos aſſervant, & ex iis rob parant: & matresfamilias ſiccant, & è ſiccatis edulium calculoſis

culoſis commodum cum ſaccharo, & cinnamomo parant; præſtat calculis obnoxiis his fructibus maturis veſci, nàm gratiſſimo potiuntur ſapore.

Potus ſit vinum mediocre, tenue, album, vel paretur vinum cancrinum, quod maximè prodeſt, vel temperetur, ſi ſit generoſum. aquâ purâ, vel cui incocta ſit ſaxifragia, aut milium ſolis, vel radix ononidis, vel rubiæ tinctorum. Vitetur vinum adſtringens anſterum, nigrum, craſſum, fœculentum, dulce, & præcipuè muſtum, & quod in locis argilloſis fit. Si æger vinum non bibat, utatur aquâ, in quâ incoctum ſit aliquod diureticum. Fugiatur aqua magnorum fluminum, turbida, ut eſt Romæ Tyberis aqua, paluſtris, ex nive, vel glacie liquata.

Motus in nephritide non moderatus, ſed liberalior convenit, quia ex motu fit major ſpirituum animalium influxus, undè meatus aperiuntur: exercitationes itàque in hac curâ conducunt, & corpus exercendum eſt, ità ſunt ambulationes, ſaltus, geſtationes in curribus, nàm hiſce corporis motibus renes concuti, & ex eâ concuſſione lapides, vel calculi extrudi ſolent. Motus tamen vehementes vitentur, ut equitationes, & præſertim ea, quæ dicitur decuſſatio, quæ valdè renes offendit: ſaltus, curſus, & tandèm omnes motus qui inclinato dorſo fiunt, omninò ſunt vitandi.

Quies nimia, vita ſedentaria, vel exercitium intermiſſum vitetur, nàm magnum damnum calculis renum obnoxiis infert, quia ſpiritus animales languescunt, & tunc neceſſariò cruditates, & terreſtres fœculentiæ unà cum acido generantur.

Somnus ſolito diutiùs admittatur, nimius nocet, nàm ſpiritus craſſiores, & infirmos reddit, undè acidum in ſanguinis maſsâ augetur, & tamen quando q in tantâ doloris acerbitate ſomnum longiuſculum allicere oportet, quod maximum eſt remedium; Verùm decubitus ſupinus ſuper dorſum, nè renum ſubſtantia magis coarctetur, declinandus eſt. Strata plumacea avertenda ſunt, & cavendum, nè indumenta gravia, & pellicea renes tegant, nè ligamentis arctiùs conſtringantur, quia hæc omnia renum incendium, & anguſtiam angere ſolent.

Vigilia nimis protracta maximè nocet, quia ſpiritus fatigat, diſſolvit, & vires deficiunt; ideòque ſomnus, & vigilia modum non excedant.

Excernenda exturbentur, & *retinenda* conſerventur, in primis alvi excrementa quotidiè reſpondeant arte, vel naturâ, quia inutili onere inteſtina levant, nè renes comprimant. Conſuetæ hæmorrhoides ſuppreſſæ priſtino, & debito reſtituantur fluxui; quia nephriticis hæmorrhoides ſupervenire bonum. Hinc apertè deducimus, mulieres minùs præ viris calculo obnoxias eſſe, & viros hæmorrhoidum fluxum patientes minùs quàm, qui non patiuntur; ac proindè etiam ſuppreſſa menſtrua menſatim recurrant oportet, quia hæmorrhoidibus, ac menſtruis ritè fluentibus, multæ particulæ ſalinæ, terreſtres, tartareæ, acidæ per has cloacas unà cum ſanguine eliminari ſolent.

Animi perturbationes recta ratio moderetur, nè nephriticum exaſperent dolorem; non negamus tamen gaudio inopinato, vel excandeſcentiâ, vel terrore calculum exturbatum fuiſſe, ſed ſæpiùs ex his affectionibus malum auctum fuiſſe obſervavimus, conſulemus potiùs, nè animus conturbe-

tur,

tur, ut ſpes alat afflictum. Immoderatum Veneris uſum multùm obeſſe obſervavimus; ſunt nàmque calculoſi ſalaces, & Venus in lumbis, & renibus ſuum habet totum.

Noſtram curationem vel in paroxyſmo, vel extra inſtituimus: per paroxyſmum intelligimus ſævum dolorem à calculo in renibus excitatum; per extrà, ſi abſint calculi, ut præcaveantur, nè generentur.

Paroxyſmi curatio præſentem reſpicit calculum; ubi ſtudendum eſt, ut præſens calculus eliminetur, & quò citiùs, eò melius, nè incrementum ſumat, & malum augeatur, nec eliminari poteſt, niſi dolor ſedetur, nàm in dolore ureteres criſpantur, contrahuntur, & ſe anguſtiant, & ità malum exaſperant, & id eò magis, quò dolor acerbior eſt in paroxyſmo: debent itàque viæ anteà coarctatæ ad debitum amplitudinem, & capacitatem redire, ut calculus ingrediatur. Si verò calculus ipſis viis ordinariis ſit major, ut ingredi ſit impoſſibile, tunc comminuendus eſt per medicamenta dicta lithontriptica. Sed quia non ſemper ſcimus, an ſit magnus, vel parvus, cùm variis formis, & aſperitatibus figuratus, reperiatur, ſemper tutiſſimum eſt, ut dolor leniatur, calculus comminuatur, & promoveatur tàm per interna, quàm per externa medicamenta. In dolore nephritico urina acrior obſervatur, à quâ dolores exacerbantur, ob id talia propinanda veniunt, quæ talem urinæ acrimoniam infringant, & dolorem aliquantulùm leniant. Hæc ea ſunt, quæ vulgò in calculo vias laxare dicuntur, quæ per ſe ridicula ſunt, nàm talia aſſumpta renes, & meatus urinarios poſtmodùm laxare deberent, ac proindè priùs ſtomachum, & inteſtina, utpotè, quæ ipſa priùs pertranſeunt. Hujuſmodi ſunt *ol. amygdal. dulc. althæa, liquiritia*, & ſimilia remedia, non quatenùs acrimoniam tollunt, & dolores demulcent, quo demulcto criſpationes, & dolorificæ contractiones meatuum tolluntur; & ità viæ debitam adipiſcuntur amplitudinem.

Primò itàque pro nephritidis curatione danda eſt opera, ut primæ viæ à ſordibus quibuſcumque ſint liberæ, nè ipſæ coacervatæ renes, & ureteres comprimant, & comprimendo anguſtient, & malum adaugeant. In paroxyſmo nephritico nihil tam benè conducit, quàm blandus clyſter, aut emolliens, aut anodynus injectus, qui certè tempeſtivè adhibitus multùm valet, quia acrimoniam lenit, & dolorem demulcet: fæces igitur propellantur, & clyſterum parva ſit quantitas, quæ iniicietur, nè copiâ renes comprimantur, inteſtina nàmque fæcibus induratis diſtenta renes magis premerent, cùm fæces iſtam coli partem pertranſeant, quæ verſus renes ſita eſt, & ſic dolores augerent. Hic clyſter in paroxyſmo, & quidèm anodynus maximè proficuus eſt, & ſæpè talem clyſterem dolores abſtuliſſe obſervavimus.

℞. *Lactis recentis lib.* j.
butyri ℥iij.
m. f. clyſter. Vel

℞. *Lactis* ℥xij.
ſacchari rubri ℥iij.
m. f. clyſter.

Vel iniici poteſt clyſter nudus ex urinâ pueri nondùm Venerem experti, & hic clyſter ex lacte, vel urinâ pueri plùs valet, quàm ex multis herbis, & radicibus confectus; ab ejus enim blandis vaporibus per inteſtinorum poros ad renes pervagantibus, ureteres leniuntur,

niuntur, & contractione ablatâ ſæpiſſimè calculi ex ureteribus in veſicam deſcendunt. Vel fieri poſſunt clyſteres compoſiti ex vegetabilibus anodynis, quibus convenienter addi poteſt terebinthina, ſed non addatur, quia clyſterem diutiùs retinere ægro proficuum eſt, ſal n. ſtimulat, ne clyſter retinetur.

℞. *Semin. lini,*
fœnugræci ana p. iij.
flor. chamomillæ,
meliloti ana m. j. ß.
f. decoctio ad ℥x.
in colaturâ diſſolve
terebinth cum ovi vitello diſſ. ℥ß.
ol. amygdal. dulc. ℥iij.
m. f. clyſter.

Vel

℞. *Fol. malvæ,*
violariæ ana m ß.
parietariæ m. j.
flor. chamomillæ p. ij.
coquantur in ſ. q. urinæ pueri. Colaturæ ad ℥x. adde
ol lini ℥ij.
caſſiæ extractæ ℥ß.
ol. ſcorpionum ʒ. iv.
f. clyſter.

Quandòque clyſteribus flatus diſcutientia addenda ſunt, nè flatus in inteſtinis contenti renes comprimant, & dolores augeant; calculoſi nàmque utplurimùm flatuum copiam generant propter ventriculi imbecillitatem.

Fortes clyſteres, & præcipuè qui ſolutiva, ut benedictam, laxativam, diaphœnicon, vel electuarium eleſcoph, &c. admittunt, vitandi ſunt, quia humores agitant, & agitati ad renes decumbunt, & dolorem augent.

Conducunt potiùs pro corpore expurgando laxantia, quàm cathartica dicta; hæc enim cruciatus intendere, & calculum tantùm ſine emolumento commovere poſſunt. In primis laxantia lenia in uſu ſunt, quæ blandè corpus ſolvunt, latices acidos leniunt, & urinam, renes abſtergendo, movent, ità eſt *caſſia, & terebinthina.* ut

℞. *Terebinthinæ Venetæ ℥ijß.*
caſſiæ recens extractæ ℥j.
macis ℈j.
m. cum pulvere liquiritiæ f. bolus.

Vel

℞. *Caſſiæ recenter extractæ ℥ß.*
pulv. rhabarbari electi,
jalap. ana gr. xv.
m. cum ſaccharo, f. bolus.

Convenientiùs in lithiaſi nihil eſt, quam ſi *mercurius dulcis cum terebinthinâ, vel caſſiâ recèns extractâ* ſemel, atque iterùm juſtâ doſi, nempè ad gr. xv. vel xx. exhibeatur; hic nimirùm corpus ſolvit, urinam pellit, & calculum eliminat, ac eſt ſtrenuus acidi domitor, & hinc ductus amplificantur, & calculi ſpontè excernuntur, quinimò ad præſervationem multùm conducit, quia nephriticus dolor raro eos infeſtare ſolet, qui pilulis iſtis mercurialibus ſingulis menſibus utuntur.

Exhiberi poteſt *conſerva, vel ſyrupus flor. perſicorum* juxtà doſi; hæc nàmque primam regionem, & meſenterium ab humorum ſarcinâ levat, latices purgat, & renes abſtergit, acidum vitioſum & tartareas particulas per urinam exturbando calculum pellit; ac proindè ſemen violæ purpureæ mirè convenire perhibent, quia ſimul purgat, & calculum exturbat, ac in primis ſi ſub emulſionis formâ uſurpetur.

Vomitoria blanda conducunt, quæ à ſtomacho, & primis viis unà cum aliis humoribus acidum tollunt, & præſertim ſi à paſtu dolor invaſerit; ferè

nàmque ſemper nephriticum dolorem ſubverſio, nauſea, vel vomitus comitatur, undè ægri aliquantiſper ſublevantur, & quandòque in concuſſione calculus eliminatur. Vomitoria blanda ſunt *noſtrum hippocras emeticum, aqua Æſculapii, &c.*

Si patiens plethoricus fuerit, verùm hæc plethoria rarò obſervatur, vena ſecari poteſt, nè ſanguinis multitudo ob dolorem, & tenſionem in partem dolentem ruat, dolorem adaugeat, vel inflammationem pariat: ſed hoc dictum ſit in Galenicorum gratiam.

Si his dolor non ſedetur, & calculus non exturbetur, ad externa lenientia confugiendum eſt, quibus renes ad pubem uſque inungantur. Proſunt fila ex lino recenter factâ, & non dùm lixiviata decocta in hydroleo cum quatuor anodynis calida lumbis, renibus, & pubis regioni applicata. ut

℞. *Ungu. nephritici Mynſicht.* ℥ß.
ol. nephritici ejuſdem ʒjß.
ceræ deſtillat. ℈j. *m.* Vel

℞. *Ungu. anodyni Zuvölferi* ℥j.
ol. ſcorpionum ʒiv. *m.* Vel

℞. *Ung. populeonis* ℥ß.
de cynogloſsâ Zuvölferi ℥j.
ol. Semin. hyoſcyami per expreſſ. ʒij. *m.* Vel

℞. *Radic. cynogloſſæ,*
althææ ana ℥ij.
fol. hyoſcyami,
umbelici Veneris;
Solani ana m j.
Flor. chamomillæ,
ſambuci ana p. j.
ſemin. lini ℥j.
coque in lactis dulcis ſ. q. pro fotu.

Item, cataplaſma ex *medullâ panis cum lacte, vel cataplaſma ex ſucco cancrorum fluviatilium Cratonis,* ut

℞ *Cancror. fluviatil. num.* x.
contunde, & in lacte coque, & ſuccum fortiter exprime, deindè adde
medullæ panis albi ℥iij.
vitellor. ovorum num. iij.
butyri recentis,
ol. chamomillæ ana ℥j.
croci ℈j. *m.*
pro cataplaſmate applicando.

Vel inungi poteſt locus dolens, & regio lumbaris *oleo lavendulæ, petreolo, ſcorpionum, de lateribus &c.* Conducit etiam cataplaſma ex *cepis, & oleo ſcorpionum* pubi applicandum.

Balnea in renum calculo expeditiùs curationem abſolvunt, quæ ex emollientibus concinnati poſſunt, ut.

℞. *Herbar. malvæ,*
parietariæ,
violariæ,
hederæ terreſtris,
ſaxifragiæ ana m. iij.
radic. ononidis,
bardanæ,
althææ ana ℥iij.
flor. meliloti,
ſambuci,
chamomillæ ana m. iij.
ſemin. lini ℥ij.
fœnugræci ℥iij.
baccar. juniperi m. j.
additis rapis multis, concisis, & contuſis omnibus, coque pro balneo. Dùm æger eſt in balneo ſumere poteſt noſtri *balſami anti-nephritici guttas* x. *in decocto radicum petroſelini.* Verùm hîc eſt in plagâ Puteolanâ *Balneum*, quod dicitur *Petræ*, ab effectu, nàm lapides, calculos, & arenas à renibus miraculi inſtar expellit, ut nos pluries in noſtris nephriticis in ipſo balneo dolorem ſedatum, & calculos excretos fuiſſe experti ſumus. Imò hujus aqua

venæ ſectio.

ventrem ſolvit, renes abſtergit calida epota, ac à calculis in futurum præſervat.

Eſt adeò quandòque dolor intenſiſſimus, intolerabilis, & ipsâ morte horridior, ut ægri malint mori, quàm diutulè in tantâ cruciatum torturâ vivere; verùm cum dolor ad ultimum intenſionis gradum pervenit, & in extremo conſtiterit, vel in deterius decidat, vel quieſcat oportet. Vndè ſæpeſæpiùs calculum ureteres ingredi, & indè in veſicam delabi obſervavimus. Vbi in paroxyſmo dolor eſt acutiſſimus, & vigiliæ urgent, ad opiata tanquàm ad Sacram anchoram confugiendum eſt, hæc nàmque ſomnum inducendo, dolores ſedant, furentes pacant ſpiritus, urinæ acrimoniam infringunt, ureteres leniunt, & laxant: Verùm nos diureticis admiſta ſemper proficua experti ſumus, nàm, expergefacto ægro, citra ullum doloris ſenſum calculus in veſicam deſcendit, & unâ fideliâ duos dealbamus parietes, dolorem nempè ſedamus, & calculum extu bamus; dùm n. dormimus, non per hoc urina in veſicam non deſcendit:

℞. *Semin. melonum mund.*
nucl. perſicor. ana ℥ß.
f. emulſio in decocto agrim. ℥v.
cui ſyr. de quinque radic. aperient. ℥jß.
nepenthes Quercetani gr.ij.
ſp. ſal. dulcis gutt. xij.
ſanguin. hirci ad nephritid. ʒj. *m.*
Detur cochleatim, donec ſomnus abrepat. Vel

℞. *Semin. quatuor. frig. major. rec. ana* ʒijß.
ſemin. urticæ,
apij,
petroſelini ana ʒj.
f. emulſio in aq. petroſelini ℥vj.
cui laudani opiati gr.iij.
ſp. ſal. armon. gutt.xv.
ſyr. de ſucco limonum ℥ij. *m.*
Detur pro tribus vicibus. Vel

℞. *Syr. de althæâ Fernelij* ℥j.
philonij Romani ℈.v.
lapid. prunellæ ʒß.
pulu. millepedum lotor. ℈j.
decoct. radic. ononid. ℥iv. *m.*
pro unâ doſi. Vel

℞. *Semin. melon. mundat.* ℥j.
papaver. albi ʒij.
lactucæ ℈j.
milij Solis ʒij.
petroſelini,
bardanæ,
dauci ana ʒj.
f. emulſio in aqua apij ℥vj.
in quâ ſangu. hirc. nephrit. ʒjß.
lapid. parcarum,
cancror. fluvialium ana ℈ij.
ſyr. de quinque radic. aperient. ℥ij. *m.* Vel

℞. *Pilul. de cynogloſsâ* ℈j.
ſemin. fraxini,
cynosbati an. ℈j. *m.*
cum ſyr. de althæâ Fernelij. q. ſ. formentur pilul. iv. *& deaurentur pro duabus vicibus.*

Si poſt opiata diureticis maritata dolor ſedatus fuerit, & calculus adhuc in renibus moretur, ad diuretica, & lithrontriptica medicamenta, ſcilicèt calculos comminuentia abſolutè deveniendum eſt, ubi primæ viæ repurgatæ fuerint, & humorum acrimonia nonnihil temperata: aliter his non prægreſſis, ſi diutiùs diureticis hæreamus, magnâ humorum colluvie renes cumulamus, & pro renibus abſtergendis renes in cloacam convertimus; undè malum augetur, & ex collectis in renibus ſcotiis, accedente acido vitioſo, ictu oculi ma-

gnus arenularum calculorum, ſabuli, & lapillorum generaretur agger, unde urinæ ſuppreſſio, & mors neceſſariò contingit. Nec ſemper nephritici in lithiaſi purgari exoptant, imò reluctantur, cùm tantùm doloris, & calculi ablationem intendant; cogitant n. non adeſſe medicamentum purgans, quod calculos expurgat: tunc cordatus medicus ea præbeat medicamenta, quæ alium blandè ſubducant, & urinam cum calculis pellant. Talis conditionis eſt *terebinthina Veneta* ex Cypro advecta, quæ in calculo quam maximè prodeſt tàm in abſente, præſervando, quàm præſente pellendo; abſtergit nàmque renes, & materiam ſabuloſam coaleſcere non ſinit, & alvum leniter laxat. Abundat hæc ſale volatili balſamico, quo acidum vitioſum obtundit, & tàm ſola, quàm cum aliis permiſta in renibus, & viis urinariis expurgandis convertit. Solam aliqui hanc aquâ appropriatâ lavant, vel igne ſpiſſant, ut in pilulas cogant, ſed inanis eſt lotio; multum namque ejus ſalis balſamici volatilis in aquâ deponit, & in igne avolat, ex hoc ſale volatili balſamico odor violaceus in urinâ oritur.

Variis modis *terebinthina* exhibetur, vel in formâ pilulari in *hoſtiâ convoluta, vel cũ mercurio dulci*, vel hoc modo;

℞. Terebinthinæ Venetæ ℥ ij.
vitelli ovi parum,
diſſolve hæc ſenſim affundendo
aquæ ſaxifragiæ,
fragariæ ana ʒ jß.
ut redigantur in formam cremor. lactis, adde
ſyr. de althæâ Fernelii compoſ. ℥ jß.
f. hauſtus, qui non eſt ingrati ſaporis.

Ex *terebinthinâ* paratur *ſyrupus*, qui in renũ calculis mirabiliter operatur, ut

℞. Milij Solis, polygoni minoris,
ſemin. geniſtæ, ligni viſci quercini
ana ℥ j.
f. decoctum in aquâ capillorum Veneris ſ. artem, & in
colaturâ lib. ijß.
diſſolve terebinthinæ ℥ ij.
optimè diſſolutæ, & unitæ cum
ovi luteo,
ſacchari albiſſimi lib ij.
& lento igne f. ſyrupus.

Fit ex eâdem *terebinthinâ ſpiritus*, qui etiam arenulas, & calculos à renibus cum aquâ alkakengi ad guttas x. exturbat. Apud *Mynſicht* extant *pilulæ de terebinthinâ, terebinthina laxativa, & terebinthina purgans*, quæ maximè nephritidi conducunt.

Deſcripſimus in *noſtrâ Mantiſsâ ſyr. pro lithiaſi*, & hunc hùc revocamus tanquàm ad proprium locum; ut

℞. Radic. ononidis,
Saxifragiæ ana lib. ij.
granorum alkekengi ℥ j.
ſemin. dauci,
petroſelini,
geniſtæ,
urticæ ana ℥ ß.
bacc. lauri num. 30.
radic. aſparagi,
cort. exter. apii ſylveſt. an. lib. ß.
cicer. rubror. lib. j.
Inciſa, & contuſa affunde aquæ communis lib. ix. digere in loco calido per 24. horas deinde bulliant, deſpumando ad ſex librarum remanentiam colaturæ inde
ſacchari albi lib iv. f. ſyr.
quem optimè ſerva.

Hic noſter ſyrupus arcanum in dolore nephritico, & in omni calculorũ genere probatiſſimũ productâ experientiâ; calculos n. renum præſentaneè expellit, vel

vel in arenulas atterit: renum,& veſicæ mucilagines,& tartarum incidit, ſubtiliat, & unà cum urinâ educit.

Deſcripſimus in *eâdem Mantiſſâ Balſamum anti nephriticum*,cujus pręſentaneas curationes longâ experientiâ admirati, hùc referre nos non tædet:

♃. Aqua reſinæ lib.j.
flor.ſulphuris ℥ß.

pone in aludele, & optimè claude,trade lento arena igni, donec ſulphuris flores ſolvantur, tum amove, & in vitro benè clauſo ſervabis ad uſum.

Lithontripticon famoſum eſt, & nulli ſecundum; renum nàmque ſabulum, & calculum educit, vel in arenulas atterit,veſicæ lapidem tantùm incipientem diſſolvit, & propellit, confirmatus verò, & aliquam magnitudinem auctus vix aliâ ratione, quam ſectione curari poteſt. Calculorum concretionem inhibet, renes roborat, tàm proximam, quàm remotam ſabuli, calculi, arenarum, vel lapidis materiam emendat,& ſine moleſtiâ educit: ſpirituum nàmque acido-volatilem & mucilaginem tartaream (hic namque ſpiritus, & tartarea mucilago attactu calculos producit) obtundit, invertit,& unà cum lotio eliminat, ac à calculosâ renum diſpoſitione præſervat.

Pro calculo atterendo, vel educendo varias pulverum formulas præſcribunt medentes,& noſtrates medici ſuas aquas, ſuos ſpiritus, ſua balſama, quæ circumferunt, & è marſupio educunt, ac propriis manibus intra nephritici fauces recondunt, venduntque carius auro quæ frivola, & omnibus communia ſunt,& ita iſti ſacculbrii ſua larvant arcana ut tantum ipſis, & non aliis innoteſcant, ac ſpecioſorum nominum titulo inſigniunt, & ex calculis hac turpi arte aurum educunt. Nos has technas virantes ea medicamenta calculos exturbantia, & comminuentia in proximi charitatem præſcribemus, quæ in pharmacopoliis componenda curamus, nec nobis aliquod arcanum anti-nephriticum reſervamus quia gratis accepimus, & gratis damus.

Præter ea medicament,a quæ recenſuimus, multa alia ſuperſunt, & horum multa præſcribere oportet: hujuſmodi erit *noſter pulvis anti-nephriticus in noſtrâ Mantiſsâ* deſcriptus, ut

♃. Sanguin.hirci anti-nephritici ℥iv.
lapid.Iudaici ʒj.
lapid. in capite in cochlear. ſine cortic.repert. ʒ j.
milii ſolis ſemin.
apii ſylveſtris,
urticæ,
petroſelini,
dauci ana ℈.iv.
cynosbati ʒ.iij.
aſellorum ℈ij.
oſſ.dactylorum,
radic.reſtæ bovis,
ligni nephritici,
nucis moſchatæ ana ℥ij.
boracis mineralis ʒ.j.
ſacchari albiſſ.℥ij.
m.f.pulv.ſubtiliſſ.
& religioſe in vitro aſſerva.

Oculariter ſabulum, & renum calculos non tantùm deturbat, verùm etiam in arenulas conterit, & per urethram unà cum lotio expellit. Doſis ʒj. vel ij. in ſyrupis,aquis appropriatis,& ſpecificis. Pro tenuioris fortunæ hominibus nos multoties expertum habemus nullius pretij, ſed magni momenti pulverem, qui dolorem nephriticum totaliter abigit,calculos extrudit, temoratam exturbat urinam; & à calculosâ

diſpoſitione præſervat, & ità ſe hebet:

℞ *Stercor. muris*
ſemin. fœniculi ana ʒß.
f. pulvis, & in vino albo propinetur.

Nè mireris nos tàm vili remediorum genere pro infimæ ſortis hominibus uti, nàm quod vile putatur, carum eſt, & de ſtercore eriget pauperem.

Habemus & alios pulveres in nephritide pluries expertos, qui nunquàm noſtros ægrotos felici defraudârunt eventu, quos deſcribere operæ pretium arbitramur, ut

℞ *Saxifragiæ,*
milij ſolis,
radic. ononidis ana
f. pulvis,
cujus ʒj. *in vino albo patienti propina, & miraberis effectum.*

Vel

℞ *Gummi ceraſor.* ʒj.
ſemin. urticæ,
petroſelini,
apij ſylveſtris ana ʒjß.
ocymi ℈j.
macis ℈ß.
m. f. pulv. ſubtiliſſimus.
Doſis ʒj. *ad* jß *in vino albo tepido.*

Contra calculum multæ aquæ anti-nephriticæ circumferuntur, quarum aliquas noſtræ deſcriptionis expertas referre non inutile erit:

℞ *Radic. ſaxifragiæ,*
aſparagi,
petroſelini,
fœniculi,
graminis,
ononidis ana ℥ij.
fruct. cynosbati.
alkekengi,
granor. juniperi,
hederæ terreſtris ana ℥j.
ſemin. milij ſolis,
urticæ,
bardanæ,
dauci,
hypericonis ana ℥ß.
florum geniſtæ,
virgæ aureæ,
cyani,
calcatrippæ ana p. j.
Contunde contundenda, & pulveriſanda, pulveriſa, & infundantur in
vini generoſi albi ℔ vj.
per tres dies, deindè deſtilla per vas vitreum ad ℔. ij. *evocationem in vaſe vitreo benè obturato ſerva. Doſis* ℥j. *ad* ij. *cui pro condimento aqua de cinnamomo q. ſ. admiſce.*

Vel

℞ *Cancror. fluvial. viv. num.* xx. *pone in vaſe vitreo, & vino græco q. ſ. cooperiantur, donec emoriantur, ſtent ſimul ſpatio* 24. *horar. deindè immediatè*

℞ *Limones parvos num.* x.
in taleolas diſſectos, & deſtilla. Deſtillati liquoris ℥j. *vel* ij. *ſit doſis.*

Innumera ſunt medicamenta contra calculum tàm compoſita, quàm ſimplicia, quæ omnia recenſere impoſſibile eſt, aliqua ſelectiora deſcribemus. Inter ſemina, illud urticæ egregium eſt lithontripticon, ſi quod aliud ex vegetabilium regno. *Hyperici* ſemen, & in hoc res claré patet, quod manu contritum, aut contuſum terebinthinam ſpiret, & ſapiat, & jam nota eſt terebinthinæ vis contra calculum. *Dauci ſemen* inſigne lithontripticon eſt, & mirabilem hujus ſeminis calculi prophilacticam vim quotidiana confirmat experientia, de quâ vide *Helmontium tract. de Lithiaſi, & Charleton in tract. de ſpiritu gorgonio, ſeu lithiaſi*, ubi dauci vim anti nephriticam celebrat. Hanc ſeminis dauci vim anti-nephriticam adhuc experiuntur

tæ Angli, qui cereviſiæ noviter confectæ dauci ſemen infundunt, & unà fermentare ſinunt, adeò ut qui hunc potum alimento-medicamentoſum bibunt, valdopere à calculo præſervantur. *Milium ſolis*, quod dicitur lithoſpermon, & à ſeminis duritie nomen accepit, eſt celeberrimum propter vim atterendi, & pellendi calculum, renes à mucilagine viſcidà abſtergere, & urinam ſuppreſſam ciere ſolet. *Saxifragia*, ſeu ſaxifraga dicitur talis ob inſignem, quam habet energiam diureticam urinam promovendi, & ſabulum è renibus exturbandi.

Sunt multa alia ex vegetantium Regno medicamenta diuretica calculos comminuentia, & exturbantia, quæ omnia recenſere velle eſſet caput de nephritide in librum integrum aſſurgere, ſed quia compoſitionibus eorum nomina appoſuimus, meritò de illis prolixiùs agere omittimus. Aliqua hujus dotis medicamenta, quæ arte parata, vel parari poſſunt, in pharmacopolio extant, tantùm referamus oportet: Ità ſunt *ſal. ſtipitum fabarum, geniſtæ, equiſeti, urinæ, calculi humani, ſtercoris columbini, ſal. tartari volatile, tartarus vitriolatus, ſal. prunellæ, &c.* Item *ſp. baccarum juniperi, cynosbati, urinæ humanæ, fragorum, alkakengi. Sp. ſal. dulcis, nitri dulcis, balſamus ſalis, ſp. ſal. armoniaci.* Communiter ad calculos comminuendos, & educendos lapides commendantur, & ſicut clavus clavum extrudit, ità lapis lapidem: ſunt *lapis Iudaicus, lapis nephriticus, lapis ſpongiæ, lapis lyncis, lapis in veſicâ apri, vel bovis repertus, lapis aquilæ.* Item *lapides cancrorum, perçarum, lucij piſcis*, & ſimiles commendantur. Cæterùm hi lapides, aut ex his lapidibus præparata medicamenta non alio modo proficere videntur, quàm quòd acidum vitioſum calculi coagulatorem abſorbent, & in ſe recipiunt, & exindè vim diureticam mutatione in ſalſum acquirunt. Commendatur *lignum heracleoticum, nephriticum, guajacum, ſaxafras, caſſia lignea.* Item *balſamus ſulphuris ſimplex, & aniſatus, vel juniperinus, balſamus terebinthinæ*, & omnium præſtantiſſimus *balſamus orientalis albus*, ſimiliter omnes tincturæ antinephriticæ. Sed in nephritico cruciatu tantam remediorum farraginem percenſere impoſſibile eſt, cùm unumquodque regnum tàm vegetabile, quàm minerale, & animale inexhauſta hujus energiæ medicamenta recondat, ac proindè non eſt medicaſter, vel abjectæ ſortis homo, qui ſecreto contra calculos potiri non glorietur.

Dolor nephriticus ceſſat, vel mitiùs agit, dùm calculus in pelvi moratur, intenditur verò dùm ureteres ingreditur, & per hos tranſit ductus, & in veſicam deſcendit. In veſicâ dùm hoſpitatur, omnis dolor perit, omnia ſymptomata ceſſant. Tunc ultima reſtat indicatio, ut per urethram foras extrudatur. Tum ſi vires ferant ægrum equitare, vel curru per loca ſaxoſa vehi; vel pedibus iter conficere oportet: præterea liberaliter potare, & à potu, quammaximè poteſt, urinam cohibere, ut auctâ urinę copiâ unà cum ipsâ calculus excludatur, interim extrà, & intrà diuretica applicentur. Cùm urethram ingreſſus eſt, cavendum, nè remeet, ſed digitis ad extremam glandem deducatur, lubricatâ viâ; ſi in glande reſtiterit, uncinis evellatur, ſi fruſtrà terebello fiſtula ſua incluſo teratur. Atſi longiùs à glande reſtiterit, nec ullâ arte eximi queat, tùm à latere rectâ plagâ penis incidendus eſt, non

eſt, non ſuprà ob vaſa, nec infrà, eſt n. pars membranea.

Supereſt nunc ultima nephritidis indicatio, quæ præſervatio eſt, nàm eſtò glorioſius videatur latentem carnificem à renibus exturbare, quàm obnoxium tantis cruciatibus præſervare: ſed reverà glorioſius nos arbitramur à tanto malo potiùs quempiam præſervare, quàm eundem actualiter patientem curare: non curatur nàmque niſi poſt tot ſupplicia, & vitæ diſcrimina. Præſervant à tàm diro morbo ea omnia, quæ pro actuali deſcripſimus, medicamenta, ſi ſemel in hebdomadâ ſumantur, & recta victus ratio obſervetur. Præter hæc *herba Thea* eximium eſt præſervativum nephriticum, undè, qui hanc herbam in potu aſſumunt, calculis, & ſabulo renes, & veſicam infeſtantibus non ſunt obnoxij, dùm partim exturbat, partim abſumit acidum in primis vijs. *Capitulum allij* minutiſſimè diſſectum, & cum aquâ, vel ſpiritu juniperi ſingulis novilunijs aſſumptum, expertum eſt calculi præſervativum; Hoc fundamento non caret, nàm ſal acre volatile allij acidum calculorum coagulatorem in renibus corrigit, & correctum, quatenùs urinam pellit, ſimul educit, & ità à calculo præſervat.

CAP. ULTIMUM.

De Arthritide.

QUod maximè optandum eſt, & cum ipsâ rerum naturâ ortúm, cunctiſque viventibus inditum videtur, id unum proculdubio eſſe brevem noſtræ vitæ, rerumque humanarum durationem ad longam diem producere; ea eſt omnium cura, quæ ità dies, noctéſque mentem exagitat, ut illius dulcedine pellecti nec improbo labori parcere, nec precationibus, votiſque quibus Deorum numina nobis propitia reddimus, aſſequi ſinamus. Etenim quæ homines arant, navigant, ædificant, quæ ſibi, ſuæque poſteritati quærunt, quæ tandem numinibus offerunt, omnia vitę commoda cedunt, ut ipſis bonâ valetudine frui liceat, affluentique bonorum copia abundare. Sed etſi vivendi ſpes omnibus optata quemque ſuâ dulcedine trahat, ità ut cunctis ſummum malorum mors dijudicetur; nobis tamen ſæpiſſimè maximo eſt ſolutio, bonorumque omnium ſummum, quippè quæ ærumnis, & omni malo finem imponit; quod tùm potiſſimum uſu venire dedicimus, cùm maximis doloribus, varioque cruciatuum genere corpus torquetur, quibus mens ità agitatur, ut dolori impotens facta, pro ſummo tantarum miſeriarum ſolatio, vel ipſam mortem credat. Sed certè illud tormentorum genus ſæviſſimum eſſe nemini in dubium cadit, cùm per omnes artus exquiſitus dolor vagatur, quem græci arthritidem, nos articularium morbum vocamus; profectò huic nec crudeliſſimum quodlibet quæſtionis genus, nec ſeverum equulei judicium eſt comparandum, quandoquidem illa corporis pars morbo exercetur, ubi ſenſatio nobilior efficitur; undè mors ipſa; quam ſummis precibus expetunt, meritò ipſis eſſet ſolatio. Quapropter non pauca de his diſſeremus, quæ vel antiquitas detexit, vel experientia longo rerum uſu probabata nobis indicavit.

Arthritis eſt ubi multis articuli, parteſque vicinæ doloribus per intervalla infeſtantur. Dicitur morbus articularis, dolor articulorum, barbaris gutta, quia

guttatim

guttatim hunc morbum excitari credunt. Eſt arthritis nomen generale,& à diverſis articulis diverſa ſortita eſt nomina, cujus quatuor ſtatuunt ſpecies, prout aciditas diverſarum partium ligamenta, aut membranas, tendineſvè excruciat. Si itàque in manuum carpo, vel articulorum digitis, ligamentis, vel lacertis fiat, dicitur chiragra. Si verò in genibus adhæreat, tunc gonagra. Coxendicis verò dolor dicitur, cùm graviſſimè cruciat ſupra coxæ articulum, undè in femur,ſuram, extremumque pedis diffunditur ſecundum nervorum ductum, non autem in magno coxæ articulo, ſed altiùs hæret ad ſummam natem In pedibus verò podagra nominatur, ſive malleolos, ſive plantam pedis, ſive pollicis articulum occupet. Non quilibet dolor morbus articularis vocabitur, verùm ille ſolummodò, qui ex imbecillitate articulorum propter eorum laxitatem, vel viarum amplitudinem, & humorum defluxum nactus eſt. Humerorum quoque articulos atque vertebras aliquandò invadit. Addimus nullam interdùm eſſe oſſium connexionem, quæ immunis ſit ab hoc dolore. Addimus quintam ſpeciem, ſcilicèt arthritidem vagam, articulos ferè omnes infeſtantem. Dolor hic non eſt ut in reliquis fixus, & ſtabilis, ſed potiùs vagus, & errabundus, ac in corpore ſaltans. Arthritis nunc peculiariter ut diximus, nunc per omnes corporis artus diſperſa penitùs univerſaliter excruciat, & arthritidem univerſalem, ſeu rheumatiſmum alii appellant, eo quòd non tantùm articuli doleant, verùm etiam media inter articulos ſpatia totius corporis, ut ſunt muſculi, eorumque membranæ, in primis autem perioſtia, ac totius corporis habitus, adeò ut nonnunquàm & interna viſcera nempè ventriculus, inteſtina, pulmo, hypochondria, & uterus unà doloribus affligantur.

Pro hujus morbi parte affectâ non conveniunt medentes, nonnulli pro fonte cerebrum catarrhos, humoreſque acres ad articulos depluens ſtatuũt. Alii hepar, pancreas, glandulas conglobatas, & conglomeratas deſtinant, ut putat *Sylvius*, qui pro loco affecto membranea ligamenta ipſos articulos cingentia, & colligantia, tanquàm hujus mali fomes, & ſubjectum causæ ponit. *Helmontius* ventriculum primò accuſat. Verùm noſtro judicio ſubjectum ſunt partium corporis articuli, atque nervi, tendines,ligamenta, membranæ, fibrillæque,quæ oſſa vel connectunt, vel ambiunt, hìc afficiuntur, & contingit membranas impleri, & ſubindè etiam diſtendi: ſunt hæ partes acutiſſimo præditæ ſenſu, & dùm contrahuntur, vel diſtenduntur atrociſſimos excitant dolores.

Plerùmque podagra divites invadit deſidioſos, ac proindè *Dominorum morbus* appellatur, ut etiam ex antiquiſſimâ, & vulgatiſſima illi podagræ cum araneâ fabulâ apparet, & divitibus familiarem fuiſſe conſtat; præcipuè autem lurconibus, & his, qui multò vini meracioris ingurgitationi ſunt deditì, vel immoderatè Veneri indulgent. Ubi hoc malum ſemel pedem figit, ibi impoſterùm per intervalla, & paroxyſmos recurrit, & qui à parentibus hoc malo infectis oriuntur filii, hæreditario jure hoc characterizantur morbo, in quibus tamdiù latere ſolet, donec ad Veneris œſtrum devenerint, ut *Hipp. ſect. 6. aph. 30.* innuit *Puer podagrâ*

dagrâ non laborat ante uſum Venereorum.

Signa.

Hujus morbi imminentis ſigna ſunt: ſenſus in articulorum connexione ſolito exquiſitior, ut à leviſſimâ quaque lædatur causâ, putà novi calcei impreſſione, longa ambulatione, vel aliquo ictu, aut ad lapidem, aliudvè corpus duriuſculum alliſione, præceditque utplurimùm magna animi turbulentia, & ex quavis levi causâ ad iram irretibilitas. Plerùmque febricula invaſionem antecedit, ſed incepturo jàm paroxyſmo, torpor & vermiculationis ſenſus, & quidam fervor præter conſuetudinem in morboso articulo ſentitur.

Præſentem ſignificat dolor actu articulum excrucians, qui plerùmque intumeſcit, & rubeſcit, iſque dolor omnium frequentiſſimus in pedibus, & præſertim ſiniſtri pedis pollice ſævit, & ad alios articulos non tarò plerumque ſe extendit.

Quomodò dolores Venerei ab articularibus diſtinguntur, vide de *Lue Venereâ cap. de Doloribus Venereis*; aliqui nàmque bardi medici in his diſtinguendis facilè decipiuntur.

Cauſæ.

Hermetici in articulari affectu tartarum accuſant, congeſtus hic in juncturis juxta ſalis acrimoniam, dolores nunc mites, nunc atroces parit. Tartarus autem hic cum ſeroſo latice comitatur, ab hoc n ſalia abſorbentur. Sed quanam via in articulos defluat, tùm Hermetici, tùm Galenici controvertunt. Aliqui volunt in parte generari, & ibi ſeparari tartarum à ſero; ſuadent ſibi hoc, quia ſi tranſiret per vias aliquas, ibi dolorem cauſaret. Confirmat hoc obſervatio ejuſdem, quod amputato pedis digito, podagrâ affectus non ampliùs ab eà affectus fuit. Alii volunt defluere à capite per nervos ſub cute, ut *Fernelius.* Aliqui per venas, & arterias. Aliqui per has omnes partes ſimul poſſe defluere arthritidis materiam aſſerunt, & poſſe aliquandò ipſiſmet etiam in articulis generari contendunt. Alii deniquè & in parte affecta eſſe aliquid aliundè affluere ad effectum hunc conſtituendum, eſſe ſcilicèt in articulis, tartarum hunc excitari à ſero aliundè adveniente, & fermentare, & dolores parere.

Helmontius vult arthritidem fieri ab aciditate hoſtili, quæ in corporis habitum defertur, & ibidem ſpinæ inſtar mordicat, & vel in ſaniem, vel in ichorem abit. Communicatur partibus aciditas tali pacto: in digeſtione acor à felle non tranſmutatur in ſalſedinem, à ſero accipitur, & intra juncturas deponitur, ubi exaltatur, & Archeum afficit, & furere incipit, in articulis autem, in quibus abundat, facilè adhæret, quod etiam notat *Paracelſus.* Provenit etiam malum ipſum arthritidis ab acris injuriis membrorum ſpiritibus afficientibus, reliqua apud ipſum videri poſſunt.

Dolores, qui in arthritide excruciant, ut plurimùm atrociſſimi videntur, & experiuntur, ab acido excitari ipſi perſuadent; ſuadet hoc etiam acidum, ſive in vino lateat, ſive in aliis alimentis, quod podagræ reddit obnoxios; ſuadet etiam remedium; nàm dolores arthritici leniuntur ab iis, à quibus acida tranſmutantur, vel abſorbentur.

tur.

tur: ſed unde hoc acidum provenit, & cur non omnes, qui patiuntur ab acido, arthritidi non ſunt obnoxii, inquirendum. Acidum in digeſtione reſultat, quod non totum in ſalſum mutatur, vel vi ipſiuſmet in articulis generatur, vel in articulis continetur, vel aliundè ad articulos provenit.

Arthritides vagæ, quæ dicuntur, generantur ab acido ad articulos tranſmiſſo, ſed quæ hæc eſt via, patet, per corporis fibras, & arterias tranſmitti, & etiam nervos, perquos alimentum diſpergitur, ut diximus, per totum corpus. Sed cur dolor non ſemper in defluxionibus podagricis experitur, quia acor dilutus à ſero per nervos ſpargitur, qui poſteà in articulis exaltatur. Arthritides fixæ vel in ipſis partibus generantur, nullo adjumento aliundè accerſito, vel generantur, & adjuvantur à latice aliundè confluxo. Podagra tophacea generatur ab acido coagulante.

Hujus morbi cauſæ occaſionales ſunt multa, ut crebra vinorum meraciorum potatio, nimia ſalacitas, & in Veneris palæſtra exercitatio, ſed præcipuè erecto corpore, undè arthritis Bacchi, & Veneris filia à poëtis nuncupatur. Exceſſiva promptitudo ad iram, & excandeſcentiam, voracitas, guloſitas, crapula, & variorum ferculorum abundantia quotidiè comeſtorum, otium, abſtinentia ab omni labore, & conſuetarum exercitationum intermiſſio.

Prognoſis.

Arthritis morbus lethalis non eſt, cùm ægrotos ad ſenectutem plerumque comitari, & in nonnullis vitæ diuturnitatem conciliare ſoleat, quia natura noxios humores, ex quibus alii morbi periculoſiores generari poterant, à partibus nobilibus ad extremas, & ignobiliores corporis partes per certa intervalla propellit; attamen ità dolorum vehementium moleſtiſſima, duratione contumaciſſima, & curatu difficillima, ut medicorum opprobrium, & ægrotum flagellum dicatur.

Si in corporibus debilioribus, vel ſenio confectis materia podagrica ad extremitates, nempè pedes, & manus detrudere non valet, ſed cordi viciniora occupet loca, tùm cervicis vertebras invadit, ægrum diù ſupervivere non permittit. Si verò vehementi articulorum dolori aſſocientur febres acutiſſimæ, viſcerum inflammationes, apoplexiæ, convulſiones, delirium, cordis tremor, ſpirandi difficultas, ac frigidus ſudor, & pulſus parvus, æger eodem die, vel altero morietur.

Solet hoc malum non eſſe continuum, ſed per periodos torquere, dùm materia cumulata per intervalla ad articulos detruditur, quæ quidèm initio ſunt longiora, ità ut ægri ſæpè per menſes ſex, ſæpè etiam integrum annum ſunt immunes, poſteà viſceribus, & calore debilitato, & humoribus vitioſis pluribus cumulatis per breviora intervalla malum redit, interdùm poſt menſes tres, interdùm ſingulis menſibus, & tandèm nonnullos lecto perpetuo affligere ſolet.

Qui circa articulos nodos, tophoſque habent concretos, nulla humanâ arte curari poſſunt, id innuit *Poëta* 2. *de Ponto.*

Solvere nodoſam neſcit medicina podagram.

Item quicumque ſenes, aut qui ærumnosè

noſè vivunt, aut ſiccam habent alvum, quod breviter & eleganter comprehendit *Hip.* 2 *prorrhet.* inquiens: *De podagrâ hoc dico: quicunque aut ſenes ſunt, aut circa articulos callos tophaceos habent, aut ærumnoſè vivunt, ſiccam alvum habentes, hi omnes ſani fieri non poſſunt humanâ arte, quantùm ego novi. Sanat quidem hos optimè dyſenteria, ſi ſupervenerit; ſed & aliæ eliquationes valdè proſunt; quæ ad inferna loca repunt. Qui verò juvenis eſt, & circa articulos non dum callos habet concretos, & accuratè vivit, & laboris amans eſt, & alvum bonam habet ad obediendum pro ſtudiorum ratione, hic ſanè medicum intelligentem nactus, ſanari poterit.*

Multi ità ſanari poſſent, etiam à parente podagrico prognati, ut in primo inſultu de futuro morbus avertatur, & non ſanantur, quia vel ſibi perſuadent malum hoc eſſe inſanabile, ac proindè de medico, & medicamentis non ſunt ſolliciti, & malum, quod in principio ſanari poterat, altiùs radices agere permittunt; vel hujus morbi, ejuſque causæ medicos ignaros conſulunt, qui podagram ſalubrem exaggerant morbum & deteriorem reddunt; dicunt enim quòd ſi humor ille, quem natura per intervalla ad extremas ſolet propellere partes, in corpore detineatur neceſſariò mors ſequeretur ſic miſeris imponunt, duce ignorantia, nè ab aliis curentur, indicto acerbæ mortis terrore, tacitè inſinuant. Inſuper medicamentorum uſum non ſatis diù continuant, quamvis vulgaribus remediis, ſeu viâ methodicâ id minimè peragatur: hanc n. affectionem evincunt, quæ ſecretam eam curandi methodum norunt. Non opus eſt, ut æger ſemel, vel bis ſingulis annis æquinoctiorum tempore depleatur, verùm diutinâ medicamentorum continuatione. Præterea podagrici tantùm de dolore leniendo ſunt anxii, & de eo quâ ratione averti poſſit, nè redeat, parùm, vel nihil. Tandèm, & hæc eſt potentiſſima causa, quod ferè nulli exquiſitam, accuratamque diætæ rationem obſervant, & morbi lanienam, cui aſſueverunt, ferre malunt, quàm ſævioris diætæ legibus se obligare. Hinc provenit potiùs divites, & nobiles quàm pauperes, & ruſticos podagra laborare, cùm iſti frugali utantur mensâ, vitentque Bacchi commercia, nec in Veneris palæſtrâ ſe exerceant, quia ut inquit *Ovidius* 2. *de remed. amoris*:

> *Non habet undè ſuum paupertas*
> *paſcat amorem.*

Illi verò liberiùs meraciora potent vina, & pluribus aliis modis in diætâ pluſquàm pauperes errent, & præ omnibus frequenter cum Venere luctantur, quia ut idem Poëta eodem libro inquit:

> *Divitiis alitur luxurioſus amor.*

Cur podagra rariſſimè ad ſuppurationem veniat, examinandum duxi. Nonnulli in eâ verſantur ſententiâ, ideò id contingere, quia articuli ſunt diſſiti à caloris fonte, & tantum caloris, quantum ad ſuppurationem requiritur, non habent. Sed hæc causa falſa deprehenditur; nàm multoties digitorum apices inflammatione tentantur, quæ in ſuppurationem abit. Causâ verior: acidus latex ſuppurationis legibus non ſubjacet; ſed vel totus reſolvitur, vel in tophos, & nodoſam duritiem concreſcit, ſi ſecùm aliquam ſalis portionem rapiat, & temporis diuturnitate ſpiſſeſcit, tenuiori reſolutâ parte. Accidit quandoque cutim ſpontè diſrumpi abſque ſectione, & magnam ſub calcis formâ

mì excerni colluviem.

Curatio.

Sicut crapula multos parit morbos, & medicos nutrit, ità frugalis victûs ratio quamplurimos præcavet, curat, vel lenit morbos. Id luculenter in arthritide experimur, hic nàmque ſæviſſimus affectus, utplurimùm ex diætæ erroribus geneſim ſumit, & arthritidi obnoxii malunt in victu errare, quàm ſtrictæ diætæ legibus ſe ſubjicere & tamen hæc ingluvies atrociſſimis cruciatibus compenſatur, & redimitur. Qui rectè diætæ ſe committunt, non ſolùm arthriticos præcavent dolores, ſed etiam alios morbos, qui ex diætæ erroribus proveniunt, vitant, & non rarò ſenectutem attingunt: moderata, ità que victûs ratio ſemper juvat, nunquàm lædit, aut fallit; qui in recta victûs ratione errant, inviſibili carnifici, ut torqueantur, traduntur: in hoc ergò malo diæta magni momenti eſt; tàm ad præſervationem quàm ad doloris lenimen, vel nè tàm citò cruciatus recurrant, & ut rectâ methodo procedamus, diæteticam partem per ſex res non-naturales venabimur, undè primò

Aër eligendus eſt ſerenus, purus, & in activis qualitatibus temperatus; vitetur ſylveſtri ſale refertus, nitroſus, frigidus, humidus, craſſus, nebuloſus, & pluvioſus: multi nàmque per intenſam brumam hùc morbum ſortiti ſunt: hinc inter anni tempora, maximè verno tempore arthritis excitatur, deindè autumno ob humorum motum, & mutationem qui his anni temporibus fiunt, ut habetur *ph. 55. ſect. 6. Do ores podagrici vere, & autumno maxime ex parte moventur.* Et quidem infeſtare ſolent, cùm humores hyberno tempore cumulati tùm fundi, & moveri; autumno verò caloris, & frigoris viciſſitudine tùm fundi, tum cogi ſoleant.

Cibus convenit, qui modicè nutrit, quo ſobriè quoque uti conducit, ſatiari n. cibis admodùm noxium eſt: imò famem per aliquot dies tolerare ſaluberrimum eſt. *Valeſcus de Taranta* quendam podagricum, quotieſcumque paroxyſmum imminere ſentiret, ab omni cibo, & potu prorsùs abſtinentem ſolâ diæta ſanatum fuiſſe, & centum annos vixiſſe refert. Obſervavimus per ſalubrem, ſtrictamque diætam materiam podagricam adeò quandòque debellatam fuiſſe, ut per multos annos ab eâ immunes fuerint. Imò obſervatum eſt aliquibus omnia bona præſcripta fuiſſe, & cùm coacti eſſent ſimplici, & paupere menſa uti, hoc infortunio à morbis articularibus eſſe liberatos, & ſimile quid de quodam refert *Porphyrius in vitâ Plotini.* Quantùm poteſt vitæ temperantia in omnibus morbis, & præſertim in his e auferendis! Sed noſtris temporibus podagrici malunt diù inviſibili torturæ quàm inediæ per aliquot dies ſe ſubmittere, & podagram retinere malunt, quàm latum unguem ab intemperanti diſcedere. Podagram nutriunt, & ſaginant, & ipſi miſerè contabeſcunt, articuli aliquandò diſtorquentur, nonnunquàm quoque incurveſcunt & movendi facultas amittitur. Cibus itàque ſit facilis coctionis & optimi ſucci conceduntur carnes pullorum, gallinarum, & vitentur capones, nam hi podagram quandòque l borant. Conducunt alaudæ, perdices, ſturnæ phaſiani, lepores, cuniculi, capreoli, &c. Sed noſtro judicio ea

proſcribimus alimenta, quæ plurimo ſucco alimentitio abundant, & ſubtili, volatili, & ſpirituoſo prædita ſunt, ut carnes delicatulæ, panis ſimilagineus, & id genus alia, quia facilè fluunt, & ad articulos tanquàm ad partem affectam ſe inſinuant, ibique acido fermento inbuuntur, & dolores adaugent; Commendamus itàque ea eſculenta, quæ parùm nutriunt, nec ſuccum ſpirituoſum generant, acido reſiſtunt, immutantque, ità ſunt carnes bubulæ, vaccinæ, bovinæ, magis aſſatæ, quàm elixæ, panis nauticus, & ſimilia. Vitentur olera, nàm cito aceſcunt & præſertim omnia, quæ aperientia dicuntur, ut apium, petroſelinum, aſparagi. Alimenta acida, ſalſa, & fumo indurata declinentur. Nocent ſacchatata, mellita, & oleum, quia potens acidum recondunt, & viſcoſitate ſuâ obſtructiones pariũt. Inter fructus conveniunt amygdalæ, paſſulæ, nuclei pini. Calida, & aromatum uſus vitentur, quia vias aperiunt, humores colliquant, fluxiores reddunt, & dolores intendunt. Declinentur pinguia, & in primis frixa, utpotè quæ non ſolùm malum præbent nutrimentum, ſed & alios corrumpunt cibos. Piſcium uſus ſit paucus; ab anguillis, & ſimilibus planè abſtinendum, ut & à cibis, qui alvum obſtruendi vim habent, vel ventriculum refrigerant. Caſei uſus, & lacticiniorum non eſt tutus. Magna tandèm primæ coctionis ratio in arthritide habenda eſt, & hanc præcipuam arbitramur, nàm læſa coctio ad arthritidem multum facit, ut meditanti patet.

Potus non ſit vinum, nec generoſum, nec dulce, ìmò omnia vinorum genera ità prorsùs exulent, ut in arthriticorum mensà nec nominentur, cùm ſummam aciditatem, & actimoniam, ut in tartaro patet, contineant. Quamplures nimio vini generoſi potu arthritidem ſibi aſciſcivére, ut de *Ennio Quintus Serenus* refert:

> *Ennius ipſe pater, dum pocula ſiccat iniqua,*
> *Hoc vitio tales fertur meruiſſe dolores.*

Vino itàque debiti huic torturæ obnoxii ſunt, nàm in vino Venus, & hinc arthritidem Bacchi, & Veneris filiam finxére Poëtæ, quia nimio Bacchi, & Veneris uſu ortam eſſe veneranda credidi antiquitas. Abſtinendum itàque à vino, quod eſt poſterius aqua, & à vino abſtinentia multi ab arthritide liberati ſunt, ut quamplures referuntur hiſtoriæ. Si verò æger vino ſit aſſuetus, & non ſine notabili noxâ eo carere poteſt, ſaltim in decimatione, & potiſſimùm quandò materia frigida facit morbum, detur, ſed ſit benè dilutum. Interim aliis temporibus decocto hordei, vel cornu cervi utatur. Potus ordinarius ex lacte vaccino mirum in modum arthriticorum eſt ſolatium, & multos lactâ diæti curatos omninò obſervavimus, ſed nimis arcta diæta eſt, nàm æger per annum, & ultra ſolo lacte nutriri debet, & tandèm ad panis triticei uſum accedere, deindè ad ova, oryzam cum lacte coctam, ſi reſtitui affectar.

Motus fluxionis tempore vitandus, non. n. compedibus vincti greſſus formare poſſunt, extra verò torturas, tunc cum immunes ſunt, ad morbi præcautionem interdùm ante prandium ad ſudorem uſque ſe exercere debent; poſt motum tamen & exercitium nòn priùs cibus, & potus ſumendus, donec calor ex motu contractus evanuerit. Sit modus in motu, nec nimiùm quàm par eſt

eſt, ultra vires fatigentur, quia multùm ſtare, ut & nimiùm ambulare, vel equitare podagricis valdè noxium eſt. Quanti ſit exercitium, dicant ruſtici, qui laboribus exercentur; his n. viſcerum calor excitatur, & ſiquid vitioſorum humorum adſit, diſcutitur, ac proindè nunquam, vel rarò arthritide corripiuntur. Divites verò quia probroſum laboribus mechanicis ſe exercere putant, hoc afflictitantur morbo. Imò dedecoroſum per plateas ire pedibus imaginantur, nè eorum nomini, & ſtatui aliquid derogetur, ac proindè magnificis equis, & auratis curribus ad loca, quæ petunt, eſtò pauciſſimis diſtet greſſibus vehuntur, & magna oſtentatione trahuntur, & ad virum unum trahendum nec unus, vel duo ſufficiunt equi, ſed quatuor, vel ſex requiruntur, hinc quantæ gravitatis ſit, meditare. Inſuper nec ante DEI conſpectũ comparituri ſe humiliant, ut ſaltem ad templa pedibus profi. iſcerentur: ſed juſtus DEUS hoc puniendos inviſibili carnifici, nimirùm podagræ, tradit. Sunt iſti non abſimiles ſtatuæ, quam per ſomniũ vidit Nabuchodonoſor, habent caput ex auro, pectus, & brachia ex argento, ventrem, & femora ex ære, tibias ferreas, ſed pedes ex ferro, & luto, qui non benè cohærent, & pedes, qui delinquunt, conteruntur, in cujus torturâ in molliſſimis lectis eos decumbere oportet, & taliter diſtenduntur, ut vix à corporeo carnifice pejùs torqueri poſſent, & ipſi tamen ſtupidi ſua delicta confiteri, ut aliàs in torturâ convenit, non advertunt. Quandòque ab equuleo demiſſi in priſtino vitæ inſtituto pergunt, eapropter identidem ad tormentum rurſus ludibrioſè rapiuntur, donec tandem in iiſdem miſerrimè intereant.

Quies actuali dolori tantùm convenit, extra verò, cùm pedum baſes conſolidatæ ſunt, ſenſim ſe exercere debet, nimia nàmque deſidia, & vita ſedentaria horum cruciatuum in causâ eſt, quia calor minuitur, vires langueſcunt, coctiones depravantur, & excrementa non exturbantur.

Somnus ſit moderatus, longior n. fomenta ipſi morbo ſugerit, & noxius eſt; attamen vigiliarum diuturnitate, & doloris ſævitiâ defatigato ſomnum etiam medicamentis, ſi non obrepat, conciliamus, & quidèm meridianum concedimus, ut defatigati ſpiritus animales iterùm reficiantur.

Vigilia utilior, eſt quam ſomnus nimius, modo dolorum ſævities non excruciet, vires non deficiant, aut cruditates non patiat.

Excreta, & retenta ritè ſecundùm naturæ exigentiam procedant, undè alvus ſervanda erit fluida, vel quacumque die, vel ſaltim alternis diebus. Urina quoque ſtatis horis juxta exigentiam excernatur. Suppreſſi menſes multùm faciunt ad generandam podagram, hinc *Hip. ſect. 6. aph. 29. ait: Mulier podagrâ non laborat, niſi menſtrua defecerint.* Ità idem *Hip.* ſcribit *6. epid. ſect.8. tex.55. In abderis Phaëthuſa Pythea uxor, priore quidèm tempore fœcunda erat: quùm autem maritus ipſius in exilium abjiſſet, menſes multo tempore ſuppreſſi ſunt: poſteà dolores, & rubores ad articulos oborti ſunt.* Magnum quidèm præſidium, & beneficium mulieri adverſus omnis generis morbos eſt legitima menſtruorum excretio, per quam natura vitioſos humores ſimul exturbare ſolet. Idem quoque de legitimâ hæmorrhoidum excretione dicendum putamus; per hanc enim eva-

cua-

cuationem unà cum ſanguine ſylveſtria, & tartarea ſalia etiam eliminantur. Putavit etiam *Hippocrates* Eunuchos podagrâ non laborare, ut eâdem *ſect. aph.* 28. *Eunuchi neque podagrâ laborant, neque calvi fiunt*. Hi n. humidâ conſtitutione ſunt præditi, & ad mulieris naturam accedunt, forſitan credidit eos Venere non uti, nec poſſe, & hæc nobis maxima *Hippocratis* credulitas videtur, & hac eadem ratione *aph.* 30. *eâdem ſect.* inquit: *Puer podagrâ non laborat ante Veneris uſum*. Quia, cùm puer Venere frui incipit, humores ſalini, & acres fiunt, hinc Veneri dediti ſalaces dicuntur. Verùm hi aphoriſmi *Hippocratis* temporibus verificabantur; tunc etiam pauci podagrâ laborabant propter maximam vitæ temperantiam: nunc verò, quia intemperanter vivitur, non veri videntur. Noſtro ævo ità auctæ ſunt deliciæ, luxus, & voluptates, ut nihil ſupra addi poſſe videatur, ac proindè innumera eſt podagrâ laborantium multitudo. Mulieres, eunuchi, & pueri viros adultos, & robuſtos in omni intemperantiæ genere exuperant, nec illis in Veneris luctâ cedunt. Non mirum ergò, ſi nunc *Hippocrates* mendacio convincatur, cùm fœminæ, eunuchi, & pueri podagrici ſint. Sexûs, & ætatis beneficium ſuis vitiis amiſerunt, & quia fœmineam, & puerilem exuerunt naturam, virilibus morbis damnati ſunt, ut horum innumeræ extant obſervationes. Sæpè in arthritidem incidere ſolent, quibus antiqua tibiarum ulcera, aut ani fiſtulæ conſolidantur, vel aliarum partium fluxiones ſupprimuntur. Humores n. qui ulcera crurum diuturna, & ani fiſtulas excitare ſolent ſunt ipſi etiam ſalſi, ut propterea, ſi ſupprimantur, arthritidem producere ſolent; ideòque ulcera, & fiſtulæ aperiantur, & ad priſtinum fluorem reducantur, vel ſi æger renuat, ſit podagrâ contentus. Nocet etiam impedita ſudoris excluſio ob pororum cutis conſtipationem; ac proindè ſudores matutini præſertim excitandi ſunt, quia ſalia illa ſylveſtria, cum ſeroſis humoribus è corpore extirpantur: Quantum itàque fieri poteſt, ægri ad ſudores aſſueſaciendi ſunt, qui propterea ſtragulis de nocte diligenter ſeſe muniri debent, ut ſi non ſudor, ſaltem corporis mador ſub aurorâ ſequatur. Sudor non tantùm ad curandum, verùm etiam ad præcavendum neceſſarius eſt: dicant qui alienâ vivunt quadrâ, alienas ſubripiendo hæreditates, & vitam ſine moleſtiâ molliter, & delicatè tranſigunt, alienis victitando ſudoribus, citra ſudores, & contra DEI præceptum iſti deſidioſi [exceptis bonis, aut intelligendo tantummodò de malis] delinquunt: *In ſudore vultûs tui veſceris pane tuo.* Sed iſti inviſibili carnifici ſcilicèt podagræ, tradentur. Arthritidi obnoxiis eſt Veneris fugienda voluptas, quia ſpiritus exhaurit animales, vires enervat, nervos, & artus debilitat, & præſertim cùm erecto corpore futuere neceſſe eſt, ut in Veneris furtis obſervatur, undè arthritis Veneris filia nuncupatur, & rara quidem ante Veneris uſum eſſe ſolet, ut qui vitâ in cœlibatu degunt, rarò vel nunquàm podagrâ corripiuntur. Sed mirari ſubit ſanè, cur Monachi, qui caſtitatem profitentur, & cœlibatum voverunt, non ſint à podagrâ immunes, ſed ſæpè miſerè torqueâtur: Reſpondet *Joannes Dolæus cap. de Podagrâ: Verùm in promptu cauſa eſt, quia Monachi ſunt laſcivioſi, & otioſi.* Si itàque in vultûs ſudore panem comederent, in oratione, & jeju-

jejunio, ut deceret, vitam transfigerent, utique has declinarent torturas, ſed veſcuntur peccatis vivorum, & mortuorum.

Animi paſſiones recto rationis dictamine dirigantur, & animus hilaritate, & tranquillitate in Inferni doloribus, ſi poſſibile ſit, jocis & muſicis concentibus demulceatur, ſicut de Orpheo fertur, qui lyræ dulcedine ſic inferos demulſit, ut Eurydicem uxorem recepiſſet, niſi citiùs quàm Proſerpina juſſerat, reſpexiſſet, & de Limenio Thebarum dicitur, quòd multos podagricos modulandi ſuavitate priſtinæ reſtitueriţ ſanitati. Sed torturarum, & equuleorum dolores cantûs dulcedine non minuuntur, nec mens à dolore alienatur: Sed quis pacem habere poteſt cum Inferni doloribus? Sunt podagroſi, dùm actu acriter torquentur, ſolatio incapaces. Imò in tantis cruciatibus quandòque phſalmodiam, precationes, & orationes de nocte cantitant, & dùm

Non penetrat ſuperos vox aſinina polos.

In rabiem acti veluti animæ damnatæ ſacrilego ore palinodiam canunt, blaſphemantes totam cœlitum hierarchiam, & .

Flectere ſi nequeunt ſuperos, Acheronta movebunt.

Animi paſſiones concitatiores præcipuè excandeſcentia, nimia cura, terror, anxietas, &c. vitentur; facilè nàmque paroxyſmum arthriticum concitare poſſunt: timorem tamen multos podagricos ſanâſſe legimus.

Curationem perficit *Helmontius* ſudorificis *mercurio diaphoretico*, & *arcano corallino*, faceturque in ſui ſemine podagram interimere, ſed qui *Helmontiano* carent mercurio, & arcano corallino præfatam curationem aggredi debent, cùm imminet podagra, nimium acidum laticem expurgando *reſinâ jalapæ, extract. gumm. gutt. conſer flor. perſic. ſyr. domeſtico, aut catholico, vel vomitorio aliquo medicamento.*

Apud vulgares, qui totam hujus morbi curationem diætæ committunt, quandòque uſitatum eſt *elect. caryocoſtinum à Petro Bayro* inventum, ejuſque deſcriptiò ità eſt.

℞. *Hermodactyl. alb. mundat.*
diagrid. an. ʒij.
coſti,
cumini,
Zinziberis,
caryophyllor. an. ʒj.

trita, & cribellata conficiantur cum ſyr. facto ex melle, & vino albo invicem coctis, donec ſyr. benè cocti formam recipiant, & f. elect. in formâ opiatæ. Doſis ʒvj. ad vij. ſolvitur in vino albo, vel in formâ boli ſuperjejunando ſex horarum ſpatio. Scribit idem *Bayrus*, quam primùm ſenſerit repletionis ſigna ſe ſumpſiſſe hoc electuarium, idque ter, aut quater in anno, atque hoc modo 16. annis ab iſtis doloribus, quibus anteà fuerit tentatus, non fuiſſe moleſtatus. Sed hujus electuarij uſus in temporibus, & calidioribus naturis poterit eſſe noxius, ideòque ſumma præmeditatione exhibeatur.

Rhaſis ſuas celebrat pilulas eo encomio, quod incedere non valentes faciant ire pedes. Illæ autem ità ſe habent:

℞. *Aloës opt.* ℥ß.
roſ. rubr. ℈ij.
hermodactyl. alb. mundat. ʒjß.
diagrydij ʒj.
cum aquâ vitæ arthriticâ, & *mellis*

mellis roſ. f. maſſa pilul.
Doſis. ℥j.

Viilia ſunt hæc medicamenta, quæ deſcripſimus, attamen productum tantùm expurgant, ſuperſtite charactere in vitæ ſpiritu. Podagram non evincit methodica medicina, ſed ea quæ abditam curandi methodum novit. Quæ hanc effectionem radicitùs curant medicamina, non excuduntur in albo.

Paracelſus pulverem arthreticum laudat, qui leniter, & tutò omnes podagricas defluxiones purgat, maximè commendat:

℞. *Hermodactyl.*
turpeti optimi,
fol. ſenæ,
oſſium human.
ſacchari ana f. pulvis ſubtiliſſ.
Doſis ℈ß. ad. j. mane ex aquâ ivæ arthericæ,

per dies 3. vel 4. Oſſa humana calcinari debent, ſed cùm difficulter calcinentur, ſulphuris flos adhibendus eſt. Ventrem ſolvit, acorem immutat, (ſi in calcinatione non adhibeatur ſulphuris flos) & tartarum ab oſſibus, & ligamentis educit. Ità humana ſalia parari poſſunt, & cum aquâ ivæ arthericæ extrahi, quæ in paucâ quantitate in doloribus articularibus exhibentur, & unumquodque os ſpecialem habet proprietatem juvandi patientium partes; nàm ſi ſal educitur ex manuum oſſibus chiragræ, pedum podagræ &c. prodeſt.

Cùm dolores perſentiuntur leniendi ſunt. Iuvant ad hoc lixivialia, quæ acidum extingunt. Nos utimur *ebuli, & ſambuci foliis, ſed nicotianæ recentia contuſa, &* admota maximoperè dolores ſedant, quia narcoticam obtinent vim. *Folia hyoſcyami cum lacte, vel cataplaſma ex lenticulâ aquaticâ, & floribus chamam. in lacte cocta adhibendo farina hordei parum*, maximam vim dolores leniendi habent. *Sal Saturni in ſpiritu vini tenuiſſimo devolutum* mirè dolores lenit. *Aqua ſpermatis ranarum menſe martio ante ſolis ortum, & quidèm triduo, vel quatriduo ante novilunium deſtillata* partibus dolentibus impoſita mirabiliter dolores lenit, & partis inflammationem, & ruborem temperat. Præſtat etiam ad hoc *cataplaſma de micâ panis.*

Oſualdus ung. anodynum tanquàm ſingulare in leniendo dolore podagrico calidè inunctum miris celebrat encomiis:

℞. *Flor. roſ. ſylveſtr. m.* x.
herbæ, & cortic. exterioris hyoſcyami m. vj.

conciſi ſimul affunde menſuram ß. *vini, coquantur, & poſteà trita exprimantur, & colentur: à colaturâ, aqua in B. abſtrahatur, ut inſtar mellis reſidentia maneat. Hunc liquorem in tigillo vitreato permitte paulatim evaporare, agitando continuè piſtillo ligneo, donec inſpiſſeſcere incipiat, poſteà affundantur*

pinguedin. ſuillæ caſtratæ lib. ij. *& miſceantur, tandèm ità calidè ab igne auferantur, & parùm frigefactis* ℥j. *opij pulveriſati, ac in vino ſaltem ſoluti, & croci pulveriſati quantitate duarum avellanarum, extract. flor. verbaſci addere convenit, & movendo diligenter immiſcere, donec frigeſcendo f. unguentum cineritij coloris.*

Facilioris præparationis eſt *ſequens miſtura*, quæ mirificè dolores ſopit:

℞. *Sp. vini per croci infuſ. flaveſcentis* ℥iv.
camphoræ ℈j.

Bulliant parùm, deindè diſſolve

opij ℥j. & partem dolentem illine.

Hæc medicamenta lenientia curationem palliativam reſpiciunt, & morbum non tollunt, ſed dolores repercutiendo leniunt. Magnâ igitur cautelâ, & prudentiâ in uſum accerſenda ſunt talia, nè quid pejus contingat; materia n. podagrica repercuſſa majora peperit mala, in cordi viciniora loca, vel cervicis vertebras rependo. Vix fieri poteſt, quin medicis à lenientium uſu plus infamiæ, quàm laudis ſit reportaturus.

Cum dolores admodùm urgent, & vigiliæ, dummodò cætera concurrant, ad opiata confugiendum eſt, quæ dolores ſedant, placidum inducunt ſomnum, fluxionibus frœnum injiciunt, conſumunt, & defeſſos roborant ſpiritus.

Podagra præſervetur. qui ipſi obnoxius eſt, dummodò nodoſa non fuerit ſi abſtineat à Veneris, & Bacchi commerciis, probâ diætâ. quæ nullatenus negligēda eſt, ſolers, & exacta obſervetur. Itàque cruditates vitet, & ſi adſint vomitionibus caſtigare neceſſe eſt, manè ſi facilè, ſi ægrè à prandio vomat, maximoperè vitentur acida, corpus decenti exerceatur labore, aluus laxa ſervetur, quod ſi non ſuccedat, ſingulis quibuſdam hebdomadibus primæ viæ diatartaro exonerētur. Podagricis plerumque defluxionibus ſolſtitiorum, & æquinoctiorum tempore corpus mundificetur (quod etiam quovis alio tempore in mali principio, & ubi imminentis quædam ſigna præſenſerit æger) *pulvere artbretico Paracelſi, arcano corallino, vel eſſentiâ radicis hellebori nigri vulgari modo cum ſpiritu vini non ad ſummum correcto exacta*, cujus ſi quotidiè cochlear j. manè, & veſperi ſumatur, donec alvus ſponte ſuâ quater, vel ſexies tandem ſoluta fuerit quotidiè. Hac nimium facili, denique purgatione impuritates, defluxioneſque podagricæ ſatis commodè repurgantur. Poſt mundificationem corpus corroborantia, ut eſt *magiſterium perlarum*, & diaphoretica, exhibeantur.

Pro doloribus arthriticis perſanandis nullum majus medicamentum à nobis centies expertum inveniri poteſt, quàm ſequens *noſtrum decoctum*, quod ità paratur:

℞. Salſæ parillæ minut. inciſæ ℥ij.
jua arthetica ℥ij.
hermodactyl. albor mundat. ʒ.ij.
flor. roris marini,
chamædrios an. m. j.

Infundatur in aquâ cardui Sancti lib. vi. ſtent in loco calido ſpatio 24. horarum. Deindè bulliant clauſo vaſe, quo aperto, injice

fol. ſenæ or. ℥ij.

& poſt unicam ebullitionem, auferatur ab igne. Doſis ℥vi. manè totidemque veſperi. Victus ſit exſiccans, & cruda vitentur. Potus ſit aqua ſaxafras, vel ejus tinctura quæ arthritidis nectar eſt, quia ob ingentem ſiccitatem, & moderatum calorem excellens eſt remedium ad omnis generis defluxiones, quas radicitùs abſumit. Vel potus ſit *vinum anti-podagricum Paracelſi*:

℞. Radic. caryophyllatæ,
acori an. a lib. ß.
fol. majoranæ m. iv.
flor. ſambuci p. iv.

Infunde in vini menſur. iij. ſtent in infuſ. per 8. dies. Sumatur parcè in menſâ manè, & veſperi pro primo potu.

Cum ſale menſario miſceri poterit *ſal oſſium humanorum calcinatorum*, ſed oſſa hominis debent eſſe juvenis violentâ morte peremptî, & non humati,

quæ etiam *pulveris arthritici Paracelſi* compoſitionem ingrediuntur.

His omnibus ritè peractis, podagra dummodò non ſit nodoſa, præcaveri poteſt, & paroxyſiſmi vel rarò, vel nunquàm recurrent, aut ſi inſultus à levi aliquo errore externo aliquandò incidunt, tàm graves non ſunt, nec dolores continuos, vel inſolentes excitant, qui externis lenientibus faciliè non cedant.

Multæ aquarum anti-podagricarum deſcriptiones circumferuntur quadere opere pretium ducimus præſtantiores adducere.

℞. *Saponis Ianuenſis alb.* ℥j.
ſal. fuſi ℥j.ß.
vitriol ℥j.
acaciæ ℥ß.

Bulliant omnia in aceto, cola, & colaturâ foveatur pars dolens tepidâ applicatâ

Vel

℞. *Calcis vivæ q. v.*

injice in aquam fontis, quæ ſuper emineat 4. vel 5. digitis. Hujus

℞. *lib. iv.*

& extingue vigeſies chalybeam laminam ignitam, immerge poſteà in eandem
pulv. æris uſti ℥v.
cinnabaris ℥ß.
digere per 4. vel 5. dies.

Aliqui decoquunt in *prædictâ aquâ flor. verbaſci, cortices, & flores ſambuci.* Dolores lenit *phlegma vitrioli ſuo proprio ſale, & ſulphure narcotico impregnatum.* Alii in *aquam calcis* injiciunt *mercurium diſſolutum in aquâ forti* & hæc aqua uti dicunt, utebatur *Rulandus* ad ſedandos dolores podagricos.

Pro podagrâ perſanandâ præſtantiſſima, imò divina, & quaſi cœlitus immiſſa eſt *aqua Sanctæ Eliſabeth Reginæ Hungariæ*, ſi ſemel in hebdomadâ in ʒj podagricus acceperit, & omni mane cum eâ faciem, & ægra laverit membra.

Ad externam curationem tophaceæ podagræ externa auxilia accerſenda ſunt, ac proindè præmiſſis præmittendis unicè hoc commendatur *emplaſtrum* diſſolvens nodos, & tophos podagricos:

℞. *Ol. viſci pomor. lib. j.*
ſaponis raſi ℥iv.

miſce in igne donec probè incorporentur, deinde adde
ceruſſæ Venetæ,
lithargyrij an. ℥ij.
vitriol. rubificati ℥j.
cinnabaris ℥ß.

agita ſpatulâ, ut per ſe miſceantur, uſque ad probam emplaſtri conſiſtentiam. Non ſolum nodoſitatibus podagricis confert, ſed tophis Venereis, calloſitatibus omnibus, & ulceribus phagædenis.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

INDEX.

INDEX
RERUM, ET MATERIARUM
Quæ in
TRUTINA MEDICA
R. DOMINI
CAROLI MUSITANI
Continentur.

A.

Affectus Soporoſi quid 76
Ejus ſigna 77
Veterum cauſa 78
Iuxta Authorem 79
Prognoſis 81
Veterum Curatio 82
Iuxta Authorem ibid.
Album græcum convenit in anginâ 254
Amuletum in epilepſiâ 225
Aliud 228
Anima centrum 536
hoſpitatur in cerebro 1
Angina quid 234
Ejus ſigna 235
Veterum Cauſæ ibid.
Iuxta Authorem 237
Prognoſis 243
Veterum Curatio 244
Iuxta Authorem 249
Anthiades V. Tonſillarum tumor
Anulus præſtigioſus 128
Apoplexia quid 25
ejus ſigna ibid.
Veterum cauſæ 23
Iuxta Authorem 30
Prognoſis 32
Veterum Curatio 33
Iuxta Authorem 36
Aqua Anti-epileptica 123
Anti-nephritica Authoris 734

Deſtillatâ purgans 185
Ad dentium mobilitatem Authoris 355
Io. Baptiſtæ de la Porta ibid.
Ophthalmica Authoris 289
Alia 291
Perlarum 474
Ad viſûs debilitatem Authoris 288

Arbor petrificata 717
Ariſtoteles fuit Balbus 338
Arthritis quid 736
Ejus ſigna 737
Cauſæ 738
Prognoſis 739
Curatio 740
Aſini laudes 101
Aſina nigra in empyemate 399
Aſthma quid 375
ejus ſigna 376
Veterum Cauſæ ibid.
Iuxta Authorem 377
Prognoſis 379
Veterum curatio 380
Iuxta Authorem 381
Auris Batava 310
Aurium Dolor quid 295
Ejus ſigna 296
Veterum cauſæ ibid.
Iuxta Authorem ibid.
Prognoſis ibid.
Veterum Curatio 297
Iuxta Authorem ibid.
De Exeuntibus p.n. ab aurium cavitatibus 299
Ejus ſigna ibid.
Veterum Cauſa ibid.
Iuxta Authorem 300
Prognoſis ibid.
Veterum Curatio ibid.
Iuxta Authorem 301
Aurium Gravis Auditus, & Surditas 307
Ejus ſigna 309
Cauſæ ibid.
Prognoſis 311
Curatio 312
Aurium Inflammatio quid 291
Ejus ſigna 292
Cauſæ ibid.
Prognoſis ibid.
Veterum Curatio 293
Iuxta Authorem 294
Aurium ſonitus quid. 301
Ejus ſigna 302
Veterum Cauſæ ibid.
Iuxta Authorem 303
Prognoſis 305
Veterum Curatio ibid.
Iuxta Authorem 306
Aurum tàm foliatum, quàm limatum in lipothymiâ, & ſyncope confutatur 475

B

Balbi ſunt diſpoſiti ad melancholiam 203
Balbus erat Ariſtoteles 338
Balbuties quid 335
Ejus ſigna 337
Cauſæ ibid.
Prognoſis 338
Veterum Curatio ibid.
Iuxta Authorem 339
Balneum Artificiale in ſingultu Authoris 563
Balſamus anti-nephriticus Authoris 733
Catholicus Authoris 74
Samaritani 400
Blæſi, quid à balbis differant 337
Brunneri compoſitio in Aſthmate 388
Bulimus quid 502
Ejus ſigna 503
Veterum cauſæ ibid.
Iuxta Authorem 504

Prognoſis

- *Prognoſis* 506
Veterum curatio ibid.
Juxta Authorem ibid.

C

Calculorum generatio S. mentem Fernelij 717
juxta Authorem 718
Canes à menſtruo deglutito in rabiem incidunt 196
Capitis dolor quid. 2
ejus ſigna 4
Veterum cauſa ibid.
Iuxta Authorem 9
Prognoſis 11
Veterum Curatio 12
Iuxta Authorem 18
Cardialgia quid 536
Ejus ſigna 537
Veterum cauſa ibid.
Iuxta Authorem 538
Prognoſis ibid.
Veterum curatio ibid.
Iuxta Authorem 540
Caſtoreum convenit in ſingulis 562
Catalepſis quid 222
Ejus ſigna 223
Veterum cauſa ibid.
Iuxta Authorem 225
Prognoſis 228
Veterum curatio ibid.
Iuxta Authorem 330
Ceratum ſtomachicum 501
Cholera quid 563
Ejus ſigna 564
Veterum cauſa ibid.
Iuxta Authorem ibid.
Prognoſis 566
Veterum Curatio ibid.
Juxta Authorem 567
Cicuta maniam inducit 176
Coctio fit per calorem S. Galeni mentem. 480
Juxta Authorem 482
Cœcitas quid 280
Ejus ſigna 281
Cauſa 282
Prognoſis 284
Curatio 285
Colica paſſio quid 577
Ejus ſigna ibid.
Veterum cauſa. 579
Juxta Authorem 580
Prognoſis 581
Veterum curatio ibid.
Juxta Authorem 583
Columellæ Laxitas, & Inflammatio quid 332
Ejus ſigna 333
Veterum cauſa ibid.
Juxta Authorem ibid.
Veterum curatio 334
Juxta Authorem 336
Convulſio quid 129
Cur in paralyſi nunc dextra, vel ſiniſtra pars, & in convulſione anterior, & poſterior afficiatur 130
Ejus ſigna 132
Veterum cauſa ibid.
Juxta Authorem 134
Prognoſis 135
Veterum curatio ibid.
Juxta Authorem 137
Cordis Palpitatio quid 459
Ejus ſigna 461
Veterum cauſa 462
Juxta Authorem ibid.
Prognoſis ibid.
Veterum curatio 463
Juxta Authorem 464
Corpus non diſſimile eſt ab Horologio 169
Coryza quid 313
Ejus ſigna 314
Veterum cauſa ibid.
Juxta Authorem ibid.
Prognoſis 315

Veterum curatio ibid.
Juxta Authorem ibid.
Clyſter Belluinum remedium eſt 34
Nutriens confutatur 245

D

Datura Indorum quid. 100
Decoctiones in ictericiâ 635
Decoctum Arthriticum Authoris 747
Joël 386
Pectorale Zuvelferi 412
anti-phthiſicum Authoris 455
In phthiſi 449
Aliud Authoris 455
Aliud 456
Sudoriferum Authoris 49
Democritus interrogatus ab Hippocrate 172
Demoſthenes linguæ vitia quomodo correxit 338
Dentium dolor quid 340
Ejus ſigna 341
Veterum Cauſa ibid.
Juxta Authorem 342
Prognoſis. 343
Veterum Curatio ibid.
Juxta Authorem 345
In nonnullis graviditatis ſignum 347
Dentium fœdus Color, & Sordities 349
Ejus ſigna ibid.
Veterum cauſa ibid.
Juxta Authorem 351
Prognoſis ibid.
Veterum Curatio ibid.
Juxta Authorem 352
Dentium Mobilitas, & Caſus 353
Ejus ſigna ibid.
Cauſa. ibid.
Prognoſis 354
Veterum Curatio ibid.
Juxta Authorem ibid.
Dentium ſtupor quid 347
Ejus ſigna ibid.
Veterum Cauſa 348
Juxta Authorem ibid.
Prognoſis ibid.
Veterum curatio. ibid.
Juxta Authorem 349
DEUS *probeſtiis non pro hominibus, herbas creavit* 665
Diabetes quid 705
Ejus ſigna ibid.
Veterum cauſa ibid.
Juxta Authorem 706
Prognoſis 707
Veterum curatio 708
Juxta Authorem 709
Diabolus nos non obcæcat, & ipſum accuſamus 189
Diaphragmatis locus 169
Animæ ſedes 164
Diarrhœa, & Dyſenteria quid 597
Ejus ſigna 598
Veterum cauſa 600
Juxta Authorem 603
Prognoſis 608
Veterum curatio 609
Juxta Authorem 612
Diatartarus in formâ pulveris 560
Dictami cretici compoſitio 475
Difficilis infantium dentitio quid 356
Ejus ſigna 357
Cauſa ibid.
Prognoſis 358
Curatio ibid.
Dioſcoridis hiſtoria de Cicutâ 176
Doronicum præſervativum in vertigine 109

E

Eclipſis lunaris 31
Ecſtaſes Sanctorum 53
Electuarium Caryocoſtinum Bayri 745

in philtro

in philtro 198
in ſanguinis ſputo 433
ad viſus debilitatem 289
Elixir Aſthmaticum Authoris 386
Sanitatis Authoris 221
Empedocles propter ſuperbium putatur ſe DEUM eſſe 176
Empyema quid 394
Ejus ſigna 395
Veterum Cauſa 396
Iuxta Authorem 397
Prognoſis 398
veterum Curatio 399
Iuxta Authorem ibid.
Emplaſtrum epilepticum 1'2
ad nodos, & tophos 748
Emulſio Cannabina 198
Anti-pleuritica 370
in ſiti intenſâ 333.616
Somnifera 161.532.616.
Enema Mynſicht in Convulſione 139
In teneſmo 625
Epilepſia quid 111
Ejus ſigna ibid.
Veterum Cauſa 112
Iuxta Authorem 113
Prognoſis 116
Veterum Curatio ibid.
Iuxta Authorem 120
Epithemata 162.472
Ettmüllerus catalepſis cauſam ignorat 56
Extractum hellebori nigri 186

F

Fames canina quid 508
Ejus ſigna ibid.
Veterum Cauſa ibid.
Iuxta Authorem 511
Prognoſis 513
Veterum Curatio ibid.
Iuxta Authorem ibid.
Flores Benoini 401
nitri Mynſicht 256
Fluxus hepaticus quid. 626
Ejus ſigna 627
Veterum Cauſa ibid.
Iuxta Authorem ibid.
Prognoſis ibid.
Veterum Curatio ibid.
Iuxta Authorem 628
Fomentum in dyſenteriâ 622
Fotus in aurium dolore Authoris 198
Fuga Dæmonum quid 184

G

Galeni convicia 5
Anatomiæ ignarus 6
rem herbariam ex Dioſcoride ſcripſit ibid.
ad ſtabias mittebat phthiſicos. 452
Gargariſmata in anginâ 253.254
Gutta ſerena quid 280
Ejus ſigna 281
Cauſa 282
Prognoſis 248
Curatio 285

H

Helleborus niger 184
albi uſus apud veteres 185
Hippocras emeticum Authoris 37
Hiſtoria Huardi de puero melancholiâ correptus 200
Horatius lippoſus erat 257
Hydrops quid 676
Ejus ſigna 677
Veterum Cauſa 678
Iuxta Authorem 681
Prognoſis 686
Veterum curatio 689
Iuxta Authorem 696

Hydrops pulmonis quid 390
ejus ſigna ibid.
Veterum cauſæ 391
Iuxta Authorem. 392
Prognoſis ibid.
Veterum Curatio ibid.
Iuxta Authorem 393
Hyoſcyamus narcoticus eſt 99
Nigri ſemen maniam inducit 176

I.

Icterus quid 619
Ejus ſigna ibid.
Veterum Cauſa ibid.
Iuxta Authorem. 630
Prognoſis 633
Veterum Curatio 634
Iuxta Authorem. 635
Icterus ex Veneno 637
Veterum cauſa ibid.
Iuxta Authorem 638
Signa, & Prognoſis. 641
Curatio ibid.
Iliaca paſſio quid 586
Ejus ſigna 587
Veterum Cauſa ibid.
Iuxta Authorem. 589
Prognoſis 590
Veterum Curatio 591
Iuxta Authorem. 592
Incubus quid 62
Vigilantibus evenire non poteſt 63
Ejus ſigna 64
Veterum Cauſa. 65
Iuxta Authorem ibid.
Prognoſis 68
Veterum Curatio 69
Iuxta Authorem. 70
Iulep Diureticum. 164

L.

Lactis uſus dyſenteriâ an conveniat 619

Lacrima convenit hypochondriacis 667
Læſa ventriculi coctio quid 497
Ejus ſigna. ibid.
Cauſa. ibid.
Prognoſis 498
Curatio ibid.
Lenitivum Authoris. 676
Linguæ Tumor quid. 326
Ejus ſigna ibid.
Cauſa 327
Prognoſis ibid.
Curatio ibid.
Lienteria, & Cœliaca quid 571
Ejus ſigna 572
Veterum Cauſa ibid.
Iuxta Authorem. ibid.
Prognoſis 573
Veterum Curatio ibid.
Iuxta Authorem 574
Linguæ frænum quomodo in infantibus præſcindendum 340
Linguam, quam loquerentur infantes nullam edocti. 307
hiſtoria ſuper hoc 308
Liquor in aurium ſurditate 313
Ad viſus debilitatem. 288
Hollerij in maniâ 392
Ex cordibus vervicum 466
Lipothymia quid 467
Ejus ſigna 468
Veterum cauſa ibid.
Iuxta Authorem. 470
Prognoſis 471
Veterum Curatio ibid.
Iuxta Authorem. 473
Lixivium Benedictum Mynſicht 702
Diureticum Mynſicht. ibid.
Loqui variis linguis dæmonis tribuunt 188
potius diabolo, quam DEO *tribuunt* 208
Lucretius pro poculo amatorio in rabiemincidit. 196

Lycan-

Lycanthropia quid 221

M.

Magiſter Gryllus vocatus à Rege 247
Mandragora narcoticum remedium eſt 99
Mania quid 164
Differt à Dæmoniaco 171
Febre non laborat 165
Pars affecta 168
Ejus ſigna 169
Veterum Cauſæ 172
Iuxta Authorem 174
Prognoſis 177
Veterum Curatio 178
Iuxta Authorem 182
Mars ex quibus conſtat principiis 671
in chalybem tranſmutatio ibid.
Meconium quid 99
Medicus Phthiſicus 435
Medici otioſi in Pharmacopoliis 424
poſt ſe Scholam Cavenſem trahunt 436
aſſimilantur Monachis Prædicatoribus ibid.
Melampodium quid 186
Melancholia quid 199
Ejus ſigna 201
Veterum Cauſæ 203
Iuxta Authorem 205
Prognoſis 208
Veterum Curatio 210
Iuxta Authorem 213
Melancholia Hypochondriaca quid 642
Ejus ſigna ibid.
Veterum Cauſa 643
Iuxta Authorem 647
Prognoſis 658
Veterum Curatio 659
Iuxta Authorem 664
Melancholici cur fiant apoplectici 32
Menſtrui damna 196
Merlinus ex Dæmone, & fœminâ Anglicanâ natus 62
Miſtura Anti-epileptica 123
Alia 124
In Cardialgiâ 541
Ad maniam Fabri 191
In nauseâ, & vomitu 551
In ſingultu Authoris 560
In ſingultu Sylvij ibid.
Monachellus V. Incubus
Monachi ex eſu cicutæ putant eſſe anſeres 176
In dæmonem transformantur. 63
Cur Podagrâ corripiantur 744
Monachus, mulier, & gallus poſt coitum non mærent 216
Morbus ſacer. V. Epilepſia
Motus hypochondriacis prodeſt 667
hiſtoria 668
Mulier menſtruoſa ſpeculum maculat 196

N

Narium hæmorrhagia quid 316
Ejus ſigna 317
Veterum cauſæ ibid.
Iuxta Authorem 318
Prognoſis 319
Veterum Curatio 320
Iuxta Authorem 324
Nauſea, & Vomitus quid 541
Ejus ſigna 542
Veterum Cauſæ 544
Iuxta Authorem 545
Prognoſis 546
Veterum Curatio 547
Iuxta Authorem 549
Neapolitani quia ſalaciores ſunt viſum amittunt 284
Cur hypochondriacâ affectione laborent 665
Vulgo dicuntur Magna Foglie ib.

Nephritis quid 712
Ejus ſigna ibid.
Veterum cauſa 714
Iuxta Authorem 718
Prognoſis 720
Veterum Curatio ibid.
Iuxta Authorem 725
Noctambulus V. Somnambulus.
Non omnia mala à dæmone dependent 189.

O

Oleum Sagarum 67
Ophthalmia quid 256.
ejus ſigna 257
Veterum Cauſa 258
Iuxta Authorem 259
Prognoſis ibid.
Veterum Curatio 260
Iuxta Authorem 263
Opiata Amati Luſitani in Lienteriâ 574
Anticholerica 570
Oratio Dominicalis in epilepſiâ refellitur 116
Oxyacantum arcanum in Epilepſiâ 129

P

Panacea Neapolitana 670
Paracelſi arcanum in Epilepſiâ 114
Paralyſis quid 39
Ejus ſigna 40
Veterum Cauſa ibid.
Iuxta Authorem 42
Prognoſis 44
Veterum Curatio 45
Iuxta Authorem 46
Pariſthmia V. Tonſillarum Tumor.
Parthenopæi non abſimiles ſunt Pythagoreis 666
Philtrum quid 192
ejus ſigna 194
Cauſa ibid.
Prognoſis 196
Curatio 197
Phrenitis quid 141
Differentia 143
Ejus ſigna 144
Veterum Cauſa 146.
Iuxta Authorem 148
Prognoſis 151
Veterum Curatio ibid.
Iuxta Authorem 156
Phthiſis quid 435
Ejus ſigna 438
Veterum cauſa 443
Iuxta Authorem 444
Prognoſis 446
Veterum Curatio 441
Iuxta Authorem 457
Pica, & Malacia quid 515
Ejus ſigna 516
Veterum Cauſa. ibid.
Iuxta Authorem 517
Prognoſis 521
Veterum Curatio ibid.
Iuxta Authorem 522
Pilula Anti-cholerica Authoris 570.
cephalica Fernelij 14
de cynogloſsâ 413
Sine cura Cyriaci Weberi 73
De Ammoniaco 671
Dyſenterica Authoris 619
familiares Authoris 675
de ſtyrace Sylvij de le Boë 414
Pleuritis quid 360
Ejus ſigna 362
Veterum Cauſa 363
Iuxta Authorem 364
Prognoſis 365
Veterum Curatio 367
Iuxta Authorem ibid.
Pœoniæ radix à Galeno decantata 119
Pocula amatoria maniam excitant 176

omnium

Pomum hellebori 186
Potus hippocraticus Vulgo Hippocraſſo 47
Prophilacti:on in Aſthmate Authoris 388
Puellæ domi calidiores ſunt 168
Pulvis Anti-pleuriticus Authoris 371
Alius Authoris ibid.
Artheticus Paracelſi 745
Aſthmaticus Authoris 388
Cinnabaris nativi contra vertiginem 110
Contra lumbricos Authoris 502
Cynogloſſæ 413
Dyſentericus Authoris 618
Alius Authoris 619
Crollij ibid.
Epilepticus 125.
Haly Abbatis 450
In narium hæmorrhagiâ. 325.
Nephriticus Authoris 733
Ophthalmicus 288
In ſingultu Authoris 560
Alius Authoris 561
Secundinæ in philtro 193
Smaragdi 71
Stomachicus Birckmanni 501
Pumex in nauſeâ, & vomitu 551

Q

Quies hypochondriacis prodeſt 668

R

Radix Aſari contra philtrum 197
Rodia in Capitis dolore 22
Solani maniam inducit 179
Regina tormentorum, 531

S

Saccharum pectoris affectibus non convenit. 449
Sacculum in palpitatione cordis. 466
Sal epilepticus 122
Volatile Sylvij 61
Salernitarum Collegium tyrones cogunt ut jurent in verba Galeni 6
Sanctorum Ecſtaſes 52
Sanguis aſini in maniâ 190
Sanguinis miſſio à Belzebub inventa 414
Sanguinis ſputum quid 416
Ejus ſigna ibid.
Veterum cauſa 418
Juxta Authorem 419
Prognoſis 421
Veterum curatio 423
Iuxta Authorem 430
Scotus ecſtaſi fuiſſe correptum 28
Scutum Stomachicum Authoris 501
Sennertus Opera Dei *tribuit Diabolo* 188
Singultus quid 552
Ejus ſigna 553
Veterum cauſa 554
Juxta Authorem 555
Prognoſis ibid.
Veterum curatio 557
Iuxta Authorem 558
Sitis intenſa quid. 523
Ejus ſigna ibid.
Veterum cauſa ibid.
Iuxta Authorem 524
Prognoſis 526
Veterum curatio 528
Iuxta Authorem 529
Soli Deo *eſt futura prædicere* 189
Somnambulus quid. 86
Ejus ſigna 87
Veterum cauſa 88
Iuxta Authorem 89
Prognoſis 91
Authoris curatio ibid.
Sordes aurium aſini in vigilijs. 101
Spiritus compoſitus in catalepſi. 60

Epilepticus 112
Sanguinis humani 123.
Vini compoſitus 385
Vitrioli anti-epilepticus puerorum 117
Sternutatorium in apoplexiâ 59
In catalepſi 60
Stramonium quid 99
Suffitus in paralyſi 52
Epilepticus 113
Suffuſio quid 270
Ejus ſigna 271
Veterum cauſæ 272
Iuxta Authorem 273
Prognoſis ibid.
Veterum curatio 274
Iuxta Authorem 276
Sugillatio quid 269
Ejus ſigna ibid.
Cauſa ibid.
Prognoſis ibid.
Curatio 270
Syrupus Hellebori nigri Zuvelſeri 186
Hyperici Mynſicht 219
Pro lithiaſi Authoris 733
Martis aperitivus 673
Nicotianæ compoſitus 384
Papaveris erratici 371
Saſſafras Mynſicht 231
S. Ambroſij 692
Terebinthinæ 32

T

Tabula anti-epileptica 228
Teneſmus quid 622
Ejus ſigna 623
Cauſa ibid.
Prognoſis 624
Veterum curatio ibid.
Iuxta Authorem 628
Teſticuli animalium ſalacium amorem conciliant 195
Tinctura Alkermes Authoris 221
Croci 385
Coralliorum 629
Hyperici Mynſicht 219
Martis aperitiva 673
Papaveris erratici 371
Rhabarbari 609
Saſſafras Mynſicht 231
Scillæ 385
Tonſillarum Tumor, & inflammatio 329
Ejus ſigna ibid.
Veterum cauſa 330
Iuxta Authorem ibid.
Prognoſis ibid.
Veterum curatio ibid.
Iuxta Authorem 332
Tragea anti-pleuritica Hartmanni 370
granorum Sambuci 619
Tuſſis quid 402
Ejus ſigna 403
Veterum cauſæ 404
Iuxta Authorem 405
Prognoſis 408
Veterum curatio 409
Iuxta Authorem 411

U

Venena in corporibus quomodo agant juxta Galenum 638
Iuxta Authorem 640
Veneris uſus convenit in Catarrho 232
In diarrhœâ, & dyſenteriâ 617
In delirio melancholico 216
in melancholiâ hypochondriacâ 668
Venæ ſectio in anginâ reijcitur 245
in dyſenteriâ 610
in maniâ 179
in pleuritide 374
in ſanguinis ſputo 432
Ventriculi æſtu 478

Vertigo

Vertigo quid 102
Ejus ſigna 104
Veterum cauſa ibid.
Iuxta Authorem 105
Prognoſis 106
Veterum curatio 107
Iuxta Authorem. 108
Vigilia quid 92
ejus ſigna 93
Cauſa ibid.
Prognoſis 95
Curatio 96
Vinum Anti-podagricum Paracelſi 747
aromaticum in nauſeâ, & vomitu 550
medicatum Hartmanni 232
Viſus debilitas. 280
Ejus ſigna 281
Cauſa 282
Prognoſis 284
Curatio 285
Vnguentum anodynum Crollij 746
Cordiale 466
Cratonis 141
Nephriticum 721
In phthiſi 451
Sagarum 63
Somniferum Scoderi 101
Vngula Aſini in Epileſiâ 119
Vomica pulmonis differt à phthiſi 427
Vrtica convenit in ſanguinis ſputo 429
Vulneraria potiones in ſanguinis ſputo 434
In empyemate 401

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

Digitized by Google